


8936

17/107

BPE Burgos
3375210 BU 3389
BU 3389

PHILOSOPHIA
MORALIS ET SOCIALIS

92
367

AD MENTEM

ANGELICI DOCTORIS S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

P. Marcello a Puero Jesu

Ord. Carmel. Discalc. alumno

Δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας· ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

(Arist., *I Ethic., c. VI*).

BURGIS
EX TYPIS «EL MONTE CARMELO»
MCMXIII.

100 J28
1
367

PHILOSOPHIA MORALIS ET SOCIALIS

Jus proprietatis vindicabitur.

PHILOSOPHIA
MORALIS ET SOCIALIS

AD MENTEM

ANGELICI DOCTORIS S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

P. Marcello a Puero Jesu

Ord. Carmel. Discalc. alumno

Δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας· ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

(Arist., *I Ethic., c. VI).*

BURGIS
EX TYPIS «EL MONTE CARMELO»
MCMXIII.

B.P. BURGOS
N.R. 103106.
N.T. 54057
C.B. 75210
BU
3389

A los efectos de la Ley sobre la propiedad intelectual presenta este ejemplar el día 10 de Octubre 1913

Fr. Marcelo del V. C. D.

Beatae Mariae Virgini, amantissimae Matri Carmelique decori in signum filialis amoris et devotionis hoc opus dicat, offert, consecrat

Auctor

Ordinarii Licentia.

NIHIL OBSTAT
CENSOR
Richardus Gomez Roji
Canonicus.



IMPRIMATUR
Burgis die 2 Augusti 1912.
† *Benedictus,*
Archiepiscopus Burgensis.

LICENTIA ORDINIS

Nos Fr. Ezechiel a S. C. Jesu, Praepositus Generalis Fratrum Excalceatorum Ordinis Beatissimae V. Mariae de Monte Carmelo ejusdemque S. Montis Prior.

Cum opus, cui titulus «Philosophia Moralis et Socialis», a R. Adm. P. Marcello a Puero Jesu Ordinis Nostri Sacerdote professo compositum, deputati censores examinaverint, praeloque dignum probaverint, concedimus licentiam ut typis edatur, servatis de jure servandis.

Datum Romae ex Aedibus nostris Generalitiis, die 21 Junii 1912.

Fr. Ezechiel a S. C. Jesu,
Praep. Gen.

Fr. Valentinus ab Assumptione,
Secrius.



LECTORI BENEVOLO

Funesta illa systemata, quibus recentes Pseudophilosophi doctrinam Christi morumque disciplinas misere depopulantur, vel ad ipsas olim catholicas Academias, serpentina calliditate, hisce temporibus, descendisse, nemo, qui in scientiis moralibus et sociologicis aliquantulum sit versatus, ignorat.

Vetustis humani ingenii jam diu delitescentibus theoriis noviter recoctis, aliisque, pene infinitis, absurdioribus adjectis, planum erat, ut, nulla habita ratione ad Deum et Ecclesiam in excolenda Philosophia Morali, universalis illa tam in Ethica quam in Jure Naturali succederet anarchia quam ubique regnare conspicimus.

Ipsa igitur mali conditio urget nos perennem traditionalemque morum Philosophiam, immobile civitatis et religionis fundamentum, in gratiam praesertim studiosae juventutis, didactica methodo pervulgare. Quem in finem Lectiones Ethicae Jurisque Naturae, quas studiis moralibus, potissimum scholasticis, tum etiam recentioribus, impense deditus, discipulis viva voce tradideram, in lucem edendas proposui, sperans his meis elucubrationibus aliquam saltem utilitatem Ethicae candidatis allaturum.

In his adornandis litteram ipsam et rationes S. Thomae, quantum potui, integras servavi; nihil enim antiquius habui quam miram Angelici Doctoris doctrinam alte in mente discipulorum defigere. Namque illud a se ipse impetravit sua philosophandi ratione, *ut, et superiorum temporum errores unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit.* (Leo XIII. Encycl. *Aeterni Patris*, 4 Aug. 1879).

Vehementer ergo desidero ut, quod sacrum semper fuit in Nostra Religione Carmelitide, *Philosophia Scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur* (Pius X, Encycl, *Pascendi*, 8 Sept. 1907), cum perspectum illud apud sapientes habeatur, *Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse* (Pius X, ib.), et sancte observare quae de sequenda Thomae doctrina providentissime praecepit Leo XIII, *permagni ad custodiam et tutelam fidei* intersit (Pius X, *Sub exitum*, Epist. ad Episc. Galliae, 6 Maii 1907).

Alios quoque doctores tam domesticos quam extraneos, praeter Aquinatem, adivi, quos in decursu Disputationum citatos invenies.

Ergo, humanissime lector, quae utilia in hoc qualicumque opere repereris Angelico Doctori, summis aliis philosophis, magistris denique meis, quae autem erronea aut minus sapienter dicta, mihi tribuas, opto.

Fr. Marcellus a Puero Jesu,
Carm. Disc.

Scribebam Victoriae in festo S. Thomae Aquinatensis Ecclesiae Doctoris et Praeceptoris O. N., die 7 Martii 1912.

PHILOSOPHIA MORALIS

Introductio.—Auctoris propositum

1. Praeceptam supponimus in Logica communem Philosophiae distributionem in *speculativam et practicam*, prout intellectum mera rerum contemplatione perficiat, vel normas tradat ad voluntatem humanam in finem consentaneum rite dirigendam.

Rationali item philosophia diligenti studio et labore jam comparata, lubet, rectusque rerum ordo postulat, practicas illas quaestiones modo rimari, quae objectum Philosophiae Moralis proprie constituunt. Ne vero novitii rem ignorare videantur cujus studio vacare cupiunt, opportunum duximus *Disputationem prooemialem* de natura, objecto, praestantia et utilitate Philosophiae Moralis, necnon brevem synopsim historicam ejusdem scientiae, divisionem methodumque adhibendam, praemittere.

2. In hac autem, sicut in ceteris Philosophiae partibus, mens nostra est atque perlibens desiderium a sana tutaque Angelici Praeceptoris doctrina nec minimum recedere. Et utinam recentiores Juristae tanti Doctoris vestigia premerent. Nam, ut scite animadvertit ***Leo XIII,*** «domestica atque civilis ipsa societas quae, ob perversarum opinionum pestem, quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto *pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et Scholis sanior traderetur et magisterio Ecclesiae conformior doctrina, qualem* ***Thomae Aquinatis*** *volumina complectuntur.* Quae enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cujuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et aequo summorum principum imperio, de obtemperatione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate, quae scilicet de his rebus et aliis generis ejusdem a ***Thoma*** disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea *juris novi* principia quae pacato rerum ordini et publicae saluti periculosa esse dignoscuntur» [1].

---

1 Encycl. *Aeterni Patris*, 4 Aug. 1879.

DISPUTATIO PROOEMIALIS
DE
PHILOSOPHIA MORALI UNIVERSIM SPECTATA

QUAESTIO UNICA

Articulus I

Natura et momentum Philosophiae Moralis [1]

Summa rerum. 1. *Nominalis descriptio hujus scientiae.* 2. *Duplex morum consideratio—quo sensu* MOS *sit objectum Ethicae.* 3. *Realis Philosophiae Moralis definitio—Explicatur—Est vera scientia—practica.* 4. *Objectum materiale, formale et attributionis—Quadruplex rerum ordo in comparatione ad rationem, juxta D. Thomam.* 5. *Relatio hujus scientiae ad divinam revelationem.—Positivismus—Schola historica.—Moralis scientifica—Schola rationalistica—Moralis laica Moralis sociologica—Moralis solidaria—Traditionalismus.* 6. *Theoria Moralis Independentis rejicitur.— Pulcherrima Angelici Doctoris verba.—Canon Conc. Vatic.* 7. *Immutabilitas Scientiae Moralis —Evolutionismus.* 8. *Demonstratur utilitas et praestantia Philosophiae Moralis ex quintuplici capite.*

1. Quoniam, monente ***Cicerone,*** *omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re, institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id*

---

1 Cfr. Ant. Goudin, O. P. *Philosophia Thomistica*, t. IV, *Ethica seu Moralis, quaest. Praeambula* a. un.; Salvator M.ª Rosselli, O. P. *Summa Philosophica*, t. VI, *Prolog.* (Matriti 1788); *Elementos de Filosofía Moral*, por D. Miguel Martel, c. 1; Salv. Tongiorgi, S. J. *Institutiones Philosophiae in Compendium redactae*, (ed. 4.) p. II, n. 1-4; Zephyrinus Gonzalez, O. P. *Philosophia Elementaria*, vol. III, c. *Prooemiale*, § 1, (ed. 6.ª Matriti 1899, et *Estudios Filosóficos*, lib. VI; Victor Cathrein, S. J. *Philos. Moralis*, Friburgi Brisgoviae 1903, *Introduct.* § 1; Jul. Costa-Rossetti, S. J. *Philosophia Moralis* seu *Institutiones Ethicae et Juris Naturae* (ed. altera Oeniponte 1886); Sanctus Schiffini, S. J. *Disputationes Philosophiae Moralis* (Augusta Taurinorum 1894). *Introduct.*; Theodorus Meyer, S. J. *Institutiones Juris Naturalis seu Philosophiae Moralis Universae* (Friburgi Brisgoviae 1885), complet Philosophiam Lacensem Praelectoribus valde commendabilem, Prooemium; *Curso de Filosofía*, por D. Luis M.ª Eleizalde é Izaguirre, III. *Etica*

de quo disputatur[1], a Philosophiae moralis descriptione exordium sumimus.

Philosophia *Moralis* apud latinos, graeca voce *Ἠθική*, a more (*ἦθος*) apellationem suam derivat. Unde idem est ac *scientia morum*. «Quod *ἦθος* illi (graeci) vocant, nos, inquit ***Tullius,*** eam partem philosophiae de *moribus* appellare solemus; sed decet augentem linguam Latinam, nominare *moralem*[2].

Mos autem, juxta ***D. Thomam,*** quandoque significat *consuetudinem*, quandoque vero *inclinationem quamdam naturalem* vel *quasi naturalem* ad aliquid agendum...[3]. *Actus* autem *morales* seu *mores* hominum proprie dicuntur actus illi qui frequenter et cum repetitione ex voluntate deliberata procedunt. Ultima igitur Philosophiae pars ideo *ἠθική* sive *Moralis* denominatur quia circa *mores*, hoc est, actus humanos, versatur.

2. De moribus autem dupliciter agere possumus: vel eos tantum *cognoscendo*, ut Historia Naturalis mores animalium refert, vel ad eos, juxta regulas recti ordinis, *dirigendos*, et hoc posteriori modo Philosophia Moralis mores considerat. Haec si etymon spectetur.

3. Si vero rem ipsam consideremus Philosophia Moralis definiri potest: *Scientia practica quae liberas hominum actiones considerat prout in finem consentaneum dirigendas, naturali rationis humanae lumine comparata.*

Explicatur definitio.

a) Philosophia Moralis est *vera scientia*[4]. Quis enim ambigere potest illam certis et evidentibus niti principiis, ab effatis aliarum disciplinarum prorsus distinctis, uti sunt: *Bonum est faciendum malumque vitandum: Serva ordinem: Quod tibi non vis fieri alteri ne facias: Parentes sunt honorandi*, et alia quam plurima ex quibus, vi ratiocinii, certas et evidentes conclusiones deducit, concatenatam illarum veritatum seriem efformantes, quae ad scientiae rationem vere pertingat?

b) Cum scientiae ad hominem perficiendum ordinentur, cumque

---

y Derecho Natural, (2.ª ed. 1893, Madrid) *Etica*, Preliminares; *Elementos de Filosofía Moral*, por el Dr. D. Mariano Amador y Andreu, (2.ª ed. Salamanca 1895); C. Willems, *Philosophia Moralis*, (Treveris 1908) *Introductio* n. 1-3; *Tratado Elemental de Filosofía* para uso de las clases, publicado por Profesores del Instituto Superior de Filosofía de la Universidad de Lovaina, t. II, *Filosofía Moral*, por A. Arendt, *Moral General, Introducción*, n. 1-3, traducido de la 2.ª ed. francesa (1909) por el P. José de Besalu, O. M. C., Barcelona 1911.

1 M. Tullii Ciceronis Opera in IX tomos distributa, Genevae 1758, *De Officiis*, lib. I, 2.

2 *De fato*, 1.

3 I-II q. LVIII, a. 1.

4 Cfr. Cosm. Alamannus, *Summa Philosophiae*, t. III, *Sect.* V, Ethica (París 1891), q. I, a. 5; Joseph Saenz de Aguirre, *Disputationes Ethicae, De virtutibus et vitiis* (Romae 1717), Disp. II, q. VI.

humana vita in cognoscendo verum et appetendo bonum tota contineatur et vigeat, hinc scientiae aliae dicuntur *theoreticae,* aliae *practicae,* secundum quod in contemplatione veritatis sistunt intellectumque perficiunt, vel cognitionem ordinant ad opus et voluntatem in bono rectificant[1]. Philosophia autem moralis *practica* dici debet, quia non tantum rem considerat, sed ordinat ad praxim movetque ad operandum; est enim cognitio moralis norma directiva actuum humanorum. Hoc negotium, inquit ***Aristoteles,*** non cognitionis causa susceptum est, ut cetera; non enim quid sit virtus quaerimus, ut cognoscamus, sed ut boni efficiamur. *Ἡ παροῦσα πραγματεία ου θεωρίας ενεκά ἐστιν, ωσπερ αἱ αλλαι οἱ γὰρ ἵν ἐιδωμεν τί ἐστιν ἡ αρετὴ σκεπτόμεθα, αλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενῶμεθα*[2]. Unde Ethica, in quantum est philosophiae pars, verum cognoscit; ut autem veri cognitione utitur ad vitam humanam dirigendam in finem moresque componendos, ab aliis philosophiae speculativae partibus satis discriminatur.

c) Ponitur in definitione: *quae liberas hominum actiones, prout ad finem consentaneum dirigi possunt, considerat,* ad designandum objectum circa quod versatur, *materiale* quidem, quod est *actio prout ab homine vitaliter procedit,* et formale quod est *ipsamet operatio humana prout ad finem consentaneum dirigi potest*[3]. Illa enim formalitas quam praecise mens

---

1 Cfr. D. August., *De Civitate Dei,* lib. VIII, c. IV, col. 318, t. 7, pars prior. *Opera omnia,* ed. parisina altera, quam versamus, apud Gaume, 1838; D. Thomas in III, *De Anima,* lect. XV; et in II, *Metaphys.* lect. XI; I p. q. XIV, a. 16; q. LXXIX, a. 11, *Opera omnia,* Parisiis, apud L. V. qua editione, ut plurimum, usi sumus, nonnumquam ed. Leonina; *Collegii Complutensis S. Cyrilli Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Monte Carmeli Disputationes in Arist. Dialecticam et Philos. Naturalem. Disp.* I, q. VI; Joannes ab Annuntiatione, C. D. *Artium Cursus,* t. I, *Disp.* I, *Prooemialis,* q. VI, § 1; Joan. Bachonis *Angli Doctoris resoluti Ord. Carm. Philosophia,* ex scripto ejusdem Doctoris super quatuor Libros Sententiarum collecta, in ordinem digesta et explicata ab Adm. Rev. P. Hieronymo Aymo a S. Clemente, t. I, q. I, a. 3. et t. II, *Physica. Prolog.* q. un. a. 2; Gabriel a S. Vincentio, C. D. *Logica. Disp.* IV, Dub. II, n. 11-17; Joan a S. Thoma, O. P. *Cursus Philosophicus Thomisticus,* q. I, a. 4; Nuntius Signoriello, *Philosophia Christiana cum antiqua et nova comparata,* vol. I., *Introductio ad Philos.*; Jos. Urraburu, S. J. *Institutiones Philosophicae,* Vallisoleti, 1890-99, 8 vol. Log. Maj. lib. II, *Disp.* IV, et ejusdem Operis *Compendium,* Matriti 1902 n. 492-496; Michael de Maria, *Philosophia Peripatetico-Scholastica,* Log. Maj. q. VI, a. 2; *Curso de Filosofía. Lógica,* por D. Mercier, *Introducción* II, traducida al español por D. Francisco Lombardía y Sánchez; Reinstadler, *Elementa Philosophiae Scholasticae,* ed. 3.ª Friburgi Brisgoviae 1911. vol. I. *Criteriologia,* c. III, a. 2.; C. Willems, *Institutiones Philosophicae,* Treveris 1906, t. 1, *Introduct.* n. 6; R. P. Fr. Ed. Hugon, O P. *Cursus Philosophiae Thomisticae,* vol. I. Log. Maj. q. III, a 3.

2 II *Ethic.,* c. II.

3 Circa objectum scientificum ejusque divisiones vid. praeter alios auctores, Gabriel a S. Vincentio, *Logica,* Disp. III, n. 3 et seqq.; *Complutenses Carmel.* Disp. I, q. II; Joan. a S. Thoma, O. P. *Cursus Philos. Thomist.* q. XXVII, a. 1, et q. I, a. 3; *Collegii Salmanticensis Fr. Discalceatorum B. M. de Monte Carmeli Cursus Theologicus.* (Parisiis apud Victorem Palmé 1877) Tract. VIII, Disp. I, Dub. III; Urraburu, Log. Maj. lib. II, Disp. IV, c. I, a. 4; Ed. Hugon, Log. Maj. q. III, a. 2.

nostra in actu humano considerat est moralitas seu ordinatio actus in finem. Hinc a nonnullis Philosophia Moralis definitur: *Scientia recti moralis, aut ordinis ponendi in liberis hominum actionibus.*

Praeclare, ut solet, Angelicus: Ordo, inquit, quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim *quidam ordo* quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. *Alius* autem *ordo* quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem et signa conceptuum quae sunt voces significativae. *Tertius* autem est ordo quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. *Quartus* est autem ordo quem ratio considerando facit in rebus exterioribus quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo. Et quia considerâtio rationis per habitum perficitur, *secundum hos diversos ordines*, quos proprie ratio considerat, *sunt diversae scientiae*. Nam ad *Philosophiam Naturalem* pertinet considerare ordinem rerum quem ratio humana considerat, sed non facit, ita quod sub Naturali Philosophia comprehendamus et Metaphysicam. Ordo autem quem ratio considerando facit in proprio actu pertinet ad *Rationalem Philosophiam*, cujus est considerare ordinem partium orationis ad invicem et ordinem principiorum ad invicem et ad conclusiones. *Ordo autem voluntariarum actionum pertinet ad considerationem Moralis Philosophiae*. Ordo autem quem ratio facit considerando in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam pertinet ad *artes mecahnicas*.

Sic ergo *Moralis Philosophiae*, circa quam versatur praesens intentio, *proprium est, considerare operationes humanas secundum quod sunt ordinatae ad invicem et ad finem*. Dico autem *operationes humanas* quae procedunt a voluntate hominis secundum ordinem rationis. Nam si quae operationes in homine inveniuntur, quae non subjacent voluntati et rationi, non dicuntur proprie humanae, sed *naturales*, sicut patet de operationibus animae vegetativae, quae nullo modo cadunt sub consideratione Moralis Philosophiae. Sicut igitur subjectum Philosophiae Naturalis est motus vel res mobilis, ita *subjectum Moralis Philosophiae est operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo prout est voluntarie agens propter finem*[1].

Objectum ergo *attributionis* hujus scientiae est operatio humana in finem ordinata; *materiale* ipsa operatio, *formale* vero ordinatio in finem.

Finis autem Philosophiae Moralis est hominem dirigere ad beatitudinem naturalem.

d) Additur denique: *naturali rationis humanae lumine parta*, ut designetur objectum *quo* seu *ratio sub qua*, quia et intellectus humanus est

1 I, *Ethic.* lect. 1.ª Cfr. Cosm. Alamann. q. I, a. I.

principium *subjectivum* quo haec scientia comparatur, et ipsa principia seu regulae *objectivae*, quibus utitur, lumine rationis dignoscuntur, idcirco plane secernitur a Theologia Morali, quae, praeter ethicas veritates, plures alias complectitur et altiores normas agendi tradit ex deposito revelationis depromptas.—Nostra ergo philosophia moralis est *scientia naturalis naturali ratione comparata*.

5. An sit in Philosophia Morali *sola ratione* procedendum.

Abundant quidem novissimis diebus philosophi qui, omnem Metaphysicam divinamque revelationem penitus interdicentes[1], principium empiricum in hanc scientiam tantummodo inferunt, solaque experientia ducuntur in suis moralibus investigationibus, Ethicae applicantes evolutionis principia a *C. Darwin* et *H. Spencer* nuper excogitata. Ita omnes Materialistae et Positivistae, nominatim *A. Comte, Littré, Viardot, Villari, Stuart Mill, Taine, Laffite, Ch. Robin, Georgius Lewes, Miss Martineau* aliique[2].

Plures alii post *Kantium*, inter quos *Schmansius, Frid. Morin, Massol, Vacherot, Secretan, A. Jacques, Jul. Simon, Cousin, Jouffroy, E. Saisset, P. Janet* et *Joan. Philibertus Damiron*, arbitrati sunt scientiam moralem ab omni idea Dei, legis aeternae divinaeque revelationis praescindere debere. Unicum siquidem sufficiensque principium moralitatis in conscientia, vel in ratione, aut in libertate individua, reperiunt.

Juxta priorum sententiam Philosophia Moralis assimilatur Historiae naturali; ex quo logice profluit arida illa et infecunda Moralis, quae modo *scientifica* dicitur, quaeque omne principium experientia non inventum probatumque rejiciens, scientiam moralem ad meram factorum enumerationem reducit. Hi ergo *Scholam Historicam* vere *positivistam* efformant[3], secundum quam omnes leges institutaque in praecedenti lege et instituto rationem motivumque tum suae exsistentiae tum moralitatis habent[4]. Posteriores autem *Scholam Rationalisticam*, quae his temporibus *laica* et etiam *naturalista* audit, constituunt. Huic proxime accedit *Moralis Sociologica*, ob eam rationem sic appellata, quia cuncta hominis officia in ipsa natura

---

1 Cfr. Venancio M.ª Minteguiaga, de la Compañía de Jesús, *La moral independiente y los principios del Derecho nuevo*, c. VII. (3.ª ed. Madrid 1906); De Boglie, *La Morale sans Dieu*; Genaro González Carreño, *Nuevas direcciones de la Moral*, public. en la Revista *Cultura Española*, Agosto 1908.

2 Cfr. *Histoire de la Philosophie contemporaine*, par P. M. Brin, t. 3. prem. par. chap. III; Euseb. Stateczny, O. M. *Compendium Historiae Philos.* Romae 1898; *Historia de la Filosofía*, por el P. Ceferino González, Tercera Epoca; *Historia de la Filosofía y Terminología Filosófica*, por el Dr. Pbro. D. Jesús M.ª Reyes Ruiz, Granada 1910. Epoca general séptima; et Philosophi in suis *Institutionibus* passim.

3 «La moral que llaman *científica* es positivista porque se limita á observar los hechos sin cuidarse de la intención con que se ejecutan los actos». A. Arendt, *Filosofía Moral*, n. 65.

4 Cfr. Morató, *El Derecho civil Español* lib. I, c. I, a. 2; Theod. Meyer, *Institutiones Juris Naturalis*, p. I, sect. altera, lib. II, c. III, a. 1, § 1.

societatis ultimatim fundari, actuumque moralitatem unice ex populorum civilitate et bono communi, ab individuali prorsus distincto, promanare docet. Moralem sociologicam tuentur inter alios *Sunmel, Durkeim, Levy-Bruhl* et *Albertus Baye*[1]. Ab ea nec hilum differt *Moralis Solidaria* quam exponunt propugnantque nostris diebus, *Leon Burgeois, Rauh* et *Buisson*.

A Positivismo autem et Rationalismo velut a propriis et naturalibus fontibus descendit *ea disciplina morum quam et* CIVICAM nominant et SOLUTAM *ac* LIBERAM (laica, independiente y libre), *scilicet, in qua opinio nulla sit religionis inclusa*[2]. Neque aliud impraesentiarum intelligitur nomine *Ethicae Independentis* quam illorum doctrina qui censent *divinam revelationem esse omnino praetermittendam in quaestionibus ad mores spectantibus, omnemque ideam Dei, legis naturae et sanctionis aeternae a priori respuendam*. Existimant enim, etsi falsa contentione, humanam rationem, propriis viribus et omni revelationis auxilio penitus destitutam, parem esse ad veram scientiam moralem inveniendam creandamque. Inter Moralistas independentes eminent, praeter citatos, *Feuerbach, A. Rouge, M. Ferraz, E. Caro, C. Coignet, Buisson*[3], et anarchistae *Proudhon, Jul. Ferry*, et *P. Bert* cum ceteris Libertariis moralem civicam et solutam, individualem aut sociologicam propugnantibus[4].

---

1 Cfr. Foulliée, *Los elementos sociológicos de la Moral* (Madrid, 1908).

2 Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*, 20 April. 1884. *Colección completa de las Encíclicas de* Su Santidad León XIII, *en latín y castellano* publicada bajo la dirección y con un prólogo del Dr. D. Manuel de Castro Alonso, Valladolid, 1902.

Los positivistas han dicho: es preciso dar a la moral una base sólida. Ahora bien, la idea de Dios es absolutamente *anticientífica*, según unos, es por lo menos *problemática*, según otros. Luego no podemos fundarla sobre base tan movediza. Cfr. M. J. Brugerette, *Las morales independientes y la Moral Evangélica.—Ensayo de síntesis cristiana*, traducido de la 4.ª ed. francesa y precedido de un prólogo del Conde de Rascón, donde estudia 1.ª p. c. I, el utilitarismo y la moral evangélica; c. II, la moral evolucionista y el cristianismo; c. III, la moral Kantiana; c. IV, la moral idealista pág. 11-46; y p. II.ª, c. I, las analogías de la moral científica y de la moral evangélica; c. II, las lagunas de la moral científica; c. III, cómo la moral católica rectifica y completa la moral científica pág. 47-76.

«La *moral independiente*, tan en boga hoy, es hija legítima de la doctrina de Kant». Ceferino González, *Historia de la Filosofía*, epoca tercera, § 57, pág. 241, edic. de Madrid, 1879; Kant, *Crítica de la razón práctica*, p. I, lib. II, c. 2.

3 Cfr. P. M. Brin, *Histoire de la Philos. Contemp.* t. 3, prem. part. chap. II.

4 Cfr. Gustavo La Iglesia, *Los caracteres del Anarquismo*, (2.ª ed. Barcelona 1907), p. II, Título I. Aspecto ético, c. I, y p. I, c. 1 y sig. Proudhon es uno de los que han mostrado más violencia en los ataques contra toda idea religiosa: «Dios es lo arbitrario, es el mal. El principio de la justicia está en el hombre, únicamente en él. He aquí que sobre el polvo de las pasadas creencias, la humanidad jura por sí misma. Con la mano izquierda sobre el corazón y la mano derecha extendida hacia lo infinito exclama: Yo soy la reina del universo, todo lo que está fuera de mí me es inferior y no depende de ninguna majestad». *De la justice dans la Revolution et dans l'Eglise*, vol. 2.—C. Coignet, *La morale independante*. «El hombre es al mismo tiempo el origen, el fin y el verdadero creador de la moral». Feuerbach audacter clamat: «L'homme seul est notre Dieu, notre juge, notre Redempteur», et Proudhon, «Que doit-on à Dieu? La guerre», Apud A. Farges et D. Barbedette, *Philosophia Scholastica*, (ed. 15.ª Parisiis 1910), *Theodicea*, I p. a. II, n. 35.

Ex praejacta scholarum moralium descriptione liquet non omnes memoratos scriptores *eodem modo et gradu* Ethicae independentiam proclamare. Nam quidam, ut ***P. Janet*** et ***E. Caro,*** eam *a divina revelatione* dumtaxat independentem praedicant; alii ulterius progressi, oportere, ajunt, in studiis moralibus *a Deo* omnino praescindere. Ita ***Coignet, M. Ferraz*** cum aliis multis; plures demum, post ***Shaftesbury, A. Smiht, Hutcheson,*** et ***Höffding,*** *rationem speculativam* aspernantes, *sola sympathia, instinctu morali,* seu *conscientia* in Ethica procedendum esse autumant.

Ex adverso *Traditionalismus,* supra modum extollens divinam revelationem, vires humanae rationis nimis coarctat, ita scilicet, ut, juxta ipsum, intellectus naturalis hominis nec ipsa prima legis naturalis praecepta ex sese cognoscere valeat.

6. Verumtamen tam Moralistae independentes quam Traditionalistae, exclusivismo ducti, errore laborant. Utrumque enim elementum est temperate miscendum, divinum scilicet humanumque, et humanum quidem non solum per ratiocinationem, sed etiam per observationem et experimentum. Quia licet proprius fons unde ethica desumuntur praecepta sit ratio naturalis, ipsi tamen famulantur, ut principia subsidiaria, Dei positiva revelatio et populorum historia.

Ethicae independentis confutatio[1]. Cum totum systema, quod modo reprobandum assumimus, traditionali morum doctrinae, quam nostra complectitur Philosophia, e diametro opponatur, omnes fere theses argumentaque plura in decursu Disputationum exhibenda directe feriunt moralem civicam, universalem, scientificam et aliam quamlibet in ethica independenti inclusam. Superfluum ergo videtur longam texere specialium rationum seriem; sufficiat itaque nonnullas tantum indigitare.

Ethica independens 1) logice et necessario consequitur *autonomiam absolutam rationis practicae* a ***Kant*** aliisque Rationalistis proclamatam; 2) minime sustineri defendique valet quin simul atheismus probetur. Deo namque existente, ab eo necessario promanant et lex moralis, et libertas, et auctoritas omnis visque obligandi. Et revera. Moralistae

1 Cfr. Encycl. Leonis XIII, *Humanum genus;* Minteguiaga, *La Moral Independiente y los principios del Derecho Nuevo;* Ortí y Lara, *Introducción al Estudio del Derecho y principios del Derecho Natural* (Madrid 1879.); Fernando Brunetiére, *Las razones actuales de la creencia.* Discurso pronunciado en Lila el 18 de Nov. 1900 en la sesión de clausura del 27.º Congreso de los católicos del Norte, traducido por Juan de Hinojosa, III, pag. 51; Pedro Vallet P. S. S., *Dios principio de la ley moral,* traducido por Juan de Hinojosa; M. J. Brugerette, *Las morales independientes* etc.; D. Juan Maura, Obispo de Orihuela, *La moral independiente y el Magisterio de la Iglesia,* Murcia, 1903; Jaugey, *Diccionario apologét.* t. II, art. *Moral;* Arendt, *Filosofia moral* c. III, § 7; Zeph. Gonzalez, *Philosophia Elementaria,* lib. VII, Ethica, § IV.

independentes, ut hanc devitent consequentiam, palam atheismum, saltem plurimi, profitentur, neque in aliud ultimatim resolvitur moralis scientifica, laica, massonica aut quacumque alia nuncupetur appellatione ethica independens[1]; 3) «Quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum movilis, satis ostenditur ex his, qui partim jam apparent, poenitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores, opinionum tetra portenta convalescere, plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant; idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi haud raro testantur»[2]; 4) Insuper, rationem per se solam independenter a divina revelatione non esse fontem totius moralis scientiae ipsa historia populorum aperte demonstrat. Etenim, quamvis aliquas Ethicae veritates ethnici sapientes vel inventione detexerint vel magisterio et disciplina cognoverint, nunquam tamen completum systema veritatum, id est, corpus doctrinae moralis, efformare potuerunt, nam nobiliores ipsi philosophi, ***Aristoteles, Plato, Socrates*** aliique, haud immunes fuerunt ab erroribus multis in re morali; nostris quoque temporibus postquam veritas divina et christiana lux affulsit, in tot tantaque absurda Rationalistae impegerunt, ut ***Sthal*** non sit veritus fateri «eorum opera penitus interiisse quidquid pulchri et sancti exstabat in mundo[3]. Pulcherrime scripserat ***Angelicus Praeceptor:*** *Humana sapientia tamdiu est sapientia, quamdiu est subjecta sapientiae divinae, sed quando recedit a Deo tunc vertitur in insipientiam*[4].

5) Denique, theoria moralis independentis proscripta est in Syllabo ***Pii IX:*** *Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis*

---

1 La escuela de la *moral independiente* dice que hoy la moral, en toda su extensión y en todas sus relaciones, debe ser *atea* y estar separada de la Religión, *atea* en cuanto a la determinación de la bondad y malicia de las acciones, *atea* en cuanto a su fuerza de obligar, *atea* en su sanción, *atea* en cuanto a su principio no menos que en orden a su fin; *ateo*, en una palabra, todo lo que se llama *Ley* o *Derecho natural* en todos sus conceptos, ó, lo que es lo mismo, todo el orden moral. Minteguiaga, loc. cit. Introducción.

2 Leo XIII, *Humanum genus*. El Conde de Gobineau no concede ningún valor la moral y afirma que «el temor de Dios no es ningún obstáculo para ser asesino». *Revue de Deux-Mondes*, 1 Juin 1907.—En cambio Ravachol, poco antes de entregar su cuello al verdugo, decía al Abate Claret: «No creo en Dios: si creyese en él no hubiera hecho lo que hice». Cfr. L'Abbé de Boglie, *La morale sans Dieu*, p. I, chap. III, § 8.

3 *Storia della filosofia del Diritto. Prefaz.* Cf. D. Thom. I p. q. I, a. I; *Contra Gent.* lib. I, c. 4; Lactantius, *Divin. Instit.* lib. III, 15; Tanquerey, *Synopsis Theolog. Dogmat. Fundam. De vera Relig.* c. I, a. II, § III; P. Valentinus ab Assumptione, C. D. *Theologia Dogmatico-Scholastica*, vol. I. *Theologia Fundamentalis* (Burgis 1910), q. II, a. III; Cicer., *Quaest. Tuscul.* lib. II, 1-2.

4 *In I. Epist.* D. Pauli *ad Cor.* c. XV, lect. V.

habita ratione[1]. *Philosophicarum rerum morumque scientia itemque leges civiles possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare*[2]. Et in Concil. Vatic.: *Si quis dixerit disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint, anathema sit*[3].

7. **Immutabilitas scientiae moralis.** Graviter offendunt Ethicae naturam qui cum ***Godwin, Stirner*** et ***Nietzsche*** universalia legis naturae praecepta et Philosophiae Moralis effata mutabili populorum opinioni novisque philosophorum placitis accommodare student[4]. Nam moralis ***Evolutionismus*** 1) in agnosticismo fundatur et ad agnosticismum ducit; 2) ipsam Ethicae exsistentiam pessumdat; 3) verum impedit progressum; 4) justitiae fundamenta convellit, et 5) Anarchistarum conatus quodammodo promovet.—Ergo veritates fundamentales, quae Philosophiae Morali veram scientiae rationem conferunt, sunt aeternae et omnino immutabiles, ac proinde manifeste desipiunt qui opinantur cum ***Alfr. Fouillèe*** Scientiae Moralis dogmata, tanquam certa et indubia a Majoribus nostris recepta, jamjam senescere et *crisim* vel jacturam pati[5].

8. **Momentum Ethicae** constat ex multiplici capite, scilicet[6]:

a) ex ejus objecto, assumit enim actiones humanas dirigendas in finem praecipue ultimum. Quid autem nobilius et praestantius quam scire tum proprias tum aliorum actiones in finem dirigere? Utilis, imo «necessaria est homini, inquit Angelicus, ex quo est aliquis optimus finis rerum humanarum, cognitio ejus, quia habet magnum incrementum ad vitam, id est, multum auxilium confert ad totam vitam humanam. Quod quidem apparet tali ratione. Nihil quod in alterum dirigitur potest homo directe assequi nisi cognoscat illud ad quod dirigendum est. Et hoc apparet per exemplum sagittarii qui directe emittit sagittam attendens ad signum ad quod eam dirigit; sed tota humana vita oportet quod ordinetur in optimum et ultimum finem humanae

---

1 *Prop.* XIV. 2 *Prop.* LVII.

3 *De Fide et Ratione,* c. IV, can. 2.

4 Renan decía: «No hay ninguna verdad absoluta; y, si alguna hay, es inaccesible al hombre; lo que hay son estados de opinión, y estos estados diversos son a su vez los efectos del estado de la humanidad que continuamente se muda». In hanc sententiam deveniunt omnes *Modernistae.*

5 *Critique des Systèmes de Morale contemporains,* París. 5.ª ed. 1907. Préface. Cfr. D. Juan Maura, loc. cit. Introducción II; F. Brunetiere, *Las razones actuales de la creencia,* I; *La ciencia Tomista* (publicación bimestral de los Dominicos españoles), Marzo-Abril 1911, pág. 80 y ss.

6 Cfr. Willems, *loc. cit.* n. 4; A. Farges et D. Barbedette, *Philosophia Scholastica.* t. II, *Ethica,* Praenotiones. Signoriello, *loc. cit. Introductio ad Philosophiam moralem, Ethica,* n. 7; P. Vallet, *Praelect. Philosophiae,* Praeviae notiones.

vitae. Necesse est ergo habere cognitionem de ultimo et optimo fine humanae vitae. Et hujus ratio est, quia semper ratio eorum quae sunt ad finem sumenda est ab ipso fine»[1]. Cum ergo finis ultimus in omnes hominis actiones efficaciter influat totamque temperet vitam, valde utile et necessarium est Philosophiae moralis studium.

b) ratione suae extensionis seu universalitatis. «Cum multa, inquit Tullius, sint in philosophia et gravia et utilia accurate copioseque a philosophis disputata latissime patere videntur ea quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. Nulla enim vitae pars neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum aliquid agas, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest, in eoque colendo sita est vitae honestas omnis et in negligendo turpitudo. Atque haec quidem quaestio communis est omnium philosophorum. Quis enim est qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere?»[2] Si ergo frequenter et in omnibus ferme vitae circumstantiis de moribus agere occurrit et circa jura et officia quaestionem movere, eidem studio operam dare philosophum maxime decet et omnibus convenit. Ethices quippe studium

Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque;
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit. *(Horat.)*

c) ex relatione aliarum scientiarum ad ipsam. Scientiae namque theoreticae ad Ethicam referuntur, sicut perspicientia veri ad amorem boni. Sed *cognitio contemplatioque naturae,* ajente ***Cicerone,*** *manca quodammodo atque inchoata est si nulla actio rerum consequatur*[3]. Moralis quippe scientia voluntatem perficit qua tendimus in bonum illique jungimur, propterea voluntas bona vel mala fit secundum quod bono vel malo adhaeret; *propter nostrum enim intelligere nihil mutatur in rebus,* ut habet philosophicum effatum; sed rebus utimur per voluntatem contra vel secundum earum finem. Illa ergo scientia quae hanc potentiam nobilitat per quam ad nostrum finem ordinamur, quod est optimum bonum nobis, ceteris praestare necesse est.

d) ex adversorum praesentium temporum necessitatibus. Etenim hodie nunquam vel raro contingit in sociali convictu de rebus dogmaticis aut metaphysicis sive logicis sermonem instituere. At ipsa mali praesentis conditio urget suadetque de quaestionibus sociologicis et moralibus crebro disceptare. Humana quippe societas tum domestica tum civilis, ab antiquis et tutissimis Scholasticae Philosophiae documentis aperta

---

1 I. *Ethic. lect.* 2.ª 2 *De Officiis.* Lib. I, 2.

3 Ib. 43. Cfr. Ant. Muratori, *La Filosofia Moral declarada y propuesta a la juventud,* traducida del toscano por el P. Fr. Antonio María Morales, c. I. De la utilidad y necesidad de conocerse el hombre a sí mismo.

rebellione avulsa, bellis teterrimis hisce temporibus concutitur, erroribus politico-socialibus radicitus convellitur et pene dissolvitur, saevis factionibus sibi invicem infensis cruentatur, depressoque religionis imperio, divino naturalique jure relicto, alia inter se pugnantia jura pro libito componuntur, atheorum philosophemata tanquam vera societatis fundamenta laudantur atque exinde cuncta existentia in praeceps ruere lugenda experientia testatur. Ergo humanas actiones recte dirigere, unicuique legitima jura et officia praescribere, humanae societatis fundamenta praemunire, verbo, scientiae moralis jurisque doctrinam, prout anteactis saeculis a veris philosophis exculta et ornata fuit, complecti atque omnium animis inserere, abs dubio, opus praestantissimum est.

e) ex principio denique generali seu ontologico. Quemadmodum loquitur ***S. Thomas,*** «*practicarum scientiarum illa dignior est quae ad ulteriorem finem ordinatur,* sicut civilis militari, nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur»[1]. Planum est autem finem Moralis Philosophiae esse beatitudinem naturalem hominis, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Ergo inter scientias practicas principem locum tenet Ethica nostra. Immo, quamvis absolute et ontologice loquendo, scientiae theoreticae praecellant practicis, tamen quia Moralis dirigit hominem ad proprium illum finem, ad quem ipsa speculatio veritatis debet etiam ordinari, legitime concludere licet, ob eam rationem illas etiam quadantenus superare. «Nihil enim prohibet aliquid secundum se esse excellentius quod tamen secundum quid ab alio superatur»[2]. *In ipsa* (Morali scilicet Philosophia), inquit ***Lactantius,*** *totius philosophiae ratio continetur, siquidem in philosophia rationali physica sola oblectatio est, in hac etiam utilitas; et quoniam in disponendo vitae statu formandisque moribus periculo majori peccatur, majorem diligentiam necesse est adhiberi ut sciamus quomodo oporteat nos vivere*[3].

---

1 I p. q. I, a. 5.
2 II-II, q. CLXXXII, a. 1.
3 *Divin. Instit.* lib. III, c. 7.

Articulus II

Historia, methodus et divisio Philosophiae Moralis

Summa rerum. 1. *Initia historica hujus scientiae.* 2. *Ejusdem cultores inter Graecos.* 3. *Item inter Romanos.* 4. *Post Christum Dominum, primo Patres, serius Theologi.* 5. *Protestantes—Horum calumniae adversus Patres.* 6. *Incipit nova periodus Philosophiae Moralis cum Kantio.* 7. *Christiana Ethicae Jurisque Naturalis instauratio.—Auctores Catholici de hac scientia benemeriti.* 8. *Sti. Thomae doctrina circa methodum in genere.* 9. *Quae sit impraesentiarum adhibenda.—Empirismus, Rationalismus.* 10. *Carpitur nova theoria.* 11. *Qualitates discipulatus in re morali.* 12. *Improbatur realis Ethicae Jurisque separatio.—Hujus sententiae patroni.* 13. *Vera Philosophiae Moralis divisio.* 14. *Ethicae Jurisque Naturalis subdivisio.* 15. *Disputationis epilogus.*

1. ***Brevis Philosophiae Moralis historica sinopsis***[1]. Ut ab initio trahamus sermonem, minime erraret qui eamdem ac reliquis philosophiae partibus scientiae morali tribueret originem. Nam cum impossibile sit hominem in societate vivere absque boni honestique notitia, quae regula est et vinculum cujuscumque humani commercii, cumque homo sit natura sua *animal politicum et sociale,* legis moralisque scientiam, saltem quoad quorumdam naturalium praeceptorum complexum, cum ipso homine rationali ortam esse nemo rationis compos ambigere potest. Eam ergo simul cum theoretica philosophia, a qua inseparabilis est, primo Deus indidit protoparenti, ac deinceps progressu temporis ad perfectam scientiae rationem et formam philosophorum studio evecta est. Ad rem *Pacetti:* Sicut in ceteris humanis rebus format natura prius nos intus ad omnium artium scientiarumque habitum eamdemque juvat et impellit ad illa omnia sponte et quasi instinctive sectanda et peragenda, postea vero philosophi haec in hominibus naturae facta contemplantes artium praecepta scientiarumque theorias digerunt et adornant, ita etiam in Philosophia Morali contigisse reperimus. Quamquam enim scientia moralis hoc prae reliquis disciplinis

---

1 Cfr. Raphael Pacetti, *Institutiones Philos. Moralis* (Matriti 1853), t. I, Prolegom. § 1; Th. Meyer, *Institutiones Juris Naturalis*, p. I, *Jus Naturae Generale*, Prooemium, pag. XIV-XXVII; C. Villems, *Philosophia Moralis*, Introductio n. 5; Th. Jos. Bouquillon, *Theologia Moralis Fundamentalis* (Brugis 1890), Introductio Generalis p. III, n. 72-140; P. Bureau, *Crise Morale des temps nouveaux*; Tanquerey, *Synopsis Theologiae Moralis et pastoralis* editio altera 1906, Prolegomena, pág. XXX-LII; A. Farges et D. Barbedette, *Philos. Scholast. Ethica*, Praenotiones, n. 3; J. de Bie, *Philosophia Moralis ad mentem S. Thomae Aquinatis*, Pars prior, Philosophia Moralis Generalis (Lovanii 1908), Introductio, § 5.

proprium et speciale habuerit quod vel a mundi primordiis a divina revelatione fuerit illustrata, tamen si moralitatis notitiam in his gentibus quae hac benigna luce caruerunt consideremus, eamdem profecto ac in ceteris scientiis progressum eamdemque methodum reperiemus [1].

2. Et revera. Semper ab antiquissimis temporibus novos vidimus surrexisse Ethicae magistros, *Zoroastrum, Confucium, Orpheum, Hesiodum, Homerum, Aesopum* aliosque quam plurimos ubique terrarum. At principem locum in adornanda Philosophia Morali tenet Graecorum gens; et inter Graecos qui prae ceteris moralem excoluit et praeceptorum legalium fundamenta jecit, unde merito moralis scientiae parens ab omnibus celebratur, *Socrates* fuit [2]. «Ab antiqua philosophia, verba *Tullii* mutuor, usque ad *Socratem*, qui *Archelaum Anaxagorae* discipulum audierat, numeri motusque tractabantur, et unde omnia orirentur, quove reciderent, studioseque ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus exquirebantur et cuncta coelestia. *Socrates* autem primus philosophiam evocavit e coelo et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit et coepit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere» [3]. Nominanda deinceps Schola *Platonis* qui, etsi Divinus philosophus dictus, haud immunis fuit a turpissimis illis erroribus quos pudor commemorare non sinit; Schola Peripatetica, duce *Aristotele*, qui decem libros Ethicorum scripsit, quos perlustravit *Angelicus;* Schola item Cynica cum *Anthistene Socratis* discipulo, Cyrenaica cum *Aristippo*, Stoica cum *Zenone* (342-270) et Epicurea cum *Epicuro, Democrito* et *Metheodoro*, quem non puduit scribere fratri suo *Tymocrati:* Quantum gaudium! quanta mihi gloria didicisse ab *Epicuro* artem qua ventrem haberem contentum!; nam mihi crede, o *Tymocrates*, summum hominis bonum in ventre est [4].

3. ***Romani*** nullam proprie dictam Scholam Moralem efformarunt, sed modo uni, modo alteri adhaesere. Quidam enim *Platonis* Academiam sequuti sunt, ut *Thrasylus, Apulejus, Calvisius* et *Numenius;* alii Peripateticorum Philosophiam, ut *Andronius Rhodius, Cratippus* et *Alexander Aphrodiensis;* nonnulli *Zenonis* probarunt doctrinam, inter quos recensentur *Manilius, Lucanus, Musonius Rufus, Epictetus* et *M. Aurelius Imperator;* multis denique, ut *Lucretio, Horatio* et *Luciano*, maxime placuit Ethica *Epicuri*, quam Romae grassari quasi pestem *Cicero* conquerebatur inquiens: «Nec tamen *Epicuri* licet oblivisci, si cupiam, cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in annulis habent» [5].

1 Prolog. § 1.

2 Cfr. *Institut. Historiae Philosophicae*, lib. XII Bartholomaei Povii, S. J. (Bilbili an. 1763) lib. VI, *De Philosophia Graecanica*, c. IV, prop. 1; *Historia Philosophiae*, auctore Thoma Stanlejo, ex anglico sermone in latinum translata (Venetiis 1731), p. III, socraticos complexa; J.-B. Bouvier, *Histoire abregée de la Philosophie*, chap. 8; Eduardi Corsini, Cler. Reg. Scholar. Piarum, *Institutiones Philosophicae* (Bononiae 1742), Praef.

3 *Tuscul.*, lib. V, 4.

4 Apud Cicer., *De nat. Deor.*, lib. I, 40; Cfr. M. Martel, *Elementos de Filosofia Moral*, n. 1-10.

5 *De finib.* lib. V, 1.

Nobiliores inter ipsos fuere *Tullius* in libris de *Oficiis*, de *Finibus* et de *Legibus*, et *Seneca* in suis *Epistolis*[1].

4. ***Post evangelicam lucem,*** quae pristinam revelationem complevit et per universum orben diffudit, scientia morum ab orthodoxis philosophis ut *Clemens Alexand., Origenes, Justinus, Tertulianus*, etc. mirum in modum aucta et emendata est. Sancti Ecclesiae Patres, quamvis corpus doctrinae moralis, sub *scientiae formam* separatim ab aliis scientiis haud tradiderint, illam tamen christianis praeceptis ornarunt et amplissima eruditione materiarum copiam ad integrum systema scientificum in posterum extruendum abunde suppeditarunt, quippe nulla ferme veritas in recentiorum Jurisprudentiae et Moralis operibus reperitur quae non possit sententiis Patrum egregie communiri. Legantur Opera *Sti. Basilii, Gregorii Naz., Hieronymi, Augustini, Leonis M., Gregorii Papae*, aliorumque post ipsos.

Verum qui eorumdem doctrinas in unum collegit et novo studio et non exiguo labore in his adornandis operam navavit fuit ***Angelicus Doctor,*** qui libros Ethicorum et Politicorum ***Aristotelis*** commentatus est, et praesertim in lib. III *Summae contra Gentiles*, in I-II, in II-II et in Opusc. de *Regimine Principum* universam Juris et Moralis scientiam dilucidavit[2]. Tanto praelucente Magistro, plures nobilissimi Scholastici saeculi XVI et XVII, ut ***Dominicus Soto, Medina, Suarez, Victoria, Lessius, Molina, De Lugo, Bañez, Salmanticenses*** aliique non pauci, quaestiones morales ad mentem ***Aquinatis*** in trutinam vocarunt.

5. ***A saeculo XVI*** plurimum adlaboravere Protestantes et Protestantismo affines ut Philosophia Moralis ab ecclesiastica et traditionali semita declinaret. Vires in hunc finem praesertim contulerunt *Grotius (Hugo de Groot), Thomas Hobbes, Baruc Spinoza, Samuel Puffendorfius, Buddeus, Christianus Thomasius, Heineccius, Barbeyrac, Leibnitzius* et *Wolfius*. Innumera pene sunt et horrenda convicia quae summa impudentia congerunt in Sanctos Patres et Scholasticos doctores *Puffendorf, Barbeyrac* et *Thomasius*, audacissime asserentes Ecclesiae Patres in plures errores morum doctrinam spectantes prolapsos videri; jus naturae apud Scholam foedatum jacuisse; Jurisprudentiam naturalem a Grotio *primum*, dein ab Hobbesio *in formam artis*, postea a Puffendorf et Thomasio *in formam systematis aemulam*, a Wolfio denique et Heineccio *in perfectius systema* redactam fuisse. Videsis eorum dicta apud *P. Roselli*[3]. Gloriantur ergo protestantes se, post ferreum scholasticae imperium, scientiam

1 Cfr. Bartholom. Povius, *Institut. Hist. Philos.*, lib. V, c. IX.

2 Ipsemet Cousin asserit in Summa S. Th. contineri *una cum sublimi Metaphysica integrum systema morale et politicum*. Histoire de la Philos., t. 1, lec. 1.

3 *Ethic.* q. I, a. 1 et 2.

moralem invenisse [1]. Recentiores quoque Liberales *Kantium* summis laudibus efferunt tanquam optimum Juris Naturae reformatorem (Ita, v. gr., *Ahrens*, Diritto Nat., t. I, pag. 60). At simul per idem tempus catholici moralistae non inferioris subsellii, uti *Muratori, Gerdil, Concina, Finetti, Zallinger, Schwarz, Salvator M.ª Roselli*, aliique non pauci, praefatas calumnias refutarunt et universam jurisprudentiam Ecclesiae documentis consentaneam sapientissimis disquisitionibus perlustrarunt.

6. ***Philosophia Moralis novam ingreditur periodum*** cum ***Kantio*** (1720-1804) qui, divortium inter Ethicam et Jus naturae jam pridem a ***Thomasio*** (1655-1728) inductum sua auctoritate firmavit, et utriusque independentiam, autonomian et emancipationem a religione proclamare, omniaque jura et officia ex principio *libertatis individualis cum aequali omnium libertate componendae*, nulla ad moralitatem habita ratione, inferre non est veritus. Eidem hac in re adhaesere *Positivistae, Pantheistae*, et *Naturalistae* omnes, quorum doctrinae componendis populorum disidiis Statusque negotiis dirigendis hac misera aetate applicantur cum gravi salutis publicae jactura et animarum detrimento. Nec mirum, cum vel ipsi moderatissimi societatum rectores atheismum politicum tamquam religionem Status inverecunde profiteantur.

7. ***Christiana autem Juris restauratio*** coepit saeculo proxime elapso cum ***P. Ludovico Taparelli*** quem, alacri studio et indefesso labore, sequuti sunt ***Audisio, Pacetti, Liberatore, Tongiorgi, Balmes, Signoriello, Zigliara, Vallet, Zephyrinus Gonzalez, Orti y Lara, Mendive, Isid. Mugica, Pou y Ordinas, Prisco, Rafael Rod. de Cepeda, Theod. Meyer, Margerie, Costa-***

---

1 Buddeus: «Quis ignorat fuisse tempus cum foeda et tristis ignorantia orbi universo incumberet, et superstitionis regnum (Ecclesia catholica) magnis undique viribus stabiliretur?... Philosophiam moralem quoque cum ceteris artibus incultam squalore, et rubigine obsitam jacuisse, ut proscriptam veluti, profugamque avolasse et mortalium deseruisse sedes censeo ejus artis homines potuisse neminem fugit» apud Roselli.

Hanc pessimam occupationem, scholasticam scilicet calumniandi, novissimis temporibus susceperunt Modernistae, ut Minocchi, Tyrrel, Buonajuti, R. Murri aliique sat multi. Cfr. Alejandro Cavallanti, *Modernismo y Modernistas*, c. VIII. *Un nuevo Sto. Tomás y la vieja escolástica*, traducido por el P. Juan Mateos, 1907. Schmit-Scwarzenberg escribe: Tres palabras resumen las principales llagas de nuestro tiempo: la obediencia á la autoridad de la Iglesia, la filosofía de Sto. Tomás y la educación dada por los Jesuítas». Apud Alberto M.ª Weiss, O. P., *Apologia del Cristianismo*, t. IV, Introduc. Traducida por D. Modesto Hernández Villaescusa, Barcelona, 1906. Prantl confiesa que escribe la historia de los Escolásticos sólo para que á nadie se le ocurra volver á ocuparse de tan antipática labor. Apud Alberto M.ª Weiss, *La ciencia práctica de la vida*, c. II. Traducida por M. H. Villaescusa de la 10.ª edición alemana. Barcelona, 1909. Otros, como M. de Egidy, pretenden que es preciso renunciar á las enseñanzas de la Escolástica y á las disposiciones de la Iglesia que el tiempo ha convertido en indigestas y tener más en cuenta las opiniones favoritas de nuestra generación. Apud Weiss, ib. c. XII, pag. 237.

Rosetti, S. Schiffini, Cathrein, Ferretti, Castelein, Frins, H. M. Mancini, Casanova, Reinstadler, J. de Bie, C. Willems, Farges et *D. Barbedette,* aliique benemeriti scriptores.

8. ***Methodus adhibenda.*** Ad rem «dicetur satis, inquit Philosophus, si declarabitur perinde atque subjecta materia postulat. Ipsum enim exactum non est in omnibus simili modo rationibus flagitandum sicut neque in hisce quae per artem conficiuntur»[1].

Super quae verba ait sapienter Angelicus: *Modus manifestandi veritatem in qualibet scientia debet esse conveniens ei quod subjicitur sicut materia in illa scientia.* Quod quidem manifestat (Philosophus) ex hoc quod *certitudo non potest inveniri nec est requirenda similiter in omnibus sermonibus,* quibus de aliqua re ratiocinamur. Sicut neque etiam in conditis, id est, in his quae fiunt per artem, non est similis modus operandi in omnibus, sed unusquisque artifex operatur ex materia secundum modum ei convenientem, aliter quidem ex terra, aliter ex luto, aliter ex ferro. *Materia autem moralis talis est quod non est ei conveniens perfecta certitudo... Nam scientia moralis est de actibus voluntatis, voluntatis autem motivum est non solum bonum, sed apparens bonum»*[2]. Et ideo certitudo absoluta in his impossibile est inveniri.

Brevius in ***Summa:*** *Dicendum quod non est eadem certitudo quaerenda in omnibus. Unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia, et res humanae, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus*[3].

9. Methodus vero in Philosophia Morali adhibenda est abs dubio *synthetico-analytica.* Etenim ratio humana tum ex primis principiis, tum ex fine, ad quem Deus hominem creavit, normas bene agendi deducit, postea vero per experientiam, mores populorum observando et ad invicem conferendo, vel idipsum quod per synthesim invenit confirmat, si verum reperiat, vel emendare curat, si a vero deficere probet. Methodus autem quae per causas ad effectus procedit *synthetica* dicitur, quae autem ab effectibus, quales sunt actiones humanae seu mores populorum, ad causas, id est, ad normas universales tradendas assurgit, *analytica* vocatur. «Oportet, inquit ***Angelicus,*** ostendere veritatem primo quidem grosse, id est, applicando universalia principia et simplicia ad singularia et composita in quibus est actus. Necessarium est enim in qualibet operativa scientia ut procedatur modo composito. E converso autem in scientia speculativa, necesse est ut procedatur

1 I, *Ethic.*
2 Ib. lect. III.
3 I-II, q. XCVI, a. 1 ad 3.

modo resolutorio, resolvendo composita in principia simplicia. Deinde oportet ostendere veritatem figuraliter, id est, verisimiliter; et hoc est procedere ex propriis principiis hujus scientiae. Nam scientia moralis est de actibus voluntariis» [1].

Rejiciendus est ergo duplex error *Empirismus* et *Rationalismus*. Empirismus contendit Philosophiam Moralem exclusive fundari in factis contingentibus ope observationis et experientiae inventis, independenter a *ratione speculativa*, quam imparem agnoscit ad justam morum normam statuendam. Idcirco tenet sola historica aut etiam psychologica factorum observatione, vel instinctu quodam morali, vel sympathia aut antypathia, aut etiam conscientia unice procedendum esse; ita *Hedonistae, Utilitarii, Evolutionistae* omnes, *Ethicae independentis fautores* necnon recentes *Modernistae*. Rationalismus e contra ex solius subjecti activitate, omni observatione posthabita, conatur integrum morale systema a priori deducere.

Verum ad rem moralem neutra plane methodus per se sufficit, ut ex effectibus et sequelis manifeste constabit in decursu Disputationum.

10. Non desunt quoque inter recentes Moralistas aliqui aestimantes triplicem methodum esse in re morali necessario adhibendam, scilicet: *Experimentalem, Psychologicam* et *Rationalem*, quoniam actus humanus, objectum nempe Moralis Philosophiae, potest per reflexionem cognosci (Psychologica); cum aliis actibus itemque cum fine et legibus moralibus, ad dijudicandum de ejusdem malitia aut bonitate, conferri (Experimentalis); et an vitii aut virtutis rationem habeat per veram demonstrationem ex principiis generalibus determinari (Rationalis). Nihilominus, ut paucis quaestionem solvamus, methodus psychologica aut ad moralem minime spectat, aut potest cum empirica identificari; ergo methodus impraesentiarum adhibenda est *analytico-synthetica*, quam alii vocant *traditionalem-metaphysicam* [2].

11. ***Qualitates discipulatus in materia morali*** [3]. Inter varias dispositiones subjectivas, quae ad scientiam moralem rite addiscendam in discipulo desiderantur, sequentes sunto: 1.ª) ut sincero veritatis amore ad eam inquirendam accedat: nam amor desiderium acuit viresque multiplicat. *Sapientia et veritas, ait* ***S. August.,*** *nisi*

1 I *Ethic.*, lect. III. Cfr. X, *Ethic.*, lec. XV; I-II, q. XCVI, a. 1 ad 3 et II-II, q. XLVII, a. 3; Cfr. quoque Mr. Simon Deploige, *Le Conflit de la Morale et de la Sociologie*, Alcan, 1911.

2 E. Bruneteau praefert methodum pure analyticam seu experimentalem uti necessitatibus humanis et gustui moderno magis accommodatam. Cfr. *Revue practique d'Apologetique*, 15 Maii 1912.

3 Cfr. I *Ethic.*, lect. III.

totis animi viribus concupiscatur nullo modo inveniri poterit[1]. 2.ª) ut ea certitudine contentus sit quam natura rei patitur; 3.ª) ut animus sit liber a passionibus et concupiscentiis quae mentem obnubilant et judicium sapientis facile pervertunt. Unde ***Aristoteles*** *non maturos moribus* merito arcet ab studio Moralis, quandoquidem finis ejus, inquit, non in cognitione, sed in actione consistit: *ἐπειδὰν το τέλος ἐστιν οὐ γνῶσις, ἀλλά πρᾶξις*[2], et 4.ª) quod virtutes morales, praesertim vero religionem, colat, nam Deus *praebuit illam* (sapientiam) *diligentibus se*[3] et «*fieri non potest, quadam providentia divina,* inquit magnus Ecclesiae Doctor ***S. Augustinus,*** *ut religiosis animis seipsos et Deum suum,* id est, VERITATEM, *pie, caste ac diligenter quaerentibus, inveniendi facultas desit*[4].

12. ***Philosophiae Moralis partitio.*** Quemadmodum supra jam indicavimus, ***Christianus Thomasius,*** quem ***Grotius, Kantius, Lerminier, Ahrens, Thierry, La Mennais,*** aliique rationalistae sectantur, exeunte saeculo XVII, primus opinatus est Philosophiam Moralem seu Ethicam a Jure naturae sejungendam esse uti duas scientias, non tantum nomine, sed re quoque distinctas, quarum prima, Ethica nempe, actiones internas in finem dirigendas respiciat, Jus vero ipsas actiones ut externas consideret. Eamdem sententiam propugnavit ***Puffendorf*** adscribens Theologiae Morali actuum interiorum, Juri autem Naturali actuum exteriorum disciplinam. Denique ***Soler*** oppositionem invenit inter utramque. Contra quos sit

Thesis. Realis Ethicae Jurisque Naturae separatio probari non debet.

Prob.

Si enim Jus ab Ethica distrahitur, deneganda omnino est actibus externis honestas omnis et moralis rectitudo, quoniam «id quod est ex parte voluntatis, inquit Angelicus, se habet ut formale ad id quod est ex parte exterioris actus; quia voluntas utitur membris ad agendum sicut instrumenta, neque actus exteriores habent rationem moralitatis nisi in quantum sunt voluntarii»[5].

Item. Hac separatione admissa, sejuncta scilicet a Jure omni moralitate, perit Juris objectum. Nam «hoc nomen *jus* primo impositum

---

1 Cfr. H. Joli, *Nuevo curso de Filosofía, Lógica*, pág. 312.

2 I *Ethic.*, c. III.

3 *Eccli.*, I, 10.

4 *De quantit. animae*, c. XIV; Cfr. D. Th. I-II, q. IX, a. 2; II-II, q. XV, a. 3; q. LIII, a. 6; I-II, q. LVIII, a. 5, et alibi ubi diversis viis demonstrat illud *Philosophi* dictum: *Qualis unusquisque est talis finis videtur ei.*

5 I-II, q. XVIII, a. 6.

est ad significandam ipsam rem justam; postmodum est derivatum ad artem, qua cognoscitur quid sit justum» [1]. Sed, ajente eodem Angelico Praeceptore, in essentia actuum exteriorum dicitur nulla consistere justitia, quia actus exteriores non pertinent ad genus moris nisi in quantum sunt voluntarii [2]. Ergo nisi finis objectumque juris sit hominem hypocritam efficere, nam actus exteriores non sunt nisi «quaedam signa interioris dispositionis», ut loquitur *S. Thomas,* a qua praescindere et quam mentiri, juxta *Kantium* aliosque rationalistas, Jus naturae potest, Juris naturae objectum nullum est.

Denique. Juris ab Ethica praecisio atheismum politicum inducit in societatem, hancque supponit, ut patet, *automam,* non autem corpus organicum nec ens morale. Jus ergo naturae, ut humanas voluntates vinculo sociali devinciat, mensuram et fundamentum in Ethica habeat necesse est.

13. Moralis itaque Philosophia in *Ethicam* et *Jus naturale* partitur, quae tamen ad unam eamdemque realem scientiam spectare non est dubium. Nam Moralis Philosophia versatur circa actus humanos in finem honestum dirigendos; quidquíd ergo hac induitur formalitate sub Philosophia Morali continetur. Sed tum actiones internae voluntariae, tum relationes sociales ad Jus Naturae spectantes, sunt actus humani in finem ordinandi; ergo tum Ethica tum Jus Naturae ad unam eamdemque realem scientiam pertinent. Ethica tamen latius patet, eique Jus naturae subordinatur.

Actio igitur humana spectari potest *in se ipsa relata ad proprium finem,* et *in ordine ad alias personas* vel *status* in quibus homo versari potest. Primum objectum Ethicae, alterum vero objectum Juris Naturae constituit. Haec diversa actionis humanae consideratio sufficientem praebet rationem ad logicam distinctionem Jus inter et Ethicam admittendam [3]. Curandum tamen est, semel atque iterum animadvertimus, ne alterum ab altero reali separatione distrahatur. Moralis

---

1 II-II, q. LVII, a. 1 ad 1.

2 *De Malo,* q. II, a. 2, ad 13; Cfr. Ortí y Lara, *Lutero y su descendencia en política,* IV, (*en la Ciencia Cristiana,* 15 de Febr. 1884); Peris, *Les lois de la societé chretienne,* t. 2; Liberatore, *Ethica, Introd.,* a. 2; A. Farges, loc. cit. n. 4; Meyer, *Prooem.,* pag. XXVII, N. Signoriello, *Philosophia Moralis,* ed. 6.ª, Neapoli 1897, p. I, Introductio ad Philosophiam Moralem, n. 10-13; Jos. Mendive, *Institutiones Philosophiae Scholasticae, Ethica specialis seu Jus Naturae,* Introd. n. 10-14; Rafael Fernández Concha, *Filosofía del Derecho ó Derecho Natural,* t. I, c. VII, secc. I, a. 1, n. 524-29.

3 Nonnulli etiam inter Catholicos haud satis distinguentes objectum Juris Naturalis et objectum Ethicae, Philosophiae Moralis divisionem in Ethicam et Jus Naturae plane rejiciunt. Vid. *Razón y Fe,* Revista mensual redactada por Padres de la Compañía de Jesús, tom. XXXIV, pág. 196-200. Vide *La Ciencia Tomista,* Revista bimestral de los Dominicos Españoles n. 1, Marzo-Abril 1910, pág. 90 y sig.

scientia, ait ***Michael Rosset,*** est veluti una eademque arbor cujus stipitis vices gerit Moralis Generalis et veluti rami habetur Moralis Specialis, et sicut si rami trunco non cohaereant ex eoque vitam non hauriant, arescunt, ita interiret Moralis Specialis, si non per solam mentis considerationem, sed etiam per formalem rei separationem a Morali Generali disjungeretur [1].

14. Jus Naturae dividitur in jus *individuale,* jus *sociale* et jus *internationale,* prout explicanda assumit jura et officia hominis individui, vel societatis sive domesticae sive civilis, aut de relationibus nationum ad invicem, vel cum Ecclesia catholica, disserit. Quae divisio parum differt ab illa scientiae moralis partitione tradita ab Angelico in *Monasticam* (a *Μόνος,* unus, solus), *oeconomicam (Οἰκονομία,* rei domesticae dispensatio, ab *οἶκος,* familia, domus, et *νομος,* lex, institutum) et *Politicam* (a *πόλις,* civitas, respublica). Moralis Philosophia, inquit, in tres partes dividitur, quarum prima considerat operationes multitudinis domesticae, quae vocatur *monastica.* Secunda autem considerat operationes multitudinis domesticae, quae vocatur *oeconomica,* tertia considerat operationes multitudinis civilis et vocatur *politica»* [2]. Et alibi rationem hujus divisionis praebet his verbis: «Species habituum diversificantur secundum diversitatem objecti, quae attenditur penes rationem formalem ipsius. Ratio autem formalis omnium quae sunt ad finem, attenditur ex parte finis. Et ideo necesse est quod ex relatione ad diversos fines diversificentur species habitus. Diversi autem fines sunt bonum proprium unius, et bonum familiae, et bonum civitatis et regni» [3].

15. ***Disputationis epilogus.*** Ex dictis patet Philosophiam Moralem esse:

a) veram scientiam, cum ex principiis certis conclusiones cum certitudine inferat. Eam ad veram scientiae rationem pertingere negavit ***Grotius*** (1583-1645). Idipsum affirmare tenentur qui, aut certitudinem mathematicam in moralibus esse quaerendam putant, aut veritatibus moralibus certitudinem et immutabilitatem omnino denegant, ut ***Stir-***

---

1 *Prima Principia Scientiarum* seu *Philosophia catholica, Moralis,* p. III, Prooem. III, pag. 391; P. Ven. M.ª Minteguiaga, loc. cit. c. XXIV. Tanto la confusión como la separación, son exageraciones. La confusión pertenece á los tiempos primitivos: la separación es producto del moderno análisis dispersivo. Se deben distinguir sin separarlos, reconociendo su origen común. Luis Miraglia, *Filosofía del Derecho,* t, c. VII, ib. «Así se explica cómo extinguida en algunos casos la obligación legal de pagar una deuda (por la prescripción), subsiste aún la obligación moral, si ha habido mala fe. Y es que las leyes humanas están edificadas sobre las leyes morales, y destruído el edificio queda todavía el cimiento. Antonio Rovillard, *Revista Social Hispano-Americana* de Barcelona, Junio 1912.

2 I *Eth.,* lect. I.

3 II-II, q. XLVII, a. 11. Cfr. Cosm. Alamannus, *Ethica,* q. I, a. 2.

ner, Nietzsche[1]***, Adler, Doving, Ziegler,*** aliique. Inter Scholasticos pauci quidem a communi sententia recedunt, quidquid in contrarium oggerat ***Heineccius*** cum ***Puffendorf:***

b) esse distinctam ab omnibus aliis scientiis. Est contra ***J. Philibertum Damiron***[2] aliosque rationalistas. Moralis enim Philosophia supponit quidem Metaphysicam, ab illa tamen haud descendit tanquam simplex conclusio, sed propriis utitur principiis, legibus, propriumque objectum, ab objecto aliarum scientiarum prorsus distinctum, habet; ergo est scientia ab aliis omnino distincta:

c) ab ipsa Theologia Morali tum principio, tum natura et origine praeceptorum discriminari, quia in altera ratione, in altera vero revelatione positiva, cognoscimus; natura et origine praeceptorum, quia Ethica vim habet a lege naturae et ab illa procedunt praecepta in ipsa contenta; in Theologia vero Morali ex lege divina praesertim et evangelica:

d) pariter a prudentia et lege naturali: a prudentia quidem quia, licet utraque respiciat actiones humanas, moralis versatur circa earumdem rationes universales et necessarias, seu illas respicit universim, prudentiae vero est «recte judicare de agibilibus singulis prout sunt nunc agenda»[3]. Item prudentia nemo male utitur, nam hoc ipso esset imprudens; «scientia autem *(morali)* existente, in particulari actu contingit judicium rationis intercipi, ut non recte dijudicet; et propter hoc dicitur, *parum valere ad virtutem,* quia ipsa existente, contingit hominem contra virtutem peccare»[4]. A lege autem naturali distinguitur, quia moralis studio et labore comparatur, lex naturae innata est.

e) patet etiam *moralem* nostram esse *scientiam practicam.* Scopus namque hujus scientiae est operationes in finem dirigere moresque componere. Merito igitur ***Clemens Alexandrinus*** eam *medicinam animorum* appellat[5]. Quia vero actus humanos ad naturalem honesta-

---

1 Nietzsche llama á nuestra Etica la *Moralina*, que, según él, es como un sucedáneo de la *nicotina*, un producto nocivo que el hombre debe eliminar á toda costa. Apud *La Cultura Española*, loc. cit.

2 La morale n'est pas une science par elle même et de son chef: c'est une science dérivée, une science seconde, ou plutôt un art; elle suppose un antécédent scientifique, une science première, qui lui donne son principe, sa raison et son point de dèpart. Cette base nécessaire est la psychologie seule, ou la connaissance de l'homme et de sa nature. La science de mœurs rend sans doute à la science psychologique le service de la développer en leçon de sagesse et en precepte de conduite; mais elle lui doit de son cote sa raison d'ètre et son évidence, ses titres et son autorité. Elle a pour but d'analyser le bien *psychologique*, c'est-a-dire le bien de l'ame humaine. *Leçons de Philos. Morale*, p. V et VI, apud P. M. Brin., t. III, pag. 137.

3 *De virtut.*, q. I, a. 6 ad 1.

4 Loc. cit.

5 Stromat., 7.

tem per *supremas regulas* dirigit, ab aliis scientiis moralibus eidem subalternatis distinguitur, v. gr., a *Jurisprudentia,* quae leges positivas interpretatur et applicat; ab *Oeconomia sociali,* quae bonorum productionem distributionemque moderatur; a *Politica,* quae cives regit ac gubernat, etc.[1].

f) cunctis artibus et scientiis practicis praestantiorem esse: in ea siquidem totius philosophiae ratio continetur, et «nihil tam praeclarum hominique conveniens potest esse quam erudire homines ad justitiam» ut ait ***Lactant.***[2].

g) a mundi primordiis excultam fuisse, ut constat ex Aegyptiorum, Chaldaeorum, Sinensium, Iberorum aliorumque populorum historia, *ortam vero esse cum ipso homine rationali* saltem quoad *materialem complexum.*

h) ex principiis naturalibus rationis humanae procedere, divinam tamen revelationem non esse adeo praetermittendam, ut *fas sit Philosophiam Moralem pertractari ea cum licentia,* ut *possit doctrinae revelatae adversari.*

i) Denique ex dictis oppido colligitur philosophiam moralem dividi in *Generalem* seu *Nemologiam* (νομος, lex) quae actuum humanorum moralitatem in genere considerat, et *Specialem* seu *Deontologiam* (a δέον aequum, justum) quae hominum officia et relationes prout in diversis statibus versatur respicit: vel ut communiorem sequamur sententiam modumque loquendi, in *Ethicam* et *Jus Naturae,* quae ad invicem differunt sicut magis et minus universale, latius enim Ethica quam Jus naturae patet.

---

1 La *Escuela Socialista* y no pocos economistas liberales, v. gr., Stuart Mill, Ricardo, J. Bentham, Rossi, Guyot y Block, niegan que la Economía Política dependa de la Etica; Liberatore y de Pascal afirman que la Ciencia Económica no es distinta de la Moral; Cathrein, Costa Rossetti y Brants sostienen que es realmente distinta de ella. Cfr. R. P. José Schrijvers, C. SS. P. *Manual de Economía Política,* traducido por D. Juan Mateos y adaptado á España por D. José Posse y Villelga, Barcelona 1912.

2 Lib. VI, *Divin. Instit.*

PHILOSOPHIAE MORALIS

PARS PRIMA

ETHICA

1. **Dicendorum ordo.** Moralis institutio hominis, quam modo explicandam aggredimur, sex Disputationibus absolvetur, quarum *prima* erit de *ultimo fine humanae vitae; secunda* de *actuum humanorum notione; tertia* de *eorumdem actuum moralitate;* sequetur *altera* de *legibus* et *quinta* de *conscientia.* Quibus, per modum ***Appendicis,*** *sextam* adjungemus de *his quae consequuntur actus humanos ratione bonitatis vel malitiae.*

2. **Partitionis ratio.** Ethica, uti jam praelibavimus in Disputatione Prooemiali, venit a graeco vocabulo ἦθος, quod *morem* latine significat. «*Mos* autem, inquit Angelicus, dicitur dupliciter. Uno modo idem est quod consuetudo. Consuetudo autem importat quamdam frequentiam circa ea, quae facere vel non facere in nobis est. Inde tractum est hoc nomen *moris* ad significandum actus voluntarios vel appetitivae partis secundum inclinationem appetitus ad hujusmodi actus»[1]. Quod si ad rem nostram utrumque significatum in unum componamus, *mos* definiri potest: *Modus agendi constans et uniformis, quem homo in suis deliberatis operationibus servat.* Igitur Ethica mores, id est, *actus humanos in finem honestum per supremas regulas moralitatis dirigendos assumit*[2].

---

1 III Sent. Dist. XXIII, q. I, a. 4.

2 Cfr. D. Thomas, I *Ethic.*, lect. I; I-II, q. LVIII, a. 1 et 2; N. Signoriello, *loc. cit.*; Mendive, *Ethica Generalis*, n. 1 et seq.; Reinstandler, *Elementa Philosophiae Scholast.*, vol. II, *Ethica* (breviter admodum et compendiose exscribens Philos. Moral. V. Cathrein); Fargés D. Barbedette *Ethica, Praenotiones;* Thomas M.ª Zigliara, O. P. et S. R. E. Cardin. *Summa Philosophica,* (quae maximo habetur in pretio apud recentiores philosophos) ed. 12.ª Parisiis 1900, vol. III. *Philos. Moral.* Prolog. Franciscus Jacquier, O. M. *Instit. Philosophiae*, t. VI, Prooemium, de Ethices definitione ac divisione; *Cursus philosophicus* ad mentem D. Bonaventurae et Scoti, auctore P. Fr. Gabriele Casanova, O. M. (Matriti 1894), vol. III, Ethica, Notiones praeviae; Aug. Ferretti, S. J., *Institutiones Philos. Moralis,* (ed. 3.ª Romae 1899), vol. I, Prolog.

3. Sed moralitas nullatenus concipitur absque ordinatione actuum in finem; finis vero est ratio et mensura eorum quae sunt ad finem, unde quaestio de ultimo fine humanorum actuum omnibus aliis praeponenda est[1]. Et quia ad ultimum finem, «per actus aliquos necesse est pervenire, oportet consequenter de humanis actibus considerare, ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitudinem vel impediatur beatitudinis via»[2]. Jam, actus humanus considerari potest *a)* in ordine ad principium intrinsecum, a quo procedit, scilicet ad voluntatem deliberatam; *b)* in suo esse formali moralitatis, et *c)* in ordine ad principium extrinsecum, a quo regulatur. Hoc autem principium sive norma et regula extrinseca est duplex: *remota,* lex videlicet moralis, et *proxima* seu *immediata* applicans principia universalia legis moralis ad actus singulares et dicitur *ratio* seu *conscientia.* Postremo, ex conformitate vel difformitate ad regulas morum quaedam sequuntur veluti attributa actus humani, v. gr., meriti et demeriti, virtutis et vitii ratio. Igitur non immerito ea philosophiae moralis pars, quae Ethica nuncupatur, sex complectitur Disputationes.

4. Si vero aliam a me quaesieris hujus partitionis rationem, sequens esto.

Tunc perfectam adipiscimur alicujus rei notitiam cum omnes ejusdem rei causas perspectas habemus; res enim cognoscitur et declaratur per suas causas. Ergo ad plenam notitiam actus humani, prout Ethicae considerationi subjicitur, oportet ejusdem causas investigare. Age vero. *Causa finalis* humanorum actuum est hominis beatitudo: *causa materialis subjectiva,* ipsemet actus humanus, quatenus a deliberata voluntate procedit, indeque fit capax moralitatis: *causa formalis* abs dubio est ipsa moralitas, a qua actus humanus dicitur moralis. Denique cum lex sit *regula objectiva,* ratio vero seu conscientia *regula subjectiva* actus rectitudinem seu ordinationem ad finem proponens et intimans, tum lex tum conscientia *causae efficientis* nomine insigniri valent, nisi malueris illas *causas exemplares* vocitare, eo quod actus humanus *moralis* etiam dicatur ex convenientia vel disconvenientia cum recta ratione et lege praesertim aeterna. Recta ergo est, et, quantum diversarum materiarum complexus patitur, adaequata, Ethicae in sex Disputationes distributio.

En generale totius Ethicae schema.

---

1 On recontre dans l'étude de la morale très grandes questions si etroitement enchaînées l'une a l'autre qu'on peut á lo rigueur les confondre en un seul et même problème envisage sous trois aspects differentes; ce sont les questions du *devoir,* de l'*immortalité,* et de *destinée* humaine. *Dict. des Sciences Philos.* (Paris 1845), tom. II, v. Destinée hum.

2 D. Th. I-II, q. VI in prolog.

- Ethica
  - Actus humanos ordinandos in finem honestum per supremas regulas morum considerat
    - in ordine ad finem..
      - in communi.
      - in particulari.
        - beatitud. object.
        - beatitud. formal.
    - in ordine ad principium intrinsecum.
      - Influunt in voluntarium.....
        - Ignorantia.
        - Concupiscentia.
        - Violentia.
        - Metus.
        - Propens. haeredit.
        - Status patholog.
    - in suo esse morali.
      - Essentia moral.
      - Norma seu criter. .
        - Object.
        - Subject.
      - Fontes.
      - Species.
        - Bonitas. .
        - Malitia.
          - Objectum.
          - Finis.
          - Circumstant.
    - in ordine ad principium extrinsecum.
      - Lex....
        - Aeterna.
        - Naturalis.
        - Positiva.
        - Gentium.
      - Conscientia.
    - Quoad attributa actum moralem consequentia. .
      - Imputabilitas.
      - Meritum et demeritum.
      - Ratio virtutis et vitii.

DISPUTATIO I

DE

ULTIMO FINE ACTUUM HUMANORUM

Disputationis momentum et divisio. 1. Inter omnes quaestiones quas mens humana suscipit discutiendas et explanandas, minime dubitandum est quin haec de ultimo fine humanorum actuum sit, propter influxum in totam hominis vitam, potissima et, ratione sui objecti, caeteris fundamentalior. Et re quidem vera[1].

«*Finis,* ajente Angelico Praeceptore, *se habet in agibilibus sicut principium in speculabilibus*»[2]. In theoreticis autem disciplinis veri et falsi discrimen in conclusionibus, quae non sunt maxime evidentiae, ex earumdem collatione cum primis principiis infertur, adeo ut, evidentia primorum principiorum corruente, certitudo nutaret conclusionum. Ergo maxime interest finem ultimum determinare, a quo, veluti a prima regula, radice et fundamento, bonitas et malitia humanorum actuum desumitur, ceterique fines intermedii dependent. Quod si non recte constituatur, aut prae oculis non habeatur finis ultimus, quem respicere debent omnes humanae operationes, tota vita moralis pessumdatur. «Sicut nihil constat firmiter secundum rationem speculativam, inquit Aquinas noster, nisi per resolutionem ad prima principia, ita firmiter nihil constat per rationem practicam nisi per ordinationem ad ultimum finem»[3]. Finis ergo ultimus est immobile fundamentum moralitatis; «rectitudo voluntatis est per debitum ordinem ad finem ultimum»[4] qui «hominis affectus dominatur, quia ex eo totius vitae suae regulas accipit»[5], et ideo talis erit uniuscujusque vita qualis sit ultimus finis quem homo sibi praefigat et consequi intendat. Hoc et ipsemet ***Cicero,*** Romanorum eloquentissimus, licet ethnicus, agnovit, ait enim: «*Qui de summo bono dissentit de tota philosophiae ratione dissentit. Fine enim in philosophia constituto, constituta sunt omnia. Nam ceteris in rebus sive praetermissum sive ignoratum est quidpiam non plus incommodi est quam quanti quaeque earum est in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant, scire non possint. Co-*

1 Cfr. Ceferino González, *Estudios sobre la Filosofia de Sto. Tomás* (Manila 1864), lib. VI, c. 1-5.

2 II-II q. XXIII, a 7, ad 2.

3 I-II, q. XC, a. 2 ad 3.

4 I-II, q. IV, a. 4.

5 Ib. q. I, a 5.

gnitis autem rerum finibus, cum intelligitur quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa via est conformatioque omnium officiorum»[1].

2. Verum de ultimo fine duo inter alia sunt in quaestionem vocanda, scilicet: *An existat, et quae sit ejus natura,* cumque finis sit duplex, *res ipsa* nempe, quae ciet et terminat motum appetitus, et *possesio seu assecutio* illius rei, jure tripartitam offerimus Disputationem, acturi in quaestione I de *ultimo fine in genere,* in II de *beatitudine objectiva,* et in III de *beatitudine formali.*

QUAESTIO I.

DE

ULTIMO FINE HOMINIS IN GENERE[2]

Articulus I

Praenotiones

Summa rerum. 1. *Notio generica finis.* 2. *Ratio ob quam finis terminat motus appetitus ex bonitate objectiva finis est repetenda.* 3. *Species boni—Honestum, utile et delectabile.* 4. *Cui competat ratio finis.* 5. *Finis intermedius et ultimus.* 6. *Conditiones requisitae ad rationem ultimi.* 7. *Finis simpliciter ultimus et secundum quid;—positive et negative ultimus.* 8. *Scholia.* 9. *Finis formalis et objectivus.*

Ut ordinate procedamus in hac pertractanda quaestione, oportet nonnullas definitiones ex Ontologia huc derivare.

---

1 *De finibus bonorum et malorum,* lib. V, 5.

2 Cfr. Franciscus Suarez, Doctor eximius, in quo, juxta Bossuet, *universa Schola intelligitur,* t. IV. *De ultimo fine Disp. I-V.* (Opera Omnia, editio nova, Parisiis, apud. Ludovicum Vives); Salmantic. *De ultimo fine,* Disp. I; Paulus a Conceptione, C. D. *Cursus Theolog., Tractatus* VIII, *Disp.* I. *De fine in communi;* Andreas a Cruce, C. D. *Disputationes Theolog., Disp. in I-II D. Thomae,* Disp. I, *De ultimo fine hominis;* Dominicus De Marinis, *Expositio Commmentaria in II p. D. Thomae* (Lugduni 1662) q. I; *Elementa Philosophiae,* auctore P. Fr. Hieronymo M.ª Mancini, O. P., vol. III, (Romae 1898), *Philosophia Moralis,* I p, q. I; Zigliara, *Ethica,* lib. I, c. I, a. 1; Jul. Costa-Rossetti, S. J., *Philosophia Moralis* seu *Institutiones Ethicae et Juris Naturae* pag. 3 et sqq.; Tanquerey, *Synopsis Theolog. Mor. Fundam. De ultimo fine actuum humanorum,* a. 1, § 1; Weiss, *Apol. Conf.* VIII; Gustavo Pecsi, *Cursus Brevis philosophicus* (Thomisticae Scholae nimis infensus) Estergon (Hungaria) 1909, vol. III, *A. Theodicea,* p. I, c. 1, *De causis* (Theleologia) a. 2; Billuart (Car. Renat) *Summa S. Thomae,* editio nova Parisiis apud Vict. Lecoffre 1904, *De ultimo fine,* Diss. I; Cosm. Alamannus, *Ethica,* q. III.

1. Finis dicitur *id cujus gratia aliquid* fit, seu *id quod terminat actionem operantis.* «Hoc dicimus esse finem, inquit ***S. Thomas,*** in quod tendit impetus agentis; hoc enim adipiscens dicitur adipisci finem, deficiens autem dicitur deficere a fine intento; sicut patet in medico agente ad sanitatem et homine currente ad certum terminum[1].

2. **Ratio ob quam finis terminat motum appetentis.** *a)* Finis autem non movet nisi quatenus est bonum quoddam assequibile; ergo sub eadem ratione tantum terminat inclinationem appetitus. Unde bonum et finis licet *formaliter* sint distincta, *objective* tamen seu *materialiter* convertuntur, sunt idem. Quoddam enim dicitur *bonum* formaliter quatenus est perfectio naturae, *finis* vero in quantum terminat propensionem appetentis; *bonum* respicit e suo conceptu convenientiam cum appetitu, *finis* autem media. Causalitas ergo vel ratio quae invenitur in fine, ut sui amorem et desiderium voluntatis inspiret, est *bonitas realis* quam prae se fert; apprehensio autem hujus bonitatis est *conditio sine qua non* stimulat appetitum. Ratione talis bonitatis apprehensae in fine, finis movet appetitum et appetitus tendit in ipsum ut ibi quiescat. Aliis verbis: datur motus ab appetibili in appetitum et ab appetitu in appetibile; *appetitivus motus circulo agitur,* ajebant antiqui. «Appetibile enim, inquit Aquinas, movet appetitum faciens quodammodo in eo ejus intentionem, et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit *ibi finis motus ubi fuit principium*»[2].—Nec est inconveniens aliquod in eo quod idem sit principium et terminus motus; est enim utrumque in diverso genere causae. Finis enim est duplex: *in intentione* seu *intentus,* et hoc modo habet rationem causae et quidem primae et nobilissimae causae, movet enim ad agendum attrahendo et allicien.do, per quamdam scilicet convenientiam et sympathiam cum appetitu: et in *executione* seu *obtentus,* qua ratione non movet, sed potius terminat actionem.

b) Est et aliud argumentum luculenter probans bonitatem relucentem in fine esse rationem ob quam finis movet et terminat motum agentis. Nam finis, ut modo diximus, est nobilissima causarum, allicit enim causam agentem ad operandum: sed, ajente ***D. Thoma,*** «sicut influere causae efficientis est agere, ita influere causae finalis est appeti et desiderari»[3]. Nihil autem appetitur et desideratur nisi sub ra-

1 *Contra Gent.*, lib. III, c. 2. «Finis est id ad quod (destinatio) vel propter quod (motivum) aliquid fit.» Bouquillon, *Theolog. Fund.*, lib. I, n. 4.

2 I-II, q. XXVI, a. 2.

3 *De Verit.* q. XII, a. 2. fr. Cfr. Salmantic. *De ultimo fine*, Disput. I, per tot. et N. Andreas a Cruce, Disp. I in I-II S. Th. in diversis Dub. et Complut. *Phisic.* Disput. XIV per tot. sed praecipue qq. III, IV et V; R. Fernández Concha, *Filosofía del Dere-*

tione boni: *nemo* enim *intendens malum operatur,* ut fert axioma, et appetitus non est nisi boni, cum malum non sit appetibile; ergo ratio terminativa finis est bonitas in ipso fine relucens et ut taliter apprehensa.

3. **Species boni.** Bonum quod cum fine materialiter convertitur dividitur in *honestum, utile* et *delectabile.* Quam divisionem sequentibus verbis dilucidat Aquinatensis: «Id quod est appetibile terminans motum appetitus secundum quid, ut medium per quod tenditur in aliud, vocatur *utile.* Id autem quod appetitur ut ultimum terminans motum appetitus sicut quaedam res, in quam per se appetitus tendit, vocatur *honestum,* quia honestum dicitur quod per se desideratur. Id autem quod terminat motum appetitus ut quies in re desiderata est *delectabile*» [1].

Utile ergo dicitur bonum quod desideratur ut alterius boni adeptivum, seu quod appetitur tanquam medium ad aliud adquirendum, sic medicina est bonum utile ad sanitatem ordinatum. Honestum est quod propter suam bonitatem expetitur, proindeque perficit naturam quam respicit. Haec species boni est quae proprie rationem appetibilis et boni participat; potest tamen utilitatem aut delectationem adnexam habere et idcirco ad alia bona, quae honesta sint, ordinari, et propter illam honestatem delectationem causare; haec nihilominus delectatio esset rationalis. «Honestum enim dicitur, secundum Angelicum, quod est bonum secundum rationem, quod quidem habet delectationem adnexam. Unde delectabile, quod contra honestum dividitur, est delectabile secundum sensum» [2].

4. Age vero. Si hae tres species boni cum fine comparentur, delectabile et honestum habent rationem finis, quia utrumque est appetibile propter seipsum [3], honestum quidem *propriissime,* delectabile autem *minus proprie,* ut quid nempe consequens possessionem boni, possessio enim boni est causa delectationis. Utile autem non habet rationem finis praecipue ultimi, sed duntaxat *medii,* aut si aliquam speciem bonitatis absolutae, in qua relativa fundatur, in bono utili reperimus, habebit quidem rationem finis, sed intermedii. Utile autem, qua tale, seu reduplicative ut utile, non participat rationem finis. Consonat *S. Thomas:* «Utilia dicuntur quae non habent in se unde desiderentur, sed desiderantur solum ut sunt ducentia in alterum, sicut

---

cho, t. I, c. I, § II, n. 28-34; Idem *Del Hombre en el orden Sicológico, en el Religioso y en el Social,* t. I, tratado III, c. 2, § 2.° y 3.° (Santiago de Chile 1900).

1 I p. q. V, a. 6.

2 I *Ethic.*, lect. V.

3 Ib. ante praecitata verba. «Honestum id intelligimus quod tale est, ut detracta omni utilitate sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum possit jure laudari». Cicero, *De Finibus bonorum et malorum,* lib. II, 14. Cfr. quoque lib. V, 22.

sumptio medicinae amarae. Honesta vero dicuntur quae in seipsis habent unde desiderentur»[1]. Haec pro sequentibus bene sunt notanda.

5. **Altera finis divisio.** Quod praesentem quaestionem attinet potissima finis divisio est in finem *intermedium* et *ultimum*. Illum dicimus intermedium *qui, sive ex natura sua, sive ex agentis intentione, appetitur et ordinatur ut medium ad alium consequendum;* ergo proprie non terminat motum appetitivae virtutis in ordine executionis nec potest esse primo intentus ab agente. Finis ultimus est *quem volumus propter se, cetera vero propter ipsum*[2], seu, qui *ad nullum alium ordinatur, omnia vero ad ipsum*. Ratio manifesta est. Si enim finis ultimus non appetitur propter bonitatem ipsi intrinsecam et ad aliud ordinatur non erit ultimus, quia in eo nullatenus sisteret motus voluntatis.

6. Prima igitur conditio ad rationem finis ultimi est *negatio ordinationis ad aliud*. Cetera omnia propter ipsum appeti debent et ad ipsum ordinari, quia, cum *ultimum in executione sit primum in intentione,* ut fert commune proloquium, finis ultimus est primum principium in operabilibus; *primum autem in unoquoque genere est causa ceterorum*. Insuper, si aliquid aliud esset quod ad ultimum non ordinaretur, illud esset ultimus finis, quia ibi quiesceret voluntas. Ergo altera conditio est, ut *omnia in ipsum referantur,* secus, et sit tertia ratio, si aliquid aliud desideraretur ad ultimum non ordinatum, non quiesceret totaliter in eo motus appetitus.

7. Finis item ultimus potest esse ultimus *relative* vel *absolute,* seu *secundum quid* et *simpliciter*. Finis simpliciter et absolute ultimus est qui ex natura sua ad aliud non ordinatur et omnia alia ei subjiciuntur, et ideo totaliter quietat et satiat appetitum. Relative autem ultimus dicitur finis ille qui in aliquo ordine vel respectu ad aliquam operationem ex nostra intentione terminat motum voluntatis; sic, finis ultimus studii potest esse scientia, sensuum castigatio, ipsa virtus vel virtutis amor. Potest esse ultimus *positive* vel *negative*. Erit negative ultimus cum voluntas alium finem ulteriorem nec intendit nec excludit, sed abstrahit et praescindit ab illius existentia pro tunc, necnon ab ejus intentione. Positive ultimus est cum voluntas ulteriorem finem excludit et in eo, qui dicitur ultimus, sistit.

8. **Scholion I.** Perspicuum est finem proprie ultimum, qui sit nempe perfectum et satiativum bonum totaliter quietans desiderium voluntatis, debere esse *absolute* et *positive* ultimum, hoc est, in omni ordine, respectu cujuslibet operationis, *natura sua,* et non solum ex voluntate et consideratione nostra.

---

1 I p. q. V, a. 6 ad 2. 2 I *Ethic.*, lect. II.

Alterum. Licet plures sint in homine tendentiae et inclinationes particulares, potissima tamen, cui ceterae subordinari debent, est inclinatio rationalis, seu voluntas ratione regulata. Finis igitur qui ultimo terminat et quietat hominis inclinationem est *bonum secundum rationem;* quodlibet autem bonum terminans inclinationem particularium virium bonum reale nullatenus dicendum est, si communi et principali tendentiae non subordinetur, vel eidem quodammodo adversetur. Propria namque hominis perfectio est perfectio secundum rationem.

9. Denique juvat hic recolere divisionem finis in *objectivum* et *formalem.* Finis *qui* seu *objectivus* est ipsa res quae explet desiderium voluntatis et in qua sistit tanquam in termino et complemento suae operationis: assecutio autem hujus rei dicitur finis *formalis* seu finis *quo,* id, nempe (potentia, actus, vel habitus), quo obtinetur finis objectivus.

Hisce praenotatis, duo expendenda supersunt, scilicet: *Utrum homo in omnibus suis operationibus agat propter finem,* et *an agat propter ultimum finem,* ut deinceps determinetur natura hujus ultimi finis.

Articulus II

An homini conveniat agere propter finem [1]

Summa rerum. 1. *Status quaestionis.* 2. *Praenotanda*—a) *Actiones humanae et actiones hominis quae dicantur;* b) *quoad substantiam, quoad modum – et quoad utrumque.* 3. *Duo alia praenotanda ex Cajetano.* 4. *Antifinalismus.* 5. *Thesis – Omnes actiones humanae sunt propter finem.* 6. *Corollaria*—1) *De operationibus quae finem nondum obtentum respiciunt quid dicendum;* 2) *quid de aliis quae versantur circa finem jam consequutum —Duplex delectationis consideratio ex Salmantic.* 7. *Scholion —Agere propter finem quibus modis contingit.*

1. Neminem latet omne agens propter aliquem finem agere, ut demonstratur in Ontologia, «agens enim non movet seipsum et alios nisi ex intentione finis» [2]. Omnes ergo operationes quae naturaliter procedunt ab aliqua potentia in finem aliquem tendunt; ergo et homo, cum natura quaedam sit, naturaliter et necessario quasdam eliciens operationes, certum aliquem finem persequitur in operando. Sed de

1 Cfr. A. Arendt, *Filosofia Moral,* c. 1; D. Mercier, *Ontologia,* p. IV, c. II, § 3; n. 234-246.

2 I-II, q. I, a. 2. Cfr. Gabriel a S. Vincentio, *Physic. Disp.* III, Dub. VIII, §§ 1-5.

hoc nulla est quaestio, nec iterum in litem vocari potest, post dicta in Metaphysica Generali.

Quaeritur nunc: *an sicut homo agens necessario operatur propter finem, ita etiam in actionibus liberis finem aliquem sibi proponat et quaerat.* Sic statuta quaestione, nemini dubium esse potest quin homo, libere agens, *possit,* non tantum aliquas, sed etiam omnes operationes elicere propter finem. Sed potest ne, rationabiliter operando, secundum quod convenit suae naturae, aliquas actiones liberas non dirigere in finem?, id est, *homo tenetur omnes suas actiones deliberatas ordinare in finem?* En punctum quaestionis.

2. **Praenotanda.** Ad hac quaestionem solvendam distinguere opus est varias hominum actiones. Multiplices sunt operationes procedentes a diversis potentiis naturalibus, sensitivis aut intellectivis, quibus homo instructus apparet, verum omnes procedunt ab homine *suppositaliter* sumpto, et ideo operationes *hominis* dicuntur, *actiones enim sunt suppositorum. a)* Sed hic in morem venit duas distinguere in homine operationes, scilicet: *humanas* et *hominis.*

Rem luculenter exponit Angelicus: «Actionum quae ab homine aguntur, inquit, illae solae proprie dicuntur *humanae* quae *sunt propriae hominis in quantum est homo.* Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illae solae actiones vocantur proprie *humanae,* quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem; unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illae ergo actiones proprie *humanae* dicuntur quae *ex voluntate deliberata procedunt.* Si quae autem aliae actiones homini conveniant possunt dici quidem *hominis actiones,* sed non proprie *humanae,* cum non sint hominis, in quantum est homo»[1].

Ut patet ex toto contextu, docet *S. Thomas* actiones humanas illas esse quae, sive ab intellectu et voluntate, sive ab aliis potentiis inferioris partis procedant, eliciuntur tamen *modo humano,* hoc est, *deliberate,* seu cum cognitione et voluntate ab omni necessitate libera[2]. Ne autem ex his quae hac in re circumferuntur apud Moralistas errandi detur occasio, nota bene actiones *humanas* alias esse humanas *quoad substantiam* solum, alias *quoad modum,* alias vero quoad utrumque.

b) Humanae *quoad modum* et *quoad substantiam* sunt illae *quae procedunt ab intellectu et voluntate proprio modo operandi harum facultatum.*

1 I-II, q. I, a. 1.

2 «Dicuntur illi proprie actus humani quorum homo est dominus: est autem homo dominus suorum actuum per voluntatem, seu per liberum arbitrium». *De Verit.,* q. V, a. 10.

Proprius autem modus operandi intellectus et voluntatis est actionem elicere cum perfecta cognitione et pleno dominio.

Humanae tantum *quoad substantiam* dicuntur illae actiones quae *eliciuntur quidem ab intellectu et voluntate, sed non proprio modo operandi harum potentiarum,* id est, absque consilio et libertate, quae proinde, eo quod libere non exercentur, operationibus rerum naturalium quodammodo assimilantur, ut apposite advertit ***Cajetanus***[1]; hujusmodi sunt intellectiones et volitiones necessariae, v. gr. assensus primorum principiorum, appetitio ultimi finis, actus quoque qui dicuntur *primo-primi,* procedentes ab intellectu et voluntate, nulla actuali advertentia et libertate intercedente, et *secundo-primi,* quos scilicet mens elicit vel imperat cum simplici advertentia ad eos.

Humanae *quoad modum* vocantur illae actiones quae *procedunt ab aliqua potentia sub perfecto et libero imperio voluntatis,* quo pacto humanae dicuntur actiones edendi, bibendi, saltandi, cum fiunt cum deliberatione. Quapropter recte cum ***Sto. Thoma*** actus procedentes, sive elicite sive imperate, a deliberata voluntate, *humani* dicuntur. De his autem agimus cum investigamus an homo in suis actionibus operetur propter finem.

3. Duo insuper nota ex *Cajetano: Primum,* quod cum agimus de actionibus humanis dirigendis in finem, *actio* intelligenda est *proprie et formaliter, et non extenso vocabulo actionis ad omnem operationem.* Vocatur autem proprie actio hominis, quam exercendo dicitur agere, et non penes quam magis dicitur agi quam agere, ut ipse ait. *Alterum* est quod *non est idem tendere in aliquid,* et *fieri seu esse propter aliquid:* «quia tendere in aliquid commune est omni tendenti in terminum; fieri autem vel esse propter aliquid specialiter est appropriatum causalitatis finis expressioni»[2]. Esse proprie et formaliter aliquam actionem propter finem, inquiunt *Salmantic.* nostri, nihil aliud est nisi quod finis, formaliter ut talis, suam causalitatem circa illam et circa agens in ordine ad illam exerceat, ita ut praedicta actio, secundum quod egreditur a proprio agente, sit formaliter effectus finis; nam ly *propter* causalitatem finis significat[3].

4. **Positivistarum opinio.** ***(Antifinalismus).*** Nuperi materialistae, ut antiquos silentio praetereamus, ***Buffon, Aug. Comte, Robinet, Bain, Du Bois Reymond, During, Bukle, Taine, Vacherot, Huxley, Lamack*** et ***Büchner***[4] post ***Spinoza,*** palam

1 In I-II, q. I, a. 1. Cfr. Salmantic., *Tract.* VIII, Disp. II, Dub. I.

2 In I-II, q. I, a. 1.

3 Loc. cit. Disp. II, Dub. II, init.

4 Cfr. *Historia de la Filosofía...* por D. Jesús M.ª Reyes Ruiz, Epoca general séptima, a. 4; M. de Wulf, *Historia de la Filosofía,* c. III, § 2, pag. 125.

inficiantur hominem agere propter finem extrinsecum adnumerantque praejudiciis sapientum et ignorantis vulgi id scilicet «quod communiter supponunt homines, omnes res naturales et ipsos propter finem agere». Hi ipsi rentur quoque doctrinam de finis causalitate naturam penitus evertere, cum id, inquiunt, quod revera causa est, ut effectum consideret; deinde id, quod natura prius est, faciat posterius»[1]. Hi vocantur quoque *Mecanicistae.*

5. Thesis. In omnibus actionibus humanis homo operatur propter finem.

His suppositis quae modo, claritatis gratia, praenotabimus, probatur propositio argumentis *S. Thomae.*

a) Omnes actiones quae procedunt ab aliqua potentia causantur ab ea secundum rationem sui objecti. Objectum autem voluntatis est finis et bonum. Unde oportet quod omnes actiones humanae propter finem sint[2].

Major hujus argumenti constat. Repugnat enim potentiam ferri extra sphaeram suae activitatis, seu aliquam exercere operationem nisi secundum rationem sui objecti formalis, a quo specificatur; sed objectum formale voluntatis est bonum et finis formaliter[3], id est, prout terminat et causat actionem voluntatis; ergo omnes actiones quae humano modo ab homine procedunt sunt propter finem.

b) Omnia quae sunt in aliquo genere derivantur a principio illius generis. Sed finis est principium in operabilibus ab homine. Ergo homini convenit agere propter finem[4]. Ac si aperte dicat[5]:

Inter causas ad invicem subordinatas necesse est quod, substracta prima, ceterae removeantur; sed prima inter omnes causas est causa finalis; ergo, substracto fine, non esset causa efficiens; necesse est ergo quamlibet actionem humanam esse propter finem.

Minor probatur sequenti argumentatione ex eodem Angelico deprompta, qua amplius quoque thesis confirmatur. Omne agens tendit ad determinatum effectum producendum; sed determinatus hic effectus habet rationem finis et est unde agens incipit agere; ergo finis est principium in operabilibus. «Si agens non tenderet ad aliquem effectum determinatum, omnes effectus essent ei indifferentes. Quod autem indifferenter se habet ad multa non magis unum eorum operatur quam aliud; unde a contingente ad utrumque non sequitur aliquis ef-

1 B. Spinoza, *Ethic.*, p. I, prop. 36.
2 I-II, q. I, a. 1.
3 Cfr. Salmantic., loc. cit. Disp. I.
4 I-II, q. cit.
5 Ib. a. 2.

fectus nisi per aliquid quo determinetur ad unum. Impossibile igitur esset quod ageret. Omne igitur agens tendit ad aliquem determinatum effectum, qui dicitur finis ejus» [1].

c) Paulo aliter idem Angelicus Doctor: «Hoc dicimus esse finem in quod tendit impetus agentis: hoc enim adipiscens dicitur adipisci finem; deficiens autem dicitur deficere a fine intento... Omnis autem agentis impetus ad aliquid certum tendit... Oportet igitur quod omne agens in agendo intendat finem» [2].

d) Homo qui deliberate operatur agit per intellectum; atqui agentia «per intellectum non est dubium quin agant propter finem; agunt enim praeconcipientes in intellectu id quod per actionem consequuntur, et ex tali praeconceptione agunt; hoc enim est agere per intellectum» [3]: ergo in actionibus humanis homo agit propter finem.

Plurimum interest solide stabilire praecedentem conclusionem 1) ad vitanda exitiosa Positivismi consectaria 2) quia realitas finis in tuto posita efficaciter stimulat hominis activitatem, et 3) nostram necessario infert sententiam circa objectum felicitatis humanae [4].

6. **Corollaria. I.** Ergo omnes operationes *humanae quoad modum*, quae spectant *ipsum finem nondum obtentum*, uti *volitio* et *intentio* finis, sunt etiam propter finem, quoniam in ordine ad eas finis movet agentem propter sui dignitatem suntque effectus finis causalitatisque ejus. —Eae autem actiones, quae *consequuntur adquisitionem seu possessionem finis*, v. gr. fruitio seu delectatio, vel integrant unum eumdemque finem, et tunc esse non possunt propter illum, repugnat enim finem esse propter finem, vel si sunt actiones elicitae humano modo circa finem,

---

1 *Contra Gent.*, lib. III, c. 2, Item.

2 Ib. init. Cfr. c. 3, ubi alias novem rationes tradit Angelicus.

3 Loc cit. c. 2.

4 Quantum ad primum ait P. Alb. M.ª Weiss: Después que ha dado el tono Spinoza negando la idea del fin la Filosofía ha caído en enajenación mental... Ser sin fin vale tanto como ser sin razón.

Quoad secundum septem statuit principia quae sunt totidem conditiones ut aliquid veram habeat rationem finis. 1.° Es absolutamente cierto que si hay un fin no puede ponerse ni en el hombre ni en su actividad; debe colocarse á cierta distancia, y esta no puede ser muy corta. 2.° No es distancia en dirección caprichosa, es una distancia que viene de arriba á abajo; en otros términos, el fin es algo más elevado que el acto ó la cosa que se subordina. 3.° Si el fin es superior no tenemos libertad para aspirar á él ó no; nos impone obligación de tender hacia él. 4.° Es mejor que los objetos y los actos; jamás tendrá valor de verdadero fin lo imperfecto. 5.° Cuando aspira un ser á un fin, lo hace sólo para acercarse á su perfección y ponerse en comunicación con él. 6.° Se aspira á él porque en él se busca satisfacción y reposo. 7.° En él y solo en él se vuelve á encontrar el ser que hacia él aspira. Las pruebas son las tentativas sin fin del hombre para encontrar objeto que llene su corazón. *Apología del Cristianismo*, Confer. VIII, n. 7.

sunt propter illum, non quidem ut medium ad illius consecutionem, cum jam sit obtentus, sed ut effectus dicitur esse propter causam.

Ad rem notant *Salmanticenses* nostri delectationem posse considerari dupliciter: vel *objective,* hoc est quatenus habet rationem objecti respectu alterius actus, quo appetitur; vel *formaliter,* in quantum ipsa est quidam actus elicitus circa finem. Primo modo non ponit in numero cum fine, sed utrumque constituit unum integrum appetibile respectu voluntatis tendentis in finem. Nam sicut lapis appetitu naturali sub eadem ratione appetit descendere ad centrum et quiescere in illo, ita voluntas sub eadem ratione appetit consequi finem et delectari in illo assecuto; et ideo sicut appetit finem propter se et non propter aliud, sic delectationem, ut constituit unum integrum objectum cum eodem fine, appetit propter se et non propter aliud[1]. Ut autem est actio elicita circa finem exercetur propter ipsum finem.

Coroll. II. Multa alia quae homo agit absque deliberatione, sicut cum aliquis movet manum vel pedem, vel fricat barbam, aliis intentus, cum non sint proprie actiones humanae, quia non procedunt ex deliberatione rationis, quae est proprium principium humanorum actuum, habent quidem finem et tendunt in finem, sed non sunt proprie propter finem, cum non sit eis per rationem praestitutus[2].

7. **Scholion.** Per praedicta non negamus quod creaturae irrationales, quae omni carent cognitione, ut lapis, ferrum, vel cognitione tantum sensitiva gaudent, ut animalia, tendant in finem et operentur quodammodo propter finem, quemadmodum contra Positivistas et Materialistas demonstratur in Ontologia[3]; magnum tamen discrimen adest inter humanarum actionum et irrationabilium tendentiam ad finem. Nam *res vita carentes* potius moventur et diriguntur in finem ab aliqua intelligentia cognoscente et intendente earum fines, quam sese movent et dirigunt, et ideo *executive* tantum operantur propter finem, attingunt scilicet sua operatione id quod revera est ipsarum actionum finis, sed non cognoscunt finem. *Bruta animalia* sese movent in finem quoad *executionem* et *formam,* quae est principium operandi, quamobrem cognoscunt finem et tendunt in finem, sed non apprehendunt *rationem finis.* Cognoscere rationem finis, ait ***Cajetanus,*** est cognoscere habitudinem finis ad id quod est ad finem, qui enim pro-

1 Disp. II, Dub. II, § III, circa finem. Cfr. Cajet., loc. cit. a. 2, et N. Andreas a Cruce, q. I, Dub. XI, a. 2.

2 S. Th., I-II, q. I, a. 1 ad 3, et id ipsum *Contra Gent.*, lib. III, c. 2.

3 Cfr. Zigliara, *Ontolog.*, lib. IV, c. IV, a. 2; E. Hugon, *Philosophia Naturalis*, I p. *Cosmologia*, Tract. III, q. III, a. 1; Mercier, loc. cit., c. IV, a. 1, § 1.

portionem horum cognoscit ad finem se movere potest»[1]. Haec autem cognitio superexcedit captum animae sensitivae, et ideo bruta irrationalia operantur tantum *apprehensive* propter finem[2]. Denique *homo*, cum sese moveat et dirigat in finem cognoscendo finem et habitudinem mediorum ad finem, proprie, formaliter et *elective* agit propter finem; idcirco, finis intentus et per suam rationem praestitutus, est causa operationum ejus.

Praefatam differentiam operandi propter finem, paucis exposuit ***S. Thomas*** inquiens: «*Agens per intellectum agit propter finem sicut determinans sibi finem: agens autem per naturam, licet agat propter finem, non tamen determinat sibi finem, cum non cognoscat rationem finis, sed movetur in finem determinatum sibi ab alio*[3].

Articulus III

Utrum homini conveniat agere propter ultimum finem

seu

De existentia ultimi finis in communi[4]

Summa rerum. 1. *Praecedentium cum subsequentibus connexio.* 2. *Duplex ultimi finis consideratio.* 3. *Thesis.—Existit aliquis ultimus finis, cujus gratia homo libere agens semper operatur.* 4. *Series infinita finium repugnat.* 5. *Corollarium.* 6. *Praenotanda.* 7. *Thesis.—Unius hominis non possunt esse plures ultimi fines.* 8. *Alia quaestio.—Sententia Suarez, Vazquez aliorumque.* 9. *Dices.* 10. *An sit unus finis pro omnibus hominibus.* 11. *In quo boni a malis differant.* 12. *Objectio.*

1. Universa pene philosophia moralis demonstrat hominem in suis actionibus deliberatis teneri semper agere propter finem, est enim finis, ut saepe dictum est, regula et ratio eorum quae sunt ad finem, unde *Augustinus* ait: *secundum quod finis est culpabilis vel laudabilis, secundum hoc sunt opera nostra culpabilia vel laudabilia*[5]. Sed ulterius inquirimus: *an in omnibus suis operationibus homo debeat agere propter ulti-*

---

1 Loc. cit. in a. 2.

2 Cfr. Complut., *De Anima*, Disp. IV.

3 Loc. cit., c. 3.

4 Cfr. Tongiorgi, *Ethica generalis*, Lib. I, c. 1, a. 1; N. Signoriello, *Ethica generalis*, a. 1; Mancini, *Elementa Philosophiae*, vol. III, q. I, a. 2; Theodorus Meyer, *Institutiones Juris Naturalis*, sect. I, lib. I, c. II, a. 2; A. Arendt, *Moral General*, c. I, § 2.

5 *Lib. de morib. Eccl. et Manich.*, c. XIII.

mum finem, seu, an existat aliquis ultimus finis, qui sit terminus omnium humanarum operationum.

2. **Duplex ultimi finis consideratio**. Tradidimus superius ultimi finis definitionem communiter in scholis receptam, quae cum hac *Sti. Augustini* plane coincidit: *Illud est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cetera, ipsum autem propter seipsum.* Verum ultimus finis duobus modis accipi potest, ut cum *D. Th.* observant Salmanticenses Doctores: vel pro *ipsa ratione formali constitutiva illius,* nempe summa et consummata bonitate, qua satiari debet appetitus, ut sic in communi et in abstracto sumpta, soletque praedictus finis sic acceptus *finis ultimus in communi* appellari: vel *pro re et subjecto* in quo invenitur et cui applicatur praedicta ratio, et vocatur *finis ultimus in particulari.* Ut ex ipsa quaestionis enuntiatione patet, loquimur in praesenti de ultimo fine in communi.

Nec, ni fallimur, praemonendum vacat quaestionem esse de fine *simpliciter et absolute ultimo.*

3. Quibus praenotatis, demonstrabimus cum *Sto. Thoma*:

(Thesis) Existere aliquem ultimum finem humanae vitae, cujus gratia homo libere agens semper operatur.

Prob.

a) Finis ultimus, omnibus consentientibus, ille dicitur, quo possesso, nihil homini desiderandum et appetendum remanet, quoniam totaliter satiat et quietat appetitum. Igitur, bonum, in quo sistit et a quo incipit motus voluntatis, aut plene satiat voluntatem, aut non; si primum, erit ultimus finis simpliciter: si alterum, repugnat quod totaliter terminet motum voluntatis et non appetatur in ordine ad aliud, quod sit plene satiativum. Nam, ut hoc posterius probemus, «quidquid homo appetit, appetit sub ratione boni; quod quidem si non appetitur ut bonum perfectum, quod est ultimus finis, necesse est ut appetatur ut tendens in bonum perfectum, quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, sicut patet tam in his quae fiunt a natura, quam in his quae fiunt ab arte: et ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam, quae est per ultimum finem»[1].

b) Secundum argumentum sit *S. Th.* ad litteram super Philos.: «Quicumque finis est talis, quod alia volumus propter ipsum et non propter aliquid aliud, ille finis non solum est bonus sed est optimus; et hoc apparet ex hoc, quod semper finis, cujus gratia alii fines quaeruntur, est principalior;

1 I-II, q. I, a. 6.

sed in rebus humanis necesse est esse aliquem talem finem; ergo in rebus humanis est aliquis finis bonus et optimus.

Minorem probat (Philos.) ratione ducente ad impossibile, quae talis est. Manifestum est ex praemissis quod unus finis propter alium desideratur. Aut ergo est devenire ad aliquem finem qui non desideratur propter alium, aut non. Si sic, habetur propositum. Si autem non est invenire aliquem talem finem, sequitur quod omnis finis desideretur propter alium finem. Et sic oportet procedere in infinitum. Sed hoc est impossibile, quod procedatur in finibus in infinitum. Ergo necesse est aliquem esse finem qui non sit propter alium finem desideratus» [1].

4. Quod autem ***repugnet series infinita finium,*** in quo tota consistit vis argumentorum quae ad thesim demonstrandam afferri solent, probatur contra ***Kantium*** aliosque *Evolutionismi* patronos.

1) Ex ***D. Th.*** ratione. Finis habet rationem *primi* in intentione et *ultimi* in executione; «ergo ultimus finis hoc modo se habet in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens. Manifestum est autem quod causae secundae moventes non movent nisi secundum quod moventur a primo movente; unde secunda appetibilia non movent appetitum nisi in ordine ad primum appetibile quod est ultimus finis» [2]. Remoto autem primo per processum infinitum, removentur cetera; ergo voluntas nunquam appeteret aliquid, quemadmodum remota prima causa nullum agens inciperet agere. «Dicendum, iterum Angelicus, quod per se loquendo impossibile est in finibus procedere in infinitum ex quacumque parte. In omnibus enim quae per se habent ordinem ad invicem oportet quod remoto primo removeantur ea quae sunt ad primum. Unde Philosophus probat in VIII. Physic. quod non est possibile in causis moventibus procedere in infinitum, quia jam non esset primum movens, quo substracto, alia movere non possunt, cum non moveant nisi per hoc quod moventur a primo movente» [3].

---

1 I *Ethic.*, lect. II.

2 I-II, q. I, a. 6.

3 Ib. a. 4. Cfr. praeter alios, J. L. de la Paquerie, *Apología popular de la fe cristiana*, t. I, *Dios y la Religión*, traducido por el P. Miguel Coco, Agustino, Barcelona 1909. *Suplemento*, Estudio I, n. 152 y Estudio II, n. 189. «La idea del número infinito es absurda... ... Suponed dos series de números diferentes que lleguen hasta el infinito, y en este concepto ambas son iguales, porque nada puede haber más grande que el infinito. Sea una de estas series la compuesta de todos los números enteros: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10... y la otra la de los cuadrados de estos mismos números: 1, 4, 9, 16, 25, 36, 49, 64, 81, 100... Es evidente que estos últimos números harán un total mayor que los primeros. Y, sin embargo, habiendo un número infinito de cifras son rigurosamente iguales; ¡un número igual á su cuadrado! Esto es aún más absurdo que 3 igual á 4.

... ¿Y qué acontecerá si á un número infinito se le restase la mitad ó la cuarta parte?

2) Series infinita finium, praesertim si sint invicem per se subordinati in movendo et causando, ita nempe ut unus non moveat formaliter alterum nisi cum dependentia actuali ab alio, constituit multitudinem actu infinitam; sed multitudo actu infinita repugnat. Etenim, si non re, mente saltem possunt ab hac multitudine centum v. gr. demi; atqui demptis centum a multitudine actu infinita, pars superstes esset aequalis et simul inaequalis toti; aequalis, quia infinitum non potest esse altero infinito majus aut minus; inaequalis, quia pars minor est toto; sed repugnat aliquid esse simul aequale et inaequale alteri secundum idem; ergo repugnat multitudo actu infinita [1].

3) «Quod sit impossibile in finibus procedere in infinitum probatur etiam ratione quae est *ducens ad impossibile* hoc modo. Si procedatur in infinitum in desiderio finium, ut semper unus finis desideretur propter alium in infinitum, numquam erit devenire ad hoc quod homo consequatur fines desideratos. Sed frustra et vane quis desiderat id quod non potest assequi; ergo desiderium finis esset frustra et vanum. Sed hoc desiderium est naturale; dictum est supra, quod bonum est quod naturaliter omnia desiderant; ergo sequitur quod naturale desiderium sit inane et vacuum. Sed hoc est impossibile. Quia naturale desiderium nihil est aliud quam inclinatio inhaerens rebus ex ordinatione primi moventis, quae non potest frustrari. Ergo impossibile est quod in finibus procedatur in infinitum. Et sic necesse est esse aliquem finem ultimum propter quem omnia alia desiderantur et ipse non desideratur propter alia» [2].

c) Omnes homines naturaliter desiderant beatitudinem, id est, perfectum et consummatum bonum. «Quid sic fugit natura ut miseriam, quid sic appetit ut beatitudinem?... *Beati quippe,* scribit pulcherrime ***Augustinus,*** *omnes esse volumus, quod ipsi quoque philosophi hujus saeculi et Academici de rebus omnibus dubitantes, teste patrono suo* ***Tullio,*** *coacti sunt confiteri. Idque unum dixerunt, quod disputatione non egeat, quod nemo est qui non expetat*» [3]. Atqui huic naturali desiderio

---

Porque no hay ningún número al cual no se le pueda restar la mitad: la división, como la multiplicación, es de derecho común en toda la aritmética, y todos los números están sujetos á ellas; y esta mitad ¿será también infinita? Entonces sería igual al todo, y por ende el todo igual á la parte. Si se prefiere decir que estas dos mitades son finitas, tendremos por resultado que dos cantidades finitas producen el infinito... Cfr. quoque Estudio VI; Gustavo Pecsi, *Cursus Brevis Philos.*, vol. I, *Methaphysica*, p. II, a. XX, Thesis XXXIV.

1 Adeo evidens est haec Sti. Thomae ratiocinatio ut Pascal, propugnans possibilitatem numeri infiniti, coactus sit plane contradictoria admittere. Es cierto, dice, que hay un infinito en número, si bien no sabemos cuál sea este: es falso que sea par ó impar, porque, agregándole la unidad, no cambia de naturaleza. Sin embargo, es un número, y todo número es par ó impar.

2 I *Ethic.*, loc. cit.

3 *Contra Jul.*, lib. VI, n. 26.

aliquid reale respondere debet, secus esset desiderium inane et fallaciae plenum, id autem repugnat cum praefatum desiderium beatitudinis sit universale, constans, insuperabile et naturae rationali adaequatum. Quod autem hujusmodi est Deum auctorem habet, qui nullatenus desiderium conferre potest ad id quod est impossibile, vacuum et inane, inde enim consequeretur Deum sua omnipotenti virtute humanam irridere infirmitatem, quod absit a Deo summo et liberali bono. Ergo realiter existit aliquis ultimus finis humanae vitae.

5. **Corollarium.** Ex dictis infertur absurdam et repugnantem esse theoriam de *progressu indefinito humanitatis* tendentis sine fine ad infinitam et illimitatam perfectionem, nunquam tamen possidendam. De quibus plura in sequenti quaestione.

6. His positis, ulterius inquirimus cum Angelico Doctore: *Utrum unius hominis possint esse plures ultimi fines.*

Et *primo* quidem quaestio nulla est de *fine ultimo in particulari.* Cum enim Deus, in quo summum et consummatum bonum solummodo reperitur, unicus sit, unicus proculdubio est finis ultimus ex natura rei omnibus hominibus constitutus. *Item*, indubium est voluntatem unius hominis posse plures ultimos fines *successive* sibi constituere, ut cum ab incommutabili bono, peccando, convertitur ad creaturas. *Tertio,* posse pariter plura velle tanquam ultimum finem quorum quodlibet inadaequate finem praedictum constituat, ita ut ex plurium aggregatione resurgat, certum quoque videtur[1]. Patet autem quodlibet istorum bonorum non posse sigillatim continere totam rationem boni completivam desiderii voluntatis, idcirco recte notarunt *Salmanticenses* quod, etsi voluntas possit plura ex illis bonis appetere in ordine ad finem totalem quem constituunt, «re bene inspecta, eo ipso, quod praedicti fines partiales sunt et ad totalem ordinantur, potius dicendi sunt non ultimi, siquidem referuntur ad alium ultimiorem, scilicet totalem»[2]. *Denique*, bene fieri potest duos ultimos fines simul a voluntate unius hominis desiderari, efficaciter unus, alter vero inefficaciter, ut enim volitio et nolitio sese mutuo excludant, ambae sint efficaces necesse est. Ergo quaestio est de duplici fine ultimo quem *operans sibi constituit* et quidem *totali et adaequato, simultanee efficaciter* intento. Dicendum ergo:

7. **(Thesis) Nullam voluntatem posse simul plures fines ultimos totales et adaequatos efficaciter intendere.**

Propositio sic explicata vix probatione indiget. Nam repugnantia intendendi simul plura bona, quorum unum non referatur ad aliud, tota-

1 D. Th., I-II, q. I, a. 5, ad 1. 2 Disput. IV, Dub. I, § 1.

liter tamen expleant sigillatim voluntatis desiderium, evidenter appareret. Finis enim ultimus est qui appetitur propter se, omnia alia propter ipsum; atqui, si voluntas simul appeteret efficaciter duos ultimos fines adaequatos, de neutro verificaretur posterior essentialis conditio ultimi finis, nempe, appeti omnia alia propter ipsum. Fingamus duos ultimos fines totales A et B: si sunt revera ultimi, A non refertur ad B, et ideo B non est ultimus finis, et B non ordinatur ad A, idcirco nec A ultimus finis dici potest: ergo neutri convenit ratio ultimi finis. Quod si horum unus v. gr. A refertur ad alium B, ex alia conditione A non esset ultimus finis, quoniam non appetitur propter se. Ergo impossibile est unius hominis esse plures ultimos fines.

Confirmatur ratione *S. Thomae:* «Illud appetit aliquis ut ultimum finem quod appetit ut bonum perfectum et completivum sui ipsius... Oportet igitur quod ultimus finis ita impleat totum hominis appetitum quod nihil extra ipsum appetendum relinquatur; quod esse non potest si aliquid extraneum ad ipsius perfectionem requiratur. Unde non potest esse quod in duo sic tendat appetitus ac si utrumque sit bonum perfectum ipsius»[1].

Aliis verbis: De ratione ultimi finis est quod sit bonum apprehensum ut perfecte satians desiderium et capacitatem voluntatis: atqui repugnat plura hujusmodi bona simul proponi voluntati. Quoniam unumquodque eorum aut plene satiat voluntatem, aut non. Si primum, tale esse debet ut non aprehendatur aliud praeter ipsum, secus voluntas non quiesceret totaliter in eo; si alterum patet ipsum non esse ultimum finem; ergo unius hominis non est nisi unus ultimus finis, sensu explicato.

8. Praedictas Aquinatensis rationes recte probare humanam voluntatem non posse plures fines *positive* ultimos efficaciter intendere, concors est philosophorum theologorumque sententia. Sed quaeritur an idipsum dicendum sit de duplici fine ultimo, quorum unus *positive,* alter vero *negative,* intendatur ut ultimus.

Vazquez, Suarez[2] aliique affirmant nullam inveniri repugnantiam in hoc quod voluntas unius hominis possit plures appetere fines ultimos negative, vel unum positive, alios negative. Hanc autem opinionem rejiciunt *Salmanticenses* tuentes vim argumentorum *S. Thomae.* Rationes videri possunt loc. cit. § II. Hic, brevitatis gratia, sequentem tantum damus. Cum voluntas semper debeat habere aliquem finem positive ultimum, in quo appetat satiari (ut adversarii etiam fatentur) et de ratione talis finis sit quod appetantur omnia propter ipsum, omnino repugnat dari aliquem alium finem

1 I-II, q. cit. a. 5. 2 Disput. III, sect. 2.

qui appetatur praecise propter se, ac proinde qui sit ultimus etiam negative; alias ille prior finis non esset positive ultimus, cum saltem hic posterior non appetatur propter illum[1].

Eamdem negativam sententiam amplectendam esse opinor etiam si agatur de *habituali appetitione plurium finium*, id est, non posse voluntatem habitualiter plures fines ultimos ad invicem non ordinatos simul appetere; hancque esse Angelici Doctoris mentem tenet *Cajetanus*[2].

9. **Dices.** Homo peccans mortaliter constituit sibi finem in illo commutabili bono ad quod intendit cum avertitur a Deo: sed contingit eumdem hominem simul esse, saltem habitualiter, in disparatis peccatis mortalibus, puta gula et injustitia; ergo voluntas unius hominis potest saltem habitualiter converti ad plures fines ultimos.

Respondeo cum eodem *Th. de Vio Cajetano* «quod omnes fines proximi peccatorum mortalium uniuntur in uno ultimo fine, qui est ipsemet peccator; quoniam amor sui usque in contemptum Dei constituit civitatem Baylonis, sicut amor Dei usque ad contemptum sui Jerusalem; unde homo peccator nec in gulae nec in injustitiae apparenti bono seorsum constituit ultimum finem; cujus signum est quia neutrum sibi sufficit, sed omnia commutabilia bona, ad quae peccator convertitur, referuntur ad unum communem finem qui est simpliciter ultimus sibi, scilicet ipsummet; quoniam omnia appetit ut conferentia ad bonum proprium, ita quod hominis bona non appetuntur ut fines ultimi simpliciter,sed ut fines ultimi partiales»[3].

10. **Quaestio altera.** Est et aliud dubium cum praecedenti maxime conjunctum. Placet enim nunc investigare an, sicut unius hominis non est nisi unus ultimus finis, *sit pariter unus pro omnibus hominibus.*

Dubium praeclare enodatur apud *D. Thomam:* Dupliciter, inquit, loqui possumus de ultimo fine; uno modo *secundum rationem ultimi finis;* alio modo, secundum *id in quo ultimi finis ratio invenitur.* Quantum igitur ad rationem ultimi finis omnes conveniunt in appetitu finis ultimi, quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, quae est ratio ultimi finis. Sed quantum ad id in quo ista ratio invenitur non omnes homines conveniunt in ultimo fine, nam quidam appetunt divitias tanquam consummatum bonum, quidam vero voluptatem, quidam vero quodcumque aliud, sicut et omni gustui delectabile est dulce, sed quibusdam maxime delectabilis est dulcedo vini, quibusdam dulcedo mellis aut alicujus talium. *Illud tamen dulce oportet simpliciter esse melius delectabile in quo maxime delectatur qui habet optimum gustum.* Et similiter: *Illud bonum oportet esse com-*

1 Salmantic. loc. cit. Deinde impugnatur, etc.

2 In I p. q. I, a. 5.

3 Ib. § Sed unum hic occurrit etc. Cfr. inter alios N. Andreas a Cruce, Disp. V, Dub. VII et seqq.

pletissimum quod tanquam ultimum finem appetit habens affectum bene dispositum»[1].

Ergo, ut breviter quaesito respondeam, finis ultimus est *unus* pro omnibus hominibus *objective*, id est, quantum ad communem rationem, non autem *subjective*, seu quantum ad judicium quo determinatur in quo ratio ultimi finis revera inveniatur. Nam appetere beatitudinem *objective* nihil aliud est quam appetere ut voluntas satietur, quod quilibet vult; sed quantum ad id in quo beatitudo consistit, verbis utimur Angelici, non omnes cognoscunt beatitudinem, quia nesciunt cui rei communis ratio beatitudinis conveniat, et per consequens, quantum ad hoc, non omnes eam volunt[2], nec idcirco in unam rem appetendam convenire possunt.

11. Ex quibus facillime deprehenditur in quo boni a malis differant. Non enim differunt appetitu beatitudinis, *quoniam verum est*, inquit eleganter ***S. August.,*** *quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc cetera quaecumque appetunt*[3]. Et paulo supra: *Si dixisset, omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret voluntate.* Discrepant igitur in modo determinandi sibi hanc beatitudinem, quoniam boni sibi praestituunt summum bonum juxta rectae rationis dictamina, proindeque beatitudinem quaerunt in re in qua vere reperitur, scilicet in Deo omnium bonorum causa: mali autem reponunt felicitatem in rebus in quibus minime reperitur, idcirco sibi praefigunt pro ultimo fine omnium suarum operationum bonum proprium taxatum, non secundum regulas rectae rationis, sed juxta passionum effrenatarum placita.

12. **Dices.** Non omnes appetunt felicitatem, cum quidam ex corde desiderent non esse, quod est miseriam appetere.

Resp. admittendo rationem, negando consequent. Nam valde inter se differunt non esse et esse miserum, nec desiderium prioris alterum infert. Non esse quippe accipitur vel existimatur ut quoddam bonum, et ideo voluntas in ipsum ferri potest; sed esse miserum apprehenditur ut malum, in quod nullum agens tendit. Ad rem *S. Thomas:* «Non esse appetitur, non quidem in quantum privat esse, sed in quantum tollit illud malum quod esse odiosum reddebat; carere autem malo bonum est; unde et qui appetit non esse appetit illud ut bonum. Sed miseria nunquam potest accipi ut bonum, quia dicit rationem perfecti mali; et ideo nullus potest velle esse miser. Non esse autem non dicit ipsam rationem mali, sed id quod est malum, et ideo aliquo adjuncto, quod habet rationem boni, potest esse appetibile»[3].

---

1 Ib. a. 7.
2 Ib. q. V, a. 8.
3 IV *Sent. Dist.* XLIV, q. I, a. 3, solut. II, ad 3.

Articulus IV

De subjectiva relatione actuum humanorum in finem[1]

Summa rerum. 1 *Quotupliciter possint actiones humanae referri in finem.* 2. *Actualis relatio.* 3. *Virtualis quid sit et quae conditiones requirantur ad eam.* 4. *Duplex modus ordinandi actiones virtualiter in finem.* 5. *Habitualis relatio quae dicatur.* 6. *Definitur interpretativa ordinatio operum in finem.* 7. *An sufficiat virtualis relatio.—Quae sit necessaria.* 8. *Scotistarum sententia.*

1. Ex dictis in art. praecedenti clarissime elucet omnia opera nostra esse referenda in ultimum finem. Expedit tamen ad complementum quaestionis, quatuor modos, quibus actiones ordinantur in finem, videlicet *actualiter, virtualiter, habitualiter* et *interpretative,* cursim explicare.

2. *Actualiter* vel, ut alii malunt, *formaliter* seu *explicite,* actiones quis refert in finem *quando actu cogitat de fine et vult explicite opus ordinare in finem,* sive *in actu signato,* id est, reflectendo super ipsam ordinationem, vel *in actu exercito,* cum, nempe, actionem ponit ordinatam in finem quin mente redeat supra relationem ipsam; debet nihilominus hoc in casu advertere et scire quid faciat. Brevius: actualis seu formalis ordinatio operum in finem fit per actualem et expressam intentionem finis, ut cum quis actu offert matutinas horas in gloriam Dei.

3. *Virtualiter* ordinantur actiones in finem quando, vi intentionis praeteritae et non retractatae, homo illas elicit quin actu cogitet de fine; illa ergo prima intentio, licet praeterita, movet ad eligenda media seu ad operandum ita ut operatio sic elicita sit effectus ejus. Ad hanc, ut patet, duae conditiones sunt necessariae, scilicet: quod praecesserit actualis intentio finis; et quod illa virtus relicta ex praecedenti actuali intentione aliquo modo maneat. Sit exemplum in sacerdote qui, initio recitandi horas, proponit et intendit devote orare et obligationi satisfacere; quamvis in decursu orationis distrahatur aut de obligatione recitandi nihil cogitet, virtualiter recitat ad adimplendum praeceptum Deumque attente deprecandum.

Virtualis quoque seu *implicita* dicitur cum quis facit opus ex se ordinatum ad finem, uti imperfectum ad perfectum bonum et inchoatio

1 Cfr. Theologi Moralistae, inter alios J. Bucceroni, *Institutiones Theol. Moral.*, vol. I, *de Act. human.*, III, n. 75; Tanquerey, *Synopsis Theol. Moral.*, c. II, n. 153 et seq.; Haine, *Tract. de actibus humanis*, p. II, q. 59.

ordinatur ad consummationem, v. gr. cum quis pauperi elargitur eleemosynam nihil cogitando de fine eleemosynae nec aliud intendendo.

4. Dupliciter igitur contingere potest aliquam actionem virtualiter ordinari in finem: «vel ratione praecedentis intentionis, quae, licet in se transierit, reliquit sufficientem virtutem in voluntate ex quo sequens operatio imperetur et ad finem dirigatur; vel quia objectum operationis suapte natura independenterque ab operantis intentione ordinatur ad finem, sicut per se pars ad suum totum; ob idque, etiamsi nulla intentio talis finis formaliter praecesserit, ratione tamen connexionis objecti cum fine, operatio attingens formaliter objectum attingit virtualiter finem» [1].

5. *Habitualis* relatio operum in finem dicit puram concomitantiam habitus, vel potius relationis praeteritae, cum actu vel opere quod agens ponit, quin ipsa moveat agentem ad operandum; est ergo intentio actualis jam diu praeterita nullum influxum actualiter exercens in opus quod hic et nunc ponitur, ut si justus dormiens recitaret preces diceretur ipsas dirigi in Deum habitualiter, media scilicet caritate, supposito quod habitus caritatis nullo modo influat in precum recitationem, nec illas referat in finem suum, secus ordinarentur in finem actualiter, aut saltem virtualiter. Hinc peroptime notat ***Cajetanus*** quod *haec habitualis relatio non cadit aliquo modo in ipsum opus, sed in personam operantis* [2]. Nec tamen sine causa dicitur quod opus habitualiter refertur in talem finem, ut animadvertit ***N. Andreas a Cruce,*** sed ut significentur duo. *Unum,* quod talis actus non avertit ab illo fine, convertendo in aliud. *Secundum* est, quod operans retinet et permanet conversus in talem finem [3].

6. Denique *interpretativa* relatio dicitur non quae sit, aut fuerit de facto, cum agens de fine non cogitet, sed quae existimatur fore si de fine cogitaret; ex modo enim et dispositione subjecti praesumitur et creditur quod, si in mentem veniret finis, in illum suas operationes esset directurus. Haec interpretativa relatio maxime extrinseca est et accidentalis tum operi tum operanti, potius enim est in eo qui censet et interpretatur quod operans propter talem finem esset operaturus, si ad casum adverteret, aut de fine cogitaret. Est tamen ex parte operantis debitum fundamentum ratione cujus prudenter judicamus in casu talem finem intendisse aut per respectum ad illum operasse; v. gr. si cui pio viro, sensibus repente destituto, auxilia spiritualia conferantur; jure namque censetur illa velle.

---

1 Salmantic., Disp. V, Dub. unic. init.
2 In II-II, q. XXIV, a. 10, ad 2.
3 Loc. cit. q. I, Dub. XII.

7. Jam age: Ratio et praestantia ultimi finis expostulat ut omnia ad ipsum referantur et propter ipsum aliquo modo fiant. Sed *interpretativa* relatio non sufficit, quia «sicut nihil reale ponit, ita nihil causare potest; neque sufficit *habitualis;* quia licet aliquando habita sit, tamen per eam operans ad actionem nullo modo movetur; et ita actio, quam hic et nunc ponit, nullum influxum et proinde nullam bonitatem in se recipit ex priori intentione»[1]. Omnia tamen *actu, expresa et formali* intentione referre in ultimum finem non est possibile in hac vita, sicut non est possibile quod de eo semper cogitetur[2]; id ergo non est de ratione ultimi finis. Verum ad ipsum spectat ut omnia saltem virtualiter ordinentur, et propter ipsum fiant; et hujusmodi virtualis operum relatio sufficit. *Non* enim *oportet,* inquit Angelicus, *ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur.* Sed *virtus primae intentionis, quae est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiam si de ultimo fine actu non cogitet, sicut non oportet quod qui vadit per viam in quolibet passu cogitet de fine*[3].

Audi *Augustinum* optime declarantem illa verba: *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam:* «Et cujus lingua durat meditari tota die laudem Dei?, inquit. Ecce modo paulo longior sermo factus est, fatigamini. Tota die Deum laudare quis durat? Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. *Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum.* Quando cantas hymnum, laudas Deum; lingua tua quid agit, nisi laudet et conscientia tua? Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? Noli inebriari, et laudasti Deum. Discedis ut dormias? Noli surgere ad malefaciendum, et laudasti Deum. Negotium agis? Noli fraudem facere, et laudasti Deum. Agrum colis? Noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum praepara te ad laudandum Deum tota die»[4].

Praestantius tamen et homini rationali dignius est omnes suas operationes in ultimum finem actualiter referre.

8. **Quorumdam Scotistarum exceptio**[5]. In hac quaestione de necessitate referendi omnes actiones saltem *virtuali relatione* in ultimum finem, plures dissentiunt Scotistae. Humana voluntas, inquiunt, quae libere ponit

1 Christianus Pesch, loc. infra cit. n. 662.

2 Cfr. S. Th., *De Virtut.*, q. II, a. 11, ad 2, et II-II, q. XXIV cum Comment. Cajet in a. 10.

3 I-II, q. I, a. 6, ad 3.

4 Enarratio in Psalm. XXXIV, serm. 2, ad finem, n. 16 Opera omnia, t. 4, col. 349. Cfr. Suarez, *De bonitate et malitia act. hum.*, Disp. VI, sect. I, n. 9 et sqq.; Bouquillon, *Theolog. Moral. Fund.*, lib. IV, sect. II, c. I, a. 2; Christianus Pesch, S. J., *Praelectiones Dogmaticae* (Friburgi Brisgoviae, 1908 ed. 3.ª), t. III, Tract. II, *De ultimo fine*, sect. III, a. 2, § 3.

5 Cfr. Casanova, *Nomolog.*, c. I, a. IV, n. 45.

actionem eamque in finem libere refert, potest quoque pro libito non referre, unde non est necesse quod homo in suis appetitionibus semper appetat ultimum finem. Insuper, affirmare homines debere singulas actiones ad Deum tanquam ad ultimum finem referre «nimis rigidum est, quia in tali doctrina omissio hujus ordinationis plures actiones macularet ob defectum debitae relationis, quod idem esset atque arguere de peccato omnes homines fere»[1]. Etenim si «requiritur relatio particularis, nimis est arcta via salutis; quia tunc in omni opere, quod homo *non refert actualiter in Deum*, demeretur et peccat; quod valde severum est dicere»[2].

Sed huic objectioni de facili obviatur. Nam tota quaestio vertitur circa ultimum finem in communi, et in hoc sensu, et non in alio, diximus nihil posse appeti quod non sit ipse aut propter ipsum.

Respectu vero hujus ultimi finis in communi voluntas quidem libera est *quoad exercitium*, sed non quoad *specificationem;* id est: potest ponere vel non ponere actum; sed, dato quod aliquid velit, miseriam expetere non potest sub ratione talis, quoniam nullus potest appetere contrarium suae plenae perfectionis, quamvis appetat *contra talem rem quae est ultimus finis*, ut loquitur *Cajetanus*.

Insuper, non stante actuali judicio rationis de fine, voluntas potest illum intendere *vi praecedentis intentionis*, quod est virtualiter ordinare operationes in finem. Nec rigida et in praxi difficilis judicanda est nostra sententia, ut supponunt Scotistae. Etenim *a)* quodcumque bonum partiale desideretur, appetitur saltem *ut bonum appetentis*, consequenter propter ultimum finem, ut ipsemet *Cajetanus* scribit[3]; *b)* ad moralem bonitatem, ut infra dicemus, nihil aliud requiritur quam quod actus ordini rationis sit consentaneus, seu melius, quod non sit praedicto ordini contrarius, idque satis est ut habeatur sufficienter relatus in finem. Nam qui bonum operatur ex fine honesto eo ipso agit modo rationi consentaneo, proindeque actionem ponit, quamvis implicite, propter finem ultimum. Igitur homo *non excludat* in suis operationibus bonum honestum eique *subordinet* bonum *utile* et *delectabile*, id est, non operetur *unice* propter utilitatem et delectationem in his sistendo tanquam in ultimo fine, et sufficit ut actio sit in Deum debite relata. «Quicumque vult aliquid sub quacumque ratione boni (honesti), habet voluntatem conformem voluntati divinae quantum ad rationem voliti»[4]. Quae doctrina, ut apparet, non solum non est rigorosa, sed benignior prae opposita videtur[5].

---

1 Idem P. Cabriel Casanova, loc. cit. pag. 185.

2 D. Bonav., apud cit. auct. Verum notandum est S. Bonav. loqui *de relatione actuali*, proindeque nobis minime adversari.

3 Loc. cit. in art. 6.

4 I-II, q. XIX, a. 10 ad 1.

5 P. Gabriel Casanova, O. M., judicium definitivum ferens de utraque sententia (Thomist. et Scot.) ait: «Difficile revera videtur dicere quaenam duarum opinionum conformior sit veritati, cum utraque pro se exhibeat argumenta nec contemnenda, nec solutione facilia. Thomistarum tamen sententiam nobiliorem et digniorem homine rationali existimo; opinionem Scotistarum magis consonam humanae fragilitati reputo, licet minus communis sit inter philosophos.» Loc. cit.

QUAESTIO II.

DE ULTIMO FINE IN PARTICULARI SEU DE BEATITUDINE OBJECTIVA [1]

Considerantes ultimum finem secundum suam *abstractam* et *communem* rationem, probabimus realiter existere summum quoddam et excellens bonum quod omnium voluntates stimulat, et in quo, veluti in ultimo termino, omnes appetentium motus conquiescunt.—Nunc igitur determinandum venit objectum ipsum in quo praefata ratio omnium actionum humanarum,terminativa reperiatur, et quo obtento, nihil homini expetendum et desiderandum remaneat. Succedit ergo quaestio altera de fine ultimo in *concreto* seu in particulari considerato. Verum hac in re absurda et abnormia philosophorum placita sunt explodenda, prius quam veram sententiam firmemus.

Articulus I

Falsae philosophorum sententiae circa beatitudinem objectivam

§ 1

ERRONEA EXPONUNTUR SYSTEMATA

Summa rerum. 1. *Beatitudinis notio.* 2. *Duplex beatitudo.* 3. *Ethnicorum placita.* 4. *Hedonismus.* 5. *Utilitarismus.* 6. *Naturalismus pantheista.*

1. Nomine beatitudinis, juxta Angelicum Doctorem, intelligitur *ultima perfectio rationalis seu intellectualis naturae* [2].—*Bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum* [3].—*Plenitudo omnium rerum optandarum* [4].—*Sta-*

---

1 Cfr. D. Th., I-II, q. I-IV; Suarez, Disp. V, sect. I-III; Joseph Saenz Aguirre, *Disput. Ethicae*, Disp. III; Gabriel a Sto. Vincentio in I-II, D. Th., Disp. II; Cosm. Alamannus, loc. cit. q. IV; Rosselli, *Summa Phil.*, p. IV, q. II, a. 1; Mich. Rosset, *Moralis*, p. I, c. II; Felix Amat, *Institutiones Philosophiae* (ed. 4.ª Barcinone 1830) *Ethica*, lib. I, q. II; Meyer, *Instit. Juris Nat.*, p. I, sect. I, lib. I, c. II, a. 3, § 1; Willems, *Psychologia*, lib. III, c. III; Liberatore, *Ethica*, c. I, a. 2; Fernández Concha, *Filosofia del Derecho*, lib. I, c. I, a. 2; V. Minteguiaga, *La Moral Independiente*, c. II y III; Ferretti, vol. I, c. I, a. 1 et 2.

2 I p., q. LXII, a. 1.

3 I-II, q. II, a. 8.

4 S. Aug., lib. V, *De Civit. Dei*, Praef.

tus omnium bonorum aggregatione perfectus[1] .— *Summum bonum appetitus rationalis adaequate satiativum.—Perfectum et sufficiens bonum omne malum excludens et omne desiderium implens*[2].

Quandoque nomen beatitudinis usurpatur ad designandam quorumdam hominum felicitatem *relativam,* scilicet per comparationem ad alios qui vitam miserabiliorem ducunt in hoc saeculo.

2. Finis, inquit ***S. Thomas,*** dicitur dupliciter. *Uno modo* res ipsa quam cupimus adipisci, sicut avaro est finis pecunia. *Alio modo* ipsa adeptio, vel possessio, seu usus, aut fruitio ejus rei quae desideratur[3]. Et sic est duplex finis ultimus, *qui,* seu *objectivus,* et *quo,* seu *formalis.* Duplex quoque distinguitur beatitudo, nempe, *objectiva* et *formalis.*

Prima est *res ipsa quae est summum hominis bonum* totaliter quietans desiderium voluntatis. Formalis seu *subjectiva* est *actus quo beatitudo objectiva* obtinetur. Impraesentiarum loquimur de beatitudine tantum objectiva.

3. **Sententiae.** Vix numerari queunt opiniones quae hac in re circumferuntur apud philosophos, qui extra summum omnium bonorum, Deum, beatitatem quaerunt. Etenim vel de ipsis tantum veterum opinionibus edisserens *Augustinus* notat *Marcum Varronem* ad *ducentas octoginta octo* sententias ex tripartita distributione sectarum, quae sive in *animo,* sive in *corpore,* sive in *utroque* bonorum et malorum fines ponerent facillime, quibusdam adhibitis differentiis, pervenire posse, jam suo tempore animadvertisse[4]. Inter alios *Democritus* in *tranquillitate animi, Stoici,* quibus *bonum est utilitas, aut non aliud ab utilitate, in virtute, Cyrenaici,* in *corporis voluptate,* nec alibi *Epicurei* felicitatem reposuerunt. *Sceptici* nullum bonum quod hominem beare possit admissere. Minus errarunt *Pytagoras* qui in *scientia, Antistenes* qui in *modestia, Plato* qui in *accesu ad divinitatem,* ut *quantum in nobis* est *Deo persimiles evadamus, Socrates* qui in *justitia* et *Aristoteles* qui in *contemplatione veritatis,* beatitudinem sitam esse existimarunt. *Epicurei* et *Cyrenaici* plures nacti sunt omni tempore sectatores, quos inter nostris hisce diebus recensentur *Materialistae, Positivistae, Pantheistae Realistici, Athei* et *Progressistae.*

Diversissima tamen eorumdem placita ad tria systemata generalia reduci possunt, videlicet ad *Epicureismum, Utilitarismum* et *Naturalismum pantheisticum.*

4. ***Epicureismus*** qui *hedonismus* (ηδονη, voluptas) et *eudemonismus sensualis* (ab εὐδαιμων beatus, felix) et etiam simpliciter *sensualismus* audit, summum hominis bonum in voluptatibus corporis et plena

1 Boetius, III *De Consol.*, pros. II.
2 I-II, q. V, a. 3.
3 Ib., q. III, a. 1, et q. II, a. 7.
4 *De Civ.*, lib. XIX, c. 1.

omnium passionum licet effrenatarum satisfactione reponit, ideoque sensualistae *eam quoque vitam amplectuntur quae tota in perfruendis voluptatibus consumitur*[1]. Inter antiquos eminent ***Epicurus*** (342-270), ***Democritus, Aristippus, Lucretius*** aliique. Ex recentioribus fere innumerabiles sunt qui cum ***Saint Simon, Fourier*** et ***Owen*** impudenter dogmatizant summam virtutis esse omni appetitui cedere et de omnibus hujus vitae bonis absque mensura et limite gaudere; jure ergo proclamandam esse absolutam omnium passionum libidinem docent nominatim ***Lamettrie, Condillac, Helvetius, Maupert, Holbach, Volney, Diderot, Taine, Cabanis, Broussais, Vogt, Reybaud, Laverdan, Laffite, Spencer, Nietzsche*** horumque gregales[2].

5. Sensualismo affinis et cum sensualistarum placitis plane consentiens aut certe ab illis promanans, ***Utilitarismus*** tum *privatus*, qui *egoismus* dicitur, tum *socialis*, non tantum utilitatem esse honestati praeferendam, sed vel nullam honestatem praeter utilitatem esse contendit, aut illa admissa, rationem omnium humanarum actionum terminativam unice in utilitate consistere docet. Eo igitur tendunt operationes et a subjecto ordinari debent ut maximam prosperitatis summam, minimam vero doloris, tum pro se tum pro aliorum hominum salute, et quidem maximo quo possit numero, producant. Quibus positis non incongrue plures utilitaristae ***(Philantrophismus humanitarius)*** *mutuam socialem benevolentiam* esse vitae humanae finem opinati sunt. Praecipui utilitaristae sunt ***Cumberland,*** (1632-1718) ***Jeremias Bentham, Bain, Malthus, Stuart-Mill, H. Spencer, Darwin, Höffding, Paulsen, Stein, Bebel*** et *pseudopolitici* fere omnes, praesertim Angliae, quapropter et *Anglicus* quoque utilitarismus socialis vocitari solet. Utilitarismi tessera est, proindeque humanae vitae finis, hominem ex rebus materialibus fortunae, et ex bonis animae, fama, gloria, potestate, scientia, atque ex propriis aliorumve operationibus, majorem, quam possit, utilitatem reportare. Verbo, utilitarismus est purus materialismus.

6. Succedit ***Naturalismus pantheisticus,*** qui alium finem pro homine individuo non agnoscit quam finem *humanitatis*, huncque reponit in jugi evolutione et progressu versus idealem illius culturam et perfectionem; in continuo et indefinito progressu generis humani; in complendo, propria quidem individualitate, finem absolutum, qui est ipsius *Absoluti* necessaria evolutio; vel, ut alii malunt, finis humanarum

---

1 Aristot., I, *Ethic.*, Cfr. S. Thom. ib. lect. V.

2 Cfr. P. M. Brin, *Histoire de la Philosophie contemporaine*, t. 3, *prem. part.*, ch. III; Eus. Stateczny, *Compendium Historiae Philos.*, 4.ª op. *Philosophia recentissima*, pag. 532 et sqq.; P. Vallet, *Histoire de la Philosophie* (Paris 1881), p. III, chap. II.

operationum consistit in completa omnium facultatum hominis evolutione. Haec et alia similia familiaria sunt ***Ahrens, Schopenhauer, Hartmann, Schleiermacher, Wundt, Windelband, Schiller, Feuerbach, Renan*** et ***Krause*** discipulis. Consonat ***Kantius,*** juxta quem, finis humanae vitae consistit *in perpetuo et continuo accessu ad beatitudinem nunquam plene possidendam.* Nam anima nostra ideo est immortalis, secundum Kantiana principia, quia destinatur ad absolutam voluntatis cum lege morali conformitatem; sed quoniam haec destinatio a nulla creatura rationali ullo unquam tempore suae existentiae perfecte adimpleri potest, ideo necesse est ut *per aliquem progressum in infinitum versus illam plenissimam conformitatem* praedicta destinatio satisfiat [1].

Eadem ferme docuere in Hispania nostra ***Nieto Serrano*** (neokantista), ***Benítez de Lugo, Michael López Martínez*** et ***Pi y Margall*** (hegeliani), necnon Krausistae ***Sanz del Río, García Luna, Castelar, Salmerón, Giner, Frid. de Castro, Ruiz de Quevedo*** et ***Tapia*** [2]. Progressus infinitus strenue quoque propugnatur a Socialistis et Communistis.

Praefatos infestissimos errores tribus conclusionibus, totidem paragraphos instituentes, profligabimus.

---

1 Cfr. P. Theod. Meyer, sect. I, lib. 1, c. II. Schopenhauer, lo mismo que Hartmann son *nihilistas*, puesto que para ellos la felicidad consiste en la extinción de la Voluntad universal. Cfr. *Historia de la Filosofía*, por D. Jesús M.ª Reyes Ruiz, pág. 147 y sig.; P. M. Brin, loc. cit. chap. I; Ceferino González, *Historia de la Filos.*, t. III, *La Filosofía Novísima—Panteismo germánico.*

2 En el C. Cr. Krause. *Ideal de la Humanidad para la vida* con introducción y comentarios por Julián Sanz del Río, entre otras monstruosidades presentadas con aparato científico y bajo el velo de ampulosas y relumbronas frases se dice: «El hombre, compuesto harmónico el más íntimo de la Naturaleza y del Espíritu debe realizar históricamente esta harmonía y la de sí mismo con la humanidad en forma de voluntad racional y por el motivo de esta su naturaleza en Dios». Lo más curioso del libro son los Mandamientos de la Humanidad. El cuarto dice así: «Debes vivir y obrar como un *Todo humano* con entero sentido, facultades y fuerzas en todas sus relaciones». No merecería siquiera el honor de la cita sino fuera por las funestas consecuencias que de tal doctrina se deducen. «Las instituciones hoy existentes en la sociedad no llenan ni con mucho, según Krause y su expositor, el destino total de la humanidad. De aquí un plan de reforma radical de todas ellas, desde la Familia hasta el Estado, desde la Religión hasta la Ciencia y el Arte. Utopia, dice Menéndez y Pelayo, cuya es esta cita, menos divertida que la de Tomás Moro». *Heterodoxos Españoles*, lib. VIII, c. III. Cfr. *Krause y sus discípulos convictos de Panteismo*, por D. Juan Manuel Ortí y Lara; Cef. González, *Historia de la Filos.* Ep. 3.ª § 114.

§ 2

REPROBATUR HEDONISMUS

Summa rerum. 1. Conclusio I: *Vera hominis beatitudo non consistit in perfruendis voluptatibus corporalibus.* Prob. a) *Epicureismus nititur falso principio,* b) *pugnat cum humana dignitate,* c) *opponitur virtuti et moralitati.* 2. Corollarium.—*Ex tradita doctrina excluduntur juxta D. Th.* a) *error Epicureorum* b) *error Cerinthianorum* c) *Judaeorum et Saracenorum fabulae.* 3. *Cur tam multi post sensiles voluptates abeant.* 4. *Ob quem finem Intellectuales seu recentiores Budhistae nonnunquam a delectationibus corporis abstineant.*

1. Conclusio I. Vera hominum felicitas non consistit in perfruendis voluptatibus corporalibus seu in passionum satisfactione.

Epicureismus reponens beatitudinem humanam in voluptatibus corporis *a) nititur falso principio,* scilicet animam nostram materialem esse et una cum corpore oriri simulque perire, et ideo *b) pugnat cum humana dignitate.* «Felicitas, inquit Angelicus, est quoddam bonum homini proprium, non enim bruta dici possunt felicia nisi abusive. Delectationes autem sunt communes hominibus et brutis. Non est igitur in eis ponenda felicitas»[1]. Et super Philosoph. ait: considerandum est quod vita voluptuosa, quae ponit finem circa delectationem sensus, necesse habet ponere finem circa maximas delectationes quae sequuntur naturales operationes. Hujusmodi autem delectationes sunt communes hominibus et bestiis. Unde *multitudo hominum ponentium finem in hujusmodi voluptatibus videntur omnino bestiales, quasi eligentes talem vitam in qua pecudes simul nobiscum communicant*[2].

c) Cum aliud sit essentia alicujus rei, aliud accidens consequens aut concomitans essentiam, delectatio autem consequatur objecti possesionem, delectatio, etiam si sit laudabilis et spiritualis, non potest ipsam beatitudi-

1 *Contra Gent.*, lib. III, c. 27.

2 I *Ethic.*, lect. V. Et eleganter Cicero (*Paradoxon*, I, 3) contra eos qui «arcte illud tenent accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum: Quae quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, cum tibi sive Deus sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, dederit animum, quo nihil praestantius neque divinius; sic te ipse abjicies atque prosternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes interesse? Quidquam bonum est quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? Ut enim quisque est maxime boni particeps, ita laudabilis maxime; neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? melioremne efficit, aut audabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriando sese et praedicatione effert?»

nem constituere[1] aut finis ultimus esse, maxime cum *d)* delectatio sit propter operationem et non e contra[2].

e) Accedit aliud *S. Th.* argumentum: «Summa perfectio hominis esse non potest in hoc quod conjungitur rebus se inferioribus, sed per hoc quod conjungitur alicui rei altiori; finis enim est melior eo quod est ad finem. Delectationes autem praemissae consistunt in hoc quod homo secundum sensum conjungitur aliquibus se inferioribus, scilicet sensibilibus quibusdam. Non est igitur in talibus delectationibus felicitas ponenda»[3].

f) Opponitur virtuti et moralitati. Nam si beatitudo consisteret in perfruendis voluptatibus, cum actus humani bonitatem vel malitiam sortiantur prout dirigunt ad finem, vel ab eo hominem avertunt, honestior esset ille proclamandus qui magis passiones sectaretur; quod quam sit abnorme nemo non videt. Ad rem iterum Angelicus: «Actus virtutum sunt laudabiles ex hoc quod ad felicitatem ordinantur. Si igitur in delectationibus praemissis consisteret humana felicitas, actus virtutis magis esset laudabilis in accedendo ad has delectationes quam in abstinendo ab eis»[4].

His adde quod delectationes praecipue sensibiles non explent desiderium voluntatis nec ipsius appetitus sensitivi, sed potius causant sitim et desiderium: non enim *saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*[5]; plura mala et incommoda delectationem corpoream concomitantur, alia subsequuntur. *Tristes esse voluptatum exitus,* inquit ***Boetius,*** *quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget; quae si beatos efficere possent, nihil causae est quin pecudes quoque beatae esse dicantur*[6]. Et ibidem:

Habet hoc voluptas omnis
Stimulis agit fruentes
Apiumque par volantum
Ubi grata mella fudit
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu[7].

2. **Corollarium.** «Per hoc, concludit ***D. Th.*** *a)* excluditur error Epicureorum in his voluptatibus felicitatem hominis ponentium, ex quorum persona dicit ***Salomon:*** *Hoc itaque visum est mihi bonum ut comedat quis et vivat et fruatur laetitia ex labore suo et haec pars illius*[8]; et, *ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra et haec est sors nostra*[9].

1 I-II q. II a. 6.
2 *Contra Gent.*, lib. III, c. 26.
3 Ib. *Amplius.*
4 Ib. *Praeterea.*
5 *Eccl.* I, 8. Cfr. quoque P. N. Joan. a Cruce, *Subida al Monte Carmelo*, lib. I.
6 *De Consol.*, III. *Pros.* VII.
7 Metr. VII.
8 *Eccl.* V, 17.
9 *Sap.* II, 9.

b) Excluditur etiam error Cerinthianorum qui in ultima felicitate post resurrectionem mille annos in regno Christi secundum carnales ventris voluptates fabulantur futuros, unde et *Chiliastae*, quasi *Millenarii* sunt appellati.

c) Excluduntur etiam Judaeorum et Saracenorum fabulae, qui retributiones justorum in praedictis voluptatibus ponunt; felicitas enim virtutis est premium»[1].

3. **Quaeres.** ***Cur ergo, si in his voluptatibus sensilibus non invenitur vera hominis felicitas, tam multi post eas abeunt?***

Solerter, ut solet, Angelicus: «Ideo plures sequuntur delectationes corporales, quia bona sensibilia sunt magis et pluribus nota; et etiam quia homines indigent delectationibus ut medicinis contra multiplices dolores et tristitias. Et cum plures homines non possint attingere ad delectationes quae sunt proprie virtuosorum, consequens est quod declinent ad corporales»[2].

4. **Scholion.** Quamvis sensualistae non pauci et recentiores *Intellectuales*, Budhistis parum dissimiles, a pluribus delectationibus sese abstineant non tamen alium finem ultimum sibi praefigunt praeter delectationes corporeas aut spirituales. Ipsum enim moderamen passionum et ciborum parsimoniam voluptatibus corporeis aut contemplationis oblectamentis consulto subordinant, ut scilicet diu deliciis abundent et ne hedonismi sopore tabescant. Quod de *Epicureis* edisserens dextere jam notavit Angelicus. «Nam etiam *Epicurei*, qui voluptatem summum bonum existimant, diligenter colebant virtutes, sed tamen propter voluptatem, ne scilicet per contraria vitia eorum voluptas impediretur. Gula enim per immoderantiam cibi dolores corporis generat. Propter furtum aliquis carceri mancipatur, et ita diversa vitia diversimode voluptatem impediunt»[3]. Operari autem propter delectationem, quamvis sit spiritualis, ut est gaudium de veritatis contemplatione, non est dignum humanae activitatis objectum. Est enim, ut diximus, operationis et appetitionis effectus potius quam causa, idcirco non est summum hominis bonum nec ultimus finis simpliciter.

---

1 *Contra Gent.* lib. III, c. 27.
2 I-II, q. XXXI, a. 5 ad 1. Cfr. tota quaest.
3 I *Ethic.*, lect. V.

§ 3

UTILITARISMI SENTENTIA REFUTATUR

Summa rerum. 1. Secunda conclusio: *Utilitarismus et Materialismus, quodlibet creatum bonum assignent pro vera hominis beatitudine, falsam tuentur sententiam.* Prob. 2. *Demonstratur minor, singula bonorum temporalium genera expendendo.* I. *Felicitas humana non est reponenda in pacifica fruitione divitiarum*— ostenditur *a)* ex natura divitiarum, *b)* ex proprietatibus verae beatitudinis, *c)* ex modo eamdem consequendi 3. II. *Nec in honore, fama vel gloria consistit humana felicitas.*—Mutuantur argumenta *D. Thomae a) b) c).* 4. III. *Nec reponenda est in potestate, seu in mundana potentia.* — Indicantur rationes. 5. IV. *Beatitudo hominis nequit constitui in bonis corporis.* Probatur multiplici genere argumentorum. 6. V. *Neque in bonis animae.* Ostenditur ratiocinatione *Sti Thomae.* 7. Scholion. 8. VI. *In nullo ergo bono creato invenitur vera hominis beatitudo.—Conditiones ad veram beatitudinem, ex quibus optime probatur praedicta conclusio et confirmantur praecedentes.*

Monere superfluum putamus nos impraesentiarum assumpsisse tantum munus dissipandi utilitarismum privatum, qui et *Egoismus* recte appellari potest, opportune acturos de Utilitarismo publico seu sociali in Jure Naturae.

1. Conclusio II. Utilitarismus et Materialismus, quodlibet bonum creatum assignent pro vera hominis beatitudine, absurdam et repugnantem sententiam tuentur.

Probatur percurrendo cum *D. Th.* singula genera bonorum. Bona creata in quibus, juxta materialistas utilitarios, est reponenda felicitas, aut sunt *bona homini extrinseca,* qualia sunt bona quae dicuntur *fortunae*, ut divitiae, honor, potestas imperandi, aut *ipsi intrinseca;* et haec, aut sunt *bona corporis,* ut sanitas, robur, pulchritudo, voluptas, aut bona *ad animum* pertinentia v. gr. scientiae, virtutes; non datur aliud genus bonorum creatorum. Atqui in nullo istorum est reponenda felicitas, secus vera germanaque beatitudinis notio et hominis natura pessumdatur; ergo Utilitarismus materialista, nisi velit rationalem hominis tendentiam et propriam beatitudinis pervertere naturam, quod absurdum est, quodlibet bonum creatum pro vera hominis felicitate constituat, falsam defendit sententiam.

2. Singula expendamus.

I. **De divitiis.** Haec opinio, quae ponit felicitatem in aliquo, quod tantum habet rationem boni utilis, scilicet pecunia, est *minus rationalis,* inquit *D. Th.*, quam quae ponit in honore et potestate[1]. Rejicitur ergo haec sententia:

a) Impossibile est ea quae essentialiter ordinantur ad aliud ut media ad finem esse ultimum finem. Atqui sic se habent divitiae. Nam aliae sunt *naturales,* ut cibus, potus, vestimenta, domus, fundus etc. quibus homini subvenitur ad defectus naturales tollendos; aliae *artificiales,* ut pecuniae, quae inventae sunt propter facilitatem commutationis ut sint quasi mensura quaedam rerum venalium: atqui divitiae naturales quaeruntur ad sustentandam naturam hominis: artificiales vero non nisi propter naturales; ergo in divitiis beatitudo hominis esse non potest[2].

b) Beatitudo in illo summo bono reponenda est, quo possesso, omnia possideantur, nihilque extra id desiderandum suppetat, nec ex ejusdem conservatione aliquod malum beato provenire possit: sed, habitis divitiis, non omnia possidentur, unde dicitur Prov. *Quid prodest stulto divitias habere, cum sapientiam emere non possit?*[3], et plerumque multorum malorum sunt causa: *Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole: divitiae conservatae in malum domini sui*[4], nam interdum cum timore possidentur et cum dolore amittuntur. Igitur haec minime cohaerent cum natura et proprietatibus verae beatitudinis.

c) Oportet quod homo per proprium actum felicitatem consequatur. In consecutione autem divitiarum maximum locum habet fortuna, unde et *bona fortunae* dicuntur. Quod si his adjunxerimus quod divitiae involuntarie amittuntur, et quod instabiles sunt et alia hujusmodi, et quod malis evenire possunt quos necesse est summo bono carere, evidens fit in divitiis summum hominis bonum non esse constitutum[5].

3. II. **Nec in honore** (idem dic de fama vel gloria) **consistit humana felicitas.**

Id verbis ipsis *S. Th.* demonstratur *a).* Scimus «felicitatem esse quoddam bonum quod est proprium ipsi felici, utpote ad ipsum maxime pertinens et quod difficile ab eo aufertur. Hoc autem non convenit honori, quia honor videtur potius consistere in actu quodam honorantis et in ejus potestate, quam ipsius etiam qui honoratur. Ergo honor est quoddam magis extrinsecum et superficiale quam bonum quod quaeritur, scilicet felicitas»[6].

b) «Felicitas est quoddam optimum quod non quaeritur propter aliud. Sed honore est aliquid melius, illud videlicet propter quod quaeritur. Ad hoc enim homines videntur honorem quaerere, ut et ipsi firmam opinionem accipiant de seipsis quod sunt boni et quod ab aliis hoc credant, et ideo quaerunt honorari a prudentibus, qui sunt recti judicii, et apud eos a quibus

---

1 Ib.
2 I-II q. II a. 1.
3 XVII, 16.
4 *Eccl.*, V, 12.
5 *Contra Gent.*, lib. III, c. 30.
6 I *Ethic.*, lect. V.

cognoscuntur qui melius possunt de his judicare, et quaerunt honorari de virtute per quam aliquis est bonus. Et sic virtus est aliquid melius honore propter quam honor quaeritur. Non ergo in honore consistit»[1].

Brevius utrumque allatum argumentum: Beatitudo est propria homini beato; sed honor magis est in honorante quam in honorato; Ergo. Honor exhibetur alicui propter aliquam excellentiam veram vel appretiatam; ergo non causat, sed subaudit excellentiam; id autem quod est propter aliud et illud subaudit non est ultimus finis; ergo honor potest quidem consequi beatitudinem[2], ut loquitur *S. Th.*, sed in honore nullatenus consistit.

c) «Id quod est summum hominis bonum oportet esse stabilissimum in rebus humanis, naturaliter enim desideratur diuturna boni constantia. Gloria autem quae in fama consistit (et definitur clara notitia cum laude) est instabilissima; nihil enim est mutabilius opinione et laude humana. Non est igitur talis gloria summum hominis bonum»[3].

4. III. **Nec reponenda est humana felicitas in potestate, seu in mundana potentia.**

Indicantur argumenta. *a)* In ea obtinenda plurimum fortuna potest, *b)* instabilis est *c)* non subjacet hominis voluntati, et *d)* plerumque malis advenit; haec autem summo bono repugnant[4]; ergo felicitas non consistit in potestate. Dein *e)* potestate possumus bene vel male uti, quod non convenit felicitati. *Sicut optimum est quod aliquis utatur bene potestate in regimine multorum, ita pessimum est, si male utatur, et ita potestas se habet ad bonum et ad malum*[5]; *f)* potestas habet rationem principii, beatitudo autem habet rationem ultimi finis[6]. Postremo, *g)* dignitates cum timore et sollicitudine possidentur, cum dolore amittuntur, nec in summo imperii vertice desiderium voluntatis expletur.

Ad rem *Boetius: Potestas humana sollicitudinum morsus expellere, formidinum aculeos vitare nequit..... Potentem censes cui satellites latus ambiunt? qui quos terret, ipse plus metuit?*[7].

Et Ecclesiastes: *Ecce magnus effectus sum, et praecessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in Jerusalem, et mens mea contemplata est multa sapienter et didici. Dedique cor meum ut sciret prudentiam*

---

1 Ib. Cfr. *Contra Gent.*, lib. III, c. 28; et legatur egregia Tullii ratiocinatio nedum adversus hedonistas sed etiam utilitarios quoslibet agentis. *Paradoxon*, I. *ὅτι μόνον ἀγαθὸν, το καλὸν.* Quod honestum sit, id solum bonum esse.

2 I-II, loc. cit. a. 2.

3 Loc. cit. *Contra Gent.*, c. 39.

4 Ib. c. 31.

5 I-II loc. cit. a. 4 ad 2.

6 Ib. in corp. a.

7 *De Consolatione*, III, Prosa V.

atque doctrinam, errores atque stultitiam, et agnovi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus..... Magnificavi opera mea, aedificavi mihi domos et plantavi vineas, feci hortos et pomaria et consevi ea cunctis generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum ut irrigarent sylvam lignorum germinantium: Possedi servos et ancillas..... armenta quoque et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem. Coacervavi mihi argentum et aurum et substantias regum ac provinciarum..... Et omnia quae desideraverunt oculi mei non negavi eis; nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his quae praeparaveram..... Cumque me convertissem ad universa opera..... vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole[1]. En communis potentissimorum regum historia. Eamdem fecere confessionem *Alexander Magnus, Darius, Caesares Romani,* eamdem, ut nostra narrat historia, *Abderrahmanus III*[2], et prudentissimus *Philippus II,* qui, agens animam, vocavit filium suum *Philippum III,* ut videret communem regum imperatorumque finem. Hinc perbelle, christiane et acute *Alphonsus Magnus,* Aragoniae rex, interrogatus quem censeret in hoc mundo felicem, *illum,* inquit, *qui vel in secundis vel in adversis Dei voluntati plenissime inhaereat et quiescat.* Nam etiam praepotentes illum statum exoptant in quo, juxta ethnicorum dictum, *secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio habeatur*[3].

Nec desunt exempla in historia Ecclesiastica vel inter ipsos qui, summi Pontificatus apicem adepti, aut Pontificatum renuntiaverint, v. gr. *Petrus Coelestinus,* ut quietius Deo vacarent et vitam feliciorem ducerent, vel, sollicitudinum pastoralium oneribus oppressi, Monachorum tranquillitatem exoptarent; ita *Eugenius IV,* antea *Gabriel Condulmerius* dictus, *Nicolaus IV, Paulus III,* et *S. Pius V,* Ord. Praed. qui mox ut creatus fuit Pontifex, expallescens et quasi horrore perfusus, *Ego,* inquit, *quandiu fui religiosus bene speravi de mea salute, factus Cardinalis coepi timere, jam creatus Pontifex pene de ea despero*[4]. Ergo in imperii potestate minime consistit vera hominis beatitudo.

6. IV. **Beatitudo hominis non consistit in bonis corporis.** Haec sunt ejus substantia, vita, vigor, pulchritudo, sanitas, robur, fruitio et delectatio in passionum satisfactione et alia hujusmodi. Sed in nullo istorum consistit vera hominis beatitudo. Prob. *a)* Haec sunt hominibus et brutis animantibus communia; beatitudo est bonum hominis proprium: *b)* Imo multa animalia, quantum ad haec bona corporis sunt

---

1 *Eccl.* I, 16 et 17, et II, 4-12.

2 Vide V. Gebhardt, *Historia general de España y de sus Indias—España Arabe,* c. XIV.

3 *Cicer. Tuscul.*, lib. V, 10.

4 Cfr. Cornel. a Lapid. in *Eccl.*, c. XXXII, 2. et in *Apocalypsim*, c. III, v. 1. ubi plura affert hujus generis exempla.

homini potiora; quaedam enim sunt velociora homine, quaedam robustiora; *c)* sunt etiam justis et injustis communia; *d)* sunt instabilia et voluntati non subjacent: *e)* Anima est melior corpore quod non vivit, nec praedicta bona habet nisi per animam. Bonum igitur animae, sicut intelligere et alia hujusmodi, est melius quam bonum corporis. Non est igitur corporis bonum summum hominis bonum[1]: *g)* Corpus et ea quae corpori insident sunt propter animam et ad animam ordinantur sicut ad finem. Pugnat autem cum ratione ultimi finis esse propter aliud et ulterius ordinari; ergo nec corpus nec bona corporis sunt ultimus humanae vitae finis.

7. V. **Sed neque in bonis animae reponenda est hominis beatitudo.**

Haec bona possunt esse ipsa anima, scientiae vel virtutes ejus. Quod autem non consistat in his vera hominis beatitudo probatur consimilibus argumentis quae ad supradictas propositiones ostendendas hucusque adhibita fuere.

Et quidem de ipsa anima satis constat, cum non sit sibi sufficiens, sed indigeat facultatibus plurimis. At virtutes, scientiae, et si quae alia sint inhaerentia animae, sunt propter ipsam animam et ad animae perfectionem ordinata; sunt limitata et particularia bona; ergo non possunt totaliter explere desiderium et capacitatem voluntatis.

Illustratur propositio verbis et ratiocinatione *S. Thomae:* «Si loquamur de ultimo fine hominis quantum ad ipsam rem quam appetimus sicut ultimum finem, impossibile est quod ultimus finis hominis sit ipsa anima, vel aliquid ejus. Ipsa enim anima in se considerata est ut in potentia existens; fit enim, de potentia sciente, actu sciens, et de potentia virtuosa, actu virtuosa. Cum autem potentia sit propter actum sicut propter complementum, impossibile est quod id quod est secundum se in potentia existens habeat rationem ultimi finis. Unde impossibile est quod ipsa anima sit ultimus finis suipsius; similiter etiam neque aliquid ejus, sive potentia, sive actus, sive habitus. Bonum enim, quod est ultimus finis, est bonum perfectum complens appetitum. Appetitus autem humanus qui est voluntas, est boni universalis: quodlibet autem bonum inhaerens ipsi animae est bonum participatum et per consequens particulatum. Unde impossibile est quod aliquod eorum sit ultimus finis hominis»[2].

In his animae bonis, praesertim in sapientia aliisque habitibus intellectualibus sive moralibus, plures, ut Stoici, vitam beatam collocarunt; hinc sapientem, licet innumeris doloribus, vel ipsa quoque premeretur morte, beatum praedicabant, quoniam ipsis, praeter sapientiam, nulla erant bona, sicut nec mala praeter vitium, sed solum *naturae incommoda*. Hos sapienter car-

1 Haec ad litteram S. Th. *Contra Gent.*, lib. III c. 32.
2 I-II, q. II a. 7.

pit *Augustinus*. Nam cum *asseverant etiam in Phalaridis tauro beatum esse sapientem coguntur fateri vitam beatam aliquando esse fugiendam. Exaggeratis enim malis corporis cedunt atque in eorum molestiis gravissimis abscedendum ex hac vita esse decernunt. O nimium superba jactantia! Si beata vita est in cruciatibus corporis, cur non in ea manet sapiens, ut fruatur? Si autem misera est, quid, obsecro te, nisi typhus impedit ne fateatur*»[1].

8. **Scholion.** Ad vitandas aequivocationes, haec, quae jam supra tradidimus, prae oculis habenda sunt, scilicet, finem ultimum dici dupliciter: *rem ipsam,* quam adipisci desideramus, et *adeptionem illius rei. Res ergo ipsa,* inquit Angelicus, *quae appetitur ut finis, est id in quo beatitudo consistit et quod beatum facit, sed hujus rei adeptio vocatur beatitudo. Unde dicendum est quod beatitudo est aliquid animae, sed id in quo consistit beatitudo est aliquid extra animam*[2].

9. VI. **In nullo ergo bono creato consistit vera hominis beatitudo.** Haec conclusio est praecedentium corollarium. Sed placet illam perlustrare adducendo conditiones quibus vera et perfecta beatitudo praedita esse debet et quae plurimum deserviunt ad expositam doctrinam corroborandam. Quatuor adducit ***D. Thomas.***

Prima est «quod, cum beatitudo sit summum hominis bonum, *non compatitur secum aliquod malum. Secunda,* cum de ratione beatitudinis sit quod sit per se sufficiens, *hoc est necesse quod, beatitudine adepta, nullum bonum necessarium homini desit. Tertia,* cum beatitudo sit bonum perfectum, *ex beatitudine non potest aliquod malum alicui provenire. Quarta,* quod *ad beatitudinem homo ordinatur per principia interiora,* cum ad ipsam naturaliter ordinetur[3]. Jam vero, si has quatuor conditiones singulis bonis creatis, imo et omnium collectioni, applicemus, evidens est nulli eorum sive sigillatim sive collectim posse veram rationem beatitudinis convenire.

Insuper, felicitas ea in re consistit quae in se habet totam rationem boni et explet desiderium voluntatis: atqui nulla res creata continet totam rationem boni, quia, eo ipso quod est creata, est finita, limitata et bona tantum ex parte, vel, ut dicit Angelicus, est *bonum particulatum;* ergo in nullo bono creato consistit vera hominis felicitas.

Denique, sit ultimum argumentum illud egregium *S. Thomae: Cum beatitudo sit perfectum et sufficiens bonum, oportet quod desiderium hominis quietet et omne malum excludat. Naturaliter autem homo desiderat*

1 *Epist.* LII, c. 1. n. 2.

2 I-II, loc. cit. in corp. a.

3 Ib. a. 4. Hinc peroptima est illa Sti. Th. beatitudinis definitio: *Perfectum et sufficiens bonum omne malum excludens et omne desiderium implens.*

retinere bonum quod habet et quod ejus retinendi securitatem obtineat, alioquin necesse est quod timore amittendi vel dolore de certitudine amissionis affligatur[1]. Objectum ergo verae felicitatis debet esse inamissibile; ajente namque ***Tullio,*** vita beata, si amitti potest, jam beata esse non potest. Atqui bona omnia creata certo amitti possunt; ergo in his temporalibus et caducis bonis non est quaerenda felicitas.

§ 4

REFELLITUR PROGRESSISMUS[2]

Summa rerum. 1. *Praenotamen.* 2. *Conclusio tertia: Vera hominis beatitudo non consistit in progressu indefinito humanitatis, nec in accessu ad Absolutum, neque in plena perfectaque evolutione omnium facultatum hominis.*—Prob. *a) b) c) d) e).*

1. In antecessum observabimus Pantheistas omnes in hoc convenire: *a)* non esse statutum homini aliquem determinatum finem, cujus possessio primo et directe ipsum beatum reddat, sed hominem, uti purum medium, ad perfectam humanitatem producendam secundum se totum ordinari; *b)* ad hanc jugi evolutione *unius absolutae Voluntatis, Ideae* vel *Infiniti,* cuncta confuse continentis individua, perpetuo tendendum esse; *c)* homines, quatenus entia moralia, cum illa unica *Entitate,* quae *Humanitas* (in Sociologia *Status)* dicitur, plene identificari, quemadmodum entia physica mundana nihil aliud sunt quam modificationes illius unicae *Substantiae vel Entis* realiter existentis.

2. **Conclusio III. Vera hominis beatitudo non consistit in progressu indefinito humanitatis, nec in accessu ad infinitum, nec in perfecta evolutione omnium facultatum hominis.**

Probatur breviter contra *Kantianos, Naturalistas, Pantheistas et Krausistas.*

a) Ultimus finis seu vera hominis beatitudo debet esse *propria hominis,* et *non tantum speciei,* cum beatos singulos hominis efficere opus sit, et *possibilis adeptu;* atqui progressus indefinitus humanitatis versus illius culturam et perfectionem nec est proprius hominis, nec adeptu possibilis, siquidem omnes homines extremum diem claudunt quin decantatum istum progressum videant, nec videri fas sit, tendit enim

1 I-II, q. V, a. 4.

2 Cfr. Minteguiaga, *La Moral Independiente,* c. III, a. 6; Willems, *Psychologia,* loc. cit. c. II; Farges et D. Barbedette, *Cosmologia,* lib. IV, c. III, a. 2.

genus humanum in perfectionem et culturam jugi et fatali evolutione *nunquam plene possidendam*, ut loquitur *Kantius;* Ergo.

b) Cum homo stricto naturae officio teneatur in finem ultimum tendere necesse foret, data sententia quam expugnamus, quod omnes omnino homines omnibus scientiis et humanis artibus vacarent. Quod quis nisi amens affirmare audebit?

c) Quoniam «non est abire in infinitum in appetitu naturae, quia desiderium naturae frustraretur, cum non sit possibile pertransire infinita» [1], et «ultimus finis hoc modo se habeat in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens» [2], evidenter infertur quod nec in progressu indefinito, nec in accessu ad infinitum, sita est vera hominis beatitudo, sed in possessione boni perfecti; in hac enim theoria necessario removetur ultimus finis, consequenter nec voluntas moveri inciperet, et sic nullus esset motus appetitivae virtutis.

Ad rem Angelicus, uti jam alibi scriptum relinquimus: «In omnibus agentibus propter finem, hoc esse ultimum finem dicimus ultra quod agens non quaerit aliquid; sicut actio medici est usque ad sanitatem, ea vero consequuta, non conatur ad aliquid ulterius. Sed in actione cujuslibet agentis est venire ad aliquid ultra quod agens non quaerit aliquid. Alias enim actiones in infinitum tenderent, quod quidem est impossibile, quia cum infinita non sit pertransire, agens agere non inciperet; nihil enim movetur ad id ad quod impossibile est pervenire» [3].

d) Humanitas in cujus cultura et perfectione, nunquam plene possidenda, Pantheistae finem ultimum hominis reponunt est abstractum figmentum seu ens rationis. Substituunt igitur propriae hominis personalitati ens quoddam nulla reali entitate pollens; jure ergo in crimen vertitur pantheismo progressistae quod humanam dignitatem offendat et fini naturali et accessibili cuilibet homini finem impossibilem substituat [4]. Inde Pessimistarum desperatio.

Postremo, *e)* impossibilis quoque dicenda est completa omnium facultatum hominis perfectio seu evolutio, siquidem, ajente Angelico Praeceptore, «*hoc in omnibus animae potentiis invenitur, quod quando una potentia in suo actu intenditur, alia vel debilitatur in suo actu vel totaliter abstrahitur*» [5]. Huic autem invictissimo conscientiae testimonio, quo

---

1 *Contra Gent.*, lib. III, c. 25. 2 I-II, q. I, a. 6.

3 *Contra Gent.*, lib. III, c. 2.

4 «La humanidad en su desarrollo y en su historia, dice Schelling, es una evolución del *Absoluto* bajo distintas fases». Cfr. Reyes Ruiz, loc. cit.

5 *De Verit.*, q. XIII. a. 3. Cfr. *Contra Gent.*, lib. III, c. 48.

probatur impossibilitas perficiendi simul omnes omnino facultates animi, nefas est refragari. Praecedentibus adde, progressum, jugem evolutionem seu perfectionem facultatum, esse quid animae, quid subjectivum ad hominem pertinens ipsique inhaerens; repugnat autem beatitudinem esse quid animae, ut supra demonstratum relinquimus; ergo Naturalismus pantheisticus et progressistarum systema erroneam proculdubio defendunt sententiam. Et de his satis ad tyronum disciplinam.

Articulus II

Communitur vera sententia

Summa rerum. 1. *Thesis: Beatitudo hominis in solo Deo collocari potest.* 2. *Probatur ex natura et objecto voluntatis.* 3. *Notanda circa praecedentem argumentationem.* 4. *Prob. quoque ex ratione primae causae et ultimi finis.* 5. *Item, experientia.* 6. *Corollarium.* 7. *Ad solvendas difficultates quaedam notatu digna.*

1. Quandoquidem in superiori demonstravimus adversus tria illa repugnantia systemata, *hedonismum, materialismum et naturalismum pantheistam,* nullo bono creato posse hominem beari, superest ut in solo Deo beatitudo hominis collocari possit. Sit igitur

Thesis: Vera et perfecta felicitas *objectiva* hominis solus Deus est.

Haec conclusio est praecedentium corollarium. Etenim cum inter finitum et infinitum non sit invenire medium, et necesse sit voluntatis desiderium expleri, legitime et evidenter infertur beatitatem in solo Deo reponendam esse, cum alia, praeter ipsum, sint finita et limitata. Sed amplius, ob rei momentum, confirmari meretur nostra propositio [1].

2. Et primo quidem *ex natura et objecto ipsius voluntatis.* Id enim quod desiderium voluntatis satiare atque ejusdem expansioni respondere potest est summum seu universale bonum. *Sed bonorum summa Deus nobis est, Deus est nobis summum bonum: Neque infra remanendum nobis est neque ultra quaerendum,* ut loquitur ***Magnus Augustinus,*** *al-*

1 Cfr. González, *Estudios,* lib. VI, c. 3; Weiss, *Apolog. Confer.* VIII, n. 8 y sig.; *Philosophi et Theologi* passim.

terum enim periculosum, alterum nullum est[1]. Ergo solus Deus potest hominem perfecte beare. Minor constat. Major explicatur.

Ita namque intellectus et voluntatis objecta sibi mutuo respondent ut utriusque potentiae objectum non particulari loco, tempore, natura coarctatum, sed universale sit oportet, ut praedictae potentiae a sensu et facultate appetitivo-sensitiva distinguantur. Ergo sicut intellectus verum universale respicit tanquam terminum suae expansionis, ita bonum universale, id, est quod totam rationem boni continet, debet esse terminus voluntatis, quo possesso, plene quiescat ab eoque recedere non possit; quod objectum solus Deus est. Hinc scite concludit ***Cajetanus*** *voluntatem a Deo possesso averti non posse quia ab ejus immensa bonitate undique circumdatur.*

Tota praecedens argumentatio est Angelici Praeceptoris ajentis: «Beatitudo est bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum, alioquin non esset ultimus finis si adhuc restaret aliquid appetendum. Objectum autem voluntatis, quae est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet nihil posse quietare voluntatem hominis nisi bonum universale, quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde solus Deus potest voluntatem hominis implere secundum illud Ps. CII. 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum*»[2].

3. Caute nota. *a)* Cum diximus objectum voluntatis esse bonum universale quemadmodum objectum intellectus verum, non sic accipias velim ut plena, totalis et adaequata sit comparatio. Valet enim *quoad rem* tantum, id est, quod sicut objectum intellectus non est hoc vel illud verum, sed omne ens quod habet rationem veri, ita objectum voluntatis non est *hoc* bonum, divitiae, v. c., aut scientia, sed omne omnino bonum. Non valet tamen comparatio *quoad statum* seu *modum,* quoniam ex ipsa natura potentiarum dignosci potest differentia; objectum enim intellectus est verum *abstractive,* sed voluntatis *bonum reale,* quia tendit ad rem ipsam.

b) Item, non te praetereat bonum universale, quod dicitur objectum voluntatis, sumi posse dupliciter, *materialiter,* hoc est, nullum esse bonum quod ciere et allicere voluntatem non possit, et *formaliter,* quatenus voluntas nata est moveri ab ipsa ratione boni *absolute* considerata et non contracta ad hoc vel illud bonum. Utroque autem modo concludit argumentum allatum. Nam facultas, quae habet pro objecto omne bonum *materialiter,* non potest satiari in aliquo particulari bono, seu in aliquo finito; et iterum, cum tota et absoluta ratio boni solum in Deo, summo bono, reperiatur, nam alia a Deo sunt bona ex parte, consequens est quod voluntas, cujus objectum est bonum universale *formaliter,* unice in Deo felicitatem perfectam inveniat.

---

1 *De mor. Eccl.*, lib. I, c. VIII. 2 I-II, q. II, a. 8.

c) Circa praefatum *D. Th.* argumentum animadverte, ut nonnullas praevenias difficultates, Deum esse universale bonum *in essendo*, non *in praedicando;* nam ut opponitur bono universali *in praedicando* est bonum *particulare*, non tamen *particulatum*, ut scite *D. Thomas* appellat bonum quodlibet finitum et creatum.

Apposite in universam *S. Th.* argumentationem *Cajetanus:* «Sensus, inquit, est quod sicut objectum intellectus est verum universale, id est, non contractum ad tale vel tale verum, sed absolute; ita objectum voluntatis est bonum universale, id est, non contractum ad tale vel tale bonum, sed absolute; et si huic fuerit adjuncta subintellecta differentia inter bonum et verum ex 6. *Metaph.*, scilicet quod verum et falsum sunt in anima, bonum autem et malum in rebus, sequitur quod in illa re sola erit beatitudo nostra quae est objectum voluntatis humanae in quo est bonum absolute; ac per hoc in solo Deo est, quia in ceteris non est bonum nisi contractum» [1].

Consimili ratiocinatione utitur *S. Bonaventura* ad id, quod in nostra propositione asserimus, ostendendum. En ejus verba: «Cognitio animae rationalis est cognitio non arctata; unde nata est quodammodo omnia cognoscere; unde et non impletur cognitio ejus aliquo cognoscibili, nisi quod habet in se omnia cognoscibilia, et quo cognito, omnia cognoscuntur. Similiter affectio ejus nata est diligere omne bonum: ergo nullo bono sufficienter finitur affectus, nisi quod est bonum omnis boni, et quod est ad omnia in omnibus... hoc autem est summum bonum. Ergo. Similiter nihil sufficienter finit animam, nisi bonum infinitum. Quia, ad hoc quod finiatur, necesse est ipsam finiri secundum existimationem, alioquin non esset beata nisi se existimaret beatam. Existimatio autem supergreditur omne finitum, quia omni finito potest majus cogitari aliquid. Ergo cum affectio posset se extendere, ubi est existimatio, necessario affectio animae supergreditur omne finitum; et si haec nullo bono finito sufficienter finitur, fruendum est ergo solo Deo, quia summum bonum et infinitum» [2].

4. Secundo probatur ex *ratione primae causae et ultimi finis.* Ultimus finis est ultima perfectio rationalis naturae, ut dictum est. *Res* autem, ajente Angelico Praeceptore, *complentur et firmantur per conjunctionem ad suum principium* [3]. Ex quibus sic licet argumentari. Res tanto magis perficiuntur et meliorantur quanto magis accedunt ad suum principium. Atqui Deus est immediatum principium animae humanae; ergo ultima perfectio seu beatitudo rationalis creaturae consistit in unione cum Deo.

Vel paulo aliter. Omne ens est totum essentialiter a Deo; ergo est totum essentialiter Dei tanquam proprietas et servus: ergo est totum essentialiter pro Deo, hoc est, Deus est ultimus finis absolute

1 In I-II, q. II, a. 7 et 8. § Ad hoc dicitur. 2 In I *Sent.*, Dist., I, a. 3, q. 2.
3 IV *Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 1.

omnium suo modo ab unoquoque attingendus; ergo est etiam ultimus finis hominis attingendus cognitione et amore. Atqui finis ultimus absolute, seu ultra et praeter quem nihil homini desiderandum remanet, est vera et perfecta beatitudo objectiva. Ergo.

5. Probatur etiam *experientia.* Tanta est humanae voluntatis capacitas seu appetitus rationalis cupiditas ut nunquam expleri et satiari in possesione cujusque boni creati, imo nec in omnium possibilium collectione, queat; omnes siquidem experimur, propriis rebus haud contenti, ampliora in dies desiderare. Id autem aperte manifestat animam nostram a Deo immediate creatam nonnisi in Deo, omnium bonorum causa, posse ultimatim requiescere. Hinc praeclarum illud ***Sti. Augustini*** dictum, intima uniuscujusque historia firmatum: *Fecisti nos* (Domine) *ad te; et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*[1].

6. **Corollarium.** Si ergo Deus est omnium bonorum summa, summum nobis bonum et finis desideriorum nostrorum, in omnibus actionibus nostris *ipse quaeratur,* concludimus cum ***Sto. Augustino,*** *ubi nobis secura sunt omnia, ipse cernatur ubi nobis certa sunt omnia, ipse diligatur ubi nobis recta sunt omnia*[2]. *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium? Erubescant,* inquit ***Angelicus,*** *qui felicitatem hominis tam altissime sitam, in infimis rebus quaerunt*[3].

7 Ad enodandas difficultates quae adversus praefatam conclusionem solent afferri sequentia prae oculis sunt habenda. *a)* Quamvis appetitus rationalis sit *subjective* finitus, utpote inhaerens animae cujus est facultas, quaeque pariter *subjective* seu *entitative* finita est, *objective* tamen est infinitus. Ut enim ipsemet Aquinas scribit: «Bonum creatum non est minus quam bonum cujus est homo capax ut *rei intrinsecae et inhaerentis,* est tamen minus quam bonum cujus est capax *ut objecti,* quod est infinitum»[4]. Unde bonum quod intrinsece et inhaesive potest ab appetitu adquiri respondet internae et subjectivae capacitati potentiae; est ergo finitum; sed bonum quod *terminative* potest attingere, infinitum sit oportet.

b) Quamvis non sit proportio *entitatis* seu *commensurationis* vel *quantitativa,* ut quidam loquuntur, inter finitum et infinitum, inter voluntatem humanam et Deum, adest tamen proportio *habitudinis* exurgens ex ordine quo homo refertur ad Deum tanquam ad suum finem. *Commensurationis* esse nequit, quoniam haec proportio non datur nisi inter res convenientes in eadem natura, quae diversissima est in Deo et creaturis.

c) Licet nulla esset inter Deum et voluntatem humanam proportio, nullum inconveniens reperitur in hoc quod voluntas attingat Deum infini-

---

1 *Confes.*, lib. I, c. 1. 2 *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 5.

3 *Contra Gent.*, lib. III, c. 5.

4 I p., q. II, a. 8 ad 3. «Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam et toto affectu inhaeret illi». S. Aug. *De doctr. christ.*, lib. I, c. 22.

tum, cum *finito modo* ipsum apprehendat, hoc est, modo convenienti suae naturae: ut enim fert effatum: *Modus agendi sequitur modum essendi*, vel: *Modus actionis est secundum modum formae agentis* [1].

d) Notandum pariter Deum, licet indivisibilem, non omnes aequaliter beare, totus quidem possidetur, a diversis tamen pro diversitate capacitatis, hoc est, *totus* possidetur sed *non totaliter;* idem est objectum pro omnibus, sed diversus modus illud attingendi;

e) Deum ipsum esse objectum beatitudinis divinae *essentialiter*, beatitudinis humanae per *participationem*.

f) Denique, Deum esse objectum beatitudinis *totius* hominis, non tamen ex aequo, sed *principaliter* animae, *secundario* et *mediate* corporis.

Haec, si accurate considerentur, satis sunt ad quaslibet objectiones in praesenti materia solvendas, idcirco ab illas sigillatim adducendis supersedemus.

QUAESTIO III

DE

BEATITUDINE FORMALI [2].

Discussis, praeeunte Angelico Doctore, his quae ad beatitudinem objectivam spectant, de ipsius adeptione seu de beatitudine formali nunc disputemus oportet. Tota vero quaestio in duos articulos commode dispesci potest, cum duo hic philosophi investigare consueverint, scilicet: 1) *In quo essentialiter consistat beatitudo formalis*, et 2) *an possit haberi in hac vita*.

---

1 I p., q. LXXXIV, a. 1.

2 Cfr. D. Th. I *Ethic. lect.* I; IV *Metaphys., lect.* IX; I *Sent. Dist.* I, q. I, a. 1; III *Sent. Dist.* XXXIV. q. I, a. 5; ib. q. XLIX, q. I, a. 2; *Quaest. Disp. De Verit.* q. I, a 5; ib. q. VIII, a. 19; *Contra Gent.*, lib. III, ce. 25-37; I-II, q. III, aa. 1-8; *Supplem.* q. XCV, a. 2; De Marinis, loc. cit. q. V; Suarez, De *ultimo fine hominis, Disp.* VI et VII; Paulus a Concept. *Tract.* VIII, *Disp.* II; Andreas a Cruce, *Disput.* XVIII; Joan. Bapt. Gonet, O. P. *Clypeus Theolog. Thomisticae*; (ed. L. V. Parisiis 1876) II p. *Tractatus* I, *Disp.* III, a. 1 et 2.; Salmanticenses, *Tract.* IX, *Disp.* I. Dub. I-IV; Joan. a S. Thoma, O. P., *Cursus Theologicus*, t. IV (ed. Coloniae Agrippinae, 1711). *De ultimo fine, Disp.* II, a. 1-4; Petrus Dens, *Theologia, tract. de Actib. hum.* q. III n.° 7. Wirceburgenses, S. J. *Theolog. Dogm.* etc. t. V. (ed 3.ª Parisiis 1880) *De beatitudine* c. I, a. 1; Ant. Goudin, *Philos. Thomistica, Tertia pars. Philos. Ethica seu Moralis* q. I, a. 3; A. Arendt, *Filosofia Moral*, c. I, § 2, n. 12-16.; Costa Rossetti, *Philosophia Moralis seu Institut. Ethicae et Juris Naturae*, p. I, c. I. sect. III. § 1; Liberatore, *Ethic.*, c. I, a. 2; Zigliara, *Ethica*, c. II, a. 5; Mancini, *Ethica*, q. I, a. 3; Meyer, *loc. cit.* § 2; Chr. Pesch, *Praelectiones Dogm.* t. III. Tract. II, sect. I, a. 2.; Emmanuel de Castro Alonso, *Institutiones Theologiae Scholastico-Dogmaticae* (Vallisoleti 1894), Tract. *De Novissimis*, sect. I, c. VI, a. 2; Cathrein, *Philosophia Moralis generalis*, c. I, a. 3; Willems. *Psychologia*, lib. III. c. III, Scholion. II.; Ferretti, *Institutiones Philosophiae Moralis*, n. 25.; A. Farges et D. Barbedette, *Ethica Gen.* lib. I, c. I. a. 2, § 2.

Articulus I

De essentia beatitudinis subjectivae.

§ 1

PROPONUNTUR VARIAE PHILOSOPHORUM SENTENTIAE.

Summa rerum. *1. Status quaestionis. 2. Sententiae.—Henr. Gandavensis.—Divi Bonaventurae.—Bonae Spei.—Scoti.—Suarez.—Sti. Thomae.*

1. Beatitudo formalis dupliciter considerari debet, scilicet: quoad *essentiam* et quoad *statum*. Beatitudo quoad *statum* complectitur omnia quae hominem beatum faciunt, sive sint essentialia sive accidentalia, concurrant aut subsequantur; quo sensu definitur a Boetio: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Dicitur 1) *status* ad designandam firmitatem beatitudinis: est enim possessio eorum quae nunquam sunt amittenda. Additur 2) *perfectus* ad demonstrandam plenam desideriorum satisfactionem; per illam quippe totaliter expletur capacitas voluntatis humanae. Ponitur denique 3) *omnium bonorum* quia necesse est illa omnia possidere quae naturae rationali conveniunt; si enim aliquid homini deesset in illo statu, non foret perfecte beatus.

Beatitudo quoad *essentiam* illud dicitur quod inter omnia, quae ad beandum hominem concurrunt, est primum et radix eorum quae consequuntur et concomitantur. Nam in composito ex pluribus resultante investigari potest quodnam sit illud quod *primo* concurrit ad talem aggregationem et quod fundamenti seu principii vices faciat, ita ut ab eo cetera dependeant. Aliis verbis: beatitudo quoad essentiam est *ille actus quo primo attingitur et consequitur beatitudo objectiva,* seu actus, quo posito, eo ipso necesse est hominem beatitudine perfrui. *Quo ergo actu, vel actibus, et cujus facultatis, beatitudinem objectivam consequimur?* En quaestio.

2. Hac in re sex circumferuntur apud auctores sententiae.

1.ª *Henricus Gandavensis*[1] tenet beatitudinem formalem non esse aliquid creatum, sed essentialiter consistere in *illapsu* divinitatis in essentiam animae antecedenter ad omnem operationem vitalem; nam actus supervenit unioni jam factae per illapsum essentiae divinae in animas beatorum, tanquam complementum vel proprietas; unde anima fit beata

[1] *Quodlib* XIII, q. XII. Hanc sententiam immerito impositam fuisse Henrico Gandavensi opinatur Vazquez; videantur Salmantic. oppositum sentientes q. III, Disp. I, Dub. I, §. 3.

non operatione propria, sed recipiendo in se divinitatem, eo simili modo quo in hac vita recipit gratiam, qua vivit vitam supernaturalem. Nomen autem *illapsus* importat ingressum unius substantiae intra terminos alterius et quemdam quasi descensum ad intima usque illius. Debet proinde res quae *illabi* dicitur esse aliquo modo superior [1].

2.ª Alii docent beatitudinem formalem consistere *in habitu deificante naturam seu essentiam animae et perficiente potentiam ad actus vitae beatae eliciendos.* Cum autem praedictus habitus sit infusus patet animam se habere in consequenda beatitudine quasi mere passive; esset ergo beata primo et formaliter non per actum sed per infusionem et continuationem illius visionis Dei sese offerentis animae. Haec sententia quae reponit nempe beatitudinem formalem in habitu, non exclusa operatione, tribuitur *Sto. Bonaventurae* [2]. Sed logice illam tenentur amplecti qui cum *Janduno, Paulo Veneto* et *Aegidio* affirmant nullam intellectionem procedere ab intellectu in genere causae efficientis, ideoque in beatitudine formali intellectum mere passive se habere.

3.ª Sententia, praecedenti haud dissimilis, defenditur a *Francisco Bonae Spei, Carmelita Antiq. Observantiae,* quem praeiverat *Joannes de Ripa.* Tenent autem praefati auctores *unionem beatificam fieri per ipsam actionem Dei increatam communicatam creaturis,* ita ut intellectus videat quidem proprio intellectu Dei essentiam, sed actione illa increata. Quem dicendi modum Pantheismi nota suggillat *Card. Zigliara* [3].

4.ª *Scotus* opinatur beatitudinem formalem *in solo actu voluntatis* diligentis Deum amore amicitiae, vel fruentis illo, esse reponendam [4]. Ab hac communi Scotistarum opinione recedit hodiernus scriptor *P. Gabriel Casanova O. M.* († 1912), qui, verbo, suam explicans sententiam ait: «beatitudo consistit formaliter tam in actu voluntatis quam in actu intellectus; sed in actu intellectus residet *inchoative*, in actu voluntatis *completive;* in primo incipit, in secundo consummatur. Idcirco principalis beatitudinis actus est fruitio, at non quia ab essentia felicitatis abhorreat cognitio, quae etiam est coëlementum essentiale humanae beatitudinis, sed quia fruitio est nobilissimus animae actus» [5]. Probaverat autem hanc suam sententiam inquiens: «Visio intellectualis, secluso amore, nullam praesefert fruitionem, et voluntatis fruitio sine cognitione nequaquam datur. Certum praeterea est beatitudinem complecti immediatam intellectus intuitionem et completam voluntatis fruitionem... Hinc beatitudo, quae suprema hominis perfectio est, ad utramque facultatem essentialiter pertinere debet. Nam beatitudo consistit in perfecta entis beatificabilis cum objecto beatifico seu cum Deo unione, quae fieri debet secundum eas potentias quae conjungi possunt cum supremo Creatore; secus ex tali unione non proflueret felicitas hominis, aut, si magis placet, animae humanae, sed unius facultatis dumtaxat. Potentiae autem humanae Deo unibiles sunt voluntas et intellectus [6]; ergo».

1 Salmantic. ib. §. 1.
2 IV *Sent.* Dist. XLIX, q. I, ad ultimum.
3 *Ethic.* lib. I, c. II, a. 5.
4 IV *Sent.* Dist. XLIX, q. III.
5 *Ethica Generalis* c. IV, a. 2.
6 Ib.

Sed hoc, meo quidem judicio, est ludere in ambiguo et punctum quaestionis non attingere, ut ex dicendis patebit.

5.ª Plures e Societate Jesu theologi et philosophi cum *Suarez* [1] rentur *tam actum intellectus quam voluntatis essentiam beatitudinis subjectivae quasi ex aequo constituere.* «Quae quidem adeptio summi boni, inquit *P. Math. Liberatore,* obtinetur exercitio harum facultatum quae tantum objectum respicere possunt et rationalis animi sunt propriae. Haec autem sunt intellectus et voluntas, quarum prior perfecta cognitione illud contemplatur, altera ardenti amore eidem adhaereat» [2]. Et *Julius Costa-Rossetti,* ex eadem familia, sequentem pertentat demonstrare thesim [3]: «Essentia beatitudinis perfectae in cognitione Dei perfecta per intellectum et in perfecto amore Dei consistit».

Sententiae quae tenet non unum tantum sed plures concurrere actus ad essentiam beatitudinis suffragatur Noster Joan. Bachon, *Doctor Resolutus* appellatus [4].

6.ª Thomistae, duce Angelico Praeceptore, cum pluribus extraneis, ut *Vazquez, Lessius, Conimbricenses, Fonseca, Sylvius, de Aguirre, Cosmas Alamannus,* et *Felix Amat* affirmant operationem voluntatis diligentis Deum et fruentis illo esse quidem attributum consequens beatitudinem obtentam et necessario ad ipsam perfecte complendam spectans, verum *essentiam beatitudinis subjectivae non in pluribus actibus,* sed *in solo actu intellectus videntis Deum,* non propriis viribus, sed lumine gloriae mediante, consistere [5]. Hanc nostram sententiam tuentur ex recentioribus, praeter *Signoriello, Zigliara, Hieronym. M. Mancini* et omnes *Thomistas,* cl. *Sanctus Schiffini, Victor Cathrein,* et novissime *P. Christianus Pesch. S. J.* [6].

---

1 *Disp.* VII, sect. II; idipsum docet Valentia, *Disp.* I, q. III.

2 *Ethica,* c. I, *prop.* XIV; verum in editione 8.ª quam nunc prae manibus habeo, c. I, n. 21, in Sti. Thomae sententiam devenit.

3 *Philos. Moralis,* p. I, c. I, Thesis XII.ª Cfr. Tongiorgi, *Compend.* lib. I, c. I, a. VII.

4 In IV *Sent. Dist.* XLVI. a. 2.

5 S. Th., I-II, q. III, a. 4; et *Contra Gent.,* lib. III, c. 26; Salmantic. loc. cit. *Disp.* I, Dub. I-IV; Andreas a Cruce, *Disp.* XVIII.

6 S. Schiffini, *Ethic. Generalis,* sect. IV, *Disp.* I; Cathrein, *Philos. Mor. Gener.,* p. I, c. I, a. 3. Pesch, loc. cit. sect. I, a. 2, n. 449-452; Ferretti referens praefatas sententias, postquam expendit S. Th. argumentum et adversantium responsionem «animadvertatur, inquit, S. Th. aliosque auctores loqui expresse de beatitudine *supernaturali.* Jam vero in beatitudine supernaturali cognitio beatifica est *visio intuitiva* ipsius Dei: intueri autem Deum est ipsum possidere seu arripere intellectualiter. In naturali autem felicitate cognitio beatifica foret cognitio tantum abstractiva; nec tam clare intelligimus, quomodo dici possit quod per eam mens vere possideret seu arriperet Deum. Hinc non desunt auctores qui existiment probabiliorem esse sententiam Sti. Thomae si sermo sit de beatitudine supernaturali; et si de naturali felicitate agatur, censent essentiam beatitudinis statuendam esse in actibus intelligentiae simul et voluntatis; multi tamen sunt auctores qui arbitrantur argumenta D. Thomae valere non solum de beatitudine supernaturali sed etiam de naturali». loc. cit. c. I. a. 2, n. 33; Cfr. R. P. Philippus a SS. Trinitate, C. D., *Disputationes in* I-II, D. Thomae, (Lugduni 1654) Disp. V, Dub. III, et IV. ubi ostendit beatit. formalem, quae haberi potest in hac vita, physice consideratam consistere in actu intellectus.

§ 2

DEFENDITUR VERA SENTENTIA VARIISQUE DIFFICULTATIBUS OCCURRITUR

Summa rerum. 1. *Punctum quaestionis.* 2. Thesis I: *Beatitudo formalis non consistit essentialiter in habitu vel potentia aliqua, sed in quadam,* ut dicit Philos. *ἐνέργεια, activitate seu operatione.* Prob. 3. *Dices – Instabis.* 4. Thesis II: *Illa operatio... non est multiplex, sed una.* Prob. 5. Thesis III: *Haec unica operatio... sensus esse nequit. – Tria notanda.* – Prob. 6. Thesis IV: *Essentia beatitudinis formalis reponenda est in actu perfectissimo mentis humanae.* Prob. 7. Thesis V: *Actus praestantissimus in quo formaliter consistit beatitudo subjectiva est actus intellectus.* Prob. 8. Thesis VI: *Essentia beatitudinis subjectivae non consistit formaliter in actu voluntatis.* Prob. 9. *Nota.* 10. 11. Thesis VII, *Objectiones. – Intellectus voluntatisque comparatio quoad suam perfectionem modumque operandi.* 12. *Corollarium.*

1. Memorata ***Div. Thomae*** Thomistarumque sententia sequentibus propositionibus declaratur et insimul aliae rejiciuntur. Ne tamen *elenchi ignorantiam* offendamus, ut pluribus hac in re contingit, iterum notamus quaestionem non esse de beatitudine *quoad statum,* sed *quoad essentiam.* Aliter: duplex est essentia alicujus rei, *physica* nempe et *metaphysica.* Prima est complexus horum omnium quae ad rem integrandam et complendam concurrunt. Metaphysica est illud quod inter haec plura concipitur ut primum et radix aliorum quae consequuntur, quo posito, res ponitur et ab aliis secernitur. Porro totius quaestionis cardo vertitur in determinando, non quidem *essentiam physicam* beatitudinis formalis, sed *metaphysicam,* illum scilicet actum vel quidquid sit, quo posito, Deus primo attingitur et possidetur. Egregie ***Joan. a S. Th.*** «Principium, inquit, quo in hac materia et in quaestione decidenda uti debemus illud est: essentiam beatitudinis formalis esse assecutionem finis ultimi, seu objecti beatifici. Unde illa actio vel illae actiones judicandae sunt esse formalem beatitudinem, quae essentialiter et formaliter assecutio finis ultimi sunt. Quaecumque alia formalitas vel habitudo praeter rationem assecutionis materialiter et concomitanter se habebit vel accidentaliter, verbi gratia, quod sit operatio nobilissima, optima, satiativa, ultima, fruitiva, et si quae aliae habitudines vel formalitates in actu illo seu operatione beatifica interveniunt, non considerantur in praesenti, nec pertinent ad conce-

ptum constitutivum essentiae beatitudinis; solum enim considerata et posita assecutione ultimi finis ponitur essentialis ratio beatitudinis»[1].

Quo praenotato, ex his quae, licet imperfecte, *Aristoteles* adumbravit[2], praesens dilucidatur materia. Sit ergo.

2. **Thesis I. Beatitudo formalis non consistit essentialiter in habitu vel potentia aliqua, sed in quadam, ut** dicit Philosophus, *ἐνέργεια* **activitate, seu in operatione.**

Probatur prima pars.

Beatitudo formalis, juxta definitionem superius traditam, est illa qua consequimur objectivam; sed habitu vel potentia non consequimur de facto, sed tantum *possumus* consequi beatitudinem, positoque habitu aut potentia non propterea ponitur ipsa consecutio, secus, ajente Philosopho, cum in dormiente maneant habitus et similiter in infortunato, ii essent felices[3]. Ergo beatitudo formalis non est habitus.

Deinde. Beatitudo, ut ipsemet indicat *Aristoteles,* est vita perfecta, non quidem secundum quod vita est ipsum esse viventis, sed prout vita dicitur ipsa operatio viventis[4]. Sed habitu et potentia non vivimus formaliter actu. Igitur beatitudo non est habitus, «Felicitas, inquit *D. Thomas,* videtur esse quoddam bonum perfectissimum; sed virtus (idem dic de potentia et habitu) non est talis, invenitur enim quandoque sine operatione quae est perfectio»[5]. Habitus ergo non est vita perfecta.

Ostenditur secunda pars *ratiocinatione S. Th.*

«Est enim beatitudo ultima perfectio hominis. Unumquodque autem in tantum est perfectum in quantum est in actu, nam potentia sine actu imperfecta est. Oportet ergo beatitudinem in ultimo actu hominis consistere. Manifestum est autem quod operatio est ultimus actus operantis»[6]. Unde ipsemet Stagirita probat aeternam Dei felicitatem in actione consistere ideoque necesse esse ut Deus sit in perpetua actione intelligendi ac volendi: *θεοῦ ἐνέργεια ἀθανασία· τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἄἴδιος. Ὥστ' ἀνάρκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάχειν:* Dei actio im-

1 Q. II, a. 2, *Punctum difficultatis.* Consonat P. Christianus Pesch, loc. cit.
2 X *Ethic.* Cfr. Joseph Saenz de Aguirre, *Disput. Ethic.* Disp. III, q. X.
3 ib.; Cfr. D. Th. lect. IX.ª
4 I-II, q. III, a. 2, ad 1.
5 I. *Ethic. lect.* V.ª
6 I-II, q. cit. a. 2. Cfr. quoque IV *Sent.* Dist. XLIX, q. I, a. 2.

mortalitas est, hoc autem est perpetua vita, quare Deo perpetuum inesse motum necesse est[1].

Ex quibus sic in forma syllogistica licet argumentari: «Beatitudo est ultima hominis perfectio; est enim ultimus finis de cujus ratione est ad aliud non ordinari nec esse propter aliud; verum quod ulterius perfectibile est ad aliud proculdubio refertur ut ad suam perfectionem; non est igitur ultimus finis; ergo beatitudo est ultima hominis perfectio. Atqui esse ultimam hominis perfectionem proprium est solius actualis operationis, nam habitus et potentia sicut et quaelibet alia forma sunt propter suam operationem; ipsa vero operatio ad nihil aliud homini intrinsecum ordinatur; ergo beatitudo formalis consistit in operatione.

3. **Dices.** Sicut forma est propter operationem, operatio, ut fert axioma, est propter objectum; non est ergo ultima hominis perfectio, cum ad aliud pariter ordinetur.

Respondeo «beatitudinem formalem solum dici ultimam inter perfectiones intrinsecas beato; quo pacto dumtaxat habet etiam esse finem ultimum, scilicet per modum finis intrinseci. Hoc autem modo operatio bene potest dici ultima quamvis ordinetur ad objectum, quia hoc tantum est finis et perfectivum extrinsecum[2].

Instabis. Beatitudo ex se significat habitum, non operationem; est enim, ut a Boetio definitur, *Status omnium bonorum aggregatione perfectus;* sed status significat permanentiam, stabilitatem, quod actui non convenit; ergo non est actus.

Resp. Beatitudo quoad *statum* seu physice videtur significare habitum, concedo, *quoad essentiam*, nego. Boetius, inquit *D. Th.*, consideravit ipsam communem rationem beatitudinis. Est enim communis beatitudinis ratio quod sit bonum commune perfectum, et hoc significavit cum dixit *status...* por quod nihil aliud significatur nisi quod beatus est in statu boni perfecti. Sed *Aristoteles* expressit ipsam essentiam beatitudinis ostendens per quid homo sit in hujusmodi statu, quia *per operationem quamdam*[3].

---

1 *De Coelo*, lib. II, c. III. Cfr. XI *Metaphys.* c. V (ed. Didon).

2 *Salmantic. Disp.* I, Dub. II, §. II. Vide ib. alias instantias contra argum. D. Th. «Dios es el fin supremo objetivo de la naturaleza humana.—El medio por el cual la naturaleza humana se apodera de este fin supremo es la contemplación intelectual de Dios, que constituye por consiguiente el fin subjetivo de la naturaleza humana: sin embargo, hablando con todo rigor, no es más que un fin subordinado, *finis sub fine*, como se expresa S. Tomás». Arendt, loc. cit. n. 14.

3 I-II, q. cit., a. 2, ad 2.

4. **Thesis II. Illa operatio in qua reponenda est essentia beatitudinis subjectivae non est multiplex sed una** [1].

In hac quaestione adversarios habemus ex antiquis Doctoribus *B. Albertum Magnum,* et nostrum *J. Bachonem.*

Sed probatur assertio nostra.

In operationibus potentiarum, quae circa unum idemque objectum versantur, omnino necesse est quemdam ordinem prioritatis servare in attingendo ipsum, ut patet in actibus intellectus et voluntatis, de quibus est quaestio; nam voluntas nihil potest velle quin prius ab intellectu proponatur tanquam verum vel apparens bonum, siquidem, ut fert axioma, *Ignoti nulla cupido,* et, *Nihil volitum quin praecognitum.* Atqui in illa operatione quae primo attingit summum bonum consistit essentia beatitudinis subjectivae, essentiae autem rerum sunt indivisibiles, sicut numeri; ergo alii actus priori supervenientes sunt prorsus accidentales; ergo essentia beatitudinis in unica operatione consistit.

Id quoque probatur his S. Th. verbis. «In omnibus agentibus et moventibus ordinatis, oportet quod finis primi agentis et motoris sit ultimus finis omnium, sicut finis ducis exercitus est finis omnium sub eo militantium. Inter omnes autem hominis partes intellectus invenitur superior motor, nam intellectus movet appetitum proponendo ei suum objectum [2]». Ergo actus intellectus est primus in attingendo ultimum finem: atqui primus actus quo ultimus finis obtinetur est essentialiter beatitudo formalis, id enim quod primo rei competit essentiam ejus constituere intelligimus. Ergo, retenta definitione beatitudinis quoad essentiam, impossibile est quod in pluribus actibus consistat. Id fusius declarabitur infra.

5 **Thesis III. Haec unica operatio, si beatitudo spectetur secundum essentiam, sensus esse nequit.**

In antecessum notanda est particula restrictiva *si beatitudo spectetur quoad essentiam,* quoniam operatio sensuum et *antecedenter* et *consequenter* concurrit ad beatitudinem subjectivam tam viae quam patriae.

---

1 Cfr. Jos. Saenz de Aguirre loc. cit. sect. III.

2 *Contra Gent.* lib. III, c. 25, n. 7. Adhuc. «Si accurate quis attenderit quae ab his scriptoribus (propugnantibus non in uno actu sed in actibus intellectus et voluntatis simul beatitudinem consistere), proferuntur, videbit probari quidem indubitanter ad beatitudinem requiri actum utriusque facultatis, non vero probari per actum utriusque facultatis Deum formaliter possideri, quia actus voluntatis vel tendit ad bonum nondum possessum vel quiescit in bono, quod jam ratione prius possidetur; seu illi scriptores assignant physicam essentiam beatitudinis, non metaphysicam». Chr. Pesch, loc. cit. n. 451.

Nam ad beatitudinem imperfectam quae in hac vita haberi potest requiritur vel *praesupponitur* cognitio sensitiva, cum ab illa exordium sumat Dei contemplatio abstractiva, in qua, ex dicendis, reponenda est felicitas viae. *Consequitur* vero operatio sensus, quia, beatitudine adepta, per refluentiam animae in sensus perficiuntur in suis operationibus, licet in patria, operatio, qua mens conjungitur Deo, minime dependeat a sensu.

Dein animadverte quod licet beatitudo formalis sit operatio totius hominis ut *quod*, secundum quod operationes dicuntur esse suppositorum, non tamen est totius hominis ut *quo*, formaliter et immediate, sed solius animae; nam, ut dictum est, repugnat beatitudinem formalem in pluribus actibus essentialiter consistere.

Tertio nota necessarium quidem esse ad plenam et perfectam beatitudinem ut totus homo felix reddatur. Non tamen oportet, nec est possibile, ut *ex aequo* utraque pars compositi, scilicet corpus et anima, sed tantum *proportionaliter*, et prout uniuscujusque natura exigit, beatificetur. Et ideo dicimus quod essentialiter in operatione sensus beatitudo subjectiva consistere nequit.

Probatur.

Beatitudo formalis est actus quo attingitur beatitudo objectiva; haec autem in summo bono consistit, quod est quid increatum et summe spirituale; atqui nulla potentia ferri potest extra sphaeram suae activitatis; ergo sensus, qui materialis est, non potest attingere bonum increatum et spirituale [1]. Immo nec de potentia Dei absoluta fieri potest ut sensuum operatio ad essentiam beatitudinis pertineat.

Ratio est manifesta. Nulla datur proportio inter sensus et beatitudinem objectivam; ergo nec cadit sub objecto extensivo sensuum; impossibile est igitur, quidquid in contrarium asserat ***Franciscus Bonae Spei*** et post ipsum nonnulli è Carmelitis Calceatis, quod sensus eleventur supernaturaliter ad videndum Deum.

Illa ergo activitas seu *ἐνέργεια*, in qua Philosophus reponit beatitudinem formalem, non potest esse inferioris partis, quae communis est hominibus et animalibus ratione destitutis: sed haec activitas vel operatio est «mentis, vel quidquid illud sit, quod videtur suapte natura in nobis imperare et primatum tenere, rerumque honestarum et divinarum notionem in sese continere, sive divinum hoc ipsum sit, sive eorum quae in nobis sunt divinissimum [2].

1 D. Th. q. cit. a. 3.
2 X *Ethic.*—D. Th. ib. lect. X.

6. **Thesis IV. Essentia beatitudinis formalis reponenda est in actu perfectissimo mentis humanae.**

Est praecedentium corollarium; unde in ejus demonstratione non immoramur. Verum ***Scotistae,*** duce *Subtili,* praestantissimam hanc rationalis animae operationem voluntati adscribunt. E contra, *Schola Thomista,* vestigiis insistens ***Angelici Praeceptoris,*** pro viribus tuetur principatum et superioritatem intellectus super omnes alias potentias, ipsa voluntate non excepta. Recole quae dicuntur in Dynamilogia.

7. **Thesis V. Actus praestantissimus in quo formaliter consistit beatitudo subjectiva est intellectus.**

Stagiritam sequimur qui loco cit. ait: «Si autem est felicitas secundum propriam virtutem *(κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετήν)* operatio, rationabile secundum optimam (id est, sequitur quod sit optimae virtutis); haec autem erit optimi..... Eorum autem omnium quae sunt in nobis mens praestantissima est».

Quod exponens Angelicus et nostram probans sententiam inquit: «Felicitas est optimum inter omnia bona humana, cum sit omnium finis: et quia melioris potentiae melior est operatio, consequens est, quod operatio optima hominis sit operatio ejus quod est in homine optimum; et hoc quidem secundum rei veritatem est intellectus». Sex alias subdit rationes ad ostendendum cum Stagirita quod hominis beatitudo consistit *in contemplatione veritatis seu rerum honestarum ac divinarum, θεωρητικὴ καλῶν καὶ θείων.*

Probatur etiam ex *ordine intellectus et voluntatis.* Etenim illud quaerimus, quis nempe actus per se requiratur et sufficiat ad attingendum Deum, cujus consecutione homo beatus dicatur et fiat. Porro intellectus per se movet voluntatem, voluntas enim in quantum hujusmodi movetur a suo objecto quod est bonum apprehensivum[1]. Non enim voluntas aliquid appeteret nisi prius intellectus illud apprehenderet ut bonum et ut tale voluntati proponeret. Ergo intellectus operatio antecedit voluntatem in consequendo summum bonum, objectum scilicet beatitudinis; atqui Deus indivisibilis est; ergo beatitudo subjectiva consistit in actu intellectus primum consequentis et possidentis Deum.

Idipsum egregie S. Thomas: *Si alicujus rei sit aliqua res exterior finis, illa operatio dicetur esse finis ultimus, per quam primo conse-*

1 *Contra Gent.* lib. III. c. 26.

quitur rem illam, sicut his quibus pecunia est finis dicitur etiam possidere pecuniam finis, non autem amare neque concupiscere. *Finis autem ultimus substantiae intellectualis est Deus. Illa igitur operatio hominis est substantialiter ejus beatitudo vel felicitas per quam primo attingit ad Deum. Hoc autem est intelligere, nam velle non possumus quod non intelligimus. Est igitur ultima felicitas hominis in cognoscendo Deum per intellectum substantialiter et non in actu voluntatis* [1].

Nostram quoque sententiam eleganter exposuit non uno in loco S. Augustinus. *Beatissimi autem sunt*, inquit, *quibus hoc est Deum habere quod nosse, ipsa quippe notitia plenissima, verissima, felicissima est* [2]. Et alibi: *Quid est aliud beate vivere nisi aeternum aliquid cognoscendo habere?* Aeternum est enim de quo solo recte fiditur quod amanti auferri non potest: idque idipsum est quod nihil aliud sit habere quam nosse. *Omnium enim rerum praestantissimum est quod aeternum est, et propterea id habere non possumus nisi ea re, qua praestantiores sumus, id est, mente. Quidquid autem mente habetur cognoscendo habetur* [3].

Id magis confirmatur ex sequenti conclusione.

8 Thesis VI. Essentia beatitudinis subjectivae non consistit formaliter in actu voluntatis [4].

Novem rationibus ostendit *D. Thomas* thesim a nobis stabilitam, quarum prima sic se habet: *Cum beatitudo sit proprium bonum intellectualis naturae, oportet quod secundum id intellectuali naturae conveniat quod est sibi proprium.* Appetitus autem non est proprium intellectualis naturae, sed omnibus rebus inest, licet sit diversimode in diversis: quae tamen diversitas procedit ex hoc quod res diversimode se habent ad cognitionem; quae enim omnino cognitione carent habent appetitum naturalem tantum; quae vero habent cognitionem sensitivam et appetitum sensibilem habent, sub quo irascibilis et concupiscibilis continentur: quae vero habent cognitionem intellectivam et appetitum cognitioni proportionatum habent, scilicet voluntatem. *Voluntas igitur secundum quod est appetitus non est proprium intellectualis naturae, sed solum secundum quod ab intellectu dependet, intellectus autem secundum se proprius est intellectualis naturae.* Beatitudo igitur vel felicitas in actu intellectus consistit substantialiter et principaliter magis quam in actu voluntatis [5].

---

1 Contra Gent. lib. III. c. 26 n. 9. Adhuc. 2 Epist. CLXXXVII, c. 6.

3 Qq. lib. LXXXIII, q. XXXV.

4 Cfr. De Aguirre loc. cit. sect. IV-V; Franc. Sylvius, *Comment. in totam* I-II D. Thomae (ed. 4. Antuerpiae 1696) q. III, a. 4; Cosm. Alaman. q. V, a. 4; Amat, *Ethica*, q. III, a. 3.

5 *Contra Gent.* lib III, c. 26. Cfr. Goudin, *Ethica*, q. I, a. 3. concl. II; Rosset, *Moralis*, p. I, c. III.

Classicum tamen argumentum quod omnes fere Doctores qui nostram propugnant sententiam mutuati sunt ita proponitur ab Angelico: «Si aliquis actus voluntatis esset ipsa felicitas, hic actus esset aut desiderare, aut amare, aut delectari. Impossibile est autem quod desiderare sit ultimus finis; est enim desiderium secundum quod voluntas tendit in id quod nondum habet; hoc autem contrariatur rationi ultimi finis. Amare etiam non potest esse ultimus finis; amatur enim bonum, non solum quando habetur, sed etiam quando non habetur, ex amore enim est quod non habitum desiderio quaeratur..... Similiter autem nec delectatio est ultimus finis: ipsum enim habere bonum est causa delectationis, vel dum bonum nunc habitum sentimus, vel dum prius habitum memoramur, vel dum in futuro habendum speramus. Non est igitur delectatio ultimus finis. Nullus ergo actus voluntatis potest esse substantialiter ipsa felicitas» [1].

Breviter. Beatitudo debet consistere in actu qui formaliter sit *consecutio* ultimi finis. Atqui nullus actus voluntatis habet rationem formalis consecutionis. Tres enim sunt actus voluntatis versantes circa bonum scilicet: *amor, desiderium* et *gaudium* seu delectatio. Sed bonum non consequimur *desiderio,* quia quod desideratur nondum habetur: nec *amore,* qui abstrahit a praesenti et absente, neque *gaudio* seu delectatione, quia est de re jam habita et possessa. Ergo nullus actus voluntatis habet rationem formalis consecutionis.

«Et hoc, scilicet, quod consecutio finis non consistit in actu voluntatis, manifeste apparet, inquit S Th., circa fines sensibiles. Si enim consequi pecuniam esset per actum voluntatis, statim a principio cupidus consequutus esset pecuniam, quando vult eam habere; sed a principio quidem est absens ei, consequitur autem ipsam per hoc quod manu ipsam apprehendit, vel aliquo hujusmodi: et tunc jam delectatur in pecunia habita. Sic igitur et circa intelligibilem finem contingit. Nam a principio volumus consequi finem intelligibilem; consequimur autem ipsum per hoc quod fit praesens nobis per actum intellectus; et tunc voluntas delectata conquiescit in fine jam adepto. Sic igitur essentia beatitudinis in actu intellectus consistit [2]».

9. ***Notatum*** tamen volumus id quod jam expressis verbis docuerat Angelicus, nempe quod inter cognitionem, amorem et delectationem ultimi finis nihil est quod accidentaliter pertineat, sed haec omnia necessario spectant ad beatitudinem perfectam, saltem ut attributum beatitudinis. «Ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens, secundum quod dicit, X Conf. *August.* c. XXIII, quod «beata

---

1 Ib. n. 5. Item. 2 I-II, q. III. a. 4.

vita est gaudium de veritate» quia scilicet ipsum gaudium est consummatio beatitudinis»[1]. Denique in hac quaestione solvenda prae oculis semper habe duo esse in beatitudine accurate distinguenda: *unum quod est esse beatitudinis,* ut loquitur *S. Th., aliud quod est quasi per se accidens ejus, scilicet delectatio ei adjuncta*[2].

10. Ad complementum hujus quaestionis septimam statuimus conclusionem hisce S. Thomae verbis expressam:

Thesis VII. Beatitudo magis consistit in operatione speculativi intellectus, quam practici.

Prob.

«Primo quidem ex hoc quod, si beatitudo hominis est operatio, oportet quod sit optima operatio hominis. Optima autem operatio hominis est quae est optimae potentiae respectu optimi objecti; optima antem potentia est intellectus, cujus objectum optimum est bonum divinum; quod quidem non est objectum practici intellectus, sed speculativi; unde in tali operatione, scilicet in contemplatione divinorum maxime consistit beatitudo».

«Secundo apparet idem ex hoc, quod contemplatio maxime quaeritur propter seipsam; actus autem intellectus practici non quaeritur propter seipsum, sed propter actionem; ipsae autem actiones ordinantur ad aliquem finem; unde manifestum est quod ultimus finis non potest consistere in vita activa, quae pertinet ad intellectum practicum».

«Tertio idem apparet ex hoc, quod in vita contemplativa homo communicat cum superioribus, scilicet cum Deo et Angelis, quibus per beatitudinem assimilatur; sed in his quae pertinent ad vitam activam etiam alia animalia cum homine aliqualiter communicant licet imperfecte. Et ideo ultima et perfecta beatitudo quae expectatur in futura vita tota principaliter consistit in contemplatione: beatitudo autem imperfecta, qualis hic haberi potest, *primo* quidem et principaliter consistit in contemplatione, *secundario* vero in operatione practici intellectus ordinantis actiones et passiones humanas[3].

11. Objectiones.

I.ª Beatitudo essentialiter consistit in perfectissimo actu potentiarum rationalium; sed perfectisimus actus harum potentiarum est actus volun-

---

1 Ib. 2 I-II, q. III, a. 4.

3 I-II, q. III, a. 5; Cfr. I *Ethic.* lect. X; I. p. q. XX. a. 8; Goudin, *Ethica* p. I, a. 3. Tertia Concl.; A. Arendt, Filosofia Moral n. 13. paucis comprehendens praefata D. Thomae argumenta.

tatis. Nam ille est inter omnes actus perfectissimus cujus potentia aliis omnibus praestat; haec autem est voluntas quae perfectior est ipso intellectu; ergo beatitudo essentialiter consistit in actu voluntatis.

Dist. alteram minorem: Voluntas est perfectior intellectu in genere *motionis* seu *per accidens*, concedo; in *attingendo* seu in *genere assecutionis*, nego.

Explico: Praesens quaestio non versatur circa quamlibet speciem perfectionis, sed circa perfectionem in assequendo finem; sub qua ratione nulli dubium quin intellectus sit perfectior voluntate. Hujus enim non est attingere et assequi, ut supra diximus, sed ferri in finem, et *absentem cum ipsum desiderat, et praesentem cum in ipso quiescens delectatur* [1]. Si autem intellectum cum voluntate comparamus in genere motionis potior quoque invenitur intellectus. Nam motio intellectus in voluntatem est primo et per se, voluntatis vero per accidens.

Audiamus Angelicum: «Voluntatem esse altiorem intellectu, quasi ejus motivam falsum esse manifestum est. Nam primo et per se intellectus movet voluntatem: voluntas enim, in quantum hujusmodi, movetur a suo objecto quod est bonum apprehensum. Voluntas autem movet intellectum quasi per accidens, in quantum scilicet intelligere ipsum apprehenditur ut bonum et sic desideratur a voluntate; ex quo sequitur quod intellectus actu intelligit, et in hoc ipso voluntatem praecedit; nunquam enim voluntas desideraret intelligere nisi prius intellectus ipsum intelligere apprehenderet ut bonum. Et iterum voluntas movet intellectum ad operandum in actu per *modum quo agens movere* dicitur; intellectus autem voluntatem per *modum quo finis movet*, nam bonum intellectum est finis voluntatis. Agens autem est posterior in movendo quam finis, nam agens non movet nisi propter finem. Unde apparet intellectum *simpliciter* esse altiorem voluntate, voluntatem vero intellectu per *accidens et secundum quid*» [2].

Instabis. Atqui voluntas perfectior est intellectu etiam in attingendo. Ergo. Illa enim potentia est perfectior in attingendo per quam res magis comprehenditur et qua subjectum intimius unitur illi; atqui hujusmodi est voluntas respectu beatitudinis. Nam, ut *Augustinus* dicit, causa beatitudinis est adhaerere Deo; adhaesio autem et unio ad Deum maxime est per amorem; amor enim est vita quaedam duo copulans aut copulare appetens [3], vel ut vult *Suarez*, amor ipse per se et formaliter est perfecta quaedam unio cum Deo, ultimo fine [4], quem immediate attingit: ergo etiam in attingendo voluntas praestat intellectui.

---

1 ib. Cfr. Cajet. in hunc locum diluentem rationes Scoti; et Salmantic. loc. cit. Dub. IV. § 2.

2 *Contra Gent.* lib. III, loc. cit. *solut. 5.*

3 *De Civit. Dei*, lib. XIII, c. I et IV.

4 *Disp. VII, sect.* I, n. 3. An voluntas sit necne intellectu perfectior cfr. Complut. Disp. XXII. q. IV. per totam; Goudin, *Philosophia Thomistica*, t. III, Disp. un. *De anima rationali*, q. IV, a. 3. et inter recentiores E. Hugon, *Metaphysica Psychologica*, I p. Tract. II, q. II, a. 1.

N. Min. Subsumptam, et concessa pro nunc maj., distinguo min. et rationes allatas: beatitudo objectiva, nempe Deus, magis comprehenditur a voluntate, id est, supposita consecutione per intellectum, *complet et,* ut ita dicam, *perfectiorem reddit, extendit, beatitudinem subjecti,* concedo, *primo et immediate attingit et comprehendit Deum,* nego; vel potius subdist. actus voluntatis, amor, sive adhaesio est quaedam unio et comprehensio *affectiva,* concedo, *effectiva,* nego.

Explicatur: Propium intellectus est trahere ad se objecta et consequenter apprehendere; voluntas autem per amorem fertur in res ipsas, ajente *Augustino: amor meus pondus meum, eo feror, quocumque feror,* et ideo magis comprehenditur et possidetur a rebus ipsis quam illa res comprehendat et possideat. Hinc unio voluntatis ad Deum per amorem supponit ipsum jam apprehensum per intellectum, ergo voluntati nullatenus convenit esse primo et per se et immediate apprehensivam. Unde amor est quaedam unio *affectiva*, non vero *effectiva*. Ad rem iterum *S. Th.*: «Duplex est unio amantis ad amatum, una quidem *secundum rem* (effective), puta cum amatum praesentialiter adest amanti: alia vero secundum *affectum;* quae quidem unio consideranda est ex apprehensione praecedenti, nam motus appetitivus sequitur apprehensionem» [1]. Manifestum est autem ad rationem beatitudinis subjectivae spectare unionem non quidem affectivam sed effectivam, quae propria est solius intellectus.

Instabis iterum: Ejusdem potentiae est tendere in finem et illud consequi, ut fert philosophicum effatum: Atqui voluntatis est tendere in finem, est enim ejus objectum; ergo etiam voluntatis est effective consequi beatitudinem.

Respondeo dist. maj. tendentia executiva, concedo, affectiva seu intentiva tantum, nego. Praefatum axioma intelligendum est de potentiis quae *effective* tendunt in finem. Quamobrem voluntas, cujus est tendere in finem affective, ad differentiam aliarum quae executive seu effective tendunt in bonum sibi proprium, non potest illum consequi. Imo ipsa ratio tendendi ad finem tanquam ad suum objectum opponitur ejus consecutioni effectivae. Audi Aquinatem: *Objectum voluntatis non est actus ejus, sicut nec primum objectum visus est visio, sed visibile. Unde ex hoc ipso quod beatitudo pertinet ad voluntatem tanquam primum objectum ejus, sequitur quod non pertinet ad ipsam tanquam actus ipsius* [2].

II.ª Visio non facit animam beatam absque dilectione, beatitudo namque debet omnes potentias perficere et reddere hominem totaliter felicem; ergo absque delectatione et amore dimidiata et imperfecta consurgeret beatitudo, cum desiderium voluntatis non expleret, nec ideo motus appetitus quiesceret.

Resp. 1.° argumentum hoc nimis probare, nihil ergo probare. Exinde quippe, si quid concluditur, liceret inferre etiam in actibus potentiarum ani-

---

1 I-II, q. XXVIII, a. 1.
2 Ib. q. III, a. 4, ad 2.

mae sensitivae reponendam esse beatitudinem formalem. Necesse enim est eas quoque beatificari, non animam tantum:

2.° visionem absque fruitione et amore non facere *consummative* animam beatam, concedo: *formaliter* et essentialiter, nego. Concedimus beatitudinem perfectam quoad statum compleri non tantum per visionem, verum etiam per amorem et fruitionem summi boni;

Luce intellectual piena d'amore
Amor di vero ben pien di letizia
Letizia che trascende ogni dolzore,

inquit pereleganter Dante Alighieri [1]; sed inde non sequitur amorem aut delectationem esse ipsam beatitudinis consecutionem. Cfr. praenotamina hujus quaest.

III.ª Beatitudo formalis reponenda est in actu illo qui ad nullum alium ordinetur; atqui visio ordinatur ad amorem, amor autem et fruitio ad nullum alium actum ordinantur; ergo beatitudo formalis consistit in actibus voluntatis.

Dist. maj. Beatitudo formalis..... in actu qui ad nullum alium ordinetur tanquam *medium ad finem*, concedo: tanquam *causa ad effectus* inde sequentes, nego. Et contradist, min., nego conseq. Visio enim divinae essentiae non ordinatur ad amorem ut medium ad finem sed tantum ut causa ad effectum vel principium ad id quod subsequitur et ab eo quadamtenus procedit.

IV.ª Nobilior est dilectio Dei quam cognitio; sed in actu nobilissimo reponenda est felicitas subjectiva; ergo.

«Dicendum, inquit D. Th., quod dilectio praeeminet cognitioni in movendo, sed cognitio praevia est dilectioni in attingendo. Non enim diligitur nisi cognitum, ut dicit *August.* in X de Trinit. c. I. Et ideo intelligibilem finem primo attingimus per actionem intellectus sicut et finem sensibilem primo attingimus per actionem sensus» [2].

12. **Corollarium.** Ergo opiniones supradictae sufficienter manent expugnatae, 1.ª per hoc quod beatitudo est aliquid creatum, aliquid animae. Insuper, si illapsus divinitatis in essentiam animae beatitudinem constitueret, anima, omni potentia orbata, aut ea non utente, dummodo Deus in illam illaberetur, foret formaliter beata, quod repugnat.

---

1 *Paradiso*, c. XXX. 40.

2 I-II q. III a. 4. ad 1. «Multa quidem hic disputant *Scotistae* de excellentia voluntatis prae intellectu. Sed imprimis non quaeritur, utra facultas sit nobilior, sed utra sit talis, ut per eam formaliter Deus possideri possit. Porro sub multiplici respectu intellectus est nobilior voluntate.... Quamvis igitur communiter Theologi concedant beatitudinem sine amore amicitiae neque esse neque concipi posse (Suarez, Disp. 7, sect. I, n. 31) tamen actus quo formaliter Deus possidetur a beatis non est amor. Aliis verbis: Deus ut est summum bonum est quidem ratio formalis quae beatificans, non vero ratio formalis sub qua beatificans (cfr. Salmantic., Tract, t. 9. disp. 7, dub. 4 n. 90)». Hucusque P. Chr. Pesch, loc. cit. n. 448.

2.ª vel ex eo dumtaxat eliminatur quod beatitudo subjectiva nullo modo est habitus.

3.ª rejicitur. Cum enim beatitudo sit actus et quidem vitalis debet procedere ab intrinseco. Illa autem visio per intellectionem Dei increatam non potest esse beati elicitive, et ideo nec ab intrinseco. Insuper felicitas subjectiva facit beatos formaliter cognoscentes et videntes: sed impossibile est, ut ex terminis ipsis manifeste constat, quod per illam actionem increatam receptam in essentia animae vel potentiis ejus reddantur formaliter intelligentes; ergo.

4.ª non placet quia voluntatis non est rem consequi aut apprehendere, sed tantum desiderare, diligere vel de re possessa gaudere.

5.ª demum a veritate deviat quoniam prima rei consecutio fit ab uno et non a pluribus actibus. Nam cum res sit undequaque indivisibilis, actus non possunt multiplicari ex parte ipsius rei, ita quod una pars per unum, altera per alium actum attingeretur; nec ex parte potentiae, quippe cum res sit indivisa, aut tota possidetur dum primo attingitur attingentia reali et effectiva, aut nullo modo possidetur.--*Constat igitur beatitudinem formalem esse operationem solius intellectus speculativi.*

Articulus II

Utrum beatitudo possit haberi in hac vita

Titulus supponit beatitudinem, absolute loquendo, esse adeptu possibilem, ut omnes, si *Pessimistae* excipiantur, libenter admittunt. Verum *Rationalistae,* asserentes repugnare quamlibet aliam praeter mundanam et temporalem felicitatem, prorsus dissentiunt a philosophis christianis existentiam, nedum possibilitatem, beatitudinis supernaturalis propugnantibus. Primo igitur contra *Naturalistas* pugnabimus; dein quaestio de proprietatibus verae beatitudinis viam parat solutioni in hoc articulo principaliter intentae. Ergo tres instituentur paragraphi.

§ 1

SUADETUR BEATITUDINEM SUPERNATURALEM NULLATENUS REPUGNARE [1]

Summa rerum. 1. *Duplex beatitudo: naturalis et supernaturalis – praeclara Angelici doctrina.* 2. *Praemittenda ad solutionem quaestionis:* a) *Nullum existere in humana voluntate appetitum innatum respectu beatitudinis supernaturalis probatur;* b) *expenditur celebre Angelici Doctoris testimonium;* c) *Salmantic. interpretatio;* d) *natura rationalis eget virtute divina ut efficaciter appetat beat. supern.* e) *duplex respectus hujus appetitus ad beatitudinem in communi et in particulari;* f) *quae proportio sufficiat ut intellectus ad Deum videndum elevetur;* g) *quid teneat fides catholica quoad elevationem humanae mentis ad ordinem supernat.* 3. Thesis: *Beatitudo supernaturalis nullam repugnantiam involvit.* Prob. 4. *Objectio.* 5. *Praenotamen consideratione dignum.* 6. *Profligatur Rationalismus.* 7. *Concil. Vat. doctrina.* 8. *Descriptio visionis beatificae ex D. Th.*

1. **Duplex beatitudo.** Ut propositam quaestionem rite solvamus duplicem cum theologis et philosophis distinguimus beatitudinem scilicet: *naturalem* et *supernaturalem.* Prima respondet modo connaturali operandi quem habent intellectus et voluntas: ipse enim intelligit Deum ex creaturis et omnia alia similiter per conversionem ad phantasmata seu per abstractionem. Voluntas autem sequitur hanc cognitionem et modum ejus, idcirco versatur circa bonum prout ei proponitur ab intellectu. Altera autem respondet modo operandi intellectus nostri, non quidem secundum propriam virtutem, sed quatenus, *lumine gloriae* mediante, videbit Deum non *per speculum in aenigmate,* sed *facie ad faciem sicuti est.* Definiri ergo possunt: *Beatitudo naturalis* est *adeptio beatitudinis objectivae per cognitionem abstractivam respondentem exigentiae*

1 Cfr. Salmantic., *De visione Dei,* Disp. I; Cam. Mazella, *De Deo Creante,* Disp. IV, a. 7, § 2; Jos. Kleutgen, *Institutiones Theologicae,* vol. I, c. X, a. 3; Castro Alonso, *De Deo Uno,* p. III, c. IV, a. 2; idem *de Novissimis,* c. VI, a. 1; P. Ezechiel a S. C. Jesu, C. D., *De Deo Creante et Elevante, Praelect.* XXXVIII; Aloysius Ad. Paquet, *Disputationes Theologicae,* (ed. altera, 1905), Disp. III, a. 1; P. Valentinus ab Assumptione, C. D., *Theologia Dogmatico-Scholastica,* vol. I; *Theologia Fundamentalis, Demonstratio Christ.,* q. II, a. 2; Tanquerey, *Synopsis Theologiae Dogm., De homine,* c. III, n. 148 et sqq.; Mendive, *Ethica* loc. cit. a. 2, n. 174; Zigliara, *Ethica,* lib. I, c. II, a. 3; D. Francisco Hettinger, *Apología del Cristianismo,* Confer. X, *Fe y misterio;* Ottiger, *Theologia Fund.* sect. I, p. 57; S. B. Jaugey, *Dicc. Apologético de la fe católica,* verbo, *Cielo;* Gualtero Devivier, S. J., *Curso de Apologética Cristiana,* versión castellana del P. Francisco Martín, de la misma Compañía, Barcelona, 1909; p. I, a. 1, et generatim omnes theologi et Apologistae recentiores cum de *Visione Dei,* de *Revelatione,* de *Elevatione primi hominis,* de *Gratia* aut de *Novissimis.*

naturali animae humanae. Supernaturalis est *adeptio ejusdem beatitudinis objectivae per visionem intuitivam excedentem vires et exigentiam naturales animae nostrae.*

Rem praeclare explicat *Angelicus:* «Finis, inquit, ad quem res creatae ordinantur a Deo, est duplex. *Unus qui excedit proportionem naturae creatae et facultatem;* et hic finis est vita aeterna, quae in divina visione consistit, quae est supra naturam cujuslibet creaturae. *Alius autem finis est naturae creatae proportionatus,* quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suae naturae» [1]. Quamobrem, «est quoque duplex hominis beatitudo seu felicitas. *Una* quidem proportionata humanae naturae, *ad quam scilicet homo pervenire potest per principia suae naturae.* Alia autem est beatitudo naturam hominis excedens *ad quam homo sola divina virtute pervenire potest secundum quamdam divinitatis participationem,* juxta illud quod dicitur II. *Pet.* I, per Christum facti sumus *consortes divinae naturae*» [2].

De utraque beatitudine nonnulla scitu necessaria breviter explanabimus. Et primo quaeritur:

An sit possibilis beatitudo supernaturalis.

2. **Praemittenda.** Supposito quod beatitudo supernaturalis in clara et faciali visione divinae essentiae consistat sequentia asserimus:

a) *Nullum existere in humana voluntate appetitum innatum respectu hujus beatitudinis supernaturalis.* Et re quidem vera. Appetitus naturalis seu innatus est inclinatio necessario consequens naturam rei eique proportionata, beatitudo autem supernaturalis excedit humanam facultatem, et ideo impossibile est quod in ipsam tendat innato appetitu, sed dumtaxat fertur in illam divina virtute operante. Nam, ut ait *D. Thomas, ad illud ad quod non potest aliquid virtute suae naturae pervenire oportet quod ab alio transmittatur* [3]. Et alibi. «Quamlibet naturam consequitur appetitus conveniens fini suae naturae; sicut grave naturaliter tendit deorsum et appetit ibi quiescere. Si autem sit appetitus alicujus rei supra naturam suam, illa res non movetur ad illum finem naturaliter, sed ab alio quod est supra naturam suam. Constat autem quod perfrui coelesti gloria, et videre Deum per essentiam, licet sit rationalis creaturae, est tamen supra naturam ipsius. Non ergo movetur rationalis creatura ad hoc desiderandum a natura, sed ab ipso Deo qui in hoc ipsum efficit nos» [4].

Sed non levem ingerunt difficultatem plura *S. Th.* loca in quibus ex naturali appetitu beatitudinis supernaturalis intentat probare et de facto concludit adversus *Naturalistas* possibilitatem hujus beatitudinis. Inter alia, speciminis causa, sequens seligimus: *Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam cum intuetur effectum, et ex hoc admiratio in ho-*

1 I p. q. XXIII, a. 1.
2 I-II, q. LXII, a. 1.
3 I p. q. XXIII, a. I.
4 II ad Cor. c. II, lect. II.

minibus consurgit: si igitur intellectus rationalis creaturae pertingere non possit ad primam causam rerum remanebit inane desiderium naturae. Unde simpliciter concedendum est quod beati Dei essentiam videant[1].

Quidam a proposita difficultate facillime se expediunt asserendo *D. Thomam* loqui de homine elevato ad ordinem supernaturalem, et sic appetitum illum esse *naturalem illi naturae elevatae*[2].

b) Certe quidem, supposita cognitione effectuum supernaturalium, inesse homini desiderium naturale, id est, congruens praedictae cognitioni supernaturali, vivendi Deum ut in se est.

Sed *c)* etiam abstrahendo ab hac supernaturali elevatione, *nihil obstare quominus agnoscatur respectu beatitudinis in particulari aliquis appetitus, non innatus, sed elicitus, inefficax tamen, seu per modum cujusdam complacentiae et imperfecti desiderii*, de quo appetitu inefficaci et conditionato, vel abstrahente ab efficaci et inefficaci, qui potest esse respectu cujusque boni etiam improportionati viribus appetentis, loquitur *D. Th.*, juxta nostros *Salmantic.*[3], atque exinde peroptime concludit possibilitatem visionis beatificae.

d) Ut *sufficienter tendat in altissimum illum finem et efficaciter illum appetat, naturam rationalem indigere virtute divina elevante et intellectum illustrante luce supernaturali.* Nam, ut sapienter ratiocinatur *Angelicus Doctor*, «in omnibus quae agunt propter finem oportet esse inclinationem ad finem et quamdam inchoationem finis, alias nunquam operaretur propter finem. Finis autem ad quem divina largitas hominem ordinavit vel praedestinavit, scilicet fruitio suipsius, est omnino supra facultatem naturae creatae elevatus: quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se*, ut dicitur I. Cor. II, 9. Unde per naturalia tantum homo non habet sufficienter inclinationem in finem illum, sicut per naturalia habet inclinationem in finem sibi connaturalem. Et ista supperaddita dicuntur virtutes theologicae»[4].

---

1 I p. q. XII, a. 1, Cfr. I-II, q. III, a. 8, et *Contra Gent.*, lib. III, c. 49 et 50. Et ibidem, c. 51, egregie scribit: «Cum autem impossibile sit naturale desiderium esse inane, quod quidem esset, si non esset possibile pervenire ad divinam substantiam intelligendam, quod naturaliter omnes mentes desiderant, necesse est dicere quod possibile est substantiam Dei videri per intellectum a substantiis intellectualibus separatis, et animabus nostris». Ad preveniendas quasdam adversariorum instantias animadvertimus D. Thomam nullatenus intendisse probare *efficaciter* et *sufficienter* ex rationibus naturalibus visionem divinae essentiae. Id enim, nonnisi supposita fide, fieri potest. Sed possibilitas ostenditur *negative*, id est, solvendo objectiones quas adversarii oggerunt. Evidens quippe est existentiam hujus sicut omnium mysteriorum non posse ratione naturali demonstrari, sed sola fide teneri.

2 Cfr. Cajet. et Joan. a Sto. Th. in I, p. q. cit.

3 *De beatit.*, Disp. VI, § 3. Ex recentioribus eodem modo explicat D. Thomam cl. P. Sanctus Schiffini. *Disputationes Philosophiae Moralis, Ethica Generalis*, sect. V. Disp. I. n. 40. Consonat A. Arendt loc. cit. n. 22; ¿La concepción de una felicidad natural es contradictoria?

4 III *Sent. Dist.* XXIII, q. I, a. 4.

e) *Aliter esse loquendum de appetitu respectu beatitudinis in communi, et de eodem appetitu respectu beatitudinis in particulari.* Inest enim omnibus hominibus innata et communis inclinatio at beatitudinem in communi, ratione cujus appetere miseriam est impossibile; non tamen omnes homines naturali inclinatione ducuntur ad appetendum illud objectum in quo vera beatitudo perfecte invenitur[1]. Id ipsum expressis verbis docet Aquinas: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae sed per discretionem rationis, quae adinvenit in hoc vel in illo summum bonum hominis constare*[2].

f) Huc trahere necesse est quod tum in Ontologia tum in aliis locis satis superque declaratum reliquimus, *nullam scilicet proportionem entitatis esse inter intellectum voluntatemque humanam et Deum clare visum,* quia nulla est proportio finiti ad infinitum in ratione entis seu convenientia naturae; *bene vero proportionem habitudinis,* promanantem ex ordine quem ad Deum habet humana rationalisque natura ut ad suum principium et finem ultimum. Quae proportio sufficit ut intellectus elevetur ad Deum clare videndum.

g) Denique notari oportet secundum fidem catholicam *hominem* (quidquid sit de hypothesi beatitudinis naturalis respondentis constitutioni humanae in statu naturae purae) *elevatum esse ad ordinem supernaturalem,* vel, ut loquamur cum Concilio Vaticano, *quod Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (I Cor. II, 9)[3].

3. Possibilitatem beatitudinis supernaturalis inficiantur omnes *Rationalistae* et *Naturalistae* qui huic altissimo fini substituunt aut bonum aliquod creatum aut jugem tendentiam ad plenam et perfectam Humanitatis evolutionem. Contra quos breviter probabimus sequentem conclusionem:

Beatitudo supernaturalis est possibilis, seu nullam repugnantiam involvit.

Haec divina et superna hominis beatitudo, quae in visione clara et immediata et in perfecto amore divinae essentiae consistit, si quam

---

1 Cfr. S. Th. I-II, q. V, a. 8. et *De Verit.*, q. XXII, a. 5; N. Paulus a Conceptione, Tract. II. Disput. I. Dub. III.

2 IV *Sent. Dist.* XLIX, quaest. III.

3 *De fide Cathol.* sess. III, c. II. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion Symbolorum et Definitionum*, n. 1786. Quoad errores praenuntiatae veritati adversantes vid. Jungmann, *De Vera Relig.*, n. 11. et sqq.; P. Valentinus ab Assumpt., *loc. cit.* n. 101; Tanquerey, *Theol. Fundamentalis, De Religione in genere* c. I, n. 26 et sqq.

involveret repugnantiam esset vel ex parte Dei, vel ex parte intellectus humani; non datur medium; illud enim quod tanquam medium inter haec duo quidam injiciunt, posse nempe repugnare ex parte modi, nihil est; modus enim actionis sequitur formam rei agentis, ergo ad alterum disjunctionis membrum, scilicet ad intellectum, reducitur. Atqui neutro ex capite repugnat. Ergo beatitudo supernaturalis possibilis est.

Non repugnat ex parte Dei. Ratio enim ob quam aliquid non potest terminare intellectionem alicujus intellectus est tantum ejus actualis inintelligibilitas; Aqui Deus nedum intelligibilis est sed est in summo grado intelligibilitatis, hujus enim radix est immaterialitas. Ergo Deus, qui est in summo gradu immaterialitatis utpote actus omnino materiae impermixtus et spiritus purissimus, est etiam maxime intelligibilis. Igitur non repugnat ex parte Dei quod ab intellectu videatur.

Nec ex parte intellectus humani. Nam, ipsis rationalistis consentientibus, quidquid cadit sub objecto extensivo intellectus id omne potest ab eo attingi; sed ejus objectum extensivum est omne verum, seu omne ens sub ratione veri. Ergo, licet ad videndum Deum careat *proportione efficacitatis seu virtutis,* ad quam requiruntur vires sufficientes ut connaturaliter attingatur objectum, cum intellectus habeat *proportionem commensurationis essentialis* ad Deum, ut loquuntur Complutenses [1], ad quam sufficit quod contineatur intra latitudinem sui objecti, sequitur quod, lumine gloriae elevante, possit ipsum Deum clare videre, et voluntas delectatione purissima illo frui.

4. Nec valet objicere majorem esse distantiam intellectus humani ad Deum quam sensus ad quodlibet intelligibile; sed sensus, ut art. praecedenti dictum est, elevari non possunt ad aliquod intelligibile attingendum, ergo multo minus intellectus ad videndum Deum. Nam major quidem est distantia *entitatis,* non vero *intelligibilitatis;* Deus enim, et anima sunt in ordine intelligibilitatis, quod sufficit, ut modo diximus, ad hoc ut essentia divina contineatur sub objecto extensivo intellectus et intellectus possit circa eam intellectionem elicere. Distantia autem sensus ad intelligibile est revera major in ordine intelligibilitatis, licet non in ordine entitatis: haec tamen distantia non facit ad rem. Praeclare *S. Th.:* «Dicendum quod visus quia omnino materialis est, nullo modo elevari potest ad aliquid immateriale. Sed intellectus noster, vel angelicus, quia secundum naturam a materia aliqualiter elevatus est, potest ultra suam naturam per gratiam ad aliquid altius elevari. Et hujus signum est, quod visus nullo modo

1 *De anima*, Diput. XVII, q. I, § 1 et seqq.; Joan. ab Ann., ib. Disput. XVI, § 3.

potest in abstractione cognoscere id quod in concretione cognoscit; nullo enim modo potest percipere naturam nisi *ut hanc;* sed intellectus noster potest in abstractione considerare quod in concretione cognoscit. Etsi enim cognoscat res habentes formam in materia tamen resolvit compositum in utrumque et considerat ipsam formam per se» [1].

5. **Praenotamen maximi momenti.** Hic iterum animadvertimus, et ex corde desideramus ut nunquam e memoria scholasticorum labatur, catholicos in hoc cum rationalistis certamine minime posse rationes efficaces et validas existentiam visionis beatificae *possitive* demonstrantes inducere, sed tantum, supposita fide divina, objectiones in contrarium adductas enodare, vel ostendere beatitudinem supernaturalem non repugnare sed possibilem esse [2]. Munus repugnantiam probandi rationalistis incumbit.

6. ***Quod vero intellectus noster non habeat vires sufficientes ad Deum immediate videndum*** probatur contra *Progressistas* et *Rationalistas* illos qui adeo rationem humanam extollunt, ut, etiamsi ordinem supernaturalem a priori penitus rejiciant, buccis tamen crepantibus venditant hominem posse omnes veritates suo ingenio metiri et ad omnem prorsus veri cognitionem propriis naturae viribus pervenire.

Ostenditur propositum ex natura cognitionis. In omni connaturali cognitione servanda est proportio efficacitatis inter potentiam cognoscentem et objectum cognitum, vel ut verbis utamur Angelici: *Cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis* [3]. Atqui intellectus noster est potentia animae quae est actus corporis. Ergo *per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas quae quidem non habent esse nisi in materia individuali, non tamen secundum quod sunt in materia individuali, sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus:* Atqui Deus est omnino separatus a materia seu est ipsum esse subsistens; ergo non est connaturale intellectui humano videre Deum per essentiam sed est supra naturalem facultatem ipsius solumque connaturale intellectui divino.

Paulo aliter in *Summa Contra Gent.:* «Quiquid excedit limites alicujus naturae non potest sibi advenire nisi per actionem alterius, sicut aqua non

---

1 I p. q. XII, a. 4, ad 3.

2 Cfr. D. Th. I p. q. I, a. 8, et q. XXXII, a. 1 ad 2; II-II. q. II, a 10 ad 2, et *Contra Gent.*, lib. I, c. 8.

3 I p. q. XII, a. 4.

tendit sursum nisi ab aliquo alio mota. Videre autem Dei substantiam transcendit limites omnis naturae creatae; nam cuilibet naturae intellectuali creatae proprium est ut intelligat secundum modum suae substantiae. Substantia autem divina non potest sic intelligi. Impossibile est igitur perveniri ab aliquo intellectu creato ad visionem divinae substantiae nisi per actionem Dei qui omnem creaturam transcendit» [1]. Ne nimis praesentem protrahamus quaestionem consulatur Historia Philosophiae.

7. Recte igitur Sacros. Concil. Vaticanum anathemate percussit Naturalistas omnes non tantum beatitudinem supernaturalem sed totum ordinem gratiae negantes, sequenti edito canone: *Si quis dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit* [2].

8. **Descriptio visionis beatificae ex D. Thoma.** Licet propinquius de his agere ad Theologos pertineat, placet jucundissima et praeclara *S. Th.* verba hic, solaminis spiritualis gratia, transcribere. Visio illa, inquit, qua Deum per essentiam videbimus, est eadem cum visione qua Deus se videt *ex parte ejus quo videtur;* quia sicut ipse se videt per essentiam suam, ita et nos videbimus eum. Sed *ex parte cognoscentis* invenitur diversitas quae est inter intellectum divinum et nostrum. In cognoscendo autem, *id quod cognoscitur* sequitur *formam* qua cognoscimus, quia per formam lapidis videmus lapidem; sed *efficacia in cognoscendo* sequitur *virtutem* cognoscentis; sicut qui habet visum fortiorem acutius videt. Et ideo in illa visione nos *idem* videbimus quod Deus videt, scilicet essentiam suam, sed *non ita efficaciter* [3].

Et alibi. «Sic igitur facie Deum videbimus quia immediate eum videbimus sicut hominem quem facie ad faciem videmus. Secundum autem hanc visionem maxime Deo assimilamur et ejus beatitudinis participes sumus; nam ipse Deus per suam essentiam suam substantiam intelligit, et haec est felicitas: unde dicitur: *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* [4]. Et Dominus dicit: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* [5]. Quod quidem de corporali cibo vel potu non potest intelligi, sed de eo qui in mensa sapientiae sumitur, de quo a Sapientia dicitur: *Comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis* [6]. Super mensam ergo Dei manducant et bibunt, quia eadem felicitate fruuntur

1 III *Contra Gent.* c. 52. Cfr. quatuor aliae rationes quas ibidem adducit ad idem probandum, cap. 49 et 53 per tot.
2 C. II, *De revel.* c. 3. Denzinger-Bannwart, n. 1808.
3 III p. Supplem. q. XXII, a. 1 ad 2.
4 Joan. III, 2.
5 Luc. XXII, 29, 30.
6 *Prov.* IX, 5.

qua Deus felix est, videntes eum illo modo quo ipse videt seipsum»[1].

Sed meminisse juvabit hanc perjucundam altissimamque beatitudinem esse non carnalibus sed mundis corde promissam: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*[2].

§ 2

DE INAMISSIBILITATE BEATITUDINIS[3]

Summa rerum. 1. *Platonis Origenisque sententiae.* 2. *Domesticum dissidium.* 3. *Praenotanda – inamissibile duplicitur dicitur – qua ratione duratio rei ejusque ordo ad causas conveniat – quid possit Deus de potentia absoluta – consequentia ab aliquibus inde deducta. – Nostra sententia.* 4. Thesis I: *Beatitudo perfecta est essentialiter perpetua ita quod, semel habita, amitti non potest, sensu explicato.* Prob. 5. Thesis II: *Beatitudo non solum intrinsece sed etiam ab extrinseco est perpetua.* Prob. 6. *Impeccabilitas necessario comitatur beatitudinem supernaturalem.*

Inter attributa beatitudinis perfectae et quoad statum praecipue recensentur perpetuitas seu inamissibilitas illius et impeccabilitas. Ad primam sermonem convertimus.

1. *Platonici* «dicebant animas separatas, postquam felicitatem ultimam adeptae fuissent, iterum ad corpora incipere velle redire, et, finita felicitate illius vitae, iterum miseriis vitae hujus involvi. *Origenes* quoque dixit animas et angelos post beatitudinem iterum posse ad miseriam devenire». Ita *S. Thomas*[4].

2. Ceteri philosophi qui beatitudinem collocant in possesione summi boni, seu in visione divinae essentiae, communiter propugnant inamissibilitatem hujus praecelsae perfectaeque beatitudinis. Ex his autem *Thomistae* constanter tenent beatitudinem quoad statum e suis principiis intrinsecis postulare perpetuitatem seu esse ab intrinseco inamissibilem, licet de facto et in exercitio possit Deus de potentia absoluta beatitudinem destruere.

---

1 *Contra Gent.* lib. III, c. 51. Eam quoque optime describit B. Baptista Mantuanus Spagnoli, Alphons. lib. II.

2 Math. V, 8.

3 Cfr. D. Thomas I-II, q. V, a. 4; I p. q. LXII, a. 8; ib. q. LXIV, a. 2; *Contra Gent.* lib. III, c. 63; I *Sent. Dist.* VIII, q. III, a. 2; Suarez, *Disp.* XIV, sect. I-III; Joan. a S. Thoma, *Disp.* II, a. 6; Wirceburgenses, c. II, a. 1; P. Ezechiel a S. C. Jesu, C. D. *De Deo Creante et Elevante.* Tract. II, Praelectio XIX et XX.; Christ. Pesch, Tract. II. sect. I a. 3; Cathrein, *Philos. moral. gen.* p. I, c. I, a. 3, n. 25.

4 *Contra Gent.*, lib. III, c. 62, ad finem.

Scotus vero et *Scotistae* illam perpetuam dicunt, sed solum ex voluntate Dei illam conservante.

3. Ne in hac incidentali quaestione plus debito immoremur, sequentia nota:

a) Aliquid esse inamissibile seu perpetuum dupliciter, *radicaliter* et *formaliter*. Radicaliter est ipsa rei substantia quae petit esse perpetua seu inamissibilis. Formaliter autem est ipsa actualis duratio seu exercitium perpetuitatis;

b) Actualem durationem et existentiam cuilibet creaturae contingenter convenire: ordinem vero ejus ad causas secundum quas exigitur quod creaturae incorruptibiles durent in accepta existentia esse ipsis creaturis intrinsecum;

c) Proculdubio posse Deum de potentia absoluta visionem destruere vel impedire; est enim visio beatifica aliquid creatum et consequenter sicut potest creaturas annihilare ita et visionem suspendere vel impedire;

d) Perperam tamen inferri, ex eo quod Deus possit destruere beatitudinem creaturae, eam nonnisi accidentaliter esse perpetuam, sicut ex eo quod Deus possit animam humanam annihilare non sequitur eam non esse ab intrinseco immortalem.

e) Libenter concedimus ipsam actualem durationem in perpetuum non esse de ratione beatitudinis; aliis verbis: beatitudinem non esse *formaliter* ab intrinseco perpetuam et inamissibilem; esse vero talem *radicaliter*, seu ex natura sua postulare esse perpetuam, cum communi Scholasticorum sententia tenemus;

f) Beatitudinem denique esse perpetuam non solum *objective* seu ex sese, sed etiam *subjective*, id est, quod ut *perpetua debeat a beato cognosci*, quemadmodum ex argumentis infra adducendis fiet manifestum. Sit itaque

4. **Thesis I. Beatitudo perfecta est essentialiter perpetua, ita quod, semel habita, amitti non possit, sensu explicato**[1].

Prob.

Beatitudo quoad statum est perfectum et sufficiens bonum omne malum excludens et omne desiderium implens. Atqui non excluderet omne malum si non esset tum objective tum subjective perpetua; Ergo.

1 Cfr. Paulus a Concept., Tract. VIII, Disp. II, Dub. III; Joan. a Sto. Thoma, q. II, a. 6; Ferretti, *Inst. Phil. Moralis*, c. I, a. 2, n. 34; Arendt, loco cit. n. 18.

Prob. min.

Naturaliter, verba sunt *Sti. Thomae,* homo desiderat retinere bonum quod habet, et quod ejus retinendi securitatem obtineat, alioquin necesse est quod timore amittendi vel dolore de certitudine amissionis affligatur. Atqui timor amittendi beatitudinem est grande malum, et certitudo de amissione impedit quominus desiderium hominis expleatur. Nam beatitudo est complexus omnium bonorum; perpetuitas autem est maximum; ergo homo ipsam quoque desiderat. Si autem beatitudo non est perpetua vel ut talem beatus non cognoscit, beatitudo habita non est bonum perfecte satiativum, non est vera et perfecta beatitudo. Requiritur igitur, concludit *S. Th.,* ad veram beatitudinem quod homo certam habeat opinionem, bonum quod habet, nunquam se amissurum.

Haec autem certa perpetuitatis cognitio aut est vera, aut falsa. Si primum, ergo beatitudo semel habita non potest amitti seu est objective perpetua. Si autem est falsa, hoc ipsum est quoddam malum, nam falsum est malum intellectus sicut verum est bonum ipsius; ergo homo jam non erit perfecte beatus[1].

Nec dicas Deum posse beato cognitionem certam infundere de perpetuitate suae beatitudinis ab ipso Deo conservanda, nam tunc beatitudo non esset ex se perfectum et sufficiens bonum, sed tantum per additionem extrinsecam seu accidentaliter, quod est contra rationem beatitudinis perfectae.

«Idem apparet si consideretur ratio beatitudinis in particulari. Ostensum est enim supra, prosequitur *Angelicus,* quod perfecta beatitudo hominis in visione divinae essentiae consistit. Est autem impossibile quod aliquis videns divinam essentiam velit eam non videre, quia omne bonum habitum, quo aliquis carere vult, aut est insufficiens, et quaeritur aliquid sufficientius loco ejus; aut habet aliquod incommodum annexum, propter quod in fastidium venit. Visio autem divinae essentiae replet animam omnibus bonis cum conjungat fonti totius bonitatis: unde dicitur in Ps. XVI, 15: *Satiabor cum apparuerit gloria tua,* et Sap. VII, 11: *Venerunt mihi omnia*

1 I-II, q. V, a. 4. Cfr. decem rationes ad idem ostendendum in III *Contra Gent.*, c. 52, quarum sexta sic se habet: «Impossibile est quod aliquis a bono quo fruitur velit discedere, nisi propter aliquod malum quod in fruitione illius boni aestimatur, saltem propter hoc quod aestimatur impedimentum majoris boni; sicut enim nihil desiderat appetitus nisi sub ratione boni, ita nihil fugit nisi sub ratioui mali. Sed in fruitione illius visionis non potes esse aliquod malum, cum sit optimum ad quod creatura intellectualis pervenire potest: neque etiam potest esse quod ab eo qui illa fruitur visione aestimetur in ea esse aliquod malum vel aliquid eo melius, cum visio illius summae veritatis omnem falsam aestimationem excludat. Impossibile est igitur quod substantia intellectualis quae Deum videt unquam illa visione carere velit».

bona pariter cum illa. Similiter etiam non habet aliquod incommodum adjunctum, quia de contemplatione sapientiae dicitur Sap. VIII, 16: *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius*». Demum: Beatitudo non subjacet tempori et motui, sed mensuratur aeternitate; ergo beatus non potest transire de beatitudine ad miseriam et e converso.

5. **Thesis II. Beatitudo non solum intrinsece sed etiam ab extrinseco est perpetua.**

Prob.

Si aliqua causa potestatem haberet ad impediendum quominus beatus in perpetuum summo bono frueretur, ea esset Deus; atqui beatus non amittet beatitudinem, Deo subtrahente, ergo erit beatitudo perpetua etiam ab extrinseco seu *per gratiam*, ut dicitur.

Minor probatur ab ipsomet ***Angelico Praeceptore*** his verbis: *Cum subtractio beatitudinis sit quaedam poena non potest talis subtractio a Deo justo judice provenire nisi pro aliqua culpa; in quam cadere non potest qui Dei essentiam videt, cum ad hanc visionem ex necessitate sequatur rectitudo voluntatis*[1]. Ergo beatitudo non amittitur, Deo illam subtrahente. Igitur est perpetua et inamissibilis etiam ab extrinseco.

6. Ex verbis *S. Thomae* modo relatis facile deprehenditur

(Thesis) Impeccabilitatem esse aliud beatitudinis supernaturalis attributum.

Prob.

Hoc modo se habet beatus Deum videns ad ipsum Deum, sicut se habet quicumque non videns Deum ad communem rationem boni. Impossibile est autem, quod aliquis quidquam velit, vel operetur, nisi attendens ad bonum, vel quod velit divertere a bono in quantum hujusmodi. Igitur beatus non potest velle vel agere, nisi attendens ad Deum; sic autem volens vel agens non potest peccare[2]. Vel paulo aliter cum eodem *S. Doctore:* «Beatitudo ultima consistit in visione divinae essentiae, quae est ipsa essentia bonitatis: et ita voluntas videntis Dei essentiam ex necessitate amat quidquid amat sub ordine ad Deum: sicut voluntas non videntis Dei essentiam ex necessitate amat quidquid amat sub communi ratione boni, quam novit; et hoc

1 Loc. cit. ex I-II.
2 I p. q. LXII, a. 8.

ipsum est quod facit voluntatem rectam: unde manifestum est quod beatitudo non potest esse sine recta voluntate»[1].

Sequentia ergo ad rationem perfectae felicitatis spectant: 1) aeterna et inamissibilis summi boni possessio, 2) exclusio omnis moralis inordinationis et 3) utriusque certa cognitio ita scilicet, ut beatus plane securus sit se nullum unquam malum commissurum ejusque beatitatem in perpetuum esse duraturam. Ex quo fas est colligere hujusmodi attributa non tantum perfectae beatitudini supernaturali, sed naturali quoque, dummodo perfecta supponatur, optime convenire, quia de essentiali ratione beatitudinis est ut excludat omne malum. Et de iis sufficiat; cetera ad Theologos[2].

§ 3.

UTRUM IN HAC VITA POSSIT ALIQUIS PLENAM BEATITUDINEM CONSEQUI[3].

Summa rerum. 1. *Errores*—Epicurei—Ant. Genuensis—Stoici—Naturalistae—Progressistae—Socialistarum turba. 2. *Quid senserint Pythagoras, Plato et Aristoteles.* 3. Thesis: *Aliqualis beatitudinis participatio in hac vita haberi potest. Perfecta autem et vera beatitudo non potest haberi in hoc mundo. Explicatur. Ostenditur quoad utramque partem.* 4. Quaeres: *In quo consistat haec imperfecta beatitudo tam principaliter quam secundario.* 5. *Corollaria.*

1. Ad propositam quaestionem affirmative respondet turba magna *Sensistarum, Positivistarum* et *Materialistarum* hujus temporis, *Epicureorum* placita sectantium quibus beatitudo nihil aliud est, quam summa voluptas corporalis, vel utilitas ex rebus materialibus hominumque actionibus in praesenti vita comparanda. Communis enim horum omnium maxima primumque moralitatis praeceptum est: *Fuge dolorem; sectare voluptatem; vita brevis et bona; edamus,* inquiunt, *et bibamus, post mortem nulla voluptas.*

Ab Epicureorum deliriis non satis recedit ***Antonius Genuensis,***

1 I-II, q. IV, a. 4; Cfr. ib. q. V, a. 4 et 7; II *Sent.-Dist.* VII, a. 1 et 2; et *Dist.* XXIII. q. I, a 1.

2 Cfr. inter alios, Joan. a S. Thoma, loc, cit. Disp. II, a 5. et Salmantic., *Disp.* IV, Dub. un. ubi contra Scotum defendunt Beatos *ab intrinseco ex ipsa natura beatitudinis* et non solum *ex manutenentia Dei* esse omnino impeccabiles; Suarez, Disp., X. sect. I; Philippus a SS. Trinit., *Disp.* VI, Dub. I.

3 Cfr. D. Th. in VIII *Ethic., lect.* I; Salmantic., *Disp.* VI. Dub. I, et II; Goudin, loc. cit. a. 3, § 1 et 2; Farges et Barbedette; loc. cit. n. 15; Mendive, *Ethica*, c. IV. a. 2; *Tanquerey, Synopsis Theol. Mor.*, loc. cit. a. I, § I, n. 19; Arendt, *Filosofia Moral*, c. I, §. 2, n. 17; Chr. Pesch, sect. I, a. 5, n. 524 et sqq.; Ferretti, loc. cit. n. 36.

qui felicitatem hujus vitae constituendam putat *in immunitate a doloribus animae et corporis*. Ait enim: «Ecquid natura nostra poscit? Nempe, non dolere corpore, non aegrescere animo, idque persentire vivide constanterque. Igitur conscientia vacuitatis doloris et aegritudinis magnum est illud bonum et summum quod in hac vita homines appetunt et sequuntur; ei cogitant, ei adlaborant. Quidquid agunt, quidquid abstinent, fugiendi causa doloris repellendaeque aegritudinis agunt abstinentque» [1]. Haec autem sensismum sapere, vel saltem sensismo iter planum sternere, quisquis voluerit intelliget.

Ad mortalem quoque vitam felicitatem coarctant *Stoici*, illam in virtute et sapientia collocantes.

Item, *Naturalistae pantheistae* et *Progressistae* effutientes hominem ad indefinitam propriarum facultatum perfectionem et jugem humanitatis evolutionem in praesenti vita a natura destinari. *Socialistae* paradisiacam felicitatem, actuali rerum statu susdeque everso, quamprimo redituram fidenter sperant.

2. Magis ad veritatem accessere ***Pythagoras,*** qui interrogatus, *quid facerent homines ut Deo similes evaderent?* respondit: *si veritati studerent;* ***Plato*** et ***Aristoteles,*** nobilesque alii antiquitatis philosophi, quorum, in inquirenda vera felicitate, magnam *hinc inde patiebantur angustiam praeclara ingenia* [2], illamque sitam esse in contemplatione veritatis adumbrarunt. *A quibus angustiis liberabimur, si ponamus homines ad veram felicitatem post hanc vitam pervenire posse, anima hominis immortali existente* [3].

3. Ad quaesitum autem respondemus cum ***Angelico.***

Thesis. Aliqualis beatitudinis participatio in hac vita haberi potest: Perfecta autem et vera beatitudo non potest haberi in hac vita [4].

Assertio duplicem supponit beatitudinem, perfectam scilicet et imperfectam. *Perfecta* definiri potest *in communi* cum ***Cicerone:*** *secretis malis omnibus cumulata bonorum possessio;* vel cum Boetio: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Quod si, non jam secundum communem rationem, sed juxta *id in quo specialiter* consistit beatitudo spectetur, definienda est: *Visio immediata seu facialis divinae essentiae ut in se est,* ratione cujus beatus eo in statu constituitur in quo, secretis malis

1 *De jure et offic.*, lib. I, c. I. § 5, apud Roselli in not., *Ethic.*, q. II, a. 2.

2 *Contra Gent.*, lib. III, c. 48 circa finem. Beguardorum et Beguinarum error fuit asserentium homines in hac vita illam beatitudinem posse consequi quae habetur in patria.

3 S. Th., ib.

4 I-II, q. V, a. 3; Goudin, q. I, a. 3, § 1 et 2. Signorello, p. I, c. I, n. 5, Cfr. Cathrein, c. I, a. 4; Lescoeur, *La Science du Bonheur*, Paris 1873; Farges et D. Barb. n. 15.

omnibus, omni fruetur bono. *Imperfecta* erit *aliqualis participatio hujus beatissimi status.*

Jam: *Posterior pars assertionis nostrae,* id est, quod perfecta beatitudo haberi non possit in hac vita, si beatitudo secundum datam definitionem *specialiter* consideretur, demonstratione non indiget.

Quod autem, inspecta beatitudine *secundum communem rationem*, non possit aliquis in hac vita veram et perfectam beatitudinem adipisci probatur triplici *S. Th.* ratione.

1.ª «Ultimus finis hominis terminat ejus appetitum naturalem ita quod, eo habito, nihil aliud quaeritur; si enim adhuc movetur ad aliud, nondum habet finem in quo quiescat. Hoc autem in hac vita non est possibile accidere; quanto enim plus aliquis intelligit, tanto magis in eo desiderium intelligendi augetur, quod est omnibus naturale; nisi forte aliquis sit qui omnia intelligat, quod in hac vita nulli unquam accidit qui esset homo nec est possibile accidere» [1].

2.ª «Felicitatem perfectum quoddam bonum omnes confitentur, alias appetitum non quietaret. Perfectum autem bonum est quod omnino caret admixtione mali, sicut perfectum album est quod est omnino impermixtum nigro. Non est autem possibile quod homo in statu istius vitae omnino sit immunis a malis non solum corporalibus, quae sunt fames, sitis, aestus et frigus, et alia hujusmodi, sed etiam a malis animae. Nullus enim invenitur qui non aliquando praetereat medium in quo virtus consistit, vel in plus, vel in minus, qui non etiam in aliquibus decipiatur, vel saltem ignoret quae scire desideret, aut etiam debili opinione concipiat ea, de quibus certitudinem habere vellet. Non est igitur aliquis in hac vita felix» [2].

Paucis: Felicitas perfecta est quoddam bonum carens omni malo; atqui praesens vita multis implicatur malis tum corporis tum animae; ergo perfecta felicitas in hac vita haberi non potest.

---

1 *Contra Gent.*, lib. III, loc. proxime cit.

2 Ib. Cfr. sex aliae quas ib. adducit rationes. Idipsum abunde probari poterat ex illorum hominum testimonio qui ut feliciores reputati sunt. Preguntaron un día al célebre Canciller Bismark, cuánto había gozado en medio de tantos honores y de tan poderosa influencia como disfrutaba, y respondió sinceramente: «Si se juntasen todos los momentos de felicidad que he tenido en tantos años, no compondrían las 24 horas de un día».

Napoleón decía: «Solo una hora de mi vida fué verdaderamente feliz; la hora de mi primera comunión».

Schiller confiesa que no sabe de sí más que una sola cosa, esto es que «jamás ha sido feliz, que su corazón estaba vacío, llena de tinieblas su cabeza y que ignoraba lo que quería».

Goethe ha escrito mucho para saber si fué feliz, y dice que no lo fué.

Enrique Müller de Rostock, que después de dos siglos es todavía para los Protestantes el más querido de los poetas, murió afirmando que «aquí abajo no había tenido un solo día de gozo».—Cfr. A. M. Weiss, Confer. VIII; Baunard, *Le doute et ses victimes*, 5.ª ed. Paris 1879.

3.ª quam fere omnes auctores, post *D. Thomam,* exscribunt. Beatitudo cum sit perfectum et sufficiens bonum, omne malum excludit, et omne desiderium implet. In hac autem vita non potest omne malum excludi; multis enim malis praesens vita subjacet quae vitari non possunt, ut a) ignorantiae ex parte intellectus, b) inordinatae affectioni ex parte appetitus, et c) multiplicibus poenalitatibus ex parte corporis.

«Similiter etiam boni desiderium in hac vita satiari non potest. Naturaliter enim homo desiderat permanentiam ejus boni quod habet. Bona autem praesentis vitae transitoria sunt, cum et ipsa vita transeat, quam naturaliter desideramus et eam perpetuo permanere vellemus quia naturaliter homo refugit mortem. Unde impossibile est quod in hac vita vera beatitudo habeatur»[1]. Necessario igitur admittenda est altera vita ubi desiderium felicitatis perfecte et totaliter expleatur. «Impossibile enim est, inquit Angelicus, naturale desiderium esse inane; natura enim nihil facit frustra. Esset autem inane naturae desiderium, si nunquam posset impleri. Est igitur implebile desiderium naturale hominis. Non autem in hac vita, ut ostensum est. Oportet igitur quod impleatur post hanc vitam. Est igitur felicitas hominis post hanc vitam»[2]. Habes peroptimum argumentum ad demonstrandam animi immortalitatem et futuram alterius vitae existentiam.

Prob. prima pars assertionis nostrae, *quae directe ferit Pessimismi fautores.*

Beatitudo imperfecta, cum sit aliqualis perfectae beatitudinis participatio, similitudo et inchoatio, sicut haec sita dicitur in stabili summi boni possessione per cognitionem intuitivam quam sequitur jucundissima delectatio voluntatis ex cognitione causata, ita debet consistere in aliquali cognitione et amore summi boni, nempe Dei; atqui haec cognitio et amor cognitionem consequens non solum est possibilis, sed homo, sola ratione ductus tenetur Deum cognoscere et illum amore prosequi atque super omnia diligere tanquam suum ultimum finem. Ergo beatitudo imperfecta haberi potest in praesenti vita mortali.

4. Quaeres. ***In quo consistat haec imperfecta beatitudo.***

Respondeo cum *S. Th.*[3] *Beatitudo imperfecta, qualis hic haberi potest, primo quidem et principaliter consistit in contemplatione; secundario vero in operatione practici intellectus ordinantis actiones et passiones humanas.*

---

1 I-II, q. V, a. 3.

2 *Contra Gentes.*, lib. III, c. 48.

3 I-II, q. III, a. 5. Cfr. Jacquier, *Instit. Philos.*, t. VI, p. I, c. III, a. 1; Cathrein, *Philos. Mor.*, p. I, c. I, a. 4.; Ferretti, c. I, a. 3.

Quod principaliter consistat in contemplatione non obscure cognovit Philosophus, cujus rationes sic exponit Angelicus.

«Dictum est prius quod felicitas est optima operatio. Optima autem inter operationes humanas est speculatio veritatis. Quod patet uno modo ex parte potentiae quae est operationis principium, et sic patet hanc operationem esse optimam, sicut intellectus est optimum eorum quae in nobis sunt. Alio modo ex parte objecti quod dat speciem operationi, et secundum hoc etiam haec operatio est optima; quia inter omnia cognoscibilia optima sunt intelligibilia et praecipue divina, et sic in eorum speculatione consistit perfecta humana felicitas.....

Communiter existimamus quod felicitati delectatio adjungatur; inter omnes autem operationes virtutis delectabilissima est contemplatio sapientiae; habet enim philosophia in sapientiae contemplatione delectationes admirabiles et quantum ad *puritatem* et quantum ad *firmitatem*. Puritas quidem talium delectationum attenditur ex hoc quod sunt circa res immateriales. Firmitas autem earum attenditur secundum hoc quod sunt circa res immutabiles. Qui enim delectatur circa res materiales incurrit quamdam impuritatem affectus ex hoc quod circa inferiora occupatur. Qui autem circa res mutabiles delectatur non potest firmam delectationem habere; quia mutata re aut corrupta quae delectationem afferebat, delectatio cessat et quandoque in tristitiam vertitur[1].

His adjungi potest, hanc speculationem hominem reddere Deo similem, eo quod Deus beatus est in sui contemplatione.

Secundario sita est humana felicitas hujus vitae in ordinatione affectuum et passionum exercitioque virtutum[2]; quoniam contemplatio veritatis requirit animum pacatum et a praejudiciis et passionibus liberum. Requiruntur etiam bona externa, «*non quasi de essentia* beatitudinis existentia, sed quasi *instrumentaliter* deservientia beatitudini quae consistit in operatione virtutis. Indiget enim homo in hac vita necessariis corporis tam ad operationem virtutis contemplativae quam etiam ad operationem virtutis activae, ad quam etiam plura alia requiruntur quibus exerceat opera activae virtutis»[3], ut bona dispositio corporis, societas amicorum etc.

5. **Corollarium I.** Cum beatitudo hujus vitae, ut dictum est, consistat in tendentia ad beatitudinem perfectam sitque illius inchoatio et similitudo, cumque *Deus* clare *cognoscendus* et immobiliter *amandus* constituat objectum beatitudinis patriae, recte deducitur beatitudinem

---

1 X *Ethic.* lec. X.ª

2 Cfr. Cicero, *Paradoxon* II, *Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς ἐυδαιμονίαν* —In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum.

3 I-II, q. IV, a. 4.

viae ultimo sitam esse in *cognoscendo et amando Deum*. Deus enim cognitione et amore possidetur. Quidquid autem ab hac finali tendentia deordinatur rationem verae beatitudinis non participat. Igitur hisce duobus actibus, cognitione et amore, qui praecipui sunt inter actus virtutum, ad Deum tendimus et disponimur ad futuram beatitudinem patriae adipiscendam[1].

Corollarium alterum. Quamvis hujus vitae felicitas sit quaedam similitudo illius beatitudinis ubi cuncta sunt recta semperque possidenda, ab istius perfectione maxime deficit, cum hic securitatem possidendi Deum, ex qua praesertim pax et tranquillitas animi verumque gaudium consurgit, nunquam habeamus. Unde sapienter ***S. Augustinus:*** *Hic dicimur quidem beati quando pacem habemus quantulamcumque hic haberi potest in vita bona, sed haec beatitudo illi, quam finalem dicimus, beatitudini comparata, prorsus misera reperitur*[2].

Corollarium III. Ergo nihil prodest aliarum rerum cognitio et amor, deficiente cognitione et amore divinorum. *Infelix homo,* ajebat ***Magnus August.,*** *qui scit illa* (bona creata), *te autem* (Domine) *nescit. Beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui vero et te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus*[3].

---

1 Cfr. Antonius a Spiritu Sancto, C. D. *Directorium Mysticum* (nova edit., Parisiis 1904), Tract. IV, Disp. I, sect. V, n. 37 et sqq.

2 *De Civit Dei*, lib. XIX, c. I.

3 *Confess.* lib. V, c. III; S. Th. I-II, q. V, a. 3. ad 1. «Beati dicuntur aliqui in hac vita vel propter spem beatitudinis adipiscendae in futura vita, secundum illud Rom. VIII. 24: *Spe salvi facti sumus;* vel propter aliqualem participationem beatitudinis secundum aliqualem summi boni fruitionem». «Homines reputant in hac vita esse aliquam beatitudinem propter aliquam similitudinem verae beatitudinis: et sic non ex toto in sua aestimatione deficiunt» ib. ad 3.

DISPUTATIO II

DE

ACTIBUS HUMANIS

IN ORDINE AD EORUM PRINCIPIUM INTRINSECUM

SEU

IN SUO ESSE PHYSICO INSPECTIS

Totius Disputationis argumentum. Praemisimus in Prologo ad Disput. I, actus humanos, quorum generalis consideratio ad Ethicam spectat, primo et per se respicere finem in quem tendunt et a cujus amore proficiscuntur. Ergo, fuse declarata natura finis tam in communi quam in particulari, agendum superest de actibus ipsis quibus finis obtinetur. Actus vero humanus tripliciter considerari potest, ut alibi innuimus; 1) in ordine ad voluntatem deliberatam a qua procedit quaeque est conditio quae moralitati substernitur; 2) in suo esse morali; 3) in ordine ad principium extrinsece regulans ipsam actuum humanorum moralitatem, quod est duplex: *remotum* et *proximum*, lex scilicet et conscientia. Haec autem omnia per partes volumus explanare, ne, simul proposita atque disserta, lectoris confundant memoriam. Et primo quidem de actibus humanis in ordine ad libertatem. Circa quod duas instituimus quaestiones, unam de **natura voluntarii**, alteram vero de **iis quae influunt in voluntarium.**

QUAESTIO I.

DE VOLUNTARIO

Articulus I

Praesupponenda voluntario[1]

Summa rerum. 1. *Ordo physicus.* 2. *Ordo moralis.* 3. *Actus physicus et moralis.* 4. *Utriusque differentia.*—*Quorumdam opinio.*—Thesis I: *Actus physicus reipsa ab actu morali secernitur.*—Probatur nostra sententia. 5. Thesis II: *Ordo moralis ab ordine physico realiter distinguitur.* Prob. 6. *Scholion.* 7. *Tria in actu physico consideranda.*

1. **Ordo physicus.** Existere in mundo seriem indefinitam causarum, quae vinculis *dynamicis* et *theleologicis* in se invicem agentes ordinem *cosmicum* efformant, in comperto est apud omnes philosophos. Nam quidquid in rerum natura entitatem habet praeditum est activitate seu energia, a qua diversae operationes pro diversitate substantiarum procedunt. Inter omnes autem causas proculdubio eminet homo, principem locum occupans in rerum universitate. Ipse pariter natura quaedam est pluribus instructa facultatibus, quibus, velut totidem instrumentis, suas exercet operationes et ad finem, quo cuncta sollicitantur, peragit cursum. *Conspiratio rerum omnium naturalium in proprios fines, et his mediantibus, in finem unum communem*, en *ordo physicus*, seu naturalis, complectens entia omnia mobilia seu mutationi obnoxia, homine non excepto.

2. **Ordo moralis.** At praeterea homo in alio constituitur ordine, habet enim modum proprium operandi. Ceterae namque res diriguntur in finem quasi ab alio ductae et actae, mere *executive* et ad plurimum *apprehensive*, ex instinctu et fatali quadam necessitate. Homo autem suas operationes rectae rationi conformare studet, et ideo ejus modus proprius operandi est per *respectum ad certam regulam.* Hujusmodi respectus actui physico superadditus, *moralitas* vocatur. Plura sunt entia quae praedictum respectum ad regulam rationis praeseferunt et *mo-*

---

1 Cfr. Salmantic. Tract. XI, *Disp.* I, *Dub.* II; Suarez, *Tract.* III, *Disp.* IV, sect. IV; Pacetti, *Instit. Philos. Mor.* t. I, p. II, c. I; Raphael a S. Joseph, *De actibus humanis*, c. I; Collegii Salmantic. B. M. V. de Monte Carmeli, *Cursus Theologiae Moralis*, Tract. XX, c. I, Punctum III, et egregium ejusdem Operis *Compendium*, nulli Theologo ignotum, Tract. I; alii auctores cum de *Moralitate act. hum.*

ralia dicuntur, uti habitus *vitii* et *virtutis, finis, objectum* et *circumstantiae* actuum humanorum, *lex* ipsa et *conscientia, jus* et *officium, auctoritas, societas,* aliaque similia, ex quorum complexu *ordo moralis* efflorescit. Verum haec omnia *non una ratione,* ut infra dicetur, moralia praedicantur, sed per diversum ordinem quem dicunt ad actum humanum, qui idcirco, ut usu venit in Scholis, *primum analogatum,* dicitur.—Modo indubiam supponimus ordinis moralis existentiam, quam, Deo dante, in Disput. sequenti demonstrabimus[1].

3. Actus moralis est aggregatum quoddam ex duplici entitate, *physica,* scilicet et *morali,* proindeque in homine humano modo operante duplicem distinguimus actum, *physicum* nempe et *moralem. Actus physicus* est qui vitaliter procedit ab intellectu et voluntate aut ab alia potentia *prout subjicibilis regulis morum* seu capax est moralitatis. Ipsemet vero actus *quatenus reipsa illis subjicitur, moralis* dicitur. Actus nempe humanus physice consideratus est quasi materiale et fundamentum actus moralis, qui propterea actui physico, in suo esse jam constituto, supervenire concipitur, et a quo reipsa distinguitur.

4. Equidem entitas moralis ab entitate physica actus individui *reali separatione sejungi non potest;* id vero non officit quominus praedictae entitates *re differant* et antecedenter ad mentis considerationem distinctae sint, non tanquam res et res, sed potius ut realitas quaedam et ejusdem specialis ratio seu respectus ad aliquid extrinsecum, quo carere potest, salva essentia physica actus, eo ferme modo, ut communi utamur exemplo, quo moneta in suo esse physico aeris constituta concipitur priusquam per effigiem regiam ipsi impressam in esse quasi morali monetae constituatur. Et quamvis moralitas sit actui physico intrinseca, ad differentiam regii sigilli qui tantum ab extrinseco monetam afficit et modificat, nullatenus tamen cum illo identificatur, nec sola ratione etiam si sit ratiocinata distinguitur, ut nonnulli opinati sunt[2], sed reipsa et ante mentis considerationem prorsus distinctae praefatae duae entitates reperiuntur.

---

1 Qui existentiam ordinis moralis inficiantur vel de ea dubitant, non *ratione* instruendi, sed poena essent coercendi, juxta dictum Philosophi. Non oportet, inquit Stagirita, nos omne problema neque omnem thesim in quaestionem vocare, sed de qua quaerat aliquis eorum qui rationem desiderent, nec poenan aut sensum. Nam dubitantes *utrum dii sint colendi et parentes diligendi necne,* poena indigent; dubitantes vero *utrum nix alba sit necne,* sensu». Οὐ δεῖ δὲ πᾶν πρόβλημα, οὐ δὲ πᾶσαν Θέσιν ἐπισκοπεῖν, ἀλλ' ἢν ἀπορήσειεν ἄν τις τῶν λόγου δεομένων, καὶ μὴ κολάσεως, ἢ αἰσθήσεως· οἱ μὲν γὰρ αποροῦντες πότερον δεῖ τοὺς Θεοὺς τιμᾶν καὶ τοὺς γονέας ἀγαπᾶν ἢ οὐ κολάσεως δέονται, οἱ δὲ πότερον ἥ χιὼν λευκὴ, ἢ οὔ, αἰσθήσεως. Topic. lib. I, c. XI, (ed. Didon).

2 Cfr. P. N. Raphael a S. Joseph, *De Actib. hum.*, c. I, a. 3, n. 29. Ipse remittit lectorem ad Billuart, *De Act. hum.* Diss. IV, a. I, et ad Salmantic. (Morales) Tract. XX, c. I, sed, ex his quae praefati Auctores ib. docent, nihil contra nostram assertionem licet

Considerentur namque actus imperati, et inter moralitatem et entitatem physicam eorumdem distinctio realis luce meridiana clarescet. Et quamvis haec realis distinctio difficilius concipiatur in actibus elicitis, quippe actiones voluntatis quae per se intrinsece malae sunt, puta volitio furandi, odium Dei, et similia, videntur legi contraire per ipsam suam substantiam, ideoque non esse morales per aliquid superadditum, nihilominus in his etiam realis distinctio admittenda est. Non enim, ut supponitur, volitio furandi, odium Dei, etc., contrariantur legi per suam substantiam physicam; sunt equidem res in quibus hujusmodi contrarietas exercetur, ipsae vero res seu actiones physicae non sunt *formaliter* legi contrariae; id enim illis advenit ex aliquo supperaddito et ab illis proinde distincto. Sit ergo

Thesis I. Actus physicus reipsa ab actu morali secernitur.

Prob.

Diversum est utriusque specificativum; Ergo. ***Probatur antec.*** Specificativum realitatis actus physici est objectum per se et primo volitum secundum suam bonitatem realem, praeciso respectu ad regulas morum; specificativum vero morale saepe non est ipsum objectum primo volitum, ut accidit in actibus indifferentibus, qui nullam ex objecto primario sumunt moralitatem, sed ex circumstantiis, ut cum rem propriam vendere intendo in loco sacro.

Neque dicas tunc praedictam circumstantiam transire in objectum morale actionis ipsumque constituere consequenter ab illo non differre, quoniam id nostrum sentiendi modum confirmat; nam in praedicto casu apparet manifeste actum physicum vendendi rem propriam in loco sacro non esse moralem per propriam entitatem venditionis, sed per extraneam differentiam seu formalitatem. Si ergo actus humanus contrahitur ad esse physicum et ad esse moris per formalitates a parte rei distinctas, praedictae duae entitates in actu individui de facto et reipsa distinguuntur [1].

5. Nihilominus, hac reali distinctione sublata, non ideo concutitur differentia ordinis moralis et physici quae nunc est probanda.

Thesis II. Ordo moralis ab ordine physico realiter distinguitur.

Distinctio utriusque ordinis constat a) *ratione extensionis.* Etenim ordo moralis coarctatur ad solam naturam rationalem. Nam, licet quidam

---

inferre. Plurimum tamen interest praedictam realem distinctionem inter entitatem physicam et moralem actus retinere. Eam tuentur Salmantic. Dogm., Disp. I, Dub. II, per tot. ad q. XVIII, D. Th.

1 Cfr. N. Andreas a Cruce, q. XVIII, D. Th. a. I, Disp. CI, Dub. I; Philippus a SS. Trinit., Disp. XVIII, Dub. I et II.

philosophi hujus temporis, a vera et cordata sapientum opinione recedentes, non vereantur nescio quae jura brutis animantibus adjudicare, tamen nemo sanae mentis bruta animantia eorumque actus sicut nec plantas et mineralia ausus est moralia serio denominare; nec homines aliquo vinculo morali officioque naturae aut positivo erga illa teneri unquam asseruit. Ergo ordo moralis, cujus existentiam omnes adsciscunt, ad entia rationalia limitatur. Ordo vero physicus ad universam naturam creatam, quae in finem communem propriis actionibus conspirat, extenditur.

Ordinis moralis ab ordine physico differentia demonstratur quoque b) *ex ipsa hominis perfectione.* Alia enim est, et longe diversa, perfectio physica et perfectio moralis unius ejusdemque hominis; quoniam non raro videntur homines ob defectum naturalem physica constitutione deformes virtutibus multis coruscare, et e contra, quot homines, qui corporis pulchritudine, ingenii solertia caeterisque naturae donis praestant, in omni dedecore tanquam immunda animantia volutantur! Ergo ordo moralis distinctus est ab ordine physico.

c) *Idipsum conspicitur* in actu humano, qui, ut supra diximus, duplici quasi entitate componitur, physica scilicet et morali, adeo distinctae ut idem numero actus physice consideratus possit transire de non morali in moralem, v. gr. comestio carnium incepta ante mediam noctem feriae sextae et post inceptum diem prosecuta; et esse bonus bonitate physica et pravus in ordine moris, ut actio latronis dextere furantis rem coram domino.

d) Postremo, ne plura argumenta ad rem claram probandam congeramus, inter entia quae ad ordinem moralem tanquam partes spectant haud ultimum tenet locum auctoritas socialis; atqui auctoritas socialis non est *virium materialium summa,* nec potentia aliqua physica, sed quid aliud a viribus materialibus et ordine physico, omnium sententia, prorsus distinctum; ergo ordo moralis non est cum ordine physico confundendus.

6. **Scholion**: Hac sola conclusione funditus convelluntur *Positivismus, Utilitarismus* sive privatus sive publicus, et *Physiocratismus,* necnon theoria *factorum consummatorum,* quae ultimatim omnem moralitatem et justitiam ad vim physicam commodumque temporale reducunt.

7. Jam: In actu humano physice considerato, sicut in qualibet alia actione naturali, tria sunt praecipue consideranda quae in ipsa idea actionis includuntur, scilicet: *subjectum potentiis praeditum;* etenim nulla substantia vel entitas rei naturalis est inmediate operativa, sed indiget alio tanquam medio ad eliciendas operationes: *objectum,* a quo

actio specificatur; et *ipsa actio,* quae est complementum facultatis. Omnis quippe actio est motus quidam: in omni autem motu est *principium, progressus* et *terminus;* principium, id est, subjectum a quo; progressus seu objectum ad quod movetur principium, et terminus, seu actio ipsa. Sic ergo, in actu humano physice considerato, principia sunt *intellectus* et *voluntas;* progressus *verum* et *bonum* respective, et terminus *exercitium* harum potentiarum. Haec tria necessaria sunt et praesupponuntur ad ordinem moralem, licet non sint ipse ordo moralis. De principiis ergo actuum humanorum in esse physico, seu de voluntario impraesentiarum est agendum.

Articulus II

Voluntarii notio[1].

Summa rerum. 1. *A quo veniat denominatio voluntarii. - Voliti et voluntarii differentia. 2. Conditiones requisitae ad voluntarium. 3. Realis voluntarii definitio.—Explicatur ex Angelico. 4. Naturale –spontaneum—involuntarium et non voluntarium quid sint et quomodo ad invicem distinguantur. Voluntarium—volitum et permissivum.*

1. *Voluntarium* denominative dicitur a voluntate, et potest trahi ad ea in quibus est aliqua participatio voluntatis secundum aliquam convenientiam ad voluntatem. Ita ***S. Thomas***[2]. A voluntate autem potest esse aliquid dupliciter: ut *objectum,* et ut *actus ejus* seu *effectus* ab ea causatus. Primum dicitur voluntarium *extrinsece* seu *objective,* ab actu nempe voluntatis qui circa illud versatur, et ideo potius quam voluntarium dicitur *volitum.* Quod altero modo procedit a voluntate dicitur voluntarium *intrinsece,* seu causaliter quia elicitur et procedit tanquam actus et effectus a voluntate ipsa operante.

---

1 Cfr. D. Th. III *Ethic.* lect. IV et V; *De Verit.* q. XXII et XXIV; I-II, q. VI; Suarez, Tract. II, Disp. I; Salmantic. Tract. X, Disp. I, Dub. I; Antonius a S. Joseph, *Compendium Salmantic.*, Tract. I, c. I; Laurentius a S. Theresia, C. D., *Specilegium Theologicum* seu *Difficiliores Controversiae*, Controv. II, *De voluntario*; Brocardus a S. Nicolao, C. D., de *Conscientia* q. I. Egregium Opus insertum in Cursu Completo Theologiae I. P. M. t. XI; De Marinis, q. VI; Philippus a SS. Trinitate, Disp. VII, Dub. I; Rosset, *Moralis*, p. II, c. II; Fed. Dalmau y Gratacós, *Etica ó Filosofia Moral* (Barcelona 1911) *Etica General*, c. I; Goudin, q. II, a. 1; Ferretti, vol. 1, c. II, a. 1; Christ. Pesch, loc. cit. sect. II, a. 1, § 1; Farges et D. Barbedette, *Ethic. Gener.* p. II, c. I; Mercier, *Psychologia*, p. III, sec. II.; Ed. Hugon, *Metaphys, Psychol.* p. I, Tract. II, q. I. a. I, et alii Philosophi in Dynamilogia.

2 I-II, q. VI, a. 2, ad 1.

2. Nomen *voluntarii intrinseci,* de quo nunc loquimur, generatim importat *quod motus et actus sit a propria inclinatione*[1]. Hinc primum quod requiritur ad rationem voluntarii est quod sit *a principio intrinseco.* Ea enim, quorum principium motuum suorum est extra, non moventur propria inclinatione, sed impulsione agentis extrinseci diriguntur in finem, ad quem propterea non sese movent sed moventur. Sed non omne quod movetur a principio intrinseco *voluntarie* dicitur moveri, principium enim motionis lapidis cum deorsum movetur est in ipso lapide, et tamen nemo dixerit mo tionem hanc esse voluntariam.

Et ideo non sufficit quod agens *agat,* sed ultra requiritur quod *agat propter finem.* Ad hoc autem quod fiat aliquid propter finem requiritur cognitio finis aliqualis. Altera ergo conditio ad rationem voluntarii est quod procedat a voluntate *cum cognitione finis.*

3. Ergo conformiter ad expositam doctrinam voluntarium definiri potest: *id quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis.*

Explicatur definitio:

Dicitur *id,* hoc est, *actus,* vel *omissio actus,* vel *effectus* ex alterutro procedens, id enim omne potest esse a voluntate tanquam effectus ejus, et ideo, ut supra dicebamus, voluntarium intrinsecum. Additur a *principio intrinseco,* sive *activo* sive *passivo,* non enim tantum voluntaria sunt quae agimus, sed pluries etiam nonnulla quae patimur. Nam, ajente Angelico Praeceptore, sicut *naturale* dicitur aliquid dupliciter: *uno modo,* quia est a natura sicut a principio activo, sicut calefacere est naturale igni; *alio modo,* secundum principium passivum quia scilicet est innata inclinatio ad recipiendam actionem ab extrinseco, ita *voluntarium potest aliquid dici dupliciter: uno modo, secundum actionem, puta cum aliquis vult aliquid agere; alio modo secundum passionem, scilicet cum aliquis vult pati ab alio. Unde cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur voluntate patiendi, non est simpliciter violentum, quia licet ille qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati, unde non potest dici involuntarium*[2].

Seipsum autem movere a principio intrinseco solummodo convenit appetitui sive rationali sive sensitivo. Alia vero, movente natura, tendunt in finem secundum inclinationem, quae idcirco dicitur *naturalis.* Sed quae voluntarie sesse movent operantur *intentionaliter,* hoc est, moventur ad finem et propter finem ex *cognitione.*

Denique, claudit definitionem voluntarii particula illa *cum cognitione finis,* quae esse potest vel solius phantasiae vel rationis. Duplex siquidem est cognitio finis *imperfecta* seu *materialis,* et *perfecta* quae *formalis*

1 D. Th., I-II, q. VI, a. 1. Cfr. Tanquerey, *Synopsis Theol. Moral. et Pastoralis. De actibus humanis.* c. I.

2 Ib. a. 5, ad 2.

quoque dicitur, ut alibi jam innuimus. Perfecta cognitio finis habetur «quando *non solum apprehenditur res quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis et proportio ejus quod ordinatur ad finem ipsum;* et talis cognitio finis competit soli rationali naturae. Imperfecta autem cognitio finis est *quae in sola finis apprehensione consistit, sine hoc quod cognoscatur ratio finis et proportio actus ad finem;* et talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per sensum et aestimationem naturalem»[1]. Verbo: esse ex cognitione finis *formaliter* est cognoscere *rationem* finis, *materialiter* vero est cognoscere tantum *finem*. Ergo actum esse perfecte et simpliciter voluntarium, ut modo dicemus, est procedere a voluntate rationali ex formali cognitione finis, esse vero secundum quid et materialiter est procedere a simplici apprehensione finis: primum soli naturae intellectuali convenit, alterum etiam brutis competere potest.

4. ***Naturale. Spontaneum. Voluntarium. Involuntarium. Non voluntarium.*** Non una est apud omnes auctores horum nominum significatio. Communiorem dabimus.

Naturale dicitur quod est naturae consentaneum; et in casu nostro, *actio vel motus agentis propter finem sibi a natura praestitutum,* ideoque opponitur *violento,* et reperitur in his etiam rebus quae omni carent cognitione cum operantur secundum propriam inclinationem; sic naturale est igni sursum tendere.

Spontaneum definitur *id quod procedit a principio intrinseco cum aliqua cognitione finis, vel materiali tantum,* juxta recentiores, vel *etiam formali,* ut opinabantur antiqui, quibus spontaneum idem erat ac voluntarium[2]. Hodie vero satis communiter spontaneum distinguitur a voluntario et definitur *inclinatio consequens formam intentionalem sensitivam.* Dicitur propterea de illis brutorum operationibus quae fiunt ex naturali inclinatione per sensum directa, et applicatur etiam ad illas hominum actiones quae procedunt a principio intrinseco et secundum inclinationem naturalem consequentem cognitionem sive sensitivam sive etiam intellectivam imperfectam. Hinc a) spontaneum opponitur *coacto;* coactum enim dicitur de actibus elicitis ab agentibus cognitione praeditis contra suam ipsorum inclinationem; et, ut patet, b) non omne spontaneum est voluntarium, licet omne voluntarium sit vel supponat spontaneum. Alii spontaneum dicunt *quod procedit a principio interno;* ergo convenit etiam plantis, seu comprehendit omnes actiones vitales[3].

Voluntarium est *cujus principium est intra cum cognitione finis,* sensu

---

1 D. Th., I II, q. VI, a. 2.
2 Cfr. Salmantic., Tract. X, *De volunt.*, Disp. I, Dub. I, § 2.
3 Cathrein, p. I, c. II, a. I, § 1.

explicato [1]. Ex qua definitione oppido colligitur discrimen inter *voluntarium, volitum* et *permissivum. Voluntarium* quippe dicitur de *actu* voluntatis, *volitum* de *objecto* in quod voluntas fertur, ut supra diximus, quod duplici modo contingere potest, inquit ***P. Raphael a Sto. Joseph,*** scilicet: a) ut illud objectum sit a voluntate sive directe sive indirecte pendens, tanquam effectus a sua causa, et tunc plane recidit in ipsum voluntarium objective sumptum: v. gr. dum, ex impulsu voluntatis, moves pedem vel manum, hic motus est simul voluntarius et volitus, b) ut sit objectum voluntatis inefficacis ab eaque minime procedens neque directe neque indirecte, quomodo pluvia, in terram avidam effusa, dicitur esse agricolae volita, quin ullo modo sit ipsi voluntaria; quomodo etiam mors optata inimici tui est tibi volita, non autem voluntaria, nisi ad eam procurandam aliquo pacto concurras. In hoc, addit, fundari potest peccatum, non autem obligatio restitutionis, aut quid aliud quod influxum voluntatis realem supponit [2]. Ab utroque differt *permissivum,* cum neque procedat a voluntate neque ipsi placeat, sed ad illud voluntas negative se habeat. Hinc intelligitur *volitum* in sua extensione latius patere quam *voluntarium* [3].

Involuntarium opponitur voluntario; et stricte acceptum est *illud quod procedit contra inclinationem voluntatis.*

Non voluntarium quod *nec est secundum nec contra inclinationem voluntatis,* quaeque proinde *negative* ad illud se habet.

Igitur inter *non voluntarium* et *involuntarium* haec interest differentia, quod *involuntarium* opponitur voluntario *contrarie positive,* est enim illud, inquit *Suarez*, quod est contra positivum actum seu appetitum elicitum voluntatis, ut satis patet ex ipsa nominis significatione [4]. Sed *non voluntarium negative* opponitur voluntario, est enim negatio actus voluntatis. Quam differentiam jam notaverat *S. Thomas* inter *non velle* (non voluntarium) et *nolle* (involuntarium). «Differt *nolo* et *non volo,* quia cum dicitur *non volo* negatur actus, et ideo opponitur sicut negatio ad affirmationem: sed in hoc verbo *nolo* et in toto condeclinio ejus remanet actus voluntatis et negatio fertur ad nolitum», id est, est positio actus voluntatis. «Utrumque *velle et nolle,* est affirmativum, actu voluntatis in utroque affirmato» [5].

---

1 Voluntarium definitur a Philosopho: cujus principium est in eo qui agit, res singulares illas, in quibus actio versatur, non ignorante: *Τὸ ἑκούσιον δόξειν ἂν εἶναι οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις.* III *Ethic.*, c. II (ed. Didon). Cfr. S. Th., ib. lect. IV.

2 loc. cit. c. II, a. 1. Cfr. Suarez, *De volunt. et invol.* Disp. I, sect. I, n. 2 ubi idem exemplum de morte ab alio effecta, me consentiente, non cooperante, adhibet.

3 P. Raphael, loc. cit.

4 loc. cit. Disp. II, sect. I, n. 1.

5 *De malo,* q. III, a. 8.

Articulus III

De
Divisionibus voluntarii.

Ad aequivocationes vitandas in resolvendis quaestionibus moralibus variae solent adhiberi voluntarii partitiones, praecipuae sunt: in *elicitum* et *imperatum; perfectum* et *imperfectum; necessarium* et *liberum; actuale, virtuale, habituale* et *interpretativum; expressum* et *tacitum,* in voluntarium *simpliciter* et voluntarium *secundum quid;* in *directum,* seu *in se,* et *indirectum* seu *in causa.* Singulas divisiones breviter explanabimus.

§ 1.

SPECIES VOLUNTARII[1]

Summa rerum. 1. *Voluntarium elicitum et imperatum.* 2. *Perfectum et imperfectum—Sti. Thomae sententia.* 3. *Necessarium et liberum—an necessarium possit esse perfectum.* 4. *Actuale, virtuale, habituale et interpretativum.* 5. *Expressum et tacitum.* 6. *Positivum et negativum.* 7. *An dari possit omissio voluntaria absque actu qui sit causa vel occasio ejus—Sententiae—Eligitur Salmanticensium opinio.* 8. *Ulterior inquisitio resolvitur.* 9. *Voluntarium simpliciter et secundum quid.—Communior acceptio post D. Thomam.*

1. Voluntarium *elicitum* est *quod immediate procedit ab ipsa voluntate,* seu cujus principium et subjectum est ipsa voluntas, ut amare, odisse.

Imperatum dicitur quod *procedit quidem a voluntate sed alia potentia mediante,* et ideo non consummatur penes ipsam voluntatem seu ipsa non est subjectnm, licet sit principium actus qui dicitur imperatus, ut actus imaginandi, cogitandi, deambulandi, scribendi, imperante voluntate. Actus ipsius voluntatis, scilicet *velle*, semper est elicitus, quamvis, prout sibimetipsi imperat velle, dici possit imperatus.

2. Voluntarium *perfectum* quod procedit a principio interno cum perfecta cognitione finis, seu *finis ut finis* est, quod soli naturae

---

[1] Cfr. Salmantic., Tract. X, Disp. I, Dub. II, et Disp. II-III.; Gonet, p. II, *Clypei Theolog. Thomist.* Tract. II, Disp. I-II; Haine, *Tract. De act. hum.* p. I. c. 2.; Wirceburgenses, *De act. hum.* c. I, a. I; Bouquillon, *Theolog. Mor. Fund.* lib. IV, sect. I, c. II; H. Noldin, S. I. *Summa Theologiae Moralis, De Principiis* (Oeniponte ed 6.ª 1906) n. 33 et sqq.; Willems, lib. III, c. III, sect. II; Meyer, lib. I, c. III; Zigliara, *Ethic.* lib. II, c. II, a. 4; Ferretti, loc. cit. n. 51, et alii Philosophi et Theologi Moralistae frequenter.

intellectuali convenit. *Imperfectum* vero quod ex *imperfecta cognitione procedit*. Quo sensu, cum bruta animantia finem materialiter, hoc est, per sensum et phantasiam cognoscant et ex hac apprehensione in illum tendant, voluntarium, licet imperfectum, brutis quoque convenire dicendum est. Nec valet objicere voluntarium dici a voluntate, quae cum non sit in brutis, voluntarie operari non possunt. Responderi enim potest voluntarium dictum esse a voluntate *generice* sumpta, id est, pro inclinatione seu tendentia consequente formam intentionalem sive sensitivam sive rationalem, non autem *specifice* pro facultate rationali.

Haec est *S. Th.* sententia. Quaerens namque *utrum in brutis animalibus inveniatur voluntarium*, post verba supra relata de duplici finis cognitione, concludit: *Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam prout scilicet, apprehenso fine, aliquis potest deliberare de fine et de his quae sunt ad finem, moveri in finem vel non moveri; imperfectam autem cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem imperfectam, prout scilicet apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum. Unde soli rationali naturae competit voluntarium secundum rationem perfectam; secundum rationem imperfectam competit etiam brutis*[1]. Et sic conciliantur auctores, alii negantes, alii vero affirmantes, brutis voluntarium inesse.

3. Alia est divisio voluntarii in *necessarium* et *liberum* prout procedit a *voluntate ex cognitione determinata ad unum*, vel *cum indifferentia judicii*. Sufficit autem ad rationem liberi indifferentia contradictionis nec necessaria est indifferentia contrarietatis, multo minus indifferentia moralis quae nullatenus ad essentiam libertatis spectat, sed potius est ejusdem libertatis naevus. Quod autem sola indifferentia contradictionis seu exercitii sit libero arbitrio essentialis probat sapienter Angelicus his paucis verbis: *Hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit, et hoc Deo convenit; bona enim quae facit potest non facere, nec tamen malum facere potest*[2]. Recole dicta in Psychologia.

Hic obiter animadvertimus voluntarium necessarium posse esse perfectum sicut liberum, nec cum libero perfectum converti ut nonnulli censent; et ideo voluntarium perfectum potest recte dividi, ut subjectum in sua accidentia, in necessarium et liberum. De his consule Salmanticenses nostros[3].

---

1 I-II, q. VI, a. 2. Cfr. quoque Salmantic., loc. cit. Disp. I, Dub. II.
2 II *Sent.* Dist. XXV, q. I, a. 1.
3 loc. cit. Disp. III, Dub. I, et II.

4. Voluntarium *actuale, virtuale, habituale* et *interpretativum*. Haec vocabula diverso plane sensu accipiuntur a Moralistis. Nonnihil ergo immorabimur in eorumdem explicatione, maxime quia haec voluntarii partitio haud levis momenti est, inquit ***P. Raphael*** a ***S. Joseph***[1], quoad plurimas conclusiones in re morali, ideoque sedulo explicanda conformiter ad ea quae supra de relatione operum in finem fuse tradidimus.

Itaque voluntarium *actuale* est id in quod voluntas immediate ac directe fertur, seu quod hic et nunc ab ea elicitur vel imperatur: quod duplici modo fieri potest: a) per *actum signatum*, dum quis per reflexionem quasi signat actum quem exerciturus est, seu suam seriam volitionem reflexe cognoscit, dicens: volo hoc facere, v. gr. consecrare: et b) *per actum exercitum*, cum quis absque tali reflexione, seu reditu super suum actum, nihilominus attente agit. Sic sacerdos consecraturus, qui sine reflexione super suum actum attente et cum plena sui cognitione profert verba consecrationis, vult consecrare in actu exercito. Hujusmodi voluntarium vocatur etiam *directum*, *formale* et *explicitum*.

Voluntarium *virtuale* est illud quod fuit quidem actualiter praehabitum sive in actu signato sive in actu exercito, ut supra, sed jam praeteritum est, aut saltem non existit formaliter, nec tamen est retractatum, verum influxu suo adhuc perdurat; seu, aliis verbis, quod solum in aliqua re, seu determinatione directa vel indirecta (quae humano modo saltem incoepta fuerit et adhuc sub arbitrii potestatem cadere possit) moraliter perseverat, ac reipsa dirigit actionem. Ad rem ***S. Thomas***: *Aliqui actus dicitur durare dupliciter: aut secundum essentiam, aut secundum virtutem, sive effectum suum; sicut motio ejus qui lapidem projicit durat per essentiam actus dum manum lapidi movendo apponit; sed virtus motionis manet dum lapis ex vi impulsionis primae movetur*[2]. Sic v. gr. in viatore, *qui cupit optatam cursu contingere metam*, passus singuli, quos ponit ad illam, sunt ipsi *virtualiter* voluntarii, licet ad singulos non attendat, imo iter agens de rebus omnino diversis cogitet.....

Diximus «*in aliqua re seu determinatione quae humano modo saltem incoepta fuerit*», quia hoc requiritur ad notionem actus humani, quo deficiente, deficit voluntarium: «*et adhuc sub arbitrii potestatem cadere possit*» quia secus voluntas praehabita, ut voluntas est, interrupta censetur, quantumcumque phantasiae impulsum agens materialiter sequatur ex mera

---

1 *Institutiones Fundamentales Theolog. Moralis*, de quibus plura exscribimus.
2 IV *Sent. Dist.* XV, q. IV, a. 2.

promptitudine acquisita ad similes actus. Unde si sacerdos v. gr. missam noctambulus incipiat et perficiat, aut si, ea rite incoepta, postmodum in amentiam incidat, in neutro casu consecratio erit virtualiter voluntaria, deficit enim mediorum nexus intentionalis supradictus ac fini obtinendo proportionatus.

Hujusmodi voluntarium pertinere potest tum ad *directum* tum ad *indirectum* et dicitur *implicitum* ut pote inclusum in conceptu confuso, seu in aliquo generali volito, v. gr. officium suum adimplendi, faciendi quod facit Ecclesia, etc.

Voluntarium *habituale* est illud quod fuit etiam habitum et nullo modo retractatum, sed non perseverat, sicut virtuale, in aliquo sui effectu qui ab ejus virtute dependeat. Talis est v. gr. in sacerdote intentio pridie habita celebrandi pro certo defuncto, quae tamen intentio nullatenus eum hic et nunc in celebratione dirigit, quin potius aliam prae oculis habet, absque eo tamen quod haec, utpote magis limitata et coarctata quoad modum nolendi, priori praevaleat, aut quod priorem explicite vel implicite revocet.

Patet hujusmodi voluntarium habituale non esse confundendum cum quadam propensione seu proclivitate in phantasia vel sensu contra voluntatem permanente ex *habitu* antea contracto eosdem actus repetendi, ut contingit in consuetudinariis, etiam post conversionem, vel in iis qui, ex assuefactione aliquas actiones ponunt absque eo quod voluntas aliqua praecesserit, v. gr., dum in somno loquuntur, orant, disputant, etc. Quovis tandem sensu intelligatur, patet voluntarium habituale, non secus ac interpretativum mox explicandum, non sufficere ad reddendum actum, qui ex eo voluntarius denominatur, proprie ac praesenter humanum neque moralem.

Voluntarium *interpretativum* est illud quod neque adest, neque antea habitum fuit, sed quod haberetur, si de eo cogitaretur; quare potius dicas esse veluti inclusam dispositionem seu animi inclinationem prudenter praesumptam ad aliquid volendum, si adverteretur, quam voluntarium proprie dictum. Non est in agente, sed potius in interprete. Aliquando autem sufficit, aliquando non, prout ad subjectam materiam requiritur necne positiva voluntas anteacta. Ita claris. auctor N. O.[1]

5. Voluntarium *expressum* et *tacitum*. Primum est quod verbis aut signo aliquo exteriori distincte manifestatur. Alterum vero quod ex aliquo facto vel omissione adesse colligitur. Utrumque refertur, non ad voluntatem quae in utroque adest, sed ad manifestationem voluntatis. Ex quo patet distinctio inter voluntarium *tacitum* et *interpretati-*

1 Loc. supra cit. § 2, n. 57-62.

vum; in hoc enim voluntas actu deest et praesumitur affutura si ad casum operans advertisset; in illo vero adest vera voluntas.

6. Voluntarium *positivum* et *negativum* quod a scholasticis et ab ipso *S. Th. directum* et *indirectum* plerumque vocatur. Positivum est, uti ex ipsa vocis significatione patet, *positio actus voluntatis circa aliquid,* ut *velle audire sacrum,* vel, *velle non audire sacrum.* Negativum est *privatio* seu *omissio actus voluntatis* v. gr. *non velle* audire sacrum. Quemadmodum ex hac definitione colligitur indirectum non semper convertitur cum negativo, id enim quod sequitur ex omissione voluntarie posita est quidem voluntarium indirectum seu in alio, sed non viceversa.

7. Quod attinet voluntarium negativum quaestio subdifficilis movetur apud auctores hinc inde pugnantes ***utrum dari possit omissio voluntaria absque actu qui sit causa vel occasio ejus.***

Qua in re partem affirmativam tenet plures cum *Suarez*[1], scilicet, voluntarium negativum seu omissionem voluntariam posse inveniri sine actu qui sit causa vel occasio omissionis. *Cajetanus* vero, *Bannez, Salmantic.* aliique, sustinent nulla ratione posse dari omissionem voluntariam nisi aliquis actus antecedens vel concomitans per se vel per accidens sit causa vel occasio omittendi. Quoad mentem *S. Th.* et rationes quibus posterior sententia probatur et adversariorum objectiones enodantur vide *Salmanticenses* nostros ex quibus, brevitatis gratia, hoc conficimus argumentum. Voluntas non est principium voluntariae omissionis nisi ut est vitalis et activa, alias nullo pacto convenit illi definitio voluntarii, scilicet *esse ab intrinseco cum cognitione*, qua denotatur voluntarium supra volitum addere emanationem et originem a praedicto principio; atqui haec activitas non potest esse directe in ipsam omissionem, quia, cum omissio sit *non esse,* non est capax terminandi directe et immediate veram efficientiam; ergo necessario debet esse in aliquem actum, ratione cujus voluntas ut agens sit causa non agendi, et *ipsum non agere actum omissum* sit ab illa ut agente oppositum. Quod si actum omnino secludas, sicut nulla relinquitur via reducendi omissionem ad voluntatem in quantum activam, ita non concipitur quo pacto sit ab ea ut a principio voluntario. Imo neque absolute erit ab illa, quia ly *ab* intelligi non potest sine respectu ad efficientem[2]. Ergo licet verum sit, et hoc libenter concedimus, posse dari omissionem absque omni actu voluntatis qui sit de essentia ejus, nam in se omissio est privatio actus voluntatis, non tamen sine actu qui sit causa vel occasio illius.

8. Quod si ulterius inquiras ***an, ut omissio sit voluntaria,***

1 In q. LXXI, D. Th., Disp. I, sect. 5.
2 *De volunt.*, Disp. IV, Dub. I. Vide *D. Th.*, I-II, a. 5

requiratur non tantum quod possit, sed etiam quod debeat ponere actum, quod ponere omittit, non una est auctorum opinio. *Scotistae* communiter negant. Ex *Thomistis,* ***Joan. a Sto. Th., Sylvius, Billuart,*** aliique cum quibus ***P. N. Raphael,*** distinguentes omissionem ab effectu ex omissione sequuto, et voluntarium ab imputabilitate, requiri docent obligationem ponendi actum ad hoc quod effectus sit voluntarius et omissio imputabilis, non autem ad voluntarietatem omissionis quam adesse putant absque debito et obligatione, cum solo *posse* agere quod agere omittit. Verum ***Cajetanus, Gonet, Salmanticenses*** et alii, requirunt *debitum* ut ipsa omissio sit voluntaria [1].

9. *Voluntarium simpliciter et secundum quid.* Quidam sic hanc voluntarii partitionem accipiunt ut velint voluntarium simpliciter esse quod *procedit a voluntate cum pleno consensu et absque ulla inclinatione ad opposita:* secundum quid vero quod ab illa *procedit cum aliqua repugnantia in contrarium.* Sed communis sententia, post ***D. Thomam*** [2] praedictam acceptionem minime probat. Et ideo *voluntarium simpliciter* ad mentem Aquinatensis definitur, *quod hic et nunc, spectatis omnibus circumstantiis, voluntas vere vult,* v. gr. projectio mercium in mare tempore tempestatis propter timorem periculi. *Secundum quid* dicitur voluntarium *quod voluntas conditionate et inefficaciter vult,* v. gr. mercium conservatio, si abesset periculum amittendi vitam. Primum sufficienter exprimitur per hanc vocem *volo,* et vocatur etiam *absolutum;* alterum per hanc conditionalem *vellem,* et dicitur quoque *relativum.* Quando ergo voluntas tendit in duo quorum unum amplecti, alterum recusare tenetur, illud quod hic et nunc *efficaciter* vult, *simpliciter* velle dicitur; *unum quodque* enim, inquit ***D. Th.,*** *simpliciter esse dicitur secundum quod est in actu, secundum autem quod est in sola apprehensione non est simpliciter sed secundum quid* [3]. Illud autem quod hic et nunc relinquit, *inefficaciter* vult, et ideo est voluntarium *secundum quid.*

Alias quoque divisiones voluntarii apud auctores forte reperies, sed praeter dictas, praecipua et non parvi facienda est divisio voluntarii *in se* et *in alio,* de qua specialem paragraphum instituimus ob rei gravitatem.

---

1 Salmmantic., loc. cit., Dub. II, ubi de mente S. Th. in I-II, q. VI, a. 3; Philippus a SS. Trinitate, Disp. VIII, Dub. V.

2 Ib. a. 6.

3 Ib.

§ 2

DE VOLUNTARIO IN SE ET IN ALIO [1]

Summa rerum. 1. *Quaerenda.* 2. *Notiones voluntarii in se et in alio.* 3. *Quae requirantur ut aliquid censeatur voluntarium in causa.* 4. *Quae ad imputabilitatem tum ad bonum tum ad malum. — Regula generalis.* 5. *Conditiones ut quis non teneatur impedire effectum malum praeter intentionem sequutum ex causa vel actione ponenda.* 6. *Quo tempore incurratur reatus ad culpam in praefato voluntario.*

1. Quoniam praesens voluntarii partitio maximi momenti est in scientiis moralibus, ad eam diligenter explorandam accedimus. Hic autem erit ordo; definitionibus traditis, ordinatim aperiemus conditiones ut aliquid *a)* dicatur et sit *voluntarium* in causa, et *b)* ut censeatur agenti *imputabile* ad malum.

2. Itaque, *voluntarium in se,* quod recentiores *directum* appellant, est *id quod a voluntate directe et immediate intenditur tanquam finis sive tanquam medium,* et ideo voluntatis motus in ipsum fertur et in eo terminatur; v. gr. mors inimici *intenta,* vel *electio* pugionis ad ipsum vulnerandum; voluntas enim tendit in ipsam mortem et in electionem pugionis secundum se, et ideo tam mors quam electio sunt objectum directum ipsius voluntatis [2].

Ad hoc igitur voluntarium *sufficit* quod voluntas aliquid in se *intendat,* licet intendens sit causa moralis tantum et effectus valde remotus.

Voluntarium *in causa* seu *in alio,* quod *indirectum* etiam dicitur, est *id quod a voluntate procedit, non ut in se volitum, sed ut connexum cum alio voluntarie posito vel omisso ex quo sequuturum praevidetur,* v. gr. occisio hominis ex temeraria projectione lapidum in viam per quam homines transire solent. Si autem nullatenus praevideatur effectus ex causa sequuturus, vel agens rationem habeat se habendi *permissive* tantum ad illum effectum non erit voluntarium in causa sed involuntarium. Verum si *praevidit* effectum et praedicta ratio negative se habendi ad illum aberat, effectus est voluntarius in causa. Nam qui vult causam

---

1 Cfr. Suarez, *De volunt.* Disp. I, sect. IV-V; Salmantic., Disp. IV; Laurent. a S. Theresia, *Controv.* IV; N. Aug. Lehmkuhl, *Compend. Theol. Moralis,* Tract. I, c. II, a. 1, § 3; Tanquerey, *Synopsis Theol. Mor. De actibus hum.* c. II, a. 2; Noldin, loc. cit.; Haine, p. I, c. II, q. 7-10; Cathrein, p. I, c. II, a. 1, § 2; Ferretti, loc. cit. n. 51, Divisio 4.ª

2 Plures theologi voluntarium in se et voluntarium in causa a voluntario *directo* et *indirecto* plane distinguunt. Cfr. Suarez, loc. cit.

velle quoque censetur effectum ex illa sequuturum, licet hunc formaliter *in se* non intendat.

Patet autem, ut in exemplo videre est, et cum *Suarez* diligenter notat *P. Raphael,* pluries in hac quaestione laudatus, posse eumdem actum esse voluntarium in alio *causaliter,* et tamen esse in se *involuntarium objective,* imo, ut ipsemet perdoctus Carmelita animadvertit, posse esse *voluntarium in se, voluntarium in alio, et simul involuntarium,* ut si *Titius* v. gr. quaerens *Cajum* inimicum ad mortem, eum aggrediatur cum periculo laedendi ejus socium, quem cernit illi associatum; sed glande, praeter utrumque, feriat quoque *Sempronium,* quem neque videbat neque inibi adesse suspicari poterat. In casu *Cajus* percutitur ex voluntario directo *Titii;* socius ex voluntario in causa; et *Sempronius* praeter omne voluntarium[1]. *Nihil prohibet,* inquit *S. Th., unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius praeter intentionem*[2].

3. His positis, quaerimus ***quid requiratur ut aliquid censeatur praecise voluntarium in causa.***

Plerique philosophi et etiam theologi moralistae non satis accurate loquuntur cum agitur de conditionibus requisitis ad constituendum voluntarium in causa. Etenim *voluntarium* cum *imputabili* confundentes utrumque sub una consideratione comprehendunt, ideoque tria docent requiri tum ad voluntarium tum ad imputabilitatem actus vel effectus ex causa voluntarie posita sequuti, scilicet: 1) ut causa non leviter et remote sed *proxime* et *efficaciter* influat in effectum, 2) ut effectus *potuerit* praevideri, et 3) ut *debuerit* praevideri. Hic sistunt.

Nos autem utrumque secernimus, *voluntarium* nempe et *imputabilitatem ad culpam.* Primum enim dicitur praecise per ordinem ad suum principium intrinsecum a quo procedit et causatur; alterum vero supponit quidem voluntarium sed cum ipso non convertitur. Ratio namque voluntarii, inquit cl. ***P. Raphael,*** sita est *in connexione effectus cum voluntate agentis,* quae connexio *physica* est in *causa per se, moralis* vero in causa *per accidens,* supposito praecepto vitandi talem effectum. Ratio autem imputabilitatis ad culpam sita est proprie in *oppositione libera talis effectus voluntarii ad legem aliquam ipsum vetantem*[3].

Igitur ut aliquid censeatur *voluntarium in causa* quatuor sequentes conditiones *collective* requiruntur: 1.ª *ut causa vere influat in effectum,* seu,

1 Loc. cit. § III, n. 66; Suarez, Tract. II, Disp. I, sect. IV.

2 II-II, q. LXIV, a. 7.

3 Loc. cit. n. 75. Cfr. V. Cathrein, p. I, c. II, a. 1. § 2; Jos. Aertnys, *Theolog. Moral.* lib. I, Tract. I, c. II, a. 1, § 2.

quod detur talis connexio, sive ex natura rei sive ex intentione et modo operantis, inter causam voluntarie positam et effectum qui dicitur voluntarius in ea, ut sit et humano modo cognoscatur causam illam esse veram causam istius effectus, secus, nulla intercedente connexione, qui vult causam non censetur velle effectum, tunc enim non valet quod *est causa causae est causa causati,* cum, ex hypothesi, hujus revera causa non sit.

2.ª *Ut effectus ille praevisus fuerit, saltem in confuso,* ex tali actione vel omissione sequuturus. Non ergo sufficit quod effectus *potuerit* et *debuerit* praevideri; nam negandum est suppositum, scilicet, posse praevideri effectum, si de facto non praevideatur saltem in confuso et in generali cogitatione de obligatione advertendi. Prima enim idea alicujus rei non est in hominis potestate, cum intellectus sit potentia necessaria, quae non se determinat ad aliquid considerandum, sed ab objecto praesente determinatur[1]. Praeterea, nihil potest esse voluntarium quin aliquo modo praecognoscatur. Nihil volitum quin praecognitum. Ergo ut aliquis effectus dicatur voluntarius in causa necesse est quod aliqualiter saltem in confuso fuerit praevisus.

3.ª *Ut agens libere causam posuerit,* seu, ut adsit facultas non solum physica sed etiam moralis causam non ponendi vel positam auferendi; qui enim coactus est ad aliquam causam ponendam, non habet in sua potestate effectus inde secutos vitare, consequenter non sunt ipsi voluntarii, v. gr. omissio sacri die Dominica in eo qui carcere includitur.

4.ª *Ut agens illam causam auferre debuerit ne effectus sequatur,* seu, aliis verbis, ut justam causam non habuerit se tenendi *permissive* tantum ad illum effectum, et sic revera se tenuerit, quia *prosequenti jus suum non imputatur effectus praeter intentionem* sequutus, tunc enim non vult effectum, sed tantum *permissionem* effectus. Ad rem *S. Th.: sciendum quod non semper id quod sequitur ad effectum actionis, reducitur sicut in causam in agens ex eo quod non agit, sed solum tunc cum potest et debet agere. Si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio, quae per absentiam gubernatoris contingeret*[2].

Breviter. Posita causa quae revera sit talis respectu effectus qui eidem adscribitur, ad voluntarium indirectum seu in alio requiritur a) cognitio aliqualis saltem confusa effectus sequuturi ex positione vel omissione causae, b) *potentia* et c) *obligatio* ponendi vel tollendi cau-

1 P. Raphael, ib. n. 71.

2 I-II, q. VI, a. 3. Egregie de his pro more suo Tanquerey, loc. cit. n. 171-182. Cfr. Ninzatti, *Theolog. Moral.* (ed. 6.ª Aug. Taurin 1899), *De actibus human.*, c. II, a. 1.

sam, quia his deficientibus nulla datur connexio effectus cum voluntate, ideoque non est voluntarius.

4. **Ad secundam quaestionem** quod attinet, quid nempe requiratur ***ut effectus non solum sit voluntarius in causa sed etiam imputabilis,*** notandum primo est quaestionem restringi ad effectus *malos* ex positione alicujus causae provenientes. Nam quoad effectus *bonos* spectat nihil impedit quominus voluntas illos omnes *intendat* sicque sibi imputabiles faciat.

Consulto diximus *intendat*, non enim sufficit mera advertentia ut *bonitas* actionis effectuumque ejus imputetur agenti, sed requiritur, quod sit *in se voluntaria* seu *directe volita,* vel ut cum ***Divo Thoma*** loquamur, et esto regula, *ad hoc ut sit voluntas bona requiritur quod sit bona sub ratione boni,* hoc est, *quod velit bonum et propter bonum* [1]. Et ratio est quia nemo tenetur, nec *positive* censetur velle omne bonum quod in sua actione resplendet vel ex ea provenire advertit, sed potest mere *permissive* se ad illud habere, consequenter non est ei voluntarium, ut ex supradictis patet, neque imputabile ad laudem.

E contra, ad imputabilitatem *malitiae* contrahendam sufficit *advertentia* ad illam; nam quamprimum aliquis malum advertit, illud vitare tenetur, quod si non respuat malum censetur illud *positive* velle, eique imputatur ad culpam.

Ergo sit regula generalis: *Effectus malus, quem praeter intentionem ex sua actione sequuturum agens praevidet, huic imputari nequit quoties ad illum vitandum non tenetur; si autem praedictus effectus malus est voluntarius in causa, et aliquo jure aut praecepto, ab alio jure aut praecepto superiori non eliso, quis tenetur impedire et non impedit, eidem imputatur ut auctori.*

Circa primam partem regulae nota: 1.° quod dicitur ***praeter intentionem;*** nam si aliquo modo, id est, implicite aut explicite, proxime vel remote ipse pravus effectus ***intenditur,*** est voluntarius in se, ideoque imputabilis agenti: 2.° regulam non loqui de causa per se quae unum tantum habeat effectum, tunc enim unum cum causa constituit et idcirco si causa est voluntaria et imputabilis agenti, et effectus: 3.° quaestionem propterea restringi debere ad causam sive per se sive per accidens quae duos habet effectus, quorum unus bonus, alter malus; et inquirimus quandonam in particulari effectus malus praeter intentionem sequutus ex causa a qua etiam procedit effectus bonus, sit necne imputabilis, vel liceat bonum effectum intendere et ad malum permissive se habere: 4.° nota denique quod si, ut in secunda regulae parte dicitur, obligatio vitandi malum superetur seu elidatur ab obligatione seu jure superiori, tunc effectus malus in causis per accidens non imputatur ad culpam: sic non imputatur duci exercitus tempore obsidionis incendium

1 I-II, q. XIX, a. 7, ad 3.

agrorum ad arcendos hostes etiamsi propter hoc grave damnum inferatur pluribus innocentibus.

5. His suppositis, tres conditiones requiruntur et sufficiunt ut aliquis non teneatur positive impedire effectum malum certe sequuturum ex sua actione, et consequenter possit intendere effectum bonum et malum tolerare, videlicet:

a) *quod actio seu causa sit in se bona vel saltem indifferens.* Actio enim vel causa per se mala, eo ipso quod est mala, est illicita et prohibita, ergo multo magis erit mala et prohibita una cum effectu malo ex illa proveniente. Nec honestatur per effectum bonum ex illa sequutum, *non enim sunt facienda mala ut eveniant bona*[1];

b) *quod effectus bonus aeque immediate ac malus ex causa sequatur.* Ratio hujus conditionis est obvia. Nam si effectus bonus non procederet immediate a causa vel actione sed tantum remote et mediante effectu malo, assumeretur malum ad faciendum bonum, quod est illicitum et ordini naturae repugnans, cui convenit ut ad finem bonum nonnisi per medium bonum perveniatur;

c) denique, *quod adsit causa proportionate gravis permittendi seu tolerandi effectum malum;* aliis verbis: quod *non desit agenti ratio sufficiens utendi jure suo,* hoc est, ponendi actionem ex qua sequitur duplex effectus unus bonus, quem agens intendit, alter malus, quem permittit. Si enim omne, quod cum voluntate operantis quoquomodo connexum est, ipsi imputandum foret, Deo etiam imputarentur hominum peccata, quod absit. Ergo sufficit quod quis justam habeat causam ponendi actionem bonam vel indifferentem ex qua ceteroquin sequitur effectus malus quem agens non intendit. Si tamen vel una tantum ex praefatis conditionibus absit, effectus praeter intentionem sequutus imputatur ad culpam[2].

6. *Quandonam* vero effectus in causa volitus imputatur agenti, supposito quod non sequatur statim ad positionem causae? Breviter respondeo tunc primum imputari cum quis causam cum praevisione effectus posuerit, et ideo *formale* reatus inveniri in ipsa causa, quia tunc incipit effectus esse voluntarius, sive effectus realiter accidat, sive non; unde licet in effectu *consummetur* malitia et ipse sit *in se* malus, quamvis non *a se,* sed a

1 *Ad Rom.*, III. 8.

2 Cfr. N. P. Raphael, loc. cit.; Cathrein, p. I, c. II, a. I, § 2; Meyer, sect. I, lib. II, c. II, a. 1, § 2, et fere omnes moralistae, *De Actib. humanis.* Principium *theologicum* de voluntario indirecto sic enuntiat clar. A. J. J. Haine, loc. infra cit. a. 3, q. 9: «Licet ponere causam bonam aut indifferentem ex qua sequitur duplex effectus, unus bonus, alter malus, dummodo bonus sequatur saltem aeque immediate ac malus, adsit autem ratio, seu causa excusans proportionate gravis, et finis agentis sit honestus».

causa voluntarie posita, tamen *inchoative* et *quoad affectum* reatus incurritur, cum ponitur causa cum praevisione talis effectus, vel si causa est involuntarie posita et effectus prius non fuerit praevisus, cum primum advertit ad obligationem impediendi et non impedit quominus sequatur effectus[1].

Articulus IV

De actibus voluntatis

Summa rerum. 1. *Actus elicitus et imperatus.* 2. *Duodecim actus concurrentes ad opus morale.* 3. *Horum actuum oeconomia.* 4. *Uniuscujusque definitio.* 5. *Notanda circa intentionem:—est actus voluntatis,—respicit quoque fines intermedios,—unico actu tendit in finem et in media,—distinguitur a volitione et fruitione.* 6. *Dices.* 7. *Circa consensum:—est actus voluntatis—et de mediis tantum.—An differat, et quando non, ab electione.* 8. *Cujus potentiae actus sit electio.—Argumentum S. Thomae—De quibus sit electio.* 9. *An imperium sit actus voluntatis necne.—Duplex sententia.—Adprobatur sententia S. Th.* 10. *Utrum detur in brutis.* 11. *Quae imperio rationis subdantur et quotuplex sit imperium.*

1. Distinximus supra actus humanos in elicitos et imperatos. *Eliciti* respectu alicujus potentiae dicuntur ii, quorum principium et subjectum est ipsa potentia, ut actus amoris, odii, respectu voluntatis. *Imperati* vero quorum potentia est quidem subjectum sed principium movens et applicans est alia facultas, v. gr. actus voluntarius *videndi* est a potentia visiva tanquam a subjecto sed mota et applicata a voluntate; unde visio prout est voluntaria est actus elicitus potentiae visivae, imperatus vero voluntatis. Horum differentiam paucis ob oculos ponit *Angelicus:* «Hoc interest, notat, inter *elicere* actum et *imperare,* quod habitus vel potentia elicit illum actum quem producit nullo mediante; sed imperat actum qui producitur mediante potentia vel habitu inferiori circa objectum illius potentiae»[2].

2. Plures autem actus tum eliciti tum imperati concurrunt ad opus morale, si prudenter et mature fiat; communiter duodecim numerantur ita distributi ut quatuor versentur circa finem, alii quatuor circa media et totidem circa executionem, scilicet, *simplex boni apprehensio, simplex boni volitio, judicium, intentio, consilium, consensus, judicium practi-*

1 Cfr. S. Th. II-II, q. LXXIX, a. 3, ad 3; Salmantic. (*Moral.*) Tract. XX, c. X, punct. III. Vazquez cum aliis censet materiale et formali peccati haberi in causa, effectum autem in se culpabilem non esse dum contingit. Salmantic., Billuart aliique, docent *formale* peccati inveniri in causa, *materiale* vero in effectu ad constituendum unum cum causa.

2 II *Sent.* Dist. XXVII, q. II, a. 4; Tanquerey, loc. cit. 75-76.

cum seu discretivum mediorum, electio, imperium, usus activus, usus passivus et fruitio. Ex his ut patet, sex pertinent ad voluntatem, quinque ad intellectum et unus ad vires inferiores executivas, qui tamen ita se correspondent ut praeeunte semper actu ex parte intellectus mira celeritate sequatur actus voluntatis, donec, consequuto objecto per applicationem potentiae executivae, voluntas illo fruitur.

En schema cum ordine successionis horum actuum.

- Actus ad opus morale concurrentes.
  - circa finem. . . . .
    - ex parte intellectus.
      - Simplex boni apprehensio (1).
      - Judicium (3).
    - ex parte voluntatis.
      - Simplex boni volitio (2).
      - Intentio (4).
  - circa media. . . . .
    - ex parte intellectus.
      - Consilium (5).
      - Judicium practicum (7).
    - ex parte voluntatis.
      - Consensus (6).
      - Electio (8).
  - circa executionem.
    - ex parte intellectus.
      - Imperium (9).
    - ex parte voluntatis.
      - Usus activus (10).
      - Fruitio (12).
    - ex parte aliarum potentiarum. . . .
      - Usus passivus (11).

3. *Explicatur horum actuum ordo seu oeconomia*[1]. Primo quidem intellectus apprehendit bonum et voluntati proponit *(simplex boni apprehensio);* tunc voluntas simpliciter, id est, absque ordine ad media, vult illud bonum *(simplex boni volitio)*. Dicitur *simplex* quia est de fine secundum se, praeciso ordine ad media, per quod distinguitur ab intentione. Haec simplex boni volitio movet intellectum ad investigandum an illud bonum sit conveniens et possibile adeptu *(judicium);* et siquidem judicatur conveniens voluntas intendit illud ut assequibile *(intentio);* vi hujus intentionis intellectus quaerit media apta et congrua ad illum finem obtinendum *(consilium* seu *consultatio* de mediis), cui respondet approbatio mediorum ex parte voluntatis, si dentur media utilia ad finem *(consensus)*. Inter haec autem media quaedam sunt prae aliis aptiora; intellectus ergo quaerit et judicat quae sin inter illa magis proportionata fini *(judicium practicum* seu *di-*

1 Profunde non minus ac pie horum actuum oeconomiam exponit Vincentius Contenson, *Theologia mentis et cordis*, lib. VI, Diss. I, c. I, Speculatio II et III. Actuum humanorum pictura et harmonia describitur.

secretivum mediorum); et voluntas, illa secretione intellectuali supposita, eligit quae intellectus proponit ut ad finem consequendum aptiora *(electio).* Deinde intellectus imperat potentiis *(imperium),* et sequitur applicatio potentiarum executivarum *(usus activus),* cui applicationi respondet ex parte potentiarum quae voluntati subjiciuntur *(usus passivus)* seu executio mediorum; his acquiritur finis et tunc advenit ultimus actus voluntatis quo requiescit in bono posesso *(fruitio)*[1].

4. Ex quibus jam possumus singulos actus presse definire.

Apprehensio est actus quo intellectus bonum illud, quod voluntas operando consequitur, percipit et voluntati exhibet. *Volitio,* est actus quo voluntas in bonum sibi ab intellectu propositum amore et complacentia inclinatur. Hae duae operationes dicuntur *simplices* quia feruntur in finem nulla habita consideratione mediorum.

Judicium est actus quo intellectus affirmat bonum illud complacens voluntati esse expediens et adeptu possibile. *Intentio* est actus voluntatis quo in finem per media consequendum efficaciter tendimus.

Consilium est inquisitio deliberativa de mediis quae ad consequendum finem apta videantur. *Consensus* est adhaesio voluntatis iis, quae ab intellectu censentur utilia ad finem consequendum.

Judicium discretivum est actus quo intellectus pronuntiat quodnam ex dictis mediis sit aptius et utilius ad consecutionem finis. *Electio* est acceptio unius medii prae alio, juxta praecedens intellectus judicium.

Imperium est intimatio ordinativa efficaciter movens ad agendum. *Usus activus* est actus voluntatis quo applicat potentias ad media assumenda et exequenda.

Usus passivus est assumptio mediorum a potentiis sub motione voluntatis.

Denique *fruitio* est quies et delectatio in bono apprehenso et realiter possesso.

Circa praefatos intellectus voluntatisque actus plura discussa apud auctores reperiuntur[2]. Nos autem brevitati et utilitati consulentes sequentia tantum ex ***D. Th.*** desumimus.

5. a) *Intentio est proprie actus voluntatis,* quia «sicut ipsum nomen sonat significat in aliud tendere. In aliquid autem tendit et actio moventis et motus mobilis; sed hoc quod motus mobilis in aliquid tendit ab actione moventis procedit. Unde intentio primo et principaliter

---

1 Cfr. Cajet., in q. XVI, a. 4, I-II; A. J. J. F. Haine, *Theolog. Moralis Elementa. De actibus humanis,* p. I, c. 1, a. 2. Scholion 2. Ed. 5.ª emendata opera et studio R. P. J. Bund, Congreg. SS. Cordium, vulgo de Picpus; Mancini, *Elementa Philos.* p. I, q. V, a. 2; Hugon, *Metaphys. Psych.* p. I, Tract. II, q. II, a. 3.

2 Vide Philippum a SS. Trinit., Disput. X-XVII.

pertinet ad id quod movet ad finem. Voluntas autem movet omnes alias vires animae ad finem; unde manifestum quod intentio est proprie actus voluntatis».—*Respicit finem* at *non tantum ultimum sed etiam intermedios*[1];—et si finis intermedius consideretur ut medium ad finem, tunc *unico motu tendit in finem et in media*[2].

Insuper, licet simplex boni volitio et delectatio seu fruitio respiciant finem, tamen *intentio ab iis certe secernitur*. Nam ajente *S. Thoma:* «voluntas respicit finem tripliciter. Uno modo absolute; et sic dicitur *voluntas*, prout absolute volumus vel sanitatem, vel si quid aliud est hujusmodi. Alio modo consideratur finis secundum quod in eo quiescitur, et hoc modo *fruitio* respicit finem. Tertio modo consideratur finis secundum quod est terminus alicujus quod in ipsum ordinatur; et sic *intentio* respicit finem. Non enim solum ex hoc intendere dicimur sanitatem, quia volumus eam, sed quia volumus ad eam per aliquid aliud pervenire»[3].

6. Dices: Si motus voluntatis qui fertur in finem secundum quod acquiritur per ea quae sunt ad finem, vocatur intentio, ut habet *D. Thomas*, non videtur satis distingui ab electione quae etiam respicit finem tanquam terminum; nam electio fertur in id quod est ad finem prout ordinatur ad finem; idem autem est actus qui fertur in finem et in medium ad finem.

Respondeo satis claram et apertam inveniri differentiam inter intentionem et electionem ex his quae in objectione afferuntur; aliud est enim primario et directe respicere finem tanquam terminum, ea vero quae sunt ad finem secundario et ex consequenti, prout habetur in intentione, et aliud primo et per se respicere media prout ordinantur ad finem consequendum, quod proprium est electionis. Vel, ut notat *Cajetanus*, «actus voluntatis in finem, intentionis nomine significatus, importat motum in finem ut terminum aliorum, ita quod motus iste primo attingit terminum et deinde terminabilia in ipsum; electio vero, contra, primo attingit terminabilia et deinde terminum. Et sic se habent sicut descensus et ascensus. Intentio enim descendit a principio ad ea quae sunt ad ipsum: electio vero ab his ascendit ad finem, omnium principium: et signum affertur in littera *(D. Thomae)* quia quandoque intendimus, non electis adhuc mediis ad intentum, ut patet in quotidiana experientia»[4].

7. b) Dubitant nonnulli *ad quam potentiam spectet consensus* et an *differat ab electione*. Utrumque breviter et dilucide resolvit Angelicus. Ad primum dicendum «quod assentire est quasi ad aliud sentire, et sic importat quamdam distantiam ad id cui assentitur. Sed *consentire est simul sentire,* et sic *importat quamdam conjunctionem ad id cui assentitur.* Et ideo voluntas, cujus est tendere ad ipsam rem, magis proprie dicitur

1 I-II, q. XII, a. 1 et 2.
2 Ib. a. 4.
3 Ib. a. 1, ad 4.
4 Ib. in a. 4, ad 3.

assentire, quamvis unum pro alio poni soleat»[1]. Ergo *consensus est actus voluntatis*. Cum consilium non sit nisi de his quae sunt ad finem, *consensus*, proprie loquendo, qui est aplicatio appetitivi motus ad determinationem consilii, *non est nisi de mediis*[2].

Ad secundum vero affirmative respondendum est. Consensus namque prior est electione; placent enim plura media ad finem apta et ex his unum eligitur. Perspicue *S. Thomas:* «Electio addit supra consensum quamdam relationem respectu ejus cui aliquid praeeligitur: et ideo post consensum adhuc remanet electio. Potest enim contingere quod per consilium inveniantur plura ducentia ad finem, quorum dum quodlibet placet, in quodlibet eorum consentitur, sed ex multis quae placent praeaccipimus unum eligendo. Sed *si inveniatur unum solum quod placeat, non differunt re consensus et electio, sed ratione tantum;* ut consensus dicatur secundum quod placet ad agendum; electio autem secundum quod praefertur his quae non placent[3].

8. c) *Electio*, quamvis judicium discretivum mediorum praesupponat, seu «collationem quamdam praecedentem importet», ut dicit *D. Thomas,* «*non tamen est essentialiter ipsa collatio*»[4], sed *est actus elicitus a voluntate,* perficitur enim electio in motu quodam animae ad bonum quod eligitur. *Quandocumque autem duo concurrunt ad unum constituendum, unum eorum est ut formale respectu alterius*. Est autem considerandum in actibus animae, quod actus, qui est essentialiter unius potentiae vel habitus, recipit formam et speciem a superiori potentia vel habitu, secundum quod ordinatur inferius a superiori. Si enim aliquis actum fortitudinis exerceat propter Dei amorem, actus quidem ille materialiter est fortitudinis, formaliter est charitatis. Manifestum est autem quod ratio quodammodo voluntatem praecedit et ordinat actum ejus, in quantum scilicet voluntas in suum objectum tendit secundum ordinem rationis, eo quod vis apprehensiva appetitivae suum objectum repraesentat. Sic igitur ille actus quo voluntas tendit in aliquid, quod proponitur ut bonum, ex eo quod per rationem est ordinatum ad finem, *materialiter* quidem est voluntatis, *formaliter* autem *rationis*[5].

Paucis contrahitur argumentum S. Doctoris. Quandocumque duae potentiae concurrunt ad unum actum, una ut movens et dirigens, altera ut mota et directa, actus est formaliter potentiae moventis et dirigentis, elicitive autem et substantialiter potentiae motae et directae; atqui, ut notat *Sylvius* in hunc locum, quamvis omnis actus voluntatis praesupponat actum intellectus, id specialiter admittendum est de

1 Q. XV, a. 1, ad 3.
2 Ib. a. 3.
3 Loc. cit., a. 3, ad 3.
4 Q. XIII, a. 1, ad 1.
5 Q. XIII, a. 1.

actu voluntatis eligentis, quia manifestius apparet in electione quod rationis proprium est, videlicet unum alteri conferre et praeferre; ergo electio est actus elicitus a voluntate, formaliter autem rationis.

Electio est tantum de his quae sunt ad finem, id est, de mediis; quod *si aliquando sit de fine, non erit ultimus*, sed intermedius; ultimus enim finis nullo modo sub electione cadit.

Utramque partem sequenti comparatione ostendit *Angelicus:* «Electio consequitur sententiam vel judicium, quod est sicut conclusio syllogismi operativi: Unde illud cadit sub electione quod se habet ut conclusio in syllogismo operabilium. Finis autem in operabilibus se habet ut principium et non ut conclusio. Unde finis in quantum est hujusmodi non cadit sub electione.

Sed sicut in speculavis nihil prohibet, id quod est unius demonstrationis vel scientiae principium esse conclusionem alterius demonstrationis vel scientiae, primum tamen principium indemonstrabile non potest esse conclusio alicujus demonstrationis vel scientiae; ita etiam contingit, id quod est in una operatione ut finis ordinari ad aliquid ut ad finem, et hoc modo sub electione cadit, sicut in operatione medici sanitas se habet ut finis, unde hoc non cadit sub electione medici, sed hoc supponit tanquam principium. Sed sanitas corporis ordinatur ab bonum animae; unde apud eum qui habet curam de animae salute potest sub electione cadere esse sanum vel esse infirmum [1].

9. d) *S. Bonaventura, Scotus, Henricus Gandav.,* aliique docent imperium esse actum voluntatis: at *S. Thomas* cum suis affirmat *quod imperare est actus rationis, praesupposito tamen actu voluntatis.* Nam «imperare non est movere quocumque modo, sed cum quadam intimatione denuntiativa ad alterum» [2]; proindeque «ad imperii rationem tria concurrunt: *ordinatio* alicujus ad aliquid, *intimatio* et *motio.* Cum enim praecipitur: Dilige Deum, ordinatur aliquis ad amandum Deum, et intimatur hoc ei, et movetur ad hoc ab imperante; ordinatio autem et intimatio ad rationem spectat, motio autem ad voluntatem; unde actus imperii componitur ex eo quod est intellectus et ex eo quod est voluntatis». Ergo, juxta doctrinam superius traditam, «consequens est ut ordinatio intimativa in imperio se habeat ut materia, et motio ut forma, ac per hoc imperium est elicitive et essentialiter actus rationis, voluntatis vero primordialiter quoad formam» [3].

Causa autem cur Scotus a *D. Thoma* dissentiat est, inquit *Cajet.,* non considerare participationem voluntatis ab intellectu et intellectus a volun-

1 I-II, q. XIII, a. 3.
2 Q. XVII, a. 1, ad 1.
3 Cajetanus in eumd. loc.

tate, nec discernere quid his potentiis convenit ex seipsis et quid ex alterius participatione»[1]; quidquid enim ordinis in naturalibus et voluntariis est a ratione proficiscitur et in illam resolvitur, nam conferre et ordinare rationis proprium est; sed quia primum movens in viribus animae ad exercitium actus est voluntas, cumque secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur quod hoc ipsum quod ratio movet imperando sit ei ex virtute voluntatis: unde relinquitur quod imperare sit actus rationis praesupposito actu voluntatis[2].

10. *In brutis animalibus* corpus quidem habet unde obediat, sed anima non habet unde imperet, quia non habet unde ordinet, et ideo non est ibi ratio imperantis et imperati sed solum moventis et moti[3].

11. Ad judicandum autem quae imperio rationis subjaceant esto lex: *Cum imperium sit actus rationis, ille actus imperatur qui rationi subditur*[4]; ergo.

a) *Primus actus voluntatis,* qui ex rationis ordinatione non est, sed ex instinctu naturae aut superioris causae, *imperari non potest,* nam non oportet quod in infinitum procedatur[5].

b) *Alii actus voluntatis,* qui maxime sunt in potestate nostra, *imperari possunt,* sicut enim ratio potest judicare quod bonum sit aliquid velle, ita potest ordinare imperando quod homo velit[6].

c) *Ratio imperare potest sibi ipsi,* in quantum potest reflecti supra suum actum, sicut cum indicitur alicui quod attendat et ratione utatur. Hinc exercitium actus semper cadit sub imperio. Quantum vero ad assensum eorum quae aprehendit, si fuerint talia apprehensa, inquit ***Doctor Angelicus,*** quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturae, et ideo, proprie loquendo, naturae imperio subjacet. Sunt autem quaedam apprehensa, quae non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire vel dissentire, vel saltem assensum vel disssensum suspendere propter aliquam causam, et in talibus assensus vel dissensus in potestate nostra est et sub imperio cadit[7].

d) Imperio rationis quoque subduntur tum *appetitus sensitivus* tum *membra externa corporis,* et quodammodo *potentiae vegetativae.*

e) Praefatum imperium est duplex, *politicum* et *despoticum:* Despoticum est «quo aliquis principatur servis qui non habent facultatem in aliquo resistendi imperio praecipientis, quia nihil sui habent»[8].

---

1 In I-II, q. XVII, a. 1.
2 D. Th. ib.
3 Ib. a, 2, ad 2.
4 Ib. a. 5, ad 3.
5 Ib.
6 Ib. in corp.
7 A. 6. Cfr. totam q. XVII.
8 D. Th., I. p. q. LXXXI, a. 3, ad 2

Politicum vero quo quis principatur liberis, qui non totaliter subjiciuntur imperio alterius sed eidem reniti queunt.

Voluntas imperat ***despotice*** *membris externis,* ut manibus ad scribendum, pedibus ad ambulandum; quod intelligendum est «quando insita sunt naturali dispositione, si enim infirmitate aut lassitudine indisposita sint, hoc ex materiae necessitate contingit» [1], et tunc corporis membra non plene subduntur rationis imperio ad *suos animales motus.* Nota haec ultima verba: nam membra illa quae *naturalium virium motum* suscipiunt, ut cor, nullo pacto rationis imperio subduntur, nam, ut scribit ***D. Th.,*** «eo modo quo potentiae animae se habent ad hoc quod obediant rationi, hoc modo se habent etiam corporis membra; quia igitur vires sensitivae subduntur imperio rationis, non autem vires naturales» [2], ideo solum membra illa, quibus opera sensitivae partis exercentur, imperio rationis subduntur. *Sibi ipsi* quodammodo etiam *despotice* imperat, quia sibi non resistit.

—Imperat autem ***politice*** *phantasiae* et *appetitui sensitivo,* non enim semper imaginationem cohibere nec motus sensitivae partis compescere possumus: *non quod volo bonum hoc facio,* ajebat Apostolus, *sed quod nolo malum hoc ago* [3]. Breviter Philosophus: *Ἡ μὲν γὰρ ψυχὴ τοῦ σώματος ἄρχει δεσποτικὴν ἀρχήν, ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως πολιτικὴν καὶ βασιλικήν* [4].

—*Sensibus externis* et *potentiis vegetativis* ***directe et immediate*** non imperat, sed tantum *mediante* alia potentia, siquidem non est in potestate nostra apertis oculis non videre, aut dimisso in stomachum cibo non nutriri, sed possumus objecta visibilia amovere, vel alimenta substrahere; et ideo operationes sensibiles et vegetativae hoc modo possunt esse voluntariae.

QUAESTIO II

DE

IIS QUAE INFLUUNT IN VOLUNTARIUM

Quaestionis divisio. Praehabita notione voluntarii, declaranda veniunt quae ipsum impediunt vel modificant. Et quidem plures

1 Cajet., ib. in art. 8. 2 Ib. a. 8.

3 *Ad Rom.* VII, 19.

4 «Animus enim in corpus imperium herile obtinet, mens autem in appetitu civile et regium». I Polit. c. II, (ed. Didon.)

recensentur causae influentes in voluntarium, omnes tamen ad quatuor reduci possunt. Ratio hujus est quia voluntarium est quod procedit a voluntate cum cognitione finis; ergo impediri vel modificari potest voluntarium tum defectu cognitionis ex parte intellectus, tum defectu propensionis ex parte voluntatis.

Tollunt autem vel obnubilant cognitionem *ignorantia* et *concupiscentia;* praepediunt vero inclinationem naturalem voluntatis *violentia* et *metus.* Ceterae, si quae sint, causae impedientes vel modificantes voluntarium ad unam ex supra dictis de facili reducuntur, ut *oblivio* et *inadvertentia* ad ignorantiam; *habitus* et *consuetudines* ad concupiscentiam.

Quaestio igitur quatuor articulis materiam praebet, quorum duo primi erunt de *his quae influunt in voluntarium ex parte intellectus,* nempe de ignorantia et concupiscentia; tertius et quartus de *causis quae voluntarium impediunt vel modificant ex parte voluntatis,* hoc est, de violentia et metu.

In his autem delibandis brevitati consulemus, idcirco nec longius ad praefandum immorabimur.

Articulus I

De ignorantia, prima involuntarii causa[1]

Summa rerum. 1. *Quid sit ignorantia.* 2. *Ejusdem praecipuae et ad rem spectantes divisiones.* 3. Thesis I. *Ignorantia antecedens tam respectu operis quam voluntatis causat involuntarium simpliciter.* 4. Thesis II. *Quod fit ex ignorantia consequente voluntatem est indirecte voluntarium.* 5. Thesis III. *Ignorantia concomitans efficit ut opus cum eo positum sit non voluntarium.* 6. Thesis IV. *Omnis ignorantia consequens, si forte excipias affectatam, causat secundum quid involuntarium.* 7. *Corollaria relate ad imputabilitatem ad culpam.*

1. *Ignorantia* stricte accepta definiri potest ex mente *S. Thomae*[2]*: Privatio scientiae* seu *carentia cognitionis in subjecto capaci.* Distinguitur a *nescientia* quae importat simplicem scientiae negationem,

1 Cfr. S. Thomas, I-II, q. VI, a. 8; q. XIX, a. 6; q. LXXVI, a. 1-4; Suarez, loc. cit. Disp. IV; Haine, loc. cit. c. 4, a. 3; Tanquerey, *De act. hum.*, c. 1, a. 3, n. 89-98, Lehmkuhl, tract. I, c, II, a. 2, § 1; Willems, lib. III, c. III, sect. 2, H. M.ª Mancini, q. VII, a. 2; Meyer, c. III, a. 3, § 1; Signoriello, p. 1, *Ethic. Gen.*, c. II, a. 3; Tongiorgi, *Ethica Gen.*, lib. I, c. II, a. 5; Zigliara, *Ethica*, lib. II, c. II, a. 4; Liberatore, c. II, a 3, prop. I; Ferretti, a. III, n. 57 et sqq.; Christ. Pesch, sect. II, a. 1, § 2.

2 I-II, q. LXXVI, a. 2.

sive subjectum natum sit illam cognitionem habere sive non; item ab *inadvertentia* et *oblivione*, haec dicit *privationem scientiae habitae*, illa *cognitionem quidem habitualem supponit*, de *qua tamen hic et nunc non cogitat*, unde est actualis ignorantia, seu carentia cognitionis actualis.

2. Ignorantia dividitur; *a)* ex parte ***objecti*** in ignorantiam *juris*, *facti* et *poenae*, prout quis vel ignorat *legem* existere, v. gr. prohibitum esse necne duellantibus sepulturam ecclesiasticam concedere, vel *circumstantiam aliquam* aut *ipsam substantiam ejus quod fit*, ut cum putas occidere feram, occidis autem hominem, aut percutere laicum, est tamen clericus; vel denique *ignorat poenam facto alicui adnexam*, v. gr. excommunicationem percutientibus clericum impositam;

b) ex parte ***intellectus*** in *privativam* et *positivam*. Illa est *simplex carentia cognitionis debitae*, v. gr. ignorantia mysterii Incarnationis: haec vero, quae etiam *pravae dispositionis* audit, est *judicium falsum circa aliquam rem*, proindeque ignorantiae addit errorem veritati contrarium, uti accidit in haeretico qui non tantum ignorat mysterium Incarnationis, sed affirmat v. gr. Christum assumpsisse humanam personalitatem.

c) ex parte ***voluntatis*** in *vincibilem* et *invincibilem*. Invincibilis dicitur cum *adhibita necessaria illa diligentia, quam viri prudentes, pro qualitate negotii et personae solent communiter adhibere, moraliter depelli non potest. Moraliter* diximus, nam etsi quis habeat potentiam *physicam* vel etiam *moralem remotam* ad ignorantiam depellendam, dummodo careat morali *proxima*, quae consistit in dubio seu in scrupulo rationali de periculo errandi, vel cogitatione de officio ulterius inquirendi, non dicitur vincibilis, sed reipsa invincibilis perseverat.

Ignorantia vincibilis est *carentia cognitionis quae, studio et labore a prudentibus in simili conditione adhibitis, superari potest*, ut est, v. gr., ignorantia eorum qui propter negligentiam in addiscendo nesciunt quae officio scire tenentur.

Haec subdividitur in ignorantiam a) *pure* seu *stricte vincibilem*, prout agens etsi aliquam, non tamen tantam adhibet diligentiam, quantam rei momentum exigit, proindeque causatur ex gravi negligentia: b) *in crassam seu supinam*, cum scilicet nullam vel fere nullam ignorans diligentiam ponit ad discendum quod debet scire, et *c)* in *affectatam*, quae tunc habetur cum quis, data opera et ex industria, vult aliquid ignorare.

Ex datis definitionibus erues ignorantiam *pure vincibilem*, quae ex gravi, et *crassam* seu *supinam*, quae ex enormi negligentia procedit, esse voluntariam *in causa*, ignorantiam vero affectatam *in se* et *directe* intentam.

Item, ex ***parte voluntatis*** dividitur ignorantia in *antecedentem* et *consequentem,* prout ipsam voluntatis determinationem praecedit vel subsequitur. Prima, ut patet, est invincibilis, altera autem ab ignorantia vincibili non differt, cum a voluntate dependeat, positis enim mediis, quae juxta prudentum consilium adhiberi possunt et debent, facillime expelli potest.

d) denique ***in ordine ad opus*** ignorantia dividitur in *antecedentem* et *concomitantem. Antecedens* dicitur *quae nullo modo est volita a voluntate, est tamen causa (removens prohibens*[1]*,* removens nempe scientiam) *agendi aliquid quod non fieret si adesset cognitio,* ut, dum quis venationi incumbens, occidit hominem, putans esse feram. *Concomitans* vero est *carentia cognitionis ejus quod quis actualiter agit, attamen si adesset cognitio, eodem modo, si non majori conatu, idipsum efficeret;* non est ergo causa operis hic et nunc, neque directe vel indirecte volita, adeoque est antecedens respectu voluntatis. Sit exemplum: ***Petrus*** venationi incumbens, ratus occidere cervum, occidit ***Paulum*** inimicum, de quo actu non cogitabat, et quem ignorabat ibidem latere; si tamen scivisset ibi non cervum sed ***Paulum*** inimicum adesse, est in tali dispositione voluntatis ut majori imclinatione et vi ipsum confoderet.

His praelibatis quid tenendum sit circa ignorantiae influxum in voluntarium sequentes dabunt theses.

3. Thesis I. Ignorantia antecedens tam respectu operis quam voluntatis causat involuntarium simpliciter, seu nullo modo est voluntaria.

Prob.

Quod fit ex ignorantia antecedenti non solum fit absque cognitione, sed haec carentia cognitionis est voluntati causa et ratio efficax volendi aliquid quod non fieret si ignorantia abesset; ergo est contra inclinationem voluntatis; atqui voluntarium est quod procedit secundum inclinationem voluntatis cum cognitione ejus quod quis agit. Non est igitur voluntarium quod procedit ex ignorantia antecedenti, sub illa ratione qua ignoratur, seu, quod in idem reddit, ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter.

---

1 Cfr. D. Th. II-II, q. LXIV, a. 8.

4. **Thesis II. Quod fit ex ignorantia consequente voluntatem est indirecte voluntarium,** sive praedicta ignorantia antecedat sive comitetur opus.

Ratio hujus propositionis est per se manifesta. Nam *quod ex voluntario causatur, voluntarium in moralibus reputatur*[1]; atqui ignorantia ipsa consequens determinationem voluntatis est voluntaria; ergo et effectus ejus, *puta cum aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem; vel cum aliquis vult bibere vinum immoderate, ex quo sequitur eum inebriari, et discretione carere,* ut loquitur *S. Thomas*[2].

Consulto diximus *quod fit ex ignorantia consequente* esse voluntarium indirectum seu in alio; nam si loquamur de *ipsa ignorantia consequente voluntatem* et in quam fertur actus voluntatis, *sicut cum aliquis ignorare vult, vel ut excusationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando,* secundum illud Job (XXI, 14) *scientiam viarum tuarum nolumus*[3], et dicitur *affectata,* ipsa est in se et directe voluntaria.

5. **Thesis III. Ignorantia concomitans respectu operis et antecedens respectu voluntatis efficit ut opus cum ea positum sit non voluntarium.**

Prob.

Ignorantia concomitans non causat voluntarium, quia deficit cognitio ad voluntarium requisita; non causat positive involuntarium, cum opus cum ipsa positum, adhuc sine ipsa fieret, adeoque non est voluntati repugnans, sed magis secundum ejus habitualem dispositionem; ergo efficit ut opus cum ignorantia positum sit non voluntarium.

Ad rem *S. Th.* «Concomitanter (se habet ignorantia ad actum voluntatis), quando ignorantia est de eo quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur. *Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum ut hoc fiat; sed accidit simul esse aliquid factum et ignoratum;* sicut in exemplo posito, scilicet cum aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. *Et talis ignorantia non facit involuntarium, quia non causat aliquid quod sit repugnans voluntati; sed facit non voluntarium, quia non potest esse actu volitum quod ignoratum est*[4]. Etenim «non voluntarium dicitur per solam remotionem actus voluntatis; sed involuntarium dicitur per hoc quod voluntas contrariatur ei quod fit»[5].

1 *De Malo,* q. III, a. 8.
2 I-II, p. LXXVI, a 4.
3 I-II, q. VI, a. 8.
4 I-II, q. VI, a. cit.
5 Loc. cit. *De Malo.*

6. **Thesis IV. Omnis tamen ignorantia consequens respectu voluntatis, ideoque vincibilis,** si forte excipias affectatam, **causat secundum quid involuntarium.**

Omnis siquidem ignorantia privat cognitione ejus quod quis operatur, stante ignorantia; ergo, cum cognitio sit de ratione voluntarii, privatio cognitionis minuit quoque voluntarium. Interjecimus autem restrictionem illam «*si forte excipias affectatam*» propter controversiam hinc inde inter Doctores agitatam an, dum quis expresse vult ipsam ignorantiam, haec augeat minuatve voluntarium. Omnem ignorantiam consequentem causare involuntarium secundum quid tenent nonnulli cum ***S. Bonaventura;*** sed ***S. Thomas*** ab hac regula generali excipit affectatam [1].

7. Ex dictis inferes relate ad imputabilitatem:

1.° *Ignorantiam invincibilem, quae sit antecedens respectu voluntatis, tollere voluntarium et excusare a peccato,* sive sit ignorantia facti, sive juris, et quidem sive divini, sive humani. Talis ignorantia, inquit ***D. Th.***, cum non sit voluntaria, eo quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum [2]. Quod eleganter expressit ***Augustinus*** inquiens: *usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium, et hoc ita manifestum est ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat* [3].

2.° *Ignorantiam vincibilem,* qualis est v. gr. consequens respectu voluntatis, *non tollere voluntarium, neque excusare a peccato;* est enim simpliciter voluntarium in causa quod ex tali ignorantia procedit; *diminuere tamen voluntarium et per consequens peccatum, si sit indirecte voluntaria,* ratione cujus dicitur excusare *a tanto*, sed non *a toto*. «Cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatum non potest dici quod voluntas directe et per se feratur in peccatum sed per accidens unde est ibi minor contemptus, et per consequens minus peccatum» [4].

3.° *Ignorantiam affectatam,* in sententia ***D. Th.***, *augere voluntarium et peccatum.* «Contingit quandoque, ait Angelicus Doctor, quod talis ignorantia directe et per se est voluntaria, sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid ut liberius peccet; et talis ignorantia videtur augere voluntarium et peccatum; ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi» [5].

4.° *Ignorantiam concomitantem tollere voluntarium et peccatum quantum*

---

1 I-II, q. VI, a. 8. Utriusque conciliationem aggressus est N. Lezana, Disp. I, q. XI.
2 I-II q. LXXVI. a. 2.
3 *De ver. Relig.* c. IV.
4 D. Th. ib. a. 4.
5 ib.

ad id quod ignoratur. Verum qui cum hujusmodi ignorantia operatur peccat propter pravam animi dispositionem actualiter volentis quod cum tali ignorantia operatur, v. gr. occidere inimicum.

Ratio praedictorum circa imputabilitatem ad culpam ejus, quod *cum* vel *ex* ignorantia ponitur, sint haec ***D. Th.*** perspicua verba: *Quia omne peccatum est voluntarium, in tantum ignorantia potest diminuere peccatum in quantum diminuit voluntarium; si autem voluntarium non diminuat, nullo modo diminuit peccatum*[1].

Articulus II

De influxu passionum in voluntatem[2]

Altera causa impediens vel modificans voluntarium ex parte intellectus dicitur *concupiscentia,* quae nubilat rationem et quandoque aufert omnem omnino cognitionem.

Verum sub hoc articulo non modo concupiscentiam sed, propter rerum connexionem, *habitus* quoque aliasve *causas physico-psychicas* quadamtenus influentes in libertatem comprehendemus.

§ 1

DE CONCUPISCENTIAE INFLUXU IN ACTUM VOLUNTARIUM

Summa rerum. 1. *Concupiscentiae notio. Variae ejusdem nominis acceptiones,* 2. *Quaestio:* 3. *Tria in antecessum notanda* 1) passionum moralitas, 2) earumdem in voluntatem influxus, 3) duplex ad eamdem voluntatem relatio. *Definiantur concupiscentia antecedens et consequens.* 4. Thesis I. *Concupiscentia antecedens auget voluntarium necessarium sed semper minuit et quandoque aufert voluntarium liberum.* Probatur thesis per partes.—*Exponuntur verba Sti. Doctoris et conciliantur sententiae.* 5. *Scholion.*—Duo notanda.—6. Thesis II. *Concupiscentia consequens nec auget nec minuit liberum.*—Prob.

1. Concupiscentiae nomine plura significantur: 1.° ipsamet po-

---

1 I-II, q. LXXVI, a. 4.

2 Cfr. D. Th. in III *Ethic.*, lect. XIII et XIV; I-II, q. XXII-XLVIII; II-II, q. CXLII, a. 1; I-II, q. VI, a. 7; Billuart, *Tract. de Pass.* Diss. I; Descuret, *Medicina de las pasiones,* traducida por D. Felipe Monlau, p. I, c. I et seq., Signoriello, p. I, c. IV; Bouquillon, *Theolog. Mor. Fund.* lib. IV, sect. I, a. 2; Haine, t. I. p. 1, c. 4, a. IV, q. 32-34; P. Ugarte de Ercilla, S. J., *La educación de las pasiones, Razón y fe,* t. XXXI. Septiembre 1911; Willems, p. I. c. III. 5. 1; Letorneau, *Physiologie des Pasions.* (París 1868); Ferretti loc.

tentia naturalis quae dicitur appetitus sensitivus; 2.° deordinatio habitualis et generalis praedictae potentiae, seu fomes peccati, aut privatio justitiae originalis. In statu siquidem justitiae et sanctitatis, in quo conditus est primus homo, *ratio subdebatur Deo, vires inferiores rationi, et corpus animae;* sed Dei ordinationi per peccatum originale ratione humana subducta, confestim vires inferiores rebelles factae sunt ad rationem, ex quo provenit inclinatio illa in appetitu relicta quae saepe saepius praeceptis rectae rationis reluctatur; 3.° motus appetitus sensitivi prosequentis bonum sensu apprehensum, seu passio illa quae vocatur desiderium; et 4.° denique nomine concupiscentiae designantur generatim omnes passiones sive concupiscibiles sive irascibiles, ut amor, odium, audacia, spes, ira, etc. quo sensu, et quidem in praesenti quaestione proprio, concupiscentia definiri potest; *motus appetitivae virtutis prosequentis bonum et refugientis malum, dirigente phantasia, cum quadam immutatione corporis.*

2. Quaerimus autem an passiones ita influant in voluntarium ut ipsum penitus interdicant vel qualiter modificent.

3. Qua in re tria in antecessum notare juvat:

a) Passiones secundum se neque bonas esse, ut ***Car. Fourier, Stirner, Nietzsche*** aliique Sensistae et Naturalistae docent [1], neque malas prout asserebant Stoici, sed alterutrum, secundum quod imperio rationis subjiciantur et animi bono necne conveniant. *Sunt* enim, ut peracute notat ***Balmesius*** in suo Criterio, *peroptima instrumenta sed turpes consiliarii;* vel *affectus quibus providenter et necessario Deus sive natura nos armavit,* ut loquitur Lactantius.

Quam doctrinam simul indicat et probat ***Angelicus*** his verbis: «Passiones neque dicuntur laudabiles neque vituperabiles, quia secundum se non important aliquid conveniens rationi vel rationi repugnans. Si tamen ad passionem addatur aliquid unde conveniat rationi erit passio laudabilis, si vero addatur aliquid unde a ratione discordet erit passio vituperabilis [2].

b) Passiones non influere *directe* in voluntatem; sensus enim utpote potentia organica non potest directe agere in animam, bene vero *indirecte*, ut experientia testatur.

---

cit. n. 61 et sqq.; Mercier, p. III. c. 1 a. 2. sec. 2; M. J. Gardair, *Les passions et la volonté.* Cosm. Alaman., *Summa Philos, Ethica*, q. IX; Ven. Joan. a Jesu Maria, C. D. t. II, *Tractatus de Passionibus,* (Opera omnia Florentiae 1772; Anton. a Spiritu Sancto, *Directorium Mysticum* Tract. II. Disp. I;Antonino Eguieu, *El Gobierno de si mismo, Principio III.* c. 2 y 3 (trad. por Vicens yMarcó).

1 Según Fourier las pasiones son la única forma bajo la cual se manifiesta la voluntad divina en el hombre: de donde infería que resistir a las pasiones es una impiedad.

2 *De Malo*, q. III, a. 2, ad 1.

Modum autem egregie explicat *D. Th.* «Passio apetitus sensitivi dupliciter potest indirecte trahere et movere voluntatem: *uno modo,* inquit, *secundum quamdam abstractionem* (subjective); cum enim omnes potentiae animae in una essentia animae radicentur, necesse est quod quando una potentia intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totaliter in suo actu impediatur; tum quia omnis virtus ad plura dispersa fit minor, unde e contrario quando intenditur circa unum, minus potest ad alia dispergi; tum quia in operibus animae requiritur quaedam intentio, quae dum vehementer applicatur ad unum non potest alteri vehementer attendere. Et secundum hunc modum per *quamdam distractionem,* quando motus appetitus sensitivi fortificatur secundum quamcumque passionem, necesse est quod remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis qui est voluntas. *Alio modo* ex parte objecti voluntatis, (objective) quod est bonum ratione apprehensum. Impeditur enim judicium et apprehensio rationis propter vehementem et inordinatam apprehensionem imaginationis et judicium virtutis aestimativae, ut patet in amentibus. Manifestum est autem quod, passionem appetitus sensitivi sequitur imaginationis apprehensio et judicium aestimativae, sicut etiam dispositionem linguae sequitur judicium gustus. Unde videmus quod homines in aliqua passione existentes non facile imaginationem avertunt ab his circa quae afficiuntur: unde per consequens judicium rationis plerumque sequitur passionem appetitus sensitivi et per consequens motus voluntatis qui natus est semper sequi judicium rationis»[1].

Verbo: passiones appetitus sensitivi nonnisi *indirecte* in voluntatem agere possunt, eam videlicet a propria functione distrahendo, vel rectum judicium rationis impediendo.

c) Passiones, in duplici ordine se habere posse ad voluntatem, vel ut *praecedentes,* vel ut *consequentes;* ut praecedentes quidem, in quantum passiones impellunt voluntatem ad aliquid volendum: ut consequentes vero, prout ex ipsa vehementia voluntatis per quamdam redundantiam commovetur inferior appetitus secundum has passiones, vel etiam in quantum ipsa voluntas has passiones procurat sponte et excitat[2].

Aliis verbis. Concupiscentia in ordine ad voluntatem est duplex: *antecedens* et *consequens*. Antecedens, sic dicta quia ordine causalitatis praevenit rationem et consequenter ipsam voluntatem, est *involuntarius motus appetitus sensitivi trahens vel inclinans rationem vel voluntatem in objectum passionis,* ut dum quis, viso pulcherrimo flore, movetur ad ipsum desiderandum, vel praesente inimico excitatur ad vindictam. Consequens est *motus appetitus sensitivi causatus ex motu voluntatis,* vel *per*

1 I-II, q. LXXVII. a. 1. 2 *De Verit.* q. XXVI, a. 7.

redundantiam «secundum quod motus superiorum virium, ut loquitur *D. Th.*, si sint vehementes, redundant in inferiores. Non enim potest voluntas intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo» [1], ut dum quis voluntarie considerat mala sibi illata ab inimico, commovetur appetitus et ira accenditur: vel etiam per *directam excitationem* quando scilicet voluntas ex industria excitat appetitum ut vehementius tendat in suum objectum.

4. His, claritatis gratia, praenotatis, duplici propositione declarabimus influxum concupiscentiae in voluntarium.

Thesis I. Concupiscentia antecedens auget voluntarium necessarium, sed semper minuit, et quandoque aufert, voluntarium liberum.

Prob. 1.ª pars:

Id auget voluntarium quod inclinationem voluntatis ad objectum auget: atqui hujusmodi est concupiscentia antecedens, ut ex definitione patet. Ergo.

«Dicitur enim aliquid voluntarium ex eo quod voluntas in illud fertur: per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiscitur, et ideo concupiscentia magis facit ad hoc quod aliquid sit voluntarium quam quod sit involuntarium». Ita *D. Thomas* [2].

Cum hoc tamen stat ***concupiscentiam antecedentem semper minuere voluntarium liberum,*** ut dicitur in II.ª theseos parte.

Aliqui, inter quos cl. *S. Schiffini,* primam partem assertionis nostrae admittere recusant renturque actum quidem fieri intensiorem ex concupiscentia antecedenti, eum tamen dicendum propterea fore non magis sed minus voluntarium, proprie scilicet et simpliciter loquendo [3], atque verba *D. Th.*, modo a nobis allata, interpretanda esse ex iis quae ipsemet S. Doctor tradit q. LXXVII. a. 6., quo in loco docet, juxta ipsos, concupiscentiam antecedentem minuere voluntarium.

Sed, ni fallor, quaestio magis est de nomine quam de re, et cum nostra conclusione de facili conciliantur sententiae veramque interpretationem accipiunt Angelici Doctoris verba. Et re quidem vera: ipsa experientia testante, quo vehementior est passio praeveniens rationem et voluntatem, majori inclinatione, et ardentius, ut ita dicam, fertur voluntas in objectum

---

1 I-II. loc. cit. a. 6. Cfr. Arend, *Filosofia Moral*, c. II. § 2. n. 26-28; Noldin, *De principiis Theolog. Mor.* n. 47-50.

2 I-II. q. VI. a. 7. Cfr. Ferretti, loc. cit. n. n. 63 Scholion.

3 Disp. II, sct. II, n. 51.

passionis; et ideo spontanee, hoc est, a principio intrinseco determinatur ad illud; quod autem est hujusmodi, dicitur voluntarium necessarium; ergo nulli dubium quod concupiscentia quae se habet antecedenter ad voluntatem auget voluntarium necessarium seu inclinationem voluntatis.

Probatur itaque II pars.

Id minuit voluntarium liberum, quod minuit indifferentiam cognitionis; atqui concupiscentia antecedens minuit indifferentiam cognitionis; nam concupiscentia antecedens attentionem intellectus ad id trahit quod ab ipsa concupiscitur, et impedit ne alia bona debita cum deliberatione consideret, imo ipsam voluntatem inclinat in bonum passionum; ergo minuit indifferentiam intellectus et voluntatis, consequenter voluntarium liberum.

Insuper voluntarium necessarium et liberum sunt in ratione inversa, quo enim magis aliquid determinatur ad unum magis coarctatur indifferentia ad opposita; atqui, ex dictis, concupiscentia antecedens auget voluntarium necessarium, ergo diminuit liberum.

Huc agunt quae *S. Th.* tradit q. supra cit. «Si accipitur passio secundum quod praecedit actum peccati, sic necesse est quod diminuat peccatum. Actus enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius et in nobis existens. Esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem et voluntatem. Unde quanto ratio et voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium et in nobis existens: et secundum hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium» (liberum)[1].

Prob. III pars.

Sublata totaliter indifferentia judicii perit voluntarium liberum; sed quandoque vehemens concupiscentia antecedens aufert totaliter cognitionem intellectus; ergo tunc tollit voluntarium liberum.

Praedicta concupiscentia impedit considerationem particularem ejus quod universaliter scit «tripliciter, inquit *D. Th.*: primo quidem per *quamdam distractionem;* secundo *per contrarietatem*, quia plerumque passio inclinat ad contrarium hujus quod scientia universalis habet; tertio per quamdam *immutationem corporalem*, ex qua ratio quodammodo ligatur ne libere in actum exeat; sicut etiam somnus vel ebrietas, quadam corporali transmutatione facta, ligat usum rationis. Et hoc quod contingat in passionibus, subdit Angelicus, patet ex hoc, quod aliquando cum passiones multum intenduntur, homo amittit totaliter usum

1 q. LXXVII, a. 6.

rationis; multi enim propter abundantiam amoris et irae sunt in insaniam conversi» [1].

5. **Scholion.** Sed caute nota quod praefata concupiscentia sive passio antecedens, quamvis sit tanta ut totaliter intercipiat usum rationis, potest nihilominus esse voluntaria *indirecte* seu *in causa*, si a principio fuerit voluntaria: sic quicumque voluntarie inebriatur est causa, et quidem voluntaria, eorum quae in ebrietate operatur, licet haec absque actuali deliberatione fiant. Unde etiam ei ad peccatum imputantur. Si vero causa non fuerit voluntaria sed naturalis, actus omnino redditur involuntarius, et per consequens totaliter a peccato excusatur [2].

Adverte secundo ex *D. Th.* [3] et communi philosophorum Theologorumque sententia, *concupiscentiam*, ad differentiam metus (de quo infra), *non causare involuntarium secundum quid*, quam assertionem licet difficilem duplici via tuentur nostri *Salmanticenses* [4].

6. **Thesis II. Concupiscentia consequens nec auget nec minuit liberum actus voluntatis a quo procedit.**

Dictum est enim concupiscentiam consequentem causari a voluntate vel per quamdam redundantiam vel per directam quoque excitationem. Sed, ut per se patet, effectus non mutat causam; ergo concupiscentia consequens actum voluntatis non auget neque minuit libertatem ipsius actus, est tamen *signum intensioris voluntatis*.

Ad rem *S. Thomas:* Passio consequens non diminuit peccatum sed magis auget, vel *potius est signum magnitudinis ipsius*, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati: *Et sic verum est quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat* [5]. Et paulo infra: «Bona passio consequens judicium rationis augmentat meritum; si autem praecedat, ut scilicet homo magis ex passione quam judicio rationis moveatur ad bene agendum, talis passio diminuit bonitatem et laudem actus» [6].

Verum signanter diximus praedictam concupiscentiam nec augere nec minuere voluntarium *actus a quo procedit;* quia contingit nonnumquam eam sub alio respectu esse simul *antecedentem*, puta cum quis directe excitat concupiscentiam ut voluntas vehementius feratur in ob-

1 I-II, q. LXXVII, a. 2, Id ipsum eleganter exponit q. II, a. 9. *De Malo.*
2 D. Th. ib. a. 7.
3 Q. VI. a. 7. praecipue ad 1, et 2.
4 Disp. IV. annot. in a. 7. Cfr. quoque P. Raphael, loc. supra cit. §. IV.
5 Q. LXXVII, a. 6.
6 Ib. ad 2.

jectum concupitum, ut supra jam innuimus; tunc autem passio sive concupiscentia, licet sit consequens respectu voluntatis illam excitantis, nihilominus est antecedens relate ad ulteriorem intentionem voluntatis, quo in casu concupiscentia directe volita auget vel minuit voluntarium et liberum prout diximus de concupiscentia antecedente; actus enim voluntatis accensae per concupiscentiam est voluntarius in causa.

Scholion. Ad ignorantiam reducuntur oblivio et inadvertentia, de quibus propterea judicandum est in ordine ad influxum in voluntarium sicut de ignorantia.

Ad concupiscentiam vero habitus et consuetudo. Sed de iis specialem instituimus paragraphum.

§ 2

DE HABITIBUS PROUT IN ACTUM LIBERUM INFLUUNT AD AUGENDAM VEL MINUENDAM EJUSDEM ACTUS LIBERTATEM

Summa rerum. 1. *Generalis habitus operativi notio.—Sententia Durandi.—Profunda Cajetani ratiocinatio, qua ostenditur contra Durandum habitus operativos influere in voluntarium.* 2. *Stabiliuntur et probantur aliae conclusiones explicantes modum quo habitus influunt in voluntarium.*

Quae naturam, ortum atque species habituum attinent prorsus facilia sunt, et de iis iterum redibit sermo in Disp. VI. Plura ergo praefari opus non est[1].

1. De habituum influxu in voluntarium haec tenenda videntur[2].

a) ***Habitus operativus revera influit in voluntarium;*** nam perficit et complet activitatem potentiae, illamque disponit ad perfecte operandum, est enim habitus operativus, *qualitas difficile mobilis disponens subjectum immediatum operationis ad bene vel male agendum;* consequenter habitus operativus modificat intellectum et voluntatem in ordine ad suos actus proindeque ad voluntarium.

---

1 Interim cfr. Joan. ab Ann., *Artium Cursus*, t. 1, Disp. XV, q. III; Didacus a Jesu, C. D., *Comment. in Logicam Arist.*, Disp. XV; Urraburu, *Psych.* p. II. Disp. VIII.

2 Cfr. I-II, a quaest. XLIX ad LIV; Noldin, loc. cit. n. 42; Bouquillon, *Theolog. Mor. Fundam.* lib. IV, c. III, a. 2, n. 332; Meyer, loc. cit. c. III, a. 3, § 3; Mancini, q. VIII, a. 1; Tanquerey, c. I, n. 123 et seqq.; Haine, *de Act. hum.* q. 34, Scholion; J. Guibert, *La educación de la voluntad.* Estudio psicológico y moral, versión de la 8.ª ed. francesa por Juan de Dios S. Hurtado; Taparelli, *Ensayo Teórico de Derecho Natural* apoyado en los hechos, traducido por D. Juan Manuel Ortí y Lara (Madrid 1866). Lib. I c. VII.

Fuit Durandi sententia habitum nihil facere ad substantiam aut modum actus; non enim habet rationem principii activi, juxta ipsum, consequenter non potet concurrere ut comprincipium actus ad hoc quod actus ipse intensior seu perfectior fiat. Sed hoc stare non potest, ut ex ipsa habitus operativi definitione clare colligitur. Si enim *perficit* et *potentiam completam ad actum secundum constituit*, est quodammodo in actu et quodammodo in potentia. Igitur «consentaneum est, inquit *Cajetanus*, ut habitus perficiens potentiam, ut ejus propria perfectio secundum in quod habet de actu, perficiat et compleat activitatem potentiae; et secundum id quod est in potentia appropriet potentiam ad susceptionem ultimae perfectionis, id est, operationis perfectae. *Putandum est enim quod animae potentia operativa est in potentia sua ad consummatam perfectionem ordine quodam; est namque in potentia per operationes imperfectas ad habitum, et per habitum ad operationem perfectam, in qua consummatur perfectio potentiae operativae*, nisi quis diceret quod potentia operativa animae est per se in potentia per actus imperfectos ad actum perfectum sed per accidens interponitur habitus, quod irrationabiliter dici patet ex doctrina II. Phys., *unumquodque enim sicut agitur ita aptum natum est agi*, et e contra: *constat autem potentiae animae operativae perfectionem sic agi, ut per actus imperfectos acquirat habitum, et per habitum perfectam operationem assequatur. Ex natura igitur hujusmodi potentiarum est, quod ipsae tali ordine et talibus mediis ad consummatam perfectionem perveniant; ac per hoc habitus ipsi per se mediant inter potentias et operationes perfectas*[1].

Ex qua solida ac profunda acutissimi interpretis doctrina jam constat actus procedentes ab habitu perfectiores et intensiores esse ideoque laudabiliores, si boni, vituperabiliores, si mali, existere.

b) Supponímus habitum esse acquisitum voluntaria et iterata repetitione actuum, proindeque libere contractum; quo posito,

c) ***habitus auget rationem voluntarii necessarii actus illius qui ab habitu procedit,*** quoniam auget propensionem voluntatis ad illum; est enim habitus constans quaedam agendi facilitas et promptitudo iteratis actibus comparata, et ideo veluti *altera natura*, huic enim, si firmus sit, nonnunquam comparatur, subjectum ad naturaliter operandum inclinat, indifferentiam potentiarum simul removendo. Quo autem intensior est causa eo effectum intensiorem producit; ergo habitus per se auget voluntarium in actu qui ab ipso procedit[2].

d) ***Intactum relinquit liberum indirectum;*** si enim habitus libere contractus est ex libera nempe et frequenti repetitione actuum cum praevisione saltem confusa habitus inde sequuturi, actus a tali ha-

1 In I-II, q. XLIX, a. 3, § *Si quis igitur perspexerit.*
2 Cfr. Suarez, Tract. II, Disput. III, sect. III.

bitu procedens non potest non esse voluntarius in causa seu indirecte. Quod si nullo modo praevidetur nec confuse quidem aut implicite habitum ex quibusdam actibus sequuturum, tunc habitus non estvoluntarius in causa, nec idcirco actus ex illo procedens.

e) Addendum tamen quod, si *influentia habitus in actum fuerit efficaci voluntate retractata, actus non censetur voluntarius,* quia per illam intermittitur influxus habitus in actum materialiter jam ab illo provenientem.

f) Denique, ***habitus aliquatenus minuere potest liberum directum actus,*** nam eo imminuitur indifferentia intellectus et voluntatis ad actum quo major est in illum propensio; sed per habitum intensior efficitur actualis determinatio; ergo secundum propensionis augmentum potest liberum diminui, eo ferme modo quo de concupiscentia antecedenti dictum est.

Si tamen habitus est voluntarie acquisitus ex libera nempe iteratione actuum cum praevisione habitus inde orituri, quamvis actus forte non sit liber in se, negabit profecto nemo ipsum esse voluntarium in causa ideoque agenti imputabilem, *quod enim est causa causae est causa causati,* ut fert vulgatum axioma, nisi habitum efficaciter reprobet, quo in casu, actus ab habitu proveniens censetur involuntarius, quemadmodum contingit v. gr., in eo qui, habitu blasphemandi retractato, inopinato et inadvertenter blasphemaret, aut dormiens in similes actus prorrumperet.

De consuetudine idem judicium ferendum est in ordine ad voluntarium ac de habitu, a quo non differt nisi ut causa ab effectu.

§ 3

DE HIS QUAE MAGIS REMOTE INFLUUNT IN VOLUNTARIUM [1]

Summa rerum. 1. *Enumerantur praecipuae causae influentes in voluntarium.* 2. *Aperitur quaestio.* 3. *Praenotiones* a) *lex haereditaria-Atavismus;* b) *an differant necne temperamentum et character;* c) *Temperamenti notio;* d) *species temperamentorum;* e) *character;* f) *educatio.* 4. *Judicium de lege haereditaria. Tria principia.* 5. Thesis. *Naturales individui propensiones, nedum haereditariae, sed ex charactere quoque provenientes aut educatione firmatae, actu saepe minuunt libertatem, non tamen penitus extinguunt.* 6. *Errores.* 7. Probatur Thesis. 8. *De statibus pathologicis-Neurasthenia-Hysteria-Epilepsia.* 9. Thesis. *Status pathologici modo descripti plerumque reddunt actiones sub eorumdem influxu factas actu indeliberatas, aliquando vero sunt in causa voluntariae.* Prob. 10. *Aboulia. Vehementis propensionis status. Influxus in voluntarium.* 11. *Alienatio. Somnambulismus. Hypnosis. Suggestio.—Schola Nanjecensis et Leodiensis.* 12. *Instauratur doctrina S. Thomae.*

1. Ad habitus et consuetudines merito revocantur causae quaedam, physicae potius quam morales, remote influentes in actum voluntatis. Hujusmodi sunt quas nuperi scriptores *propensiones haereditarias, temperamentum, characterem et educationem* appellant, quibus adjungi possunt nonnulli *status pathologici.*

2. Quaerimus ergo influantne revera et quomodo hujusmodi causae in voluntarium.

3. **Praenotiones.** a) *Immediata* quarumdam naturalium propensionum a parentibus in prolem transmissio, **lex haereditaria** vocatur. Si vero *mediate* dumtaxat, v. gr. ab avis ad nepotes, fiat hujusmodi transfusio, *atavismus* dicitur.

b) *Temperamentum* et *character* nonnunquam promiscue usurpantur, re tamen ab invicem differunt.

c) **Temperamenti** nomine intelligimus complexum illarum nativarum propensionum quae, simul sumptae et undecumque proveniant, indolem uniuscujusque individui propriam constituunt. Est ergo opus naturae et, ut plurimum, ab organismi complexione dependet.

---

1 Mercier, *Psicologia*, p. III, c. I, a. II, secc. 1-2; Arendt, *Filosofía Moral*, c, II, § 2; J. Payot (positivista) *Education de la volonté*, París 1904; Ed. Hugon, *Metaphys. Psychol.*, p. I, Tract. II, q. IV; Dr. Surbled, *Le temperament* (2.ª ed.); Idem, *La morale dans ses rapports avec la Medecine* (París, 1892).

d) Quatuor temperamentorum genera communiter distinguuntur, scilicet: *sanguineum, nervosum, biliosum* et *lymphaticum,* prout unum alterumve corporis elementum praevalet in individuo; vel, ut alii malunt, *sanguineum, melancholicum, cholericum* et *phlegmaticum* [1].

e) **Character** nativas illas corporis mentisque dispositiones complectitur, quas individuum educatione, propriae voluntatis opera aliisque mediis externis, ita sibi adaptavit immutavitque, ut, collectim sumptae, sibi soli competant et illum ab aliis individuis plane distinguant. Illae vero propensiones sive qualitates, partim ingenitae, partim adquisitae, quamdam praeseferunt stabilitatem; unde character ratione firmitatis *altera natura* dicitur.

Animadvertat hic lector definitum characterem individuum insignire prout individuum est, idcirco recte appellari posse *naturalem, physicum, externum.* Ulterius autem inquirunt philosophi characterem *humanae personalitatis* eumque reponunt in firma et stabili actuum humanorum accommodatione ad finem naturae humanae consentaneum, qui quidem character *internus* dicitur et quandoque *moralis* audit *(fisonomía moral, marca personal interior)* [2].

f) **Educatione** propensiones naturales, quae temperamentum et characterem cuique proprium efformant, firmantur, augentur aut minuuntur. Quis ignorat magnum educationis influxum in mores privatos et publicos, praesertim vero in juventutis efformationem? [3].

4. Heic, praenotaminis instar, liceat quoque nobis judicium aper-

---

1 «Entiéndese por temperamento ciertas diferencias físicas y morales que presentan los hombres y que dependen de la variedad de las relaciones y proporciones de la organización humana. Lo que esencialmente constituye el temperamento es el predominio de organización y de acción de un sistema de órganos sobre los demás». Debreyne, *Ensayo sobre la Teología moral considerada en sus relaciones con la Fisiología y la Medicina,* traducido de la 4.ª edición francesa por el Dr. D. P. P. y D. J. C. B. 3.ª ed. Barcelona 1882, p. I, c. I. El admite cinco principales especies de temperamentos que pueden llamarse temperamentos tipos, primitivos y puros; sanguíneo, bilioso, linfático, melancólico y nervioso, a los cuales añade el temperamento erótico. Cita como ejemplos del sanguíneo a Alcibiades, Marco Antonio, Enrique IV, Luis XIV, el mariscal duque de Richelieu, Regnard y Mirabeau; del bilioso a Alejandro, Julio César, Bruto, Mahoma, Carlos XII, el czar Pedro, Cromwell, el cardenal Richelieu, Napoleón, y entre los héroes y santos célebres a San Atanasio; del linfático a Antonio y Dolabella, Pomponio Atico, y entre los modernos al indiferente Miguel Montaigne; del melancólico a Tiberio, Luis XI, Tasso, J. J. Rousseau; del nervioso a Pascal, Voltaire y Federico. Cfr. Ern. Feuchtersleben, *Higiene del alma,* (trad. de la 45.ª ed. alem. por Manuel M.ª Angelon y José Góngora, (Barcelona, 1903) c. IV y VI; Félix Sánchez y Casado, *Elementos de Fisiología é Higiene,* pág. 110 (ed. 7.ª 1892); Tanquerey, *Synopsis Theol. Mor., De act. humanis,* c. I, n. 116 (ed. altera 1906); Antonelli, *Medicina Pastoralis,* (1909, ed. 3.ª) pag. 234 et sqq., ubi tres tantum typos generales agnoscit.

2 Mercier, *Psicología* c. I, a. 3, secc. II. n. 239; Ruiz Amado, S. J., *La educación moral,* c. II, a. 4, (Barcelona 1908).

3 Cfr. Ruiz Amado, *La educación moral,* Introducción; Segundo Franco, S. J., *La educación de los hijos* (vers. española del P. José M. Soler, Madrid 1910), c. I.

te proferre de *lege haereditaria* quam recentiores *deterministae,* plus aequo imaginationi indulgentes, nimis extendunt atque inde innumeras comminiscuntur hypotheses [1].

En principia a cordatioribus medicis et philosophis, post maturum examen, jam diu probata:

I. Negari non potes *certas* qualitates physicas et physiologicas, mentis aptitudines, moralesque propensiones, generatione a parentibus in filios *aliquando* transfundi [2].

Transmissionis factum, cum adjecta restrictione, indubium est, nec nova auditur doctrina, quippe non tantum logice et immediate consequitur dogma philosophicum unionis substantialis et personalis animae et corporis, ratione cujus mutuum, licet diversi generis, instituitur commercium inter utrumque viresque superiores et inferiores, sed est expressa ***Alberti Magni, Angelici Praeceptoris*** aliorumque Doctorum scholae sententia.

Audiatur *Angelicus* quem ceteri *Scholastici* hac in re, presso pede, sequuntur: «Secundum naturae ordinem propter colligantiam virium animae et corporis in uno esse compositi, vires superiores et inferiores et etiam corpus invicem in se effluunt quod in aliquo eorum superabundat, et inde est quod ex apprehensione animae transmutatur corpus secundum calorem et frigus et quandoque usque ad sanitatem et aegritudinem, et usque ad mortem... Et similiter est e converso quod transmutatio corporis in animam redundat. Anima enim conjuncta corpori, ejus complexiones imitatur secundum amentiam vel docilitatem et alia hujusmodi... Similiter ex viribus superioribus fit redundantia in inferiores; ut cum ad motum voluntatis intensum sequitur passio in sensuali appetitu, et ex intensa contemplatione retrahuntur vel impediuntur vires animales a suis actibus; et e converso, ex viribus inferioribus fit redundantia in superiores, ut cum ex vehementia passionum in sensuali appetitu existentium obtenebratur ratio, ut judicet quasi simpliciter bonum id circa quod homo per passionem afficitur» [3].

---

1 Así por ejemplo nos parecen exageradas y peligrosas, porque abren ancha puerta al amor libre y justifican en cierto modo los atentados anarquistas, estas palabras de Ribot en su obra *La herencia psicológica:* dos seres que se aman con voluntad firme y libre responden mejor a las leyes de la procreación que dos personas que sean indiferentes; y con independencia de amor y de cariño, añade, viven dos esposos después de unos cuantos años que están unidos. De ahí la razón fisiológica de que haya tantas personas feas y tantos tontos.— Para Ribot, los hijos del amor son los más bellos; para Federico Urales (Juan Montseny), director de la *Revista Blanca* (anarquista), son los más inteligentes. ¡Risum teneatis, amici! Cfr. Farges, *La liberté et le Devoir* (París, 1908). Première partie, IV.

2 Cfr. Debreyne, *Del suicidio,* (Barcelona, 1879); c. IV; Th. Ribot, (mecanicista, explicat namque actus appetitus per motus nervorum atque musculorum ac si essent mere physiologici), *L'heredité psichologique; Les maladies de la volonté.* Cfr. ejusdem auctoris opus *Psicología alemana contemporanea,* trad. de Francisco Martínez Conde; P. Vallet, S. S. *La vie et l'heredité,* (París, 1891); Farges, loo. infra cit., pag. 213.

3 *Quaest. Disput., De Verit.,* q. XXVI, *de Passionibus animae,* a. 10.

Brevius alibi: «Dicendum quod ipsam dispositionem corporis sequitur dispositio animae rationalis» [1]. Et quaerens in I-II: *Utrum primum peccatum primi parentis per originem traducatur in posteros,* non negat «quod aliqui defectus corporales a parente transeant in prolem per originem, et etiam aliqui defectus animae ex consequenti propter corporis indispositionem» [2].

II. Haereditaria propensionum transmissio qualem deterministae in scientiis obtrudunt, a vera et propria legis ratione discedit.

Id enim dumtaxat probatum apparet, *certas* tantum, non omnes, corporeas parentum qualitates naturalesque propensiones in filios *aliquando,* non semper, esse transfusas. Deest igitur jugis et contans modus operandi ad essentiam legis naturae omnino necessarius.

III. Eo frequentius et efficacius illae mentis corporisque habitudines per originem traducuntur quo proximius ab organismo dependent.

Hinc, *saepe* transeunt a parentibus in filios, corporeae qualitates, characteres anatomici, physiologici, morbi aliique defectus physici; *interdum* facultates sensitivae, v. gr. vis imaginationis, tenacitas memoriae, acuitas in visu etc.; *rarius* vero mentis aptitudinis et morales inclinationes.

5. Hisce praestitutis, mentem nostram quoad principale quaesitum, sequenti conclusione declaramus:

Thesis: Naturales individui propensiones, nedum haereditariae, sed ex charactere quoque provenientes aut educatione firmatae, actu saepe minuunt libertatem, non tamen penitus extinguunt.

6. Praenuntiatae conclusioni directe adversantur antiquorum *fatalistarum* deliria et absurda novi *determinismi* placita. Omnes siquidem libertatis osores, erroneis *Democriti* positionibus manus dantes, veluti ex cathedra dogmatizant asseverantque singulos actus humanos in praece-

---

1 *De Potentia*, q. III, a. 9, ad 7.

2 q. LXXXI, a. 1. Cfr. quoque I, p. q. CXVIII, a. 1 et 2, et q. CXIX, a. 1. et. 2, et alibi saepe. «La influencia del físico sobre el moral del hombre está de tal manera pronunciada que puede creerse posible la solución del siguiente problema: Dado el hombre físico determinar el grado y extensión de sus facultades morales, la naturaleza de su talento ó su disposición á adquirirlo, su caracter, sus inclinaciones, afecciones, pasiones y hasta cierto punto sus vicios y virtudes, es decir sus fuertes y próximas predisposiciones». Debreyne loc. cit. pag. 30. Cfr. Descuret, *La medicina de las pasiones*, c. VII; Francisco de Barbens, O. Cap. *El cerebro, los nervios y el alma* (Barcelona, 1912), p. III, c. 9; Báumgarten, loc. infra cit. pag. 447 y sig.; Antonino Eymieu. S. J. *El gobierno de sí mismo*, ensayo de Psicología práctica, traducido de la 10.ª ed. francesa por S. P. Vicens y Marcó (Barcelona 1908), *Introducción;* Burlureaux, *La lucha por la salud* (trad. de la 3.ª ed. francesa por José Blanch y Benet, Barcelona 1908), p. I, c. II.

dentibus causam necessariam et adaequatam habere ab eisque prorsus determinari. Quamobrem, juxta memoratum systema, voluntas humana non invenit in se causam immediatam sui motus, sed in statu praecedenti, qui quidem status semper est ratio sufficiens actuum subsequentium. Ita, praeter alios, *Spinoza, Fichte, Gall, Spurzheim, Lamarck, Lavater, Doumotier, A. Isabeau, Beneke, Höffding, Wundt, Ribot*, cunctique materialistae [1].

7. **Prob. I pars** thesis praestabilitae, scilicet: haereditarias inclinationes, temperamentum et characterem minuere exercitium libertatis.

Voluntas dependet indirecte quoad exercitium suorum actuum ex dispositionibus corporis; atqui hujusmodi conditiones materiales ex se sunt ad unum determinatae; ergo, influentes in voluntatem, versus eam partem in quam deflectunt, certo certius inclinant.

Major constat inter ipsos *determinismi* asseclas. Experientia autem demonstratur haereditarias propensiones necnon temperamentum et characterem educatione ratum praedisponere voluntatem ad operandum secundum naturalem inclinationem ab illis in individuo causatam; cujus signum est, quod in repentinis operamur secundum habitum et consuetudinem, ut patet in irascibilibus et intemperatis.

Prob. II pars 1) *ex testimonio conscientiae,* contra quod incassum clamat insana fatalistarum mens. Cuique namque sua refert conscientia se posse contraria successive optare et a proprio actu cum voluerit abstinere, etsi potenti inclinatione charactere firmata ad oppositum feratur. Quod si praefatum illud invictissimumque conscientiae testimonium admittere recusaverint fatalistae, fidenter eos ad certamen provocamus inquientes cum claris. *Bergier:* Vos dicitis me ex necessitate semper agere. Demus ergo pignus, quod ego post horam sedebo. Si liber sedendi non sum, incertus erit eventus et solo casu definiendus. Quis tamen fatalistarum mecum pignore certabit?

2) *Consonat historia* clarissime ostendens nullam esse passionem, characterem aut temperamentum, quorum vehemens impetus conatusque superari a ratione et voluntate non possit. In quo maxime elucet virtus christiana et character quorumdam Sanctorum qui, naturali temperamento adversante eisque noxas in dies insidias moliente, nihilominus, inito certamine, ex eo gloriose triumpharunt. In memo-

1 Cfr. Brin, *Histoire de la Philos.* t. III. pag. 72 et 186. «La psicologia, escribe Mr. Höffding, debe, como toda otra ciencia, ser determinista; ha de partir de la suposición que la ley de causalidad se aplica á la vida de la voluntad como á las otras manifestaciones de la vida y á la naturaleza material». Apud. Mercier, *Curso de Filosofía, Psicologia* c. I, sección II. §. 2. n. 188; Cfr. Ribot, *Psicologia alemana contemporánea,* c. VII.

riam revocentur facta Sanctorum *Joan. Gualberti, Bernardi, Francisci Salessii* aliorumque.

Utramque partem paucis confirmat *Angelicus*: «Anima regit corpus et repugnat passionibus quae complexionem sequuntur; ex complexione enim aliqui sunt magis aliis ad concupiscentias vel iras apti, qui tamen magis ab eis abstinent, propter aliquid refrenans, ut patet in continentibus» [1]. Et alibi: «Ex corpore aliquo modo voluntas inclinatur, non necessario, quia resistere potest, sicut cholerici ex naturali complexione inclinantur ad iram; tamen aliquis cholericus potest resistere per voluntatem isti inclinationi [2].

8. ***De statibus pathologicis in libertatem influentibus.*** Inter status anormales quos psychologi recensent et nostrum attinent institutum praecipuos memorabimus: quorum quidam, *neurasthenia, hysteria* et *epilepsis,* immediate systema nervosum afficiunt; nonnulli *aboulia* et *invincibilis propensio,* directe ipsam voluntatem attingunt; alii demum vexant corpus et animam, ut *alienatio, somnambulismus naturalis* et *hypnosis.*

Neurasthenia est status quidam morbosus in quo nervis, ex variis causis tum physicis tum moralibus, (abusus narcotismi, voluptatum, excessus laboris etc.) maxime debilitatis, corporis vitam exhaurire videtur animumque neurasthenici nimis deprimit [3].

Hysteria totum systema nervosum ita perturbat, ut dum in quibusdam corporis partibus vix sensibilitas apparet aut penitus, saltem ad tempus, extinguitur (anectesia, paralisis, insensibilidad parcial), in aliis intersior redditur (hipertesia dolorosa), et nonnunquam, invalescente morbo, paroxismum producit (gran histerismo). Mulieres procliviores

1 *Contra Gent.* lib. II, c. 63. «La vida psíquica sensible é indirectamente la vida intelectual dependen de la integridad de los órganos y siguen todas las vicisitudes de la vida nerviosa. Está comprobado por numerosos hechos que el espíritu por su parte reacciona sobre el cuerpo... Los experimentos tan instructivos de Mosso han demostrado que la actividad intelectual, por débil que sea, se refleja en la vida orgánica, y por medio de un aparato especial, el *pletismógrafo*, ha hecho ver el sabio fisiólogo que hay relación entre la cantidad de sangre que afluye al cerebro y la intensidad del trabajo del espíritu». Mercier, loc. cit. a. 2, sec. I, n. 204. Cfr. ib. c. I. a. 1. sec. I.

2 *De Verit.* q. XXII. a. 9. ad. 2. Luego no podemos aprobar la afirmación de Cesar Lombroso en su obra *Los Anarquistas* (traducida por Campo y España, Madrid 1894) donde dice que existe un tipo social anarquista bien determinado y fijo, ni menos la consecuencia que deduce de las investigaciones hechas por él en los 43 anarquistas de Chicago, segun la cual dicho tipo está caracterizado por un *estado patológico* consistente *en la imposibilidad para los anarquistas de adaptarse al estado social actual,* ya que la mayoría de aquellos pertenecían, según Lombroso, á la categoría de *asesinos filántropos.*

3 Cfr. P. Franc. de Barbens, loc. cit. c. 13; Alfredo Baumgarten, *La Neurastenia.* Su naturaleza, curación y profilaxis (vers. castellana de la 4.ª ed. alemana por el Doctor Collet, Barcelona 1909); Eymieu, *El gobierno de sí mismo,* c. I.

ad hysteriam inveniuntur eamque facilius quam homines incurrunt. Specialis hystericorum nota *physiologica* est irritabilitas nervorum, *moralis* autem animi inconstantia mentisque hallucinatio [1].

Epilepsia consistit in tali nervorum deordinatione ut aegrum constituat in statu morboso saepe diuturno et permanenti graviterque laedat organismum et usum rationis voluntatisque libertatem intercipiat.

Epilepsia differt ab hysterismo ratione majoris stabilitatis et permanentiae, necnon ob frequentes manifestioresque nervorum contractiones et anatomicas laesiones, quas sapientes medici et physiologi primo observant aspectu.

9. **Thesis: Status pathologici modo descripti plerumque reddunt actiones sub eorumdem influxu factas actu indeliberatas, aliquando vero sunt in causa voluntariae.**

Prob. I pars.

Experientia compertum est recensitas infirmitates adeo aegri mentem nonnunquam commovere ut rationis judicium de moralitate actus totaliter impediat. Atqui nihil actu liberum absque deliberata voluntate; ergo actiones positae sub potenti influxu illorum statuum plerumque indeliberate fiunt. In singulis autem casibus ex actuali aegri dispositione judicium proferatur.

Prob. II pars.

Nulli dubium quin praefati morbi, etsi aliquando haereditate transmittantur, haud raro tamen ex excessibus voluntarie commissis proveniant. Ergo, juxta regulas traditas, crimina in illo statu patrata sunt in causa voluntaria, proindeque eo modo agenti imputabilia.

---

1 «Bajo el punto de vista sensitivo algunas percepciones de los sentidos externos están excesivamente reforzadas; en ellas está concentrada y exagerada la atención hasta provocar alucinaciones. Bajo el punto de vista asociativo, la viveza de las imágenes llega hasta ser afirmada como realidad; los histéricos contraen el hábito de mentir. Bajo el punto de vista afectivo se encuentra la misma tendencia en una propensión desordenada á que todo el mundo mire por ellos y hacerse interesantes. De ahí la sed de emociones y la necesidad de sentirse vivir intensamente: el deseo de correr peligros incita muchas veces al robo, á las aventuras y contiendas». Mercier, *Psicolog.* loc. cit. n. 219. Cfr. Capellmann, *Medicina Pastoral* (traducción de D. Bartolomé Cintas) c. I. pag. 84; J. de Bonniot, *Le miracle et ses contrefaçons*, (5. ed Paris 1895) chap. VII; Eymieu, loc. cit. pag. 37 y sigs.; Jean Ferrand, *Les conceptions anciennes et nouvelles de la grande névrose, dite hystérie.* (Etudes Carmelitaines historiques et critiques, 15 Octobre 1912).

10. Inter status anormales ipsius voluntatis [1] duo praesertim numerantur, prout voluntas rectam regulam debitumque operandi modum per *defectum* non attingit, vel per *excessum* transgreditur. Primus status, directe ipsam voluntatem afficiens, dicitur *Aboulia;* alter vero *vehemens impulsus* seu *propensio,* qui cum paroxismum attingit, veram *alienationem* constituit.

Aboulia (α, non, et βουλή, consiliatio, voluntas,) idem est ac carentia voluntatis, et definitur: incapacitas efficaciter volendi quod exoptatur. Nam aboulici impotentia sese determinandi laborant ad perficiendum, quod ceteroquin sciunt se posse et debere perficere [2]. Inter causas physicas *abouliam* generantes praecipuam recensent medici immoderatum usum *opii,* inter morales vero *desidiam segnitiemque.*

Certis hominibus inesse *violentas quasdam propensiones,* quibus ineluctabiliter feruntur ad determinata facinora patranda, nemo ambigit. His autem aliquando resistere valent, nonnunquam vero adeo afficiunt premuntque voluntatem et judicium rationis perturbant, ut omnem libertatem et potentiam ad oppositum penitus amittant [3].

In hoc igitur sicut in praecedenti statu morboso voluntatis libertas minuitur vel etiam tollitur. Possunt nihilominus aboulicis et furiosis quidam actus ad culpam interdum imputari, si scilicet statum illum libere induxerunt.

11. Quoad status pathologicos facultates organicas simul ac mentem aeque afficientes tres supra recensitos nunc breviter expendemus.

Alienationem (locura, enajenación mental,) patitur qui non est sui compos nec rationali voluntate perceptiones in finem naturae consentaneum dirigere et coordinare valet. Vere *alienus a se,* cum non habeat dominium rationis et voluntatis [4].

Insania dicitur *generalis* (manía), si demens in omnibus suis actibus

---

1 Cfr. E. Hugon, loc. cit, q. IV, a. 1; Capellmann, *Medicina Pastoral,* c. I, pag. 94, *De las enfermedades animicas;* A. Gemelli, *Psicopatie e moralitá,* Rivista di filosofia Neo-Scolastica, Junio 1911.

2 Mercier, *Psicologia,* loc. cit. secc. II. n. 116. «El grupo de hechos que los médicos comprenden bajo el nombre de abulia, está así caracterizado: los órganos del movimiento están intactos, el entendimiento está lúcido, el juicio sano, el individuo sabe lo que debía querer, conoce los medios que debería practicar á este fin, pero no puede decidirse á obrar».

3 Los alienistas citan casos de individuos que anuncian los crímenes que van á cometer y suplican sean impedidos. Mausdley refiere que un aldeano de veintisiete años, víctima de impulsos irresistibles á cometer un asesinato, pedía se le encerrara para evitar un crimen. Cuando eso me sobrecoge, exclamaba, necesito matar á alguno, aunque sea á un niño. Mercier, loc. cit. in nota pag. 152. Cf. Debreyne, *Del Suicidio* y Descuret, *Medicina de las pasiones,* quienes refieren multitud de casos sorprendentes.

4 Cfr. Debreyne, loc. cit. p. IV, a. II; Descuret, loc. cit. p. I, c. XI, et p. IV, c. XVI, y sig.; Hugon, *Philos. Nat.* p. II, *Biologia et Psychol.* tract. III, q. VI, a. 3.

secundum effrenatam imaginationem nullimode rationi aut voluntati subjectam in diversa feratur. Si vero ad quaedam tantum phantasmata perceptionesque attentionem dirigat et in illis ita figat obtutum ut ab aliis omnino divertat *partialis* audit (monomanía). Utraque potest esse *pacata*, saepe *idiotismus*, et *violenta* (locura furiosa), praesertim ex alienatione imperii in passiones et actus externos proveniens.

Alienationis status saepissime haereditate transmittitur, interdum ex subita et violenta passionum affectuumque commotione producitur, nec raro physica cerebri nervorumque laesione causatur.

Hujusmodi status morbosus omnem liberae voluntatis influxum in exercitio actus penitus intercludit. Ergo alienationis crimina actu non imputantur agenti.

Somnambulismus naturalis est status in quo dormiens deambulat actionesque physico-orgánicas quasi vigilans mirabiliter exercet. Verumtamen quamvis somnambulus celeres motus perceptionesque sensitivas habeat, ratio et voluntas ejusdem ligatae manent, proindeque eo statu durante libertate caret [1].

Unde libenter subscribimus sententiam *Card. Zigliara* inquientis: «Status iste (in quo somnia accidunt) non excludit exercitium intellectus, quia ipse non dormit et operatur quoties operatur phantasia, imo nec exercitium voluntatis omnino impeditur; tamen completus usus intellectus non semper adest et nunquam habetur exercitium *liberae* voluntatis, seu non habetur voluntas sui juris, voluntas domina suae actionis, id est, electiva sub rationis directione, voluntas denique deliberata, sed solummodo est voluntas ut inclinatio quaedam naturalis vel quasi naturalis. Qua de causa actiones in illo statu factae humanae non sunt, morales non sunt, imputabiles non sunt, carent denique vitio et virtute, praecise quia, ut tales, non sunt libere voluntariae; nisi forte aut antecedenter aut consequenter voluntas in eas consentiat. Qua de causa dixi, *actiones ut tales*» [2].

---

1 Cfr. Arist. cum interpretatione S. Th. *de Somno et vigilia*, lect. IV; Surbled, *Le Rêve*, et ejusdem autoris Opus, *Spiritisme et Spiritalisme* (Paris 1898); et *Spirites et Mediums* (901).

2 Psychol., lib. III, c. II. a. 3. Haec sententia, ni fallor, est ipsamet Sti. Thomae sententia: «Ad intellectum duo pertinent; scilicet *percipere* et *judicare* de perceptis. Intellectus autem in dormiendo non impeditur quin aliquid percipiat vel ex his quae prius consideravit, unde quandoque homo dormiendo syllogizat... Sed perfectum judicium intellectus non potest esse in dormiendo, eo quod tunc ligatus est sensus, qui est primum principium nostrae cognitionis. Judicium enim fit per resolutionem in principia; unde de omnibus oportet nos judicare secundum id quod sensu accipimus. Usus autem liberi arbitrii sequitur judicium rationis: et ideo usus liberi arbitrii, per quem voluntas in Deum convertitur, in dormiendo sufficiens esse non potest, quia etsi sit aliquis motus voluntatis, magis sequitur phantasiam quam judicium completum rationis». *De Verit.* q. XXVIII, a. 3.

Hypnosis (ab ὕπνος somnus, sopor,) est status in quo hypnotizatus ita subjicitur hypnotizanti ut ab hujus imperio totus dependeat eaque tantum faciat quae ab eodem suggeruntur [1].

Distinguitur a *somnambulismo naturali*, quia quamvis plura phaenomena hypnotica non tantum in statu cataleptico et somno durante, sed etiam in vigilia locum habeant, et absque praevio et antecedenti consensu hypnotizati somnus naturalis possit in hypnoticum mutari, tamen hypnosis generatim loquendo est somnus arte causatus (*somnambulismus artificialis*).

Mira narrantur hypnotismi phaenomena. De his fuse in Cosmologia, cum de legibus naturae disputando agitur.

Quoad causas hypnosim provocantes dissentiunt auctores. *Varias* quidam assignant, v. gr. fixum obtutum oculorum, manuum attrectationem, vocis imperium, etc. Alii unicam esse docent scilicet *mentalem suggestionem* [2].

Suggestio definitur: actus quo hypnotizans aliquam ideam hypnotizato communicat ab eoque acceptatur absque libero suae voluntatis consensu, ratione cujus acceptationis hypnotizatus vivide percipit rei descriptae similitudinem eamque realem existimans imperiis hypnotizatoris motu fatali obsecundat. Nam rerum quae describuntur phantasmasta aut quae suggeruntur similitudines adeo influere possunt in facultates organicas ut haec, reagentes in organa motus, ea ad sequendum suggerentis impulsum determinent, quippe auctoritas hypnotizantis sic agit in imaginationem hypnotizati ut omnes hujus vires affectivo cognoscitivas penitus absorbeat harumque exercitium totaliter impediat. Ergo anormalis hypnotizatorum suggestibilitas quae resistere non valet hypnotizatoris influxui habenda est tanquam medium quo producitur hypnosis.

---

1 Mercier, loc. cit. n. 210; *El espiritismo en el mundo moderno*, traducido de *La Civiltá Cattólica* (Valencia 1871); P. Franco, *El Hipnotismo puesto en moda*, traducido por D. Joaquín de Font y de Boter; J. M. A. Vacant en el *Dicc. Apolog.* de Jaugey, art. *Espiritismo*; Arturo Perales, *El Supernaturalismo de Sta. Teresa y la filosofia médica* presertim p. I. c. 6; Th. M ª Coconnier, O. P., *L'hynotisme franc.* (Paris 1898); Aloys. Ad. Paquet, *Disput. Theologicae, De Deo Creante*, Disp. IV. a. 5; Tanquerey, *Synopsis Theolog. Mor.* loc. cit. n. 133; idem, *Theolog. Dogm. De Deo Creante et elevante* c. II. 3, a. 111-116; Knoll, *de Deo Creatore* § 184 et seq.; P. Ezechiel a S. C. Jesu, C. D., *Adnotationes in Summam D. Thomae, De Deo Creante et Elevante*, Praelect. LXIV pag. 437; J. Mir, *El Milagro*, lib. VII; Ferrer, *La cause de l'hypnotisme*; Fernandez Concha, *El hombre en el orden Sicológico, en el Religioso y en el Social*, t. I, p. II, trat. V. c. IX, § 5; Hugon, *Philosoph. Naturalis*, p. II, q. VI, a. 2; Urraburu, *Instit. Philos.*, vol. VI; Touroude, *L'hypnotisme, ses phenomenes et ses dangers*; Meric, *Le merveilleux et la science*; Bonniot, *Le miracle et ses contrefaçons*, chap. VI, § 1-7.

2 Cfr. Antonelli, op. cit. n. 245 et sqq.

An quis possit hypnotizari quin prius ad id consensum dederit, propria abdicata voluntate, vel e contra, ipso renitente, necessario hypnotizanti subjiciatur, in utramque partem disputant sapientes.

Inde alia suboritur quaestio his verbis expressa. Suggestio adeo irresistibilis evadit ut hypnotizatus penitus amittat libertatem feraturque, fatali quadam necessitate, ad crimina patranda etiam in statu vigiliae, suggestione durante? Vel debilitatur solummodo libertas hypnotizati, ut omnes concedunt, non tamen tollitur praesertim in vigilia etiam si suggestio perduret? [1].

Schola Nanjecensis (Nancy), ducibus *Liebeault, Beaunis* aliisque, suggestionem esse irresistibilem censet, idcirco hypnotizatum sub potenti hypnotizantis influxu, sive somno durante, síve in statu vigiliae, carere sufficienti libertate ut eidem imputari possint pravae, quas operetur, actiones.

E contra, *Schola Leodiensis* (Lieja) cum *Charcot, Brouardel, Gilles de la Tourette, Delboeuf, Bramwell, Mercier* et aliis bene multis, affirmat plures hypnotizatos non semel restitisse hypnotizatorum suggestioni praesertim cum haec illos ad facinora patranda inducebat.

Adhuc lis sub judice est [2].

12. **Instauratur Sti. Thomae doctrina.** Haec quae, de statibus pathologicis fusiori calamo exponunt recentes physiologi, non fugerant mentis aciem Aquinatensis, sed universaliora illa tradidit principia unde praefata doctrina erui et comprobari posset. Nec tamen in *Materialismum aut Organicismum*, ut quibusdam nuperis scriptoribus contingit, descendit; perpetuo namque retinuit docuitque facultatum organicarum influxum in mentem non esse *directum* et *immediatum* sed solummodo *indirectum* et *mediatum*.

Pro coronide hujus quaestionis tria ex *D. Thoma* heic scripta relinquere cupimus, quae cuncta superius tradita veluti in semine continent et demonstrant.

1) «Ex hoc ipso potentiae animae mutuo se in suis operationibus impediunt quod in una essentia animae sunt fundatae: unde, quanto aliquae vires animae sunt sibi magis propinquae, tanto magis natae sunt se impedire si ad diversa ferantur» [3].

2) Abstractio a sensibus dupliciter contingit. «*Uno modo* ex causa animali, *alio modo* ex causa naturali. A causa quidem naturali quando

---

1 Cfr. Debreyne, loc. cit. p. IV, c. I; Mercier, loc. cit. pag. 133; D. Th. *De Veritate*, q. XXVIII, a. 3; I, p. q. LVII et CXI; a. 2, et 3. ubi agit de actione Angelorum in homines, quam doctrinam prae oculis semper habeant Moralistae.

2 «Actus potentiae voluntatis immutari non potest nisi ipsa cooperante; si enim non esset in ipsa non esset ejus actus». *De Veritate* q. XXVIII, a. 3.

3 *De Verit.* q. XII, a. 9, ad 4. Cfr. II-II, q. CLXXIII, a. 3.

exteriores sensus stupescunt vel propter aegritudinem (sicut in epilepticis et furiosis, ut infra explicat) vel propter vapores somnia ad cerebrum ascendentes, ex quibus contingit organum tactus immobilitari.Ex causa vero animali, sicut quando homo ex nimia attentione ad intellectualia vel imaginabilia omnino a sensibus exterioribus abstrahitur» [1].

3) «Nulla creatura potest *directe* immutare voluntatem quasi agendo intra ipsam voluntatem; potest autem extrinsecus aliquid proponendo voluntati, eam *aliqualiter inducere*, non tamen immutare». Et paulo supra dixerat: «Voluntas potest intelligi immutari ab aliquo dupliciter: Uno modo sicut *ab objecto suo*, sicut voluntas immutatur ab appetibili... Alio vero modo potest intelligi voluntas immutari ab aliquo per *modum causae efficientis;* et sic dicimus quod non solum nulla creatura potest cogere voluntatem agendo in ipsam, quia hoc nec Deus poterat; sed *nec etiam potest directe agere in voluntatem ut eam immutet necessario, vel qualitercumque inclinet, quod Deus potest:* sed indirecte potest aliqualiter inclinare voluntatem aliqua creatura, non tamen necessario immutare» [2].

Articulus III

De violentia, tertia involuntarii causa [3].

Summa rerum. 1. *Violentiae notio.—Conditiones ad rationem violenti.* 2. *Duo accurate notanda ad plenam definitionis intelligentiam.* 3. *Duplex violentia—utriusque natura.* 4. *An voluntas humana pati possit violentiam.—Resolvitur quaestio.* 5. *De influxu violentiae in actum voluntarium.*—Thesis. *Violentia absoluta aufert totaliter liberum.* Prob.

Ex parte voluntatis impediunt vel minuunt voluntarium violentia et metus.

1. Circa violentiam plura dicta sunt in Dynamilogia ex qua hic nonnulla trahere pernecessarium judicamus. Itaque, ut a definitione exordium sumamus, *violentum* dicitur *οὗ ἔξωθεν ἡ ἀρχή, μηδὲν συμβαλλομένου τοῦ βιασθέντος* [4] *id quod procedit a principio extrinseco, passo* (subjecto) *non conferente vim,* seu *passo renitente,* ut interpretatur ***D. Thomas.***

---

1 *De Verit.*, q. XII, a. 9.

2 *De Veritate.* q. XXII, a. 9. Cfr. I-II, q. LXXVII, a. 1; et I p. q. CXI, a. 2, et alibi saepe. «Demones, inquit, possunt, virtute suae naturae phantasmata perturbando, totaliter intelligibilem cognitionem hominis impedire, sicut patet in arreptitiis; non tamen semper hoc facere permittuntur». *De Malo*, q. XVI, a. 11 ad 11.

3 Cfr. Salmantic., Disp. V, Dub. I, §§ 1 et 2; Gonet, *Clypeus Theolog. Thom.* Tract. II, *De act. humanis*, Disput. I, a. 4, § 1-5; V. Contenson, *Theologia mentis et cordis*, lib. VI Disp. I, c. I, Specul. I, Corol. VII et sqq.; Philippus a SS. Trinit., Disp. IX, Dub. I-III.

4 Aristot. III *Ethic.* c. I (ed. Didon).

In hac definitione signanter elucent duae conditiones requisitae ad rationem violenti. 1.ª ut sit *a principio extrinseco*, per hoc enim distinguitur a naturali et voluntario quae sunt a causa et principio intrinseco: 2.ª ut *patiens repugnet pro posse*, hoc est, ut non solum negative aut tantum mere passive se habeat, sed per conatum aut resistentiam quamdam activam contranitatur vim illatam superare, secus formae artificiales, v. gr., et habitus supernaturales aliaque hujusmodi bene multa, in quibus recipiendis subjectum nihil contra efficit, dicenda forent violenta.

2. Hinc duo alia nota ad perfectam definitionis intelligentiam. *Unum* est, quod illa contranitentia seu reluctantia patientis per aliquam inclinationem activam voluntatis est omnino necessaria ut aliquid violentum dicatur, quoniam si passio placeret voluntati seu voluntas vellet pati, violentum nihil esset, sicque passiones tormentaque martyrum, quas ipsi patienter admittebant violenta non erant, sed voluntaria. Apposite *S. Thomas: Cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo qui patitur voluntate patiendi, non est simpliciter violentum, quia licet ille qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati*»[1]. *Alterum* notandum est, quod sicut ad rationem voluntarii non sufficit ut aliquid procedat ab intrinseco secundum inclinationem particularem alicujus potentiae, puta visus, vel manus, sed requiritur ut procedat secundum inclinationem communem hominis, id est, secundum voluntatem, ita etiam ad essentiam violenti exigitur quod vis illata a causa extrinseca sit contra inclinationem, non unius vel alterius partis, sed voluntatis.

3. Duplex solet distingui violentia: alia *sufficiens*, quae etiam *absoluta* et *praecisa* vocatur, alia *insufficiens, lata,* seu *conditionata,* prout scilicet voluntas renititur totis viribus, totaliter tamen cogitur ad violenti receptionem, quapropter a ***D. Th.*** *compulsio* dicitur, vel partim tantum repugnat adeoque non omnino cogitur, et a ***D. Th.*** *impulsio* vocitatur, quia impellit et inclinat subjectum non tamen irresistibiliter illud determinat[2]. Patet a) priorem esse simpliciter et *stricte dictam* violentiam, alteram vero *secundum quid;* b) illam tollere omnino rationem voluntarii consequenter excusare *a toto;* hanc autem esse magis vel minus voluntariam pro gradu resistentiae proindeque excusare, ut dicitur, *a tanto, sed non a toto.* Sapienter vero notat cit. auctor O. N. ad violentiam *simpliciter* dictam non requiri *externam* resistentiam omnino absolutam et continuam, quando scilicet ex una parte inutilis foret, et ex alia parte non indicat consensum, neque est de necessitate ad scandalum vel religionis injuriam avertendam; ad inutile enim aut superfluum nemo tenetur[3].

---

1 I-II, q. VI, a. 2.
2 II *Sent.*, Dist. XXV, a. 2.
3 P. Raphael, loc. cit. a. 3, § 1, n. 89.

4. Planum est autem a) *voluntatem pati non posse violentiam stricte dictam in eliciendis suis actibus.* Actus enim elicitus est qui immediate procedit ab ipsa voluntate, ut velle; est ergo ab intrinseco et secundum inclinationem subjecti; sed violentum est a principio extrinseco; ergo «contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus vel violentus; sicut etiam est contra rationem naturalis inclinationis vel motus lapidis quod feratur sursum; potest enim lapis per violentiam ferri sursum; sed quod iste motus violentus sit ex ejus naturali inclinatione, esse non potest. Similiter potest homo per violentiam trahi; sed quod hoc sit ex ejus voluntate repugnat rationi violentiae»[1]. Hinc ***S. Anselmus:*** *Ligari potest homo invitus, quia nolens potest ligari; torqueri potest...; velle autem non potest invitus, quia velle non potest nolens velle; nam omnis volens suum velle vult*[2].

Ex quo sequitur 1) *Deum non posse violentiam inferre voluntati;* potest quidem illam movere prout voluerit, vel auxilium quo operetur negare, sed nequit facere quod actus sit voluntatis et simul a principio extrinseco. Deus, inquit ipsemet Angelicus, non potest voluntatem cogere. «Quantumcumque enim voluntas immutetur in aliquid non dicitur cogi in illud. Cujus ratio est, quia ipsum velle aliquid est inclinari in illud; coactio autem vel violentia est contraria inclinationi illius rei quae cogitur. Cum igitur Deus voluntatem immutat, facit ut praecedenti inclinationi succedat alia inclinatio, et ita prima aufertur, et secunda manet. Unde illud ad quod inducit voluntatem non est contrarium inclinationi jam existenti, sed inclinationi quae prius inerat; unde non est violentia nec coactio»[3]; 2) nec quoad *ipsum actum imperandi voluntatem cogi posse,* ob idque generatim diximus in propositione *in eliciendis suis actibus,* actus enim imperii est quoque voluntatis sicut subjecti.

b) *voluntatem cogi posse quoad actus imperatos et imperabiles seu quoad imperii executionem,* ut ambulare et loqui, in quantum per vim extrinsecam exteriora membra impediri possunt ne imperium voluntatis exequantur[4].

5. Hisce ex Dynamilogia reassumptis, sit

---

1 D. Th. q. VI, a. 4.
2 *De lib. arb.*, c. V.
3 *De Veritate*, q. XXII, a. 8.
4 D. Th. I-II, q. cit.; Cfr. Cajet. *in h. l.*; D. Th. I, p. q. LXXXII, a. 1; I-II, q. X, a. 2; II-II, q. LXXXVIII, a. 6, ad 1; *De malo*, q. VI, a. 9 et 10; *De Verit.* q. XXII, a. 5, et q. XXIV, a. 4; Urraburu, *Psychol.*, p. II, Disp. VII, c. 1; Michael de Maria, *Anthrop.*, p. I, q. VI.

Thesis. **Violentia sufficiens tollit omnino liberum; insufficiens vero, minuit quidem, non tamen totaliter illud aufert.**

Prob. I pars.

Coactum simpliciter dicitur quod est a principio extrinseco, voluntate totis viribus renitente; atqui quod est hujusmodi est omnino contra inclinationem voluntatis, seu simpliciter involuntarium. Ergo violentia sufficiens excludit totaliter liberum. Actus igitur per absolutam violentiam illatus, cum sit omnino contra voluntatem patientis, eidem imputari non potest. Quamobrem merito *S. Lucia Paschasio* impio Praefecto respondit: *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam;* nam actus per vim sufficientem extortus nedum non est peccatum, utpote omnino involuntarium, sed auget meritum ex renisu voluntatis ad illum.

Prob. II pars.

Licet potenter voluntas sollicitetur, ex quo certe minuitur liberum, stante praefata violentia, potest dissentire; ergo actio posita sub influxu talis agentis extrinseci patienti revera imputatur.

Articulus IV

An et quomodo metus influat in actum liberum[1]

Summa rerum: 1. *Definitur metus.* 2. *Quae sit differentia inter vim et metum.* 3. *Principales metus divisiones—Intrinsecus et extrinsecus—absolute gravis et absolute levis; conditiones ad metum absolute gravem; relative gravis et levis—metus reverentialis.* 4. *Tria observanda ante solutionem quaestionis* 1) *agere ex metu et cum metu;* 2) *metum esse causam totalem vel partialem operationis;* 3) *quatuor actus concurrentes in eo qui ex metu operatur.* 5. *Restringitur quaestio.* 6. Thesis: *Actio ex metu quantumvis gravi posita est simpliciter voluntaria, secundum quid tamen involuntaria.* Prob. per partes. 7. *Quatuor consectaria valde notanda.* 8. *Scholion*—utrum et qua ratione aliquas actiones ex metu factas jus positivum irritas declaret—an metus semper causet involuntarium secundum quid—de qua causalitate intelligendum est cum dicimus metum causare involuntarium.

1. *Metus* definitur a ***D. Thoma*** *passio qua refugimus malum futurum cui resisti non potest*[2]. Differt a tristitia quia haec versatur circa malum praesens; est enim tristitia proprie dicta *animi dejectio ex malo apprehenso et actualiter injacente,* metus autem est de malo futuro imminente, seu quod vitari non potest. Large autem accipiendo metum tristitiam comprehendit et a moralistis definitur: *Instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio.*

2. Differunt etiam *metus* et *violentia.* Etenim, *a*) vis cogens *physice* agit in potentias hominis, causa vero quae metum homini incutit est causa *moralis* voluntatem aggrediens per motiva proposita, mediante intellectus apprehensione; *b)* violentia est semper a principio *extrinseco,* metus vero potest etiam esse ab *intrinseco*[3]; et *c)* quia violentia nulla est absque resistentia activa patientis, metus vero hanc reluctantiam non expostulat. Has differentias jam notaverat ***Angelicus***[4].

3. **Principales divisiones ad rem spectantes.** Quoad praesentem quaestionem attinet metus apte dividitur in metum *ab intrinseco* et *ab extrinseco; absolute* vel *relative gravem* et *levem.*

---

1 Cfr. D. Th. III *Ethic.*, lect. II et IV; I-II, q. VI, a. 6; IV *Sent.*, Dist. XXIX, q. I, a. 2; Salmantic., loc. cit. Disp. V, in a. 6; Suarez, Disp. III, sect. I-II; Joan. a S. Th., Disp. IV, a. 2; Dens, q. V, n. 35, 36; Pesch, *De volunt.* a. 1, § 2; Zigliara, *Ethica*, lib II, c. II, a. 6; Eleizalde, *Etica*, n. 42; Cathrein, c. II, a. 4, § 3; Ferretti, n. 64 et sqq.; Mancini, q. VII, a. 4.

2 I-II, q. XLI, a. 2.

3 P. Raphael, loc. cit. § 2.

4 Cfr. I-II, q. VI, a. 6.

Intrinsecus est qui provenit ex intrinseca ipsius subjecti dispositione, v. gr. metus mortis ex gravi infirmitate excitatus, quia causa a qua exoritur est ipsi subjecto intrinseca. *Extrinsecus* dicitur metus dum incutitur a causa extrinseca, sive haec naturalis sit seu necessaria, sive moralis seu libera, uti esset in ***Petro*** v. gr. timor mortis ex naufragio, incendio, aut latrone ipsum aggrediente.

Metus *absolute gravis* est qui cadit *in virum constantem,* eo quod malum instans seu futurum, quod timetur, grave est *in se* et ut tale existimatur: v. gr. mutilatio membrorum, gravis infamia, notabilis jactura bonorum, mors aliaque similia. Quod si malum quidem grave est et pro tali reputatur, sed parum probabile aut valde incertum videtur, metus qui ab illo tanquam a causa proficiscitur non est absolute gravis. Qua de causa Moralistae quatuor assignant conditiones ut talis censeatur, videlicet: *a)* ut illud grave malum quod timetur revera instans vel futurum existimetur a timente non ex vana aut levi ratione, sed ex certa aut vere probabili; *b)* ut minitans sit potens et solitus minas executioni mandare; *c)* ut malum non possit facile alia via a timente vitari; *d)* ut supradictum malum immineat aut propriae personae aut aliis sibi valde conjunctis, ut parentibus, filiis, uxori, sororibus etc.[1]

Metus *absolute levis* vocatur ille qui non cadit *in constantem virum,* nec natus est hominem fortis virilisqui animi commovere, quamvis ceteroquin malum ex quo provenit et causatur forte sit grave *in se;* potest enim contingere quod malum illud sit valde remotum, aut parum probabile, vel non existimetur grave, quibus in casibus non incutit gravem timorem sui. Unde, si quaelibet ex praedictis conditionibus pro metu gravi assignatis defuerit, metus erit levis.

Relative gravis vel levis dicitur quando est talis respectu hujus vel alterius, attentis nempe conditionibus et circumstantiis personarum: sic v. gr. malum aliquod in se leve, quod nullum timorem incutit viro prudenti, potest gravem incutere puero, seni aut mulieri.

Ad *metum gravem* reducitur metus qui *reverentialis* audit, quo nempe quis veretur resistere imperio ejus cui subjicitur, nam seclusis etiam aliis malis, communiter secum fert timorem gravem damni imminentis aut futuri ex non adimpletione praecepti aut mandati, puta diuturnae indignationis, ut esset v. gr. si pater, mater, dominus, praelatus, filiis, servis aut subditis minarentur mala, atque alias, minas exequi soleant.

4. Hisce declaratis, quaerimus quid *metus operatur circa voluntarium.*

Sed ante responsionem caute nota cum *Suarez* aliisque philosophis et

1 Salmantic., Disp. V. Notat. circa art. 6; Sanchez, lib. IV, Disp. I. *De Matrim.*; P. Raphael, loc. cit. n. 99.

theologis «aliud esse operari aliquid *cum metu*, aliud vero *ex metu;* nam primum dicit *concomitantiam:* unde quod ita fit licet sit absolute voluntarium non oritur ex metu, sed potius opponitur et vincit ipsum metum, quod est *signum magnae voluntatis*, ut quando Christus Dominus progrediebatur ad mortem, metuens illam, summa voluntate illam amplectebatur, quae non oriebatur ex timore Patris et hominum, et ideo vincebat naturalem timorem. At vero fieri *ex metu* significat quod *metus ipse inducit ad volendum seu faciendum aliquid*, et tunc metus est causa talis voluntarii, eo modo quo inter actus voluntatis intentio est causa electionis et electio usus, et amor boni est causa odii oppositi mali»[1]. Ergo agere *ex metu* significat metum esse causam inducentem et impellentem hominem ad agendum ideoque antecedere opus; v. gr. metus amittendi vitam est causa projectionis mercium in naufragio. Agere vero *cum metu* est operari metu concomitante sed non causante actionem, ut in latrone qui cum metu suspendii furatur.

Nota *secundo* metum posse esse causam *totalem* actionis ponendae, ut cum puella honesta consentit viro gravia minitanti; vel *partialem* solummodo, cum scilicet movet quidem ad agendum, sed, ipso non stante, nihilominus operaretur, ut latrunculus inductus ab alio ad furandum, praecedentibus minis, quibus etiam non praecedentibus, furtum commisisset.

Observa *tertio* cum *Salmantic.* in eo qui ex metu operatur, v. gr. qui projicit merces in mari ad tuendam vitam, quatuor actus posse concurrere. *Primus* est amor minoris boni secundum se, puta divitiarum, quarum jactura per metum eligitur. *Secundus* est amor efficax majoris boni, scilicet vitae, cujus amissio timetur. *Tertius* electio efficax et absoluta minoris mali ad evitandum majus, videlicet electio jacturae divitiarum ad mortem effugiendam; hic actus compossibilis est cum primo, tum quia respiciunt objecta secundum diversam rationem, tum quia unus est efficax, alter inefficax; nam electio projectionis mercium est cum circumstantia quod merces sint impedimentum ad salvandam vitam; amor autem earumdem est secundum se, quae diversae rationes fundant diversas electiones, efficacem scilicet et inefficacem. *Quartus* actus est inefficax displicentia de projectione illa mercium, quae non causatur ex metu, sed ex amore mercium[2].

5. Quaestio restringitur ad actionem *ex metu* sive *absolute,* sive *relative gravi* causatam.

6. **Thesis. Actio ex metu quantumvis gravi posita est simpliciter voluntaria, secundum quid tamen involuntaria.**

Probatur I pars:

Quod hic et nunc, consideratis omnibus circumstantiis, voluntas

---

1 Suarez, Disp. III, sect. I.
2 Salmant., loc. cit. n. 5.

amplectitur est simpliciter voluntarium; atqui actio facta ex solo metu quantumvis gravi, v. gr. projectio mercium in mari hic et nunc ad salvandam vitam, quae ut majus bonum existimatur, a voluntate perficitur; nam qui vult finem velle quoque media necessarium est; sed hic et nunc, in naufragio nempe, judicatur ut medium unicum ad salvandam vitam projectio mercium in mari; ergo actio posita ex metu est simpliciter voluntaria.

Item. Ad rationem voluntarii simpliciter sufficit quod actio procedat ab intrinseco cum cognitione finis in particulari; atqui in casu actio ex metu posita procedit a voluntate cum cognitione ejus quod actu fit; nam quantumvis metus impellat voluntatem ad projectionem v. gr. divitiarum, cum antecedat ipsam voluntatem, potius inclinat et movet voluntatem ad talem actum ponendum quam ipsam a ponendo retrahat; ergo est simpliciter voluntaria.

Denique. Voluntas eligit efficaciter amittere minus bonum ob majus bonum cognitum, cui opponitur malum imminens; ergo non potest non esse simpliciter voluntaria actio ex metu posita.

Prob. II pars

Quod fit ex solo metu, tanquam ex causa totali, non fieret si metus abesset; atqui quod est hujusmodi est secundum quid involuntarium; ergo stat secunda pars propositionis nostrae. Et revera. In projectione illa mercium, de qua in exemplo agimus, adest aliqua displicentia voluntatis orta ab affectu quem timens habet ad merces; atqui quod a voluntate est, sed contra inclinationem ipsius, est involuntarium; ergo actioni factae ex metu admiscetur involuntarium.

7. **Inde elucet:** 1) recte *S. Th.* dixisse cum Philos. et *S. Greg. Niss. quae per metum aguntur mixta esse ex voluntario et involuntario*[1]; 2) sed quia judicium ferendum est secundum id quod in particulari accidit, consideratis nempe omnibus circumstantiis, *hujusmodi,* quae scilicet fiunt ex metu, *magis esse voluntaria quam involuntaria;* «unumquodque enim simpliciter esse dicitur secundum quod est actu, secundum autem quod est in sola apprehensione non est simpliciter sed secundum quid»[2]; igitur illud «quod per metum agitur absque conditione est voluntarium, id est, secundum quod actu agitur; sed involuntarium est sub conditione, id est, si talis metus non immineret»[3]; 3) *metum,* quamvis minuere possit liberum, eo quod voluntas adigitur ad eligendum quod necessarium reputat ad majus malum vitandum, non tamen *libe-*

1 I-II, q. VI, a. 6.
2 Ib.
3 Ib. ad 3.

rum tollere, quia ut videtur in exemplo adducto, metuens, instante naufragii periculo, libere projicit merces in mari. Nihilominus si mens penitus perturbaretur, nec locus esset deliberationi, libertatem actionis extingueret, sicque a peccato excusaret; 4) sequitur in ordine ad imputabilitatem, metum ordinarie *excusare a tanto,* propter involuntarium secundum quid quod voluntario admiscetur, sed *non a toto.*

8. **Scholion.** Pro coronide hujus investigationis duo sunt apprime notanda. Primum est, promissiones, vota, contractus aliaque ex metu quantumvis gravi inita *perse* et *jure naturae* valere, quia sunt actus simpliciter voluntarii. Nihilominus, justis de causis, *leges positivae* irritos aut rescindibiles declarant plures hujusmodi actus factos per metum gravem *injuste* praesertim incusum. Ita matrimonium ex metu gravi contractum nullum est, item et vota solemnia, praelatorum electio etc, non quidem defectu voluntarii, sed, ut diximus, aliis ex causis.

Alterum est, metum *non semper causare involuntarium secundum quid,* sed solum cum voluntatis inclinationem ad oppositum omnino non tollit, sed relinquit aliquam displicentiam in electione minoris boni, ut accidit in exemplo allato de mercatore qui, licet eligat projectionem mercium, semper tamen retinet positivum affectum ad eas, et ideo datur locus volitioni inefficaci non projiciendi merces in mare. Potest tamen contingere quod in actione posita ex metu non apprehendatur aliqua ratio mali quae respuatur, ut eveniret, casu quo objectum, quod per metum eligitur, esset bonum secundum se, v. gr. observatio mandatorum Dei metu gehennae, vel quando nullus esset affectus ad minus bonum cujus jactura eligitur ut majus salvetur, tunc enim esset actio simpliciter et solum voluntaria, nullo modo involuntaria.

Denique, ut nonnullas difficultates praevenias, observa cum *Salmantic.* quod cum dicitur metum causare involuntarium non intelligitur «*de causalitate directa,* quasi metus faciat inclinationem contra quam sit operatio involuntaria, aut faciat operationem esse contra talem inclinationem. Sed intelligitur de *causalitate indirecta*, quatenus metus est causa ut fiat actus qui alias voluntati repugnat, et qui non fieret nisi majus malum timeretur. Id vero, unde praedictus actus habet rationem involuntarii, est voluntas inefficax conservandi bonum cujus jactura eligitur per metum»[1].

---

1 Salmantic., loc. cit. n. 6.

DISPUTATIO III

DE

ACTIBUS HUMANIS IN SUO ESSE MORALI[2]

Consecutio ad praecedentia. Novimus in superiori Disput. duo esse principia intrinseca quibus actus humanus in *esse physico* seu naturali constituitur, scilicet *intellectum* et *voluntatem;* actus siquidem humanus est *actio deliberata,* quae indifferentiam judicii et liberam voluntatis inclinationem subaudit.—Sed quamvis omnis actus humanus *moralis* quoque dicatur, non tamen per unam eamdemque formalitatem constituitur in *esse physico* et in *esse morali;* illud enim est veluti substractum, subjectum vel materia moralitatis, et ideo actus humanus per aliquid aliud trahitur ad esse moris. Igitur perscrutanda venit natura moralitatis. Id certe plene praestabimus ordinatim investigando a) *essentiam,* b) *normam,* c) *fontes* et d) *species moralitatis.*

QUAESTIO I

DE ESSENTIA MORALITATIS

In praesenti quaestione arma *primo* vertemus contra externos christianae rationalisque philosophiae hostes; domesticum dissidium *postmodum* spectabimus, calculum adjicientes pro Thomistarum sententia; et *demum* penitiorem investigationem instituemur circa formale specificativum moralitatis.

---

2 Cfr. D. Th., I-II, q. XVIII-XXI; Salmantic., *Tract.* XI, Disput. I-VII; Andreas a Cruce, in I-II, Disp. CI et sqq.; Laurentius a Sta. Theresia, *Specil. Theolog., Controv.* I; Paulus a Concept., *Tract,* X, Disput. I-III; Suarez, *Tract.* III, *De bonit. et malit. act. hum.,* Disp. I-XII; Gregorius de Valentia, S. J., *Comment. Theolog.* (Venetiis 1600) *Disputatio Secunda Generalis, De his humanis actionibus quae sunt hominis propriae,* q. XIII-XIV, t. 2; Vincentius-Ludov. Gotti, O. P., *Theologia Scholastico-Dogmat., De actibus humanis,* q. III, Dub. 4-8; Joan. a Sto. Thoma., loc. cit., *Tract. De bonit. et malit. act. hum.* Disp. VIII-XI; Billuart, *De actibus humanis,* Diss. IV; Bouquillon, *Theolog. Moralis Fundam.,* lib. IV, n. 341-389 et alii Theologi Dogmatici et Morales; Goudin, *Ethica seu Moralis,* q. IV, a. 1-3; Roselli, *Summa Philos. Ethica,* q. III, a. 1-7; Jacquier, *Philos. Moralis,* p. I, c. I-II; Liberatore, *Ethica,* c. II, a. 1-2; Zephyrinus Gonzalez, *Ethic.,* c. II; Casanova, *Ethica Generalis,* c. I; Balmes, *Filosofía Elemental, Etica,* c. I-XIII; Zigliara, *Ethica,* lib. II, c. I, a. 1-7; Ferretti, *Instit. Philos. Moralis,* p. I, c. III, a. 1-6; C. Willems, *Philos. Mor.,* lib. I-II; Mancini, *Ethica,* q. III-V; Meyer, *Jus Naturale,* Sect. I, lib. II, c. I; Reinstadler, *Ethica Gen.,* lib. I, c. I-III; Fernández Concha, *El hombre en el orden Psicológico* etc., p. I, Tratado III, c. II, § 6, y *Filosofía del Derecho,* lib. I, c. I, a. 4 y c. VI, sec. I-III; Brugerette, *Las morales independientes y la moral evangélica;* Vallet, *Dios, principio de la ley moral,* aliique innumerabiles philosophi.

Articulus I

De existentia ordinis moralis

Summa rerum.—1. *Vulgaris moralitatis notio.* 2. *Actus moralis definitio.* 3. *Amoralismus.* 4. Thesis I. *Indubia est ordinis moralis existentia.—Notanda ante probationem.—Demonstratur assertum.* 5. Thesis altera. *Aliquod viget discrimen inter bonum et malum morale.* Prob. 6. *Utrum discrimen illud inter actiones bonas et malas moraliter sit ipsis extrinsecum vel intrinsecum et essentiale.—Positivismus moralis.* Thesis III. *Est intrinsecum et essentiale discrimen inter aliquas actiones moraliter bonas et malas.* 7. *Duo alia observatione digna.* 8. Probatur thesis.

1. *Moralitatis* nomine omnes intelligunt aliquid pertinens ad actum humanum, distinctum tamen ab entitate physica ipsiusmet actus eique superadditum. Sic moralitas homicidii non stat in simplici et physica ejectione globuli, quae alias, v. gr. dum ad feram occidendam ex intentione dirigitur, moralitate careret. Id autem quod actus moralis addit entitati naturali ejusdem nihil aliud est quam forma aliqua, seu proprietas, ratione cujus actus dicuntur et fiunt boni vel mali, *relatio scilicet actus humani ad certam regulam,* seu *convenientia vel disconvenientia ipsius cum recta ratione.* Nam, ut sapienter ratiocinatur ***Angelicus,*** «in actibus bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem, quia ut ***Dionysius*** dicit, *bonum rationis est secundum rationem esse, malum autem quod est praeter rationem.* Unicuique enim rei est bonum quod convenit ei secundum suam formam et malum quod est ei praeter ordinem suae formae»[1]. Sed actus dicuntur humani vel morales, subjicit ***Angelicus,*** secundum quod sunt a ratione. Ergo actus erit bonus moraliter si sit rectae rationi consentaneus, malus vero si a recta ratione dissentiat.

2. Subinde *actus moralis* definiri potest: *Qui libere fit cum convenientia vel disconvenientia ad rectam rationem.* Dicitur *qui libere fit,* quia est actus humanus seu actio deliberata, cui, velut substracto, advenit moralitatis forma. Sequuntur verba *cum convenientia vel disconvenientia,* hoc est, per relationem ad certam regulam, cui, si conformentur, actus dicuntur boni, sin autem, mali, eo fere modo quo in artificialibus, illa dicuntur perfecta quae juxta regulas artis conficiuntur, imperfecta vero quae ab illis recedunt. Regula autem, et quidem proxima, ut infra demonstrabimus, est *recta ratio;* et diligenter nota vocem *recta,*

1 I-II, q. XVIII, a. 5.

nam, ut scite animadvertit *D. Thomas,* «*corrupta ratio non est ratio,* sicut falsus syllogismus proprie non est syllogismus; et ideo regula humanorum actuum non est *ratio quaelibet,* sed *ratio recta*» [1].

3. **Amoralismus.** Moralitatis existentiam uno ore proclamant non solum cordati quique philosophi, sed etiam sanior pars generis humani, ut ex praejacta vulgatissima moralitatis notione, quae, licet maxime vaga et indeterminata, omnibus tamen aperta, liquido colligitur.

Verum ab hac communi populorum consensione recedunt *Sceptici, Positivistae, Athei, Fatalistae* et *Deistae* omnes, qui existentiam ordinis moralis inficiantur et quodcumque boni et mali discrimen in actionibus humanis penitus rejiciunt [2].

Singularis quoque hic memoratur sententia *Pascal* asserentis apud feras gentes non inveniri vestigia moralitatis in eaque judicanda excultiores discordare, quippe illae contra naturam peccant, quod non fieret, ait, si vagam rudemque moralitatis ideam haberent. Contra *Amoralistas* sit

4. Thesis I. Indubia est ordinis moralis existentia.

Ante probationem thesis praemittendum juvat 1) omnes gentes cognoscere quidem entitatem moralem esse aliud ab entitate physica actus humani, qua tamen distinctione utraque entitas differat, ut plurimum, ignorare; sed, neque id illis necessarium esse ad judicium ferendum de rebus moralibus ordinarie contingentibus, planum videtur; 2) praenuntiatae conclusioni haud officere quod gentes incultae peccent contra naturam, quippe id non ignorantiae ordinis moralis, sed passionibus effrenatis adscribendum censemus. Gentes vero quae civilizationis titulo gloriantur non possunt discordare quoad prima et praecipua moralitatis praecepta, licet non una sit omnium sententia circa remotiora principia propter diversas hinc inde pugnantes rationes, ex diversitate appretiationis circumstantiarum, ut plurimum, exortas. Sed haec non est ratio cur existentia moralitatis, quae tam clara est et manifesta, denegetur.

---

1 II *Sent.* Dist. XXIV, q. III, a. 3 ad 3.

2 Cfr. Fernández Concha, *Filosofía del Derecho,* t. 1, lib. 1, c. VI, sec. II, n. 321-427. Inter Amoralistas eminet Nietzsche qui sequentes statuit assertiones: 1.ª no debe condenarse nada; 2.ª los actos buenos y malos tienen el mismo valor; 3.ª la Moral es toda ella tan inmoral como cualquiera otra cosa; 4.ª no debe reprobarse la condenación del hombre bueno, y 5.ª ni la apoteosis del hombre malo. Al hacer al hombre más malo, añade, se le hace mejor. Cfr. Fouillée, *El Moralismo de Kant y el Amoralismo contemporáneo,* traducción de González Carreño, 1908.

Gioele Solari en su *Problema moral,* premiado en el concurso de Ravizza, llega a las conclusiones siguientes: 1.ª no se ha encontrado aun la norma de la moralidad, 2.ª se encontrará después de largos estudios de muchas generaciones, 3.ª se encontrará mediante la labor conjunta de las escuelas del racionalismo y del positivismo. Apud Antonio Pavissich, S. J., *La acción social,* versión castellana de Cristóbal Reyna, III, pag. 217.

Hisce praenotatis, **probatur thesis.** Nemo sanae mentis in litem vocare potest existentiam idearum moralium; ergo indubia est existentia moralitatis.

Nam ideae boni et mali, honesti et illiciti, responsabilitatis, meriti et demeriti, juris et officii, auctoritatis, obedientiae, justitiae, sexcentaque hujus generis alia, adeo sunt humano intellectui connaturalia, ut eis spoliari, etiamsi perversa voluntate vellet, nunquam possit homo; atqui praefatae ideae explicant morales conceptus ordinem moralem constituentes. Ergo.

Succurrit aliud efficax argumentum. Omnibus hominibus, sapientibus et insipientibus, barbaris et civilizatis, communia sunt haec suprema principia: *Bonum est faciendum malumque vitandum: Quod tibi non vis fieri alteri ne facias:* atqui praedicta principia, quemadmodum et alia ex his immediate deducta, v. gr. *parentes esse honorandos, Deum colendum, promissa servanda,* utpote ad regendam humanam vitam adsumpta, a principiis rationalibus prorsus distincta reperiuntur. Nam illa non tantum veritatem speculativam continent, ut hoc rationale principium: *Omne ens est sua natura,* sed ad recte operandum impellunt, sunt enim veluti suprema praecepta quibus humana vita honeste regulatur, idcirco recte principia *moralia* dicuntur; atqui haec a nemine rationis compote ignorari vel negari queunt, constituunt namque basim et fundamentum vitae socialis atque domesticae, quae nullo pacto subsisteret, corruentibus supremis illis principiis; imo vitam belluarum simillimam, si vivere physice possibile sit, ordine morali penitus rejecto, ducerent homines. Atque id sane intendunt, scilicet, actualem convivendi morem impossibilem reddere ordinemque socialem penitus evertere, hujus *Nihilismi Moralis* fautores, ut *Pessimistae* cum ***Hartmann*** et ***Nietzsche,*** *Socialistae* cum ***Fourier*** et ***Woltmann,*** et *Anarchistae* cum ***Proudhom*** et ***Max Stirner,*** undique proclamantes humanam felicitatem in praesenti rerum statu esse adeptu impossibilem, *super-hominem* extra omnem ordinem moralem constitutum nullis subesse legibus neque ullis effrenatis passionibus unquam resistere debere. Certo namque sciunt *amoralismum* viam complanare ad praeintentum finem consequendum. Sed inania hominum conata. Ex quo illud demonstratum accipimus, firmam esse ordinis moralis basim et immobile ejusdem fundamentum.

Confirmatur perspicua *Balmes* ratione. «Tantam, inquit, in semetipso invenit homo repugnantiam ad dubitandum de ordine morali, quantam de mundo quem oculis intuetur. Fingatur, si placet, atheorum perversissimus, qui summa impudentia sanctiora irrideat, qui ordinem moralem chimeram

appellet, nec aliud quaerendum in rebus dicat quam utilitatem, voluptatem insequendo, dolorem vitando; hocce monstrum non tantam perversitatem habet quantam vellet, nec enim eo pervenit, ut ideis moralibus prorsus destituatur. Tentamen fiat. Nuntietur ei amicum cui valde faverat illum prodidisse; quanta ingratitudo! exclamabit, quanta iniquitas! non animadvertens ingratitudinem et iniquitatem ad ordinem moralem spectare, quem ipse negat. Fac proditorem ire, atque offenso dicere, verum quidem est, proditionem, ut appellas, commisi; te mihi favisse non diffiteor, sed cum e proditione major mihi utilitas adveniret quam e beneficiis tuis, visum mihi est puerorum esse de justitia et gratitudine curare. Poteritne philosophus tanta impudentia lacessitus non vehementer irasci? num eum non appellabit excordem, scelestum, monstrum? Nihilominus tamen idem ipse qui loquitur est philosophus qui mox negabat ordinem moralem, quem nunc eloquenter proclamat. Quamvis ipsius non intersit, contradictio eadem erit. Narretur amicum pro amico vita periclitatum esse: quam pulchre! dicet philosophus. Pecunia arcis ducem patriam prodidisse quam sceleste! quanta infamia! dicet philosophus. Id probat ideas morales adeo in animis inhaerere ut ab ipsis separari nequeant, utpote facta primitiva naturae humanae imposita, contra quae nihil possunt sophisticae cavillationes»[1]. Indubia ergo est ordinis moralis existentia.

5. Quae modo in thesi praecedenti disputavimus perspicue demonstrant alterius thesis veritatem quaeque, supposita ordinis moralis existentia, a nemine in dubium revocari potest.

Thesis altera. Aliquod viget objectivum discrimen inter bonum et malum in actionibus humanis.

Thesis ferit eosdem *amoralistas*.

Prob.

1) *Est corollarium praecedentis.* Omni objectiva distinctione inter bonum et malum in actionibus humanis semota, pessumdatur ordo moralis. Ergo admittendum est aliquod discrimen objectivum inter bonum et malum morale.

2) *Ex testimonio conscientiae.* Novimus experientia propria, et alii nobiscum sentiunt, quosdam actus v. gr. Deum colendum, parentes honorandos, promissa servanda etc. esse ponendos, alios vero, ut proditionem patriae, proximi laesionem, esse omittendos; atqui diversum hujusmodi oppositumque judicium practicum non voluntatis

1 *Cursus Philosophiae Elementalis*, auctore D. Jacobo Balmes, presbytero, ed. 3.ª Barcinone 1859, scriptus primo in lingua vulgari, deinceps ab ipsomet in latinum versus.

arbitrio sed intima persuasione rem ita esse demonstrante et quasi evidentia objectiva coacti cuncti efformamus; ergo aliquod viget discrimen, et quidem non arbitrarium, sed objectivum inter actiones quae dicuntur bonae et malae [1]

3) *Ex historia.* Universae paginae tum sacrae tum profanae historiae testantur aliquos homines laude, alios vituperio et poena dignos, habitos fuisse apud omnes gentes; atqui illos virtuosos, hos autem scelestos adhuc appellat genus humanum; ergo inter vitium et virtutem, bonum et malum morale, objectivum discrimen existit.

4) Rem exemplis et amplificatione confirmat *Tullius:* «Quis est, inquit, tam dissimilis homini qui non moveatur et offensione turpitudinis et comprobatione honestatis? Quis est, qui non oderit libidinosam, protervam adolescentiam? Quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiamsi sua nihil intersit, non tamen diligat? Quis *Pullum Numitarium, Fregellanum* proditorem, quamquam reipublicae nostrae profuit, non odit? Quis urbis conservatorem *Codrum*, quis *Erechtei* filias non maxime laudat? Cui *Tibuli* nomen odio non est? Quis *Aristidem* non mortuum diligit? An obliviscimur, quantopere in audiendo, in legendoque moveamur, quum pie, quum amice, quum magno animo aliquid factum cognoscimus?» [2].

6. **Positivismus moralis.** Existere aliquod discrimen inter actiones moraliter bonas et actiones moraliter malas veritas est ad *communem naturae sensum* spectans. Verum *undenam illud oriatur* vel *quale sit prdefatum discrimen* succedit investigandum.

Qua in re veritatem philosophicam offendunt innumeri pene recentiores philosophi qui in Positivismi castris stipendia meruerunt quique extrinsecam tantum, idcirco mutabilem, differentiam admittunt inter bonum et malum morale; eam vero 1) ortam censet ex sola subjecti activitate *Idealismus ethicus (Kant, Fichte, Schelling, Hegel, Herbart, Schleiermacher, Krausse, Ahrens);* 2) idem docet *Moralis panthelismus (Schopenhauer, H. Schwarz* aliique); 3) *Pragmatismus (Hobbes, Rousseau, Merkel, Jhering)* unice derivat praefatum discrimen ex lege vel pacto civili, ex praxi et consuetudine; 4) *Schola Historica* cum *Saint-Lambert, Comte, Mande-*

---

1 Cfr. S. Joan. Chrysostomus, *Homil. ad Pop. Antioch.*, XII de Statuis (Opera omnia graece et latine, t. 2, opera et studio D. Bernardi de Montfaucon, O. S. B., París, 1718.

2 *De finibus bonorum et malorum*, lib. V, 22. «¿No hay alguna diferencia, preguntaba el P. Lacordaire, entre Nerón y Tito, el primero que mata a su madre y el segundo que hace las delicias del género humano? ¿No hay alguna diferencia entre el soldado que vuelve la espalda en una batalla y el que muere con la frente al enemigo y con su patria en el corazón? ¿Leónidas en las Termopilas, Demóstenes en Cheronea, son una misma cosa?» Confer. 50, *El hombre como ser moral.*

ville et *Lammenais* illud repetit ab inveteratis gentium praeoccupationibus, a populorum educatione, publica opinione etc.; 5) *Evolutionismus socialis* extrinsecam et accidentalem inter bonum et malum differentiam deductam esse arbitratur ex logica et successiva hominis explicatione a statu bestiali ad indolem moralem primo quidem rudem, modo etiam imperfectam, perficiendam tamen per continuam humani generis evolutionem coadjuvantibus haereditatis et heterogeniae legibus *(Darwin, Spencer, Wundt, Paulsen,* progressistae omnes); 6) darwiniano quoque modo explicant moralitatis originem *Pessimistae* ut *Nietzsche, Hartmann* aliique; 7) denique extrinsecum tantum discrimen admittentes, illud a divina voluntate deri vant *Ockam, Grotius, Puffendorf* cum pluribus aliis.

Ex adverso *Scholastici* omnes strenue propugnant intrinsecam et essentialem differentiam inter bonum et malum morale; quibuscum sit

Thesis III. Intrinsecum et essentiale viget discrimen inter actiones moraliter honestas et actiones moraliter malas [1].

7 Post dicta, duo supersunt observatione digna. *Primum* est Scholasticos nullatenus extendere intrinsecum illud discrimen, de quo in thesi, ad omnes actiones morales hominis; ita ut nulla sit quae non praeseferat intrinsecam et essentialem bonitatem aut malitiam, cum ipsi passim affirment aliquarum actionum moralitatem *immediate* pendere ex praecepto vel prohibitione legis. Ergo per enuntiatam conclusionem id solum intendunt esse *aliquas actiones intrinsece et necessario honestas vel inhonestas.*

Consulto dixi *immediate,* quia etsi primo et per se bonitas et malitia illarum actionum, quae ideo sunt honestae quia praeceptae, ideo turpes quia prohibitae, sit extrinseca, scilicet a voluntate humana vel divina dependens, nihilominus *fundamentaliter* innititur inmutabili rerum ordini. Ergo intrinsecum essentiale discrimen boni et mali necessario praesupponitur omnium actionum moralitati.

Secundum notatu dignum est hujusmodi thesim esse maximi momenti, ne dicamus primam et principalem Ethicae quaestionem. Eam impetunt praeter recitata systemata, *Materialistae Taine, Feuerbach, Moleschot, Vogt, Büchner, Socialistae C. Marx, Engels, Ferri; Anarchistae Godwin, Stirner, Bakunin,* nullas leges morales necessarias et immutabiles admittentes; *Utilitaristae,* Schola denique sic dicta *moralis sociologicae,* et schola *moralis scientificae.* Ab iis quoque non satis recessit *Pascal* plane confundens Jurisprudentiam humanam cum lege morali [2].

---

1 Cfr. Ant. Muratori, *Filosofia Moral,* c. 23; Signoriello, p. I, c. III, a. 3; Meyer, *Jus Nat.*, sect. I, lib. II, a. 1, § 2; Cathrein, *Philos. Mor.* p. I, c. III, a. 2; Reinstadler, *Ethica,* pars prior c. I; Ferretti, *Instit. Philos. Mor.*, p. I, c. III, a. 1. n. 81, et sqq.; Arendt, *Filosofia Moral,* c. III, § 1.

2 No existe, dice *Pascal,* casi nada que llamemos justo ó injusto que no cambie de cualidad cambiando de clima. Tres grados de elevación del polo trastornan toda la jurisprudencia. Un meridiano decide de la verdad. En pocos años de posesión las leyes fundamen-

8. Probatur thesis.

1) *Ex communi consensu generis humani.* Apud omnes gentes, semper et ubique, nonnullae actiones tanquam bonae et honestae laudantur, aliae vero tanquam pravae et inhonestae vituperantur; nec contrarium judicium fas est de illis proferre. Ita semper et ab omnibus laudantur ut opus bonum *pro patriae defensione occumbere, gratos in benefactores esse,* turpe vero et in dignum *patriam prodere, pro beneficiis injuriam reddere:* Atqui aliqua in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est, ut recte docet ***Tullius***[1]. Ergo praefatum discrimen non ab aliqua voluntate, pacto vel lege humana, sed ab ipsa rerum natura ortum habere jure edicimus. Nec constans ille et universalis humani generis consensus falli potest, nam «veritatis argumentum est aliquid omnibus videri», ut optime notat ***Seneca***[2].

Id noverat ***Aristoteles:*** «Sunt enim quaedam, inquit, quorum nominibus statim vitium est implicatum, ut malevolentia laetans alieno malo, impudentia, invidentia; et in actionibus furtum, adulterium, caedes. Haec enim omnia et quae sunt hujus generis reprehenduntur quod ipsa mala sint... *Οὐκ ἔστιν οὖν οὐδέποτε περὶ αὐτὰ κατορθοῦν, ἀλλ' ἀεὶ ἁμαρτάνειν.* Nunquam igitur fieri potest ut ex his aliquid recte fiat, sed semper peccatur ea agendo»[3].

2) *Ratione quoque metaphysica* demonstratur, praeter eas actiones quae honestatem vel turpitudinem extrinsecam ac positivam praeseferunt, alias etiam dari quae intrinsece, invariabiliter et independenter ab omni voluntate, sunt bonae vel malae. Nam quidquid ita alicui convenit ut non possit non convenire, et e contra, quidquid alicui eo modo repugnat ut non possit non repugnare, illud est per se et intrinsece tale. Et ad quaestionem: quidquid ita refertur in bonum naturae rationali eique conformatur ut non possit aliter se habere, id per se et intrinsece honestum est; quod vero a fine seu bono ejusdem ea ratione discordat, ut non possit eidem unquam convenire, est essentialiter immorale; atqui nonnullis actionibus humanis ita convenit turpitudo vel honestas, ut non possit non convenire, sic sunt naturali fini conformes vel difformes ut aliter esse nequeant; v. gr. *odium*

---

tales cambian; el derecho tiene sus épocas. Cfr. M. J. Brugerette, *Las morales independientes y la moral evangélica.* Muy semejante es la doctrina expuesta últimamente por Rauh (Du rôle de la logique en morale) «La norma fundamental del orden práctico, dice, es la no contradicción, y el primer signo de inmoralidad es la contradicción voluntaria o interesada. Las normas de conducta no han de tomarse como absolutas y definitivas y por ende habrá de mantenerse la máxima moral mientras la creamos verdadera y no haya otra que se la oponga ó limite». Apud Gómez Izquierdo, *Nuevas direcciones de la Lógica,* c. V, § III.

1 *Tuscul. quaest.,* lib. I, 13.

2 *Epist.* CXVII.

3 II *Ethic.,* c. VI. (ed. Didon). Cfr. S. Thomas, ib. lect. VII.

Dei, parricidium, mendacium, aliaque similia. Ergo negari non potest essentiale discrimen inter bonum et malum morale in actionibus humanis.

3) ***Breviter et dilucide S. Thomas:*** «Unicuique naturaliter conveniunt ea quibus tendit in suum finem naturalem; quae autem e contrario se habent sunt ei naturaliter inconvenientia. Ostensum est autem quod homo naturaliter ordinatur in Deum sicut in finem. Ea igitur quibus homo inducitur in cognitionem et amorem Dei sunt naturaliter recta; quaecumque vero e contrario se habent sunt naturaliter homini mala» [1].

4) Egregie *S. Augustinus:* «Manu formatoris nostri, inquit, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: *quod tibi non vis fieri ne facias alteri.* Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur quibus lex non esset data..... Sed quia homines appetentes ea quae foris sunt, etiam a seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex; non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehenderis, et ad te ipsum intro revocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis? *Redite praevaricatores ad cor.* Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? quis te docuit nolle tibi furtum fieri? quis te docuit nolle injuriam pati, et quidquid aliud vel universaliter vel particulariter dici potest? Multa enim sunt, de quibus singuli interrogati homines, clara voce respondeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo? Nonne in societate vivis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est..... Quod ergo tibi non vis fieri, noli alteri facere..... Furtum bonum est? Non. Interrogo: adulterium bonum est? *Omnes clamant*: Non. Homicidium bonum est? Onmes clamant detestari se. Concupiscere rem proximi bonum est? Non, vox omnium est. Aut si adhuc non confiteris, accedat qui concupiscat rem tuam; placeat tibi, et responde quod vis. Omnes ergo de his interrogati clamant haec bona non esse» [2].

Et haec pro thesi nostra probanda sufficiant. Plura dabimus infra q. II.

---

1 *Contra Gent.* lib. III, c. 159; Cfr. A. Noget-Lacoudre, *Institutiones Philosophicae*, (ed. 4.ª Paris, 1851) *Ethica*, p. II, c. I, a. 2, § 8.

2 *Enarrat, in Psalm.* LVII. t. 4. column. 770.

Articulus II

Philosophica moralitatis notio
seu
De constitutivo moralitatis [1]

Summa rerum. 1. *Ratio articuli.* 2. *Status quaest.* 3. *Sententiae—Exponitur et rejicitur I.ª—Improbatur II.ª—Refertur Suarez aliorumque sententia, et Thomistarum judicium de ea.—Quid teneat IV.ª; in quo deficiat.* 4. *Nostra sententia.* 5. *Objicies.* 6. *S. Thomae doctrina.* 7. Thesis I. *Ad actum vere moralem necessario requiritur libertas.*—Prob. 8. *Principium ethicum a S. Th. stabilitum.* 9. Thesis II. *Quamvis ad esse morale actionum humanarum necessario praeexigatur libertas, formaliter tamen essentiam moralitatis non constituit.*—Prob. 10. Thesis III. *Moralitas definitur: Respectus...* 11. *Fundamentum hujus ordinis.* 12. *Tria per modum corollarii notanda.*

1. Quae in art. superiori disputata dedimus, communia sunt apud omnes scholae christianae philosophos, et vulgatissimam tantum continent moralitatis notitiam, sufficientem scilicet ad arguendum contra *Amoralistas* et *Positivistas*. Modo autem operae pretium est intimam naturam moralitatis pandere, circa quam vel ipsi domestici diversa sentiunt. Libet proinde singulas opiniones cursim exponere nostramque breviter probare.

2. **Status quaestionis.** Actus moralis spectari potest ut quoddam *complexum*, in quo duo sunt consideranda scilicet «substantia ipsius actus quae est veluti quid materiale, et formalis ipsa denominatio seu forma illa a qua actus denominatur *moralis*. De primo constat esse ipsam entitatem actus, quae est etiam quid physicum et naturale. De secundo autem valde obscurum est quid sit» [2]. Hoc autem quaerimus, quae sit nempe forma actum humanum in suo esse morali constituens.

3. Quinque praecipuae numerantur sententiae.

I.ª docet moralitatem formaliter esse *ens rationis*. Ita *Vazquez* reducens totum *esse* morale ad puram relationem.

Sed haec opinio stare non potest, 1) quia falsum apparet principium a quo *Vazquez* exorditur. Esse morale, inquit, oritur et dependet a ratione, qua deficiente, nulla esset moralitas; quod autem est hujusmodi est, juxta

---

1 Cfr. Salmantic., *De bonit. et mal.*, Disp. I, Dub. I-IV; Suarez, ib. Tract. III, Disp. I, sect. II; Joan. a S. Thoma, Disp. VIII, a. 1; Goudin, q. IV, a. 1; Billuart, Dissert. IV; Mancini, loc. cit. q. III. a. 3; Cathrein, *Philos. Mor.*, p. I, c. III, a. 1.

2 Suarez, Tract. III, *De bonit. et mal. hum. act.*, Disp. I, sect. II, n. 1.

ipsum, ens rationis. Ergo. Concessa namque majori, negatur minor; non enim quidquid dependet a ratione est ens rationis, secus tum actus intellectus et voluntatis, tum omnia artificialia, essent ens rationis. Sed, ut Logica docet, ens rationis illud dicitur *quod habet esse objective tantum in intellectu*, seu cujus totum esse est *cognosci*[1]. Atqui *esse morale* est in rebus ipsis, intellectu nihil fingente vel comparante, ut loquitur *Suarez* loc. cit.; ergo non est ens rationis. 2) Moralitas est forma qua actus voluntatis dicuntur et sunt morales; atqui independenter ab intellectu actus sunt morales; ergo moralitas non consistit unice in *cognosci* ab intellectu. 3) Esse morale est radix proprietatum realium meriti, demeriti, poenae et praemii[2]. Deus namque remunerat vel punit homines propter moralitatem suorum actuum. Sed ens rationis nihil reale conferre potest; absurdum pariter est asserere Deum propter entia rationis praemium largiri vel poenam infligere; ergo sententia *Vazquez* sustineri nequit.

2.ª sententia reponit essentiam moralitatis *in ipsa libertate*, a qua realiter non distinguatur. Tribuitur *Durando* et *Scoto*, quibus idem est actum esse liberum et esse moralem. Nec omnino dissentit *Suarez* docens «*esse morale* in actu voluntatis, praeter entitatem et substantiam ejus, nihil addere nisi modum cujusdam emanationis seu cujusdam moralis dependentiae a ratione advertente et a voluntate libere operante»[3].

Rejicitur. Quamvis moralitas actus humani libertatem praesupponat et in ea tanquam in substracto fundetur, nihilominus in libertate nequit essentialiter consistere, quippe a) libertas pertinet ad ordinem physicum; entitas autem physica distinguitur ex natura rei ab entitate morali, ut supra demonstravimus; b) immultiplicata et invariata libertate possunt variari species moralitatis, et e converso; e) perfecte concipimus actum liberum priusquam ordinem illius ad regulas morum intelligamus; concipimus nempe intellectum voluntati proponentem objectum non adaequans voluntatis capacitatem, et ideo voluntatem operantem cum indifferentia, quod est actum liberum exercere, nec tamen adhuc ipso facto moralitatis conceptum efformamus; est enim moralitas, ut ex vulgari notione constat, aliquid entitati naturali actus supperadditum. Ergo libertas non est formale constitutivum moralitatis.

3.ª Alii dicunt moralitatem esse *denominationem extrinsecam* actui humano ab aliqua re, v. gr. a lege vel objecto, desumptam. Verum «haec denominatio extrinseca fere nihil differt ab ente rationis, quia cum non sit in re ipsa denominata, solum fieri videtur per intellectum comparantem unam rem et alteram»[4]. Merito ergo auctores hanc sententiam Vazquezio adscribunt.—Ipsemet autem *Suarez* his verbis suam proponit sententiam: «Hic modus, inquit, (de quo supra) non est aliquid physice et intrinsece

---

1 Cfr. Goudin, *Philosophia Thom.*, Disp. II, q. IV, *Appendix*, a, 1; Complut., *Log.*, Disp. II, q. I et II.

2 Suarez, loc. cit.

3 Loc. cit. n. 15. Dicendum est ergo primo.

4 Suarez, loc. cit. n. 1.

inhaerens actui morali, sed in actu exteriori dicit denominationem ab actu libero voluntatis; in ipso autem actu voluntatis dicit, praeter physicam emanationem a voluntate, denominationem a ratione dirigente et a voluntate ex plena potestate ita operante ut possit non operari»[1].

Doctores nostri cum majori Thomistarum numero praefatam sententiam *impugnant*. Et jure quidem.

Etenim 1) forma constituens et denominans aliquam rem debet esse ipsi rei intrinseca; atqui actus humanus denominatur et constituitur in *esse moris* per moralitatem; ergo moralitas nequit esse actui humano extrinseca. —Nec refert, si dicas, formam illam denominantem esse libertatem, rationem aut legem; nam denominatio moralis debet sumi a forma morali, libertas autem et ratio pertinent ad ordinem physicum. 2) Praeter actum voluntatis nihil est actu et formaliter in genere moris; ergo tum lex, tum ratio, et objectum, et si quae alia dicuntur moralia, non denominantur talia nisi per ordinem ad actum voluntatis, cui solum convenit *intrinsece et formaliter* esse moralem. Repugnat ergo quod actus humanus a forma extrinseca, qualis est ratio vel lex, constituatur et denominetur moralis, cum, ut dictum est, potius haec ab illo denominentur quam e converso. 3) Moralitas actus dividitur in bonitatem et malitiam tanquam in proprias species; denominatio vero desumpta a lege non potest dividi in bonam et malam, sed est determinate bona, sicut lex a qua desumitur. Ergo. Potestque hoc breviter explicari. Nam denominatio quam tribuit lex respectu actus boni est denominatio *praecepti*, et respectu mali denominatio *prohibiti:* constat autem utramque denominationem esse determinate bonam, quia ita bonum est *malum esse prohibitum*, sicut bonum esse praeceptum»[2]. Plura dabunt *Salmantic.* loc. cit., *Joan. a S. Thoma*[3], *Billuart*[4] aliique *Thomistae*.

4.ª sententia. Plures admittunt moralitatem esse aliquid actui voluntatis intrinsecum, illud autem dicunt *relationem praedicamentalem*.

Verum haec sententia non videtur probanda. Demonstratur. Relatio praedicamentalis est purus respectus ad terminum sub ratione termini, quo non existente, nec relatio existere potest. Atqui actus humanus refertur ad objectum subditum regulis morum, non ut ad purum terminum, sed ut ad suum perfectibile, et, quin a parte rei existat objectum quod est terminus actus voluntatis, existit actu moralitas, ut accidit in delectationibus de praeterito aut futuro, et in appetitione boni vel mali possibilis; ergo moralitas nequit consistere formaliter in relatione praedicamentali.

Supposito ergo quod moralitas sit forma intrinseca, ut supra demonstravimus, sequitur eam esse modum seu relationem transcendentalem. Nam forma omnino absoluta esse nequit; «tum quia si est intrinsece in actu debet illum informare et perficere juxta modum ipsius actus, eo quod quaelibet perfectio accommodatur suo perfectibili et recipitur ad modum reci-

1 Ib. n. 16 Dicendum secundo.
2 Salmantic., loc. cit. Dub. III, § 1.
3 Disp. VIII, a. 1.
4 Dissert. IV. *De act. hum.*

pientis; cum ergo totus actus sit transcendentaliter respectivus, consequens fit ut quaelibet ejus formalitas vel modus etiam in respectivo consistat; tum denique quia qualitercumque explicetur moralitas, nequit sine respectu intelligi vel ad voluntatem, vel ad objectum, vel ad legem, vel ad naturam rationalem; ergo, cum hic respectus non sit relatio secundum *esse*, erit saltem *secundum dici*»[1].

4. **Quinta sententia** tenet moralitatem esse *formam seu entitatem actui libero intrinsecam et superadditam ab eoque distinctam, non absolutam, sed respectivam transcendentalem*.

Constat ex dictis, et probatur breviter ex principio *D. Th.* De bono et malo in actionibus humanis judicandum est sicut de bono et malo in rebus; atqui actus constituitur in esse physico per habitudinem seu tendentiam transcendentalem ad objectum in esse naturae; ergo actus humanus moralis, seu moralitas, consistit in tendentia reali transcendentali actus humani ad objectum subditum regulis morum[2].

5. **Objicies:** Non sunt multiplicanda entia sine ratione; atqui, sine illa entitate superaddita actui libero, sufficienter explicatur moralitas. Prob. Quamprimum advertentia rationis ad regulam morum et libertas adsunt, actus censetur moralis; his deficientibus, actus non est moralis nec laude dignus; ergo moralitas consistit in libera actus tendentia in objectum ut subest rationi advertenti ad regulam morum. Ita *P. Vict. Cathrein*[3].

Resp. concedo maj. et nego minor. Ipse enim auctor ibidem fatetur ipsam substantiam actus voluntatis non sufficere ad rationem moralitatis: ergo aliquid superaddi necesse est ut actus liber moralis dicatur; quod ex eo etiam constat quod idem actus in esse physico consideratus possit transire de non morali in moralem et de una moralitate in aliam: id autem quod actui libero superadditur nequit esse ens rationis; ergo erit aliquid reale, modus nempe vel tendentia seu habitudo, seu relatio, quae item non potest esse physica, nam tunc actus non egreditur ordinem naturae; ergo est habitudo ad objectum reduplicative ut subjicitur regulis morum. Insuper moralitas non potest esse denominatio extrinseca; nam actus sunt per regulam mensurabiles: sicut ergo ratio mensurae est sola denominatio extrinseca in ipsa mensura, ratio vero mensurabilis est intrinseca in ipso mensurabili, ita actus humani sunt regulabiles per rationem et legem; ergo sunt morales intrinsece et formaliter quia eorum habitudo ad objectum subditum regulis morum est realis et intrinseca.

Ad probationem, concesso antecedenti, nego conseq. Posita enim praedicta advertentia et libertate, actus dicitur moralis, non quia advertentia et

---

1 Salmantic., loc. cit. § II, n. 43.

2 Cfr. Paulus a Concept., t. 2, Tract. X. Disp. 1, Dub. I; Gonet, Tract. III, Disp. I, § 1; Philippus a SSma. Trinit., Disp. XVIII, Dub. III.

3 *Philos. Moral.*, p. I, c. III, a 1.

libertas constituant essentiam moralitatis, sed quia sunt conditiones sine quibus moralitas non existit; imo, nullo etiam intellectu considerante vel advertente ad regulas morum, quidam actus sunt boni vel mali in genere moris ex eorumdem intrinseca habitudine ad objectum bonum vel malum, unde moralitas, ut infra dicemus, fundatur in ipsamet Dei essentia: est propterea aliquid objectivum dependens quidem a ratione tanquam a regulante et dirigente, non tamen est opus rationis, sed quid intrinsecum actibus voluntariis, quod nos significamus nomine *subjectionis* seu relationis transcendentalis ad regulas morum.

6. **Ad haec:** *S. Thomas* semper explicat rationem moralitatis per aliquem ordinem actus ad objectum sub regulis morum quae sunt lex aeterna et recta ratio. Sic in specie, moralitas, inquit, in hoc consistit quod actio *sit conveniens rationi vel discordans a ratione*[1]. Moralitas dicitur *secundum aliquid in objecto consideratum, secundum quod ordinem habet ad rationem*[2]. *Actus nostri dicuntur morales ex eo quod a ratione ordinantur ad finem voluntatis*[3]. *Bonitas actus humani principaliter dependet a lege aeterna*[4]. *Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis et legis aeternae tunc actus est rectus, quando autem ab hac rectitudine obliquatur tunc dicitur peccatum*[5]. Et clarius: *Actus humanus, in quantum est actus, nondum habet rationem boni vel mali moralis, nisi aliquid addatur ad speciem contrahens*»[6]. Item per exemplum idipsum ostendit. «Sicut bonum, inquit, in his quae fiunt per artem consistit in hoc quod artificiata accipiant mensuram secundum quod exigit ars quae est regula artificiatorum; ita bonum in passionibus et operationibus humanis est quod attingatur modus rationis, qui est mensura et regula omnium passionum et operationum humanarum; nam cum homo sit homo per hoc quod rationem habet, oportet quod bonum hominis sit secundum rationem esse»[7].

Post dicta, mens nostra sequentibus assertionibus plene declaratur.

7. **Thesis I. Ad actum vere moralem necessario requiritur libertas**[8].

Quoad enuntiatam veritatem nulla est inter philosophos christianos opinandi diversitas. **Probatur nihilominus thesis.**

1) Ajente Angelico Praeceptore et secundum rei veritatem, «actus susceptibilis est bonitatis moralis secundum quod humanus est; huma-

1 *De Malo*, q. II, a. 6.
2 Ib.
3 IV *Sent. Dist.* XVI, q. III, a 1.
4 I-II, q. XXI, a 1.
5 Ib.
6 *De Malo*, loc. cit. a. 4.
7 *De Virtutibus*, q. I, a. 13.
8 Cfr. Gonet, *Clypeus Theolog. Thom.*, Tract. II. *de act. hum.* Disp. II, a. 2; Paulus a Concept., Tract. X, Disp. I. Dub. I, § I; *El Determinismo en la sociologia positiva*, por D. Juan Rossignoli, (traduc. de D. Manuel G.ª Barzanallana).

nus autem est secundum quod aliquatenus ratione dirigitur; quod contingit in illis actibus tantum qui imperantur a voluntate quae consequitur deliberationem rationis»[1]. Ergo libertas necessario exigitur ad actum moralem; nam actus humanus, juxta dicta, moralitati substernitur; atqui actus humanus est qui a deliberata voluntate procedit, quia sic solum ab homine, ut homo est, causatur. Ergo.

2) «Actus necessarius est incapax moralitatis, inquit ***Joan.*** a ***S. Thoma,*** quia est incapax legis et regulationis per legem factae et per prudentiam et imperium, atque adeo sicut non potest ratio imperare actibus necessariis, ita nec potest moralizare illos, id est, ad morem normamque reducere, quia *ubi non est lex nec praevaricatio,* et quod est incapax mali, seu peccati, est incapax moralitatis»[2].

3) Moralitas est radix imputabilitatis ad bonum et malum, ad culpam et poenam; atqui ad imputabilitatem requiritur quod homo sit dominus suarum operationum ita ut habeat in sua potestate illas cum subjectione ad regulas ponere vel ab iis deviare, siquidem nemini imputatur ad praemium vel poenam quod vitari non potuit. Ergo ad actum vere moralem deposcitur quod a libertate procedat[3].

8. Retinendum est ergo tanquam principium fundamentale totius Ethicae illud ***S. Thomae*** dictum: *Ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur*[4].

Hac assertione probata, ulterius inquirimus cum ***Scholasticis:*** «An in actibus moralibus ratio liberi sit solum aliquid praesuppositum et ex parte materiae se tenens; an vero sit ipsum formale constitutivum moralitatis»[5].

9. **Thesis II. Quamvis ad esse morale actionum humanarum necessario praeexigatur libertas, formaliter tamen essentiam moralitatis non constituit.**

Thesis duas continet partes. *Prima,* de qua, post dicta, nulli dubium, affirmat libertatem necessariam esse ad existentiam moralitatis. *Altera* autem negat illam attingere veram rationem constitutivi actus

---

1 II *Sent.* Dist. XL, q. I, a 5.

2 Loc. cit. a 1. *Resolutio.*

3 Cfr. D. August. *De Vera Relig.,* c. XIV.

4 II *Sent.* Dist. XXIV, q. III, a 2. Cfr. Farges, *La liberté et le devoir, fondements de la Morale,* p. I, pag. 25-35; Balmes, *Ethica,* c. II, *De conditionibus ordini morali necessariis.* Optime animadvertit et probat Philippus a SS. Trinitate «ad actum vere moralem necessariam esse libertatem, *non ut puram conditionem tantum, sed ut fundamentum moralitatis ipsamque solam sufficere*». Disp, XVIII, Dub. I.

5 Joan. a Sto. Thoma, loc, cit.

humani in *esse moris*. Ergo in nostra sententia libertas se habet ex parte materiae, quae denominatur et suscipit moralitatem, non autem ingreditur, ut formale constitutivum, essentiam actus *moralis*.

Probatur breviter II.ª pars. Actus liber se habet ut materia regulabilis per rationem; ergo libertas nequit se habere ut formalis ratio hujus mensurationis; nam actus humanus, reduplicative ut liber, indifferens est ad bonum et ad malum morale, neque actus dicitur bonus ex eo quod sponte et pro libito seu cum indifferentia eliciatur, sed quia regulae conformatur, sicut malus dicitur quia a recta regula deviat. Ergo libertas praesupponitur moralitati, non tamen est ejusdem formale constitutivum.

10. Ex dictis sequitur moralitatem presse definiri posse in nostra sententia

(Thesis III) Respectus intrinsecus realis ac transcendentalis actus humani ad objectum prout subest regulis morum.

Conclusionis fundamentum est, inquit *Joan.* a *S. Thoma,* «quia ratio moralis in actibus sumitur per comparationem ad objectum consideratum non in esse naturae sed in comparatione ad regulas moris; sed actus in ordine ad objectum et ad omnia quae in objecto sunt comparantur per ordinem intrinsecum et realem; ergo per eumdem constituuntur in ratione et in esse morali [1].

Item. Objectum prout subest regulis morum est specificativum actus moralis; nam conformitas vel difformitas cum lege nequit actui humano convenire nisi mediante objecto; atqui relatio seu respectus ad suum specificativum est intrinsecus et realis; ergo moralitas formaliter consistit in praefata relatione transcendentali.

11. **Fundamentum** autem hujus ordinis qui assignatur in actu erga objectum, est ipsamet libertas actus non «quatenus praecise respicit voluntatem a qua est ut a principio indifferenti et libero, sed quatenus capax mensurationis per directionem humanam, seu rationem, id est, quatenus aptum illi fini quem ponit et mensurat ipsa ratio» [2]. Unde «dependentia actus a voluntate libere operante et ratione advertente», in qua *Suarez* reponit formale constitutivum moralitatis, potest dici fundamentum, non autem ratio essentialis et constitutiva ejus.

12. **Ex traditis liquido infertur** 1) actus dici *humanos* quatenus a deliberata voluntate procedunt, *morales* vero per ordinem ad regulam seu

1 Loc. cit. a. 1. n. 25.
2 Loc. cit. n. 78.

mensuram sive haec sit ratio, lex aeterna, naturalis aut positiva; 2) hoc nomen *morale* esse analogum, proinde, ut infra videbitur, de diversis diversa ratione praedicari; 3) sententiarum varietatem quoad intrinsecum et formale constitutivum moralitatis nihil officere certitudini qua ut indubiam tenemus contra *Amoralismum* et *Positivistas* ejusdem moralitatis existentiam; diversitas namque opinandi respicit *tantum quaestiones accidentales;* in communibus autem et essentialibus omnes conveniunt. Etenim *moralitatis* nomine omnes intelligunt habitudinem actuum humanorum ad propriam regulam ex cujus conformitate dicuntur *boni* vel mali; siquidem omnes moralistae libenter subscribunt haec *S. Th.* verba: «Habet actus humanus quod sit malus, ex eo quod caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cujusque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua si divertat, incommensurata erit» [2].

Articulus III

Proximum et formale specificativum moralitatis

Summa rerum.—1. *Duo investiganda.* 2. *Resolvitur prima quaestio.*—Thesis. *Proximum et formale specificativum moralitatis est solum objectum secundum quod objective habet esse in genere moris, non vero natura rationalis, voluntas, aut lex.* 3. *Status quaest.*—Prob. thesis.—*Tres aliae sententiae rejiciuntur.* 4. *Secundum quaesitum.*—Thesis. *In omnibus objectis quae specificant actus morales reperitur moralitas objectiva a qua moralitas formalis desumitur.* 5. *In quo moralitas objectiva consistat.* 6. *Nonnulla scitu digna ex traditis oriuntur: a)* collatio moralitatis objectivae cum actus moralitate *b)* cur et quando aliquae actiones dicantur bonae vel malae *materialiter* tantum: *c)* cur et quando *formaliter*; *d)* duplex moralitas; *e)* qua ratione alia praeter actum humanum moralia dicantur.

1. Ad pleniorem praecedentium notitiam, duo impraesentiarum investigamus: 1.um ***Quod sit proximum et formale specificativum moralitatis in communi;*** 2.um ***an sit in objectis aliqua moralitas et in quo consistat.***

2. *Ad primum.* Plura possunt videri specificativum moralitatis cum plura ad illius *esse* concurrant, scilicet ipsa natura rationalis, voluntas, ratio, lex et objectum. Specificativum tamen proximum et for-

---

2 I-II, q. LXXI, a. 6.

male nonnisi unum esse potest, nam unius esse una tantum forma. Quodnam vero ex proxime enumeratis rationem specificativi formalis participet sequens ostendet conclusio.

Thesis. Proximum et formale specificativum moralitatis est solum objectum secundum quod objective habet esse in genere moris, non vero natura rationalis, voluntas, aut lex. Ita *Salmanticenses*[1] cum aliis bene multis.

3. Nomine *objecti* hic intelligimus quidquid habet rationem voliti sive primario sive secundario, ut finis, circumstantia etc. Quaestio item movetur non de specificativo radicali et ultimo, sed ut dicitur in propositione, de proximo et formali. Quo statuto,

Prob. thesis.

Omne respectivum proxime et formaliter specificatur ab eo ad quod immediate ordinatur; atqui actus humanus, ut moralis, immediate refertur ad objectum quatenus habet esse objective moralis; ergo stat propositio. Sicut dictum est, inquit *D. Th., actus omnis habet speciem ab objecto,* et *actus humanus qui dicitur moralis habet speciem ab objecto relate ad principium actuum humanorum, quod est ratio*[2]. Et paulo supra: *Omnis actus speciem habet ex objecto; unde oportet quod aliqua differentia objecti faciat diversitatem speciei in actibus... In actibus autem bonum et malum dicuntur per comparationem ad rationem... Patet ergo quod differentia boni et mali circa objectum considerata comparatur per se ad rationem, scilicet secundum quod objectum est ei conveniens vel non conveniens. Dicuntur autem aliqui actus humani vel morales secundum quod sunt a ratione; unde manifestum est quod bonum et malum diversificant speciem*[3].

Ex quibus verbis sic nostra thesis confirmatur. Illud est specificativum moralitatis in communi cujus differentia per se illam distinguit et diversificat ejusdem species; sed hujusmodi est objectum, ut morale, non autem natura, voluntas aut lex; ergo proximum et formale specificativum est objectum ut morale. *Non substantia seu natura rationalis;* nam a) eodem modo posset specificare moralitatem quo ad eam concurrit; sed non concurrit nisi remote et mediante voluntate, non enim substantia est immediate operativa; ergo nequit illam proxime et immediate specificare; b) natura rationalis secundum se non magis est principium moralitatis actus

1 Loc. cit. Disp. I, Dub. IV; Philippus a SS. Trinit., Disp. XVIII, Dub. IV.

2 I-II, q. XVIII, a. 8; cfr. tota q. et XIX, a. 1, 2, 3; q. LXXVII, a. 3; *De Malo*, q. II, a. 6, et plura alia loca; Suarez, Disp. II, sect. I-II.

3 I-II, q. XVIII, a. 5.

quam entitatis physicae, nec magis per se, directius, aut proximius ad illam quam ad hanc concurrit; ergo per ordinem ad talem naturam secundum se sumptam non magis habet actus quod sit moralis quam quod sit physicus. *Neque voluntas,* tum quia potentiae immanentes non specificant suos actus, sed potius specificantur ab illis, et mediis illis ab objectis, nam potentia facta est propter actum et non e converso; tum etiam quia voluntas non est principium morale nisi ut subest rationi et legi; sed hoc habet mediante actu; ergo voluntas non potest esse proximum specificativum moralitatis. Sed neque *lex* idipsum praestare potest, quia tunc omnis actus moralis esset juxta legem et illi conformis, siquidem omne quod specificatur, adaequatur et commensuratur cum suo specificativo; dantur autem plures actus morales qui non conformantur, sed repugnant legi, uti sunt omnes peccaminosi; insuper actus moralis non respicit legem nisi mediante objecto, sicut ipsa lex non aliter regulat actum nisi proponendo objectum prosequendum vel fugiendum; et licet dictet exercitium actus, totum hoc est in ordine ad objectum et per modum attingentiae illius; ergo id ad quod actus directe et immediate terminatur non est lex, sed objectum propositum et dictatum a lege[1].

Hinc vides cur in nostra moralitatis definitione non dicatur simpliciter *respectus..... actus humani ad regulas morum,* sed ad *objectum subditum regulis morum*; nam licet objectum a ratione et lege habeat quod sit morale ideoque et esse moralitatis specificativum, tamen lex vel ratio non est proprius et immediatus terminus actus moralis, proindeque neque proximum specificativum illius esse possunt.

4. Jam ergo, hac quaestiuncula breviter exposita, ad ***secundum quaesitum*** respondet sequens

Thesis. In omnibus objectis quae specificant actus morales reperitur moralitas objectiva, a qua moralitas formalis desumitur. Ita Salmantic., Cajet., Medina, Valentia et communiter Theologi[2].

Probatur *ex dictis:* «Omnis causa in suo genere praehabet effectum quem tribuit; ergo cum objectum in genere causae formalis objectivae tribuat actionibus moralitatem, debet in hoc genere illam praecontinere; quod est esse objective moralem».

Confirmatur: «Nam si quaeratur, inquiunt praeclare Salmantic., quare actus voluntatis est *moraliter bonus?* optime respondetur, quia *terminatur ad objectum moraliter bonum;* et si quaeratur, cur est *moraliter malus?* recte dicitur quia terminatur ad objectum malum; ergo prius

1 Ita Salmantic., ib. n. 57 et 58.
2 Cfr. Salmantic., Dub. VI, § I.

objectum est moraliter bonum vel malum quam tribuat actui bonitatem vel malitiam; sed tunc non est bonum neque malum formaliter per modum actus; ergo est tale per modum objecti» [1]. Unde haec moralitas *objectiva* dici solet.

Paucis S. Th.: *Bonum per rationem repraesentatur voluntati ut objectum; et in quantum cadit sub ordine rationis pertinet ad genus moris et causat bonitatem moralem in actu voluntatis* [2].

5. In quo autem illa moralitas *objectiva* consistat non est facile explicatu. Duplicem moralitatem objectivam distinguunt philosophi: *proximam* scilicet et *fundamentalem*. Haec est *exigentia quorumdam objectorum ut praecipiantur vel prohibeantur*. Sunt enim quaedam objecta quae ab intrinseco et ex natura sua petunt prohiberi ut mala, sic *odium Dei, perjurium, blasphemia, mendacium;* alia vero praecipi ut bona v. gr. *colere Deum, servare justitiam,* quorum quidem moralitas adeo ipsis inhaeret ut quae ita sunt bona nulla lege prohiberi, et quae sunt mala praecipi, possint, neque Deus ipse aliud statuere vel dispensare queat. Horum objectorum moralitas vocatur *fundamentalis,* quia antecedit omnem legem, idcirco illa objecta non sunt formaliter bona vel mala, sunt tamen fundamentum bonitatis vel malitiae, seu moralitatis proximae, quia sunt apta regulari per legem. *Proxima* vero est *ipsa subjectio passiva objectorum ad legem,* seu modus se habendi sub lege tanquam sub mensura cui consonat vel dissonat in ordine ad terminandum actus voluntatis; vel ratio seu formalitas intrinseca objectis connotans legem, ratione cujus causare potest moralitatem formalem in actu voluntatis [3].

6. Ex dictis facile notabis a) posteriorem hanc moralitatem comparari ad moralitatem *actus* ut materia seu potentia, *apta* scilicet ad terminandum actum voluntatis cum determinata convenientia vel disconvenientia a lege. Moralitas autem actus est intrinsecus respectus ipsius actus ad objectum de facto subditum regulis morum.

b) Cum actio aliqua est de se *referibilis* ad regulas morum, actu tamen, ob defectum cognitionis vel libertatis, non refertur, esse bonam vel malam *materialiter,* v. gr., blasphemia aut mendacium in amente vel in puero; quod si de se tota non est referibilis ad legem existentem ut comestio carnium pro infante die vetito, planum est praefatam actionem nec materialiter esse malam, quoniam in casu nec in actu primo cadit sub lege.

c) cum vero actio non solum est referibilis, sed ab agente rationis

---

1 Salmantic., ib. n. 83.

2 q. XIX, a. 1, ad. 3; Cajet. ib. § *Responsionem ad tertium.*

3 Ad pleniorem horum notitiam vide Salmantic., Dub. VI, vel Andream a Cruce illos abbreviantem, Disp. CI, Dub. IV.

compote actualiter vel saltem virtualiter reipsa refertur ad legem, ut in adulto sciente et volente comestio carnium die vetito, esse *formaliter* malam.

d) proindeque recte duplicem moralitatem actus distingui a theologis *materialem* et *formalem*. Primam dicunt *conformitatem vel difformitatem actus secundum se considerati cum regulis morum*. Alteram, *convenientiam vel disconvenientiam ipsius voluntatis operantis cum regula morum*. Et haec caute nota ut recte judicare valeas de bonitate vel malitia humanarum actionum deque ipsarum imputabilitate, quae non constituit, ut falso quidam autumant, sed praesupponit et consequitur moralitatem.

e) demum notabis moralitatem solum inveniri proprie intrinsece et *formaliter* in actibus humanis; in aliis vero per ordinem ad actus humanos, diversimode tamen; sic v. gr. invenitur *effective* in habitu et consuetudine, quia praedictam moralitatem efficiunt; *regulative* in actu rationis, in lege, jure, consilio, quia mensurant actum humanum; *objective*, ut in objectis et circumstantiis, quia moralitatem specificant; *denominative*, ut in fama, honore dignitate etc., quae ad genus moris reducuntur ex hominum judicio et aestimatione [1].

QUAESTIO II

NORMA SEU CRITERIUM MORALITATIS

Ordo rerum. Discrimen aliquod existere inter bonum et malum res est adeo manifesta, ut a nemine rationis compote in dubium vocari queat quin simul primarias notiones ordinis moralis penitus confundat vel aperte inficietur; sunt enim boni et mali notitiae ideae primigeniae, quasi innatae, et evolutioni intellectuali omnino necessariae.

Sed vulgari saltem boni et mali discrimine supposito (demonstravimus etiam illud esse intrinsecum), modo quaerimus undenam proveniat praefatum discrimen, qua regula aut criterio cognoscere possimus quasdam actiones esse bonas, alias vero malas. Id constabit ex sequentibus articulis.

1 Cfr. Salmantic. prolog. ad. q. XVIII, D. Thomae, initio Tract. IX.

Articulus I

Carpuntur falsae philosophorum sententiae circa normam objectivam moralitatis [1]

§ 1

VARIA PHILOSOPHORUM PLACITA *(Historice)*

Summa rerum.—1. *Duplex norma seu criterium.*—2. *Communis Positivistarum sententia.* 3. *Pragmatismus; fautores absolutismi regii, nationalis, Status* (Hobbes, Rousseau, Hegel, Pseudopolitici). 4. *Publica populorum opinio* (Aristippus, Democritus, *etc.* —La Mettrie, Cabanis, Holbach, *etc.)*—*Utilitarismus socialis seu altruismus* (Cumberland, J. Bentham, *etc.)* 6. *Autonomismus Kantii.* 7. *Nominalium sententia* (Okam, nonnulli Protestantes).

1. Titulus art. supponit duplicem esse normam seu criterium moralitatis *objectivum* et *subjectivum.* Generatim *regula seu ratio qua mens ducitur ad judicandum de qualitate seu differentia morali humanarum actionum* dicitur *norma* seu *criterium moralitatis.* Criterium objectivum est *tessera, seu character, sive ratio, qua actiones honestae ab inhonestis discriminantur.* Subjectivum est *facultas illa per quam judicamus de honestate vel malitia actionum humanarum;* dicitur etiam criterium *manifestativum,* de quo in art. sequenti.

2. *Sententiae.* Commune est omnibus philosophis plus minusve materialismo aut positivismo addictis, moralitatem ex causa mutabili et contingenti derivare; quo fit, ut juxta ipsos, nihil bonum modo sit quod deinceps malum fieri non possit, et e contra, nihil sit ita malum quod aliqua de causa non possit in bonum mutari. In assignando tamen illam causam inter se pugnant. Verum omnium sententiae ad quinque sequentes commode reducuntur.

3. **I.ª sententia** *(Positivismus humanus seu pragmatismus)* repetit morale discrimen inter bonum et malum ex *humana institutione, nullamque moralitatis normam admittit praeter leges civiles.* Hinc ab *Statu* promanant tanquam ab origine et fonte morum honestas vel turpitudo, ejusque auctoritatis est determinare quae actiones bonae, quae malae sint.

---

1 Cfr. A. Nouget-Lacoudre, *Ethica*, p. II, c. I, a. 2; Costa-Rossetti, *Institut.*, c. II, sect. IV; José Moreno Castelló, *Curso de Filosofia Elemental. Tratado de Filosofia Moral*, (2.ª ed. Jaen, 1881), p. I, c. III; Brugerette, *Las morales independientes*, etc.; A. Castelein, S. J., *Institutiones Philosophiae Moralis et Socialis* (editio minor, Bruxelles 1899), *Ethica Gener.*, Thesis 4.ª

Cruda sunt quae in favorem *despotismi* vel *absolutismi regii* scripsit *Hobbes*, hujus infandae doctrinae parens, in libro *de Cive*, ubi haec inter alia profert: *Regulae boni et mali, justi et injusti, honesti et inhonesti sunt leges civiles, ideoque quod legislator praeceperit id pro bono, quod vetuerit, id pro malo habendum est. Ante imperia justum et injustum non extitere... actioque omnis sua natura adiaphora est; quod justa vel injusta sit a jure imperantis provenit. Reges igitur legitimi quae imperant justa faciunt imperando, quae vetant vetando injusta*[1].

Eadem docuere, post Hobbesium, *Rousseau* in favorem *absolutismi nationalis*, *Hegeliani* et *Pseudopolitici* recentiores[2] qui *Omnipotentiam Status* seu *Statolatriam* proclamant et gubernantium mandatis *absolutam obedientiam*, ac si cives instar machinae moverentur, omnibus imponunt. Unica ergo supremaque moralitatis norma est, juxta ipsos, *principum* seu *gubernantium voluntas*.

4. **2.ª Sententia**, praecedenti valde affinis, est eorum qui *honestatem vel turpitudinem actionum humanarum ab opinione seu consensu populorum unice derivant*. Ita *Saint-Lambert*, *Hartmann*, *Comte*, quibus praeiverat *Carneades* qui, ut refert *Lactantius*, ajebat *jura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet, varia pro moribus, et apud eosdem pro temporibus saepe mutata*[3]. Huic quoque adhaerent opinioni *Montaigne* qui per *educationem*, *Mandeville* per *inventionem* virorum ingenio et auctoritate pollentium, *Darwiniani* paulatim per *evolutionem*, sectatores *pacti socialis Rousseau* per *conventionem* tacitam vel expressam, discrimen boni et mali explicare pertentant[4]. Nec ab hac sententia recedit *Lammenais*, vi sui systematis de supremo veritatis criterio, eamque communi calculo firmant hujus temporis *Liberales* qui *publicam*, quam vocant, *opinionem* boni et mali, justi et injusti, regulam costituunt, aut ex *factis consummatis*, ex effectibus et sequelis, moralitatem saepissime metiri audent. Idipsum

---

1 *Elementa philos. de Cive*, c. XII, § 1. Cfr. Gonzalez, *Historia de la Filos.*, t. III, p. 19.

2 Kant ha dicho: En el estado jurídico toda ley debe tenerse por justa solo porque es ley. La expresión de la voluntad del estado es infalible por naturaleza. Y uno de nuestros políticos liberales, el Sr. Groizard, escribe en sus *Comentarios al Derecho Penal* (comentario sobre la XII circunstancia eximente) «Ante una ley buena nosotros decimos: ¡Plaza al derecho! ante una ley mala nosotros decimos también: Plaza al derecho. No hay mal grande al lado de los que pueden seguirse de llevar la perturbación á la división armónica de los poderes públicos... Y antes había dicho: El precepto del legislador puede ser injusto, hasta inicuo, y no obstante no hay responsabilidad en el que le presta su consentimiento».

3 Mr. Bayet. «Las formas que reviste la idea del bien son múltiples, contradictorias y cambiantes. El bien es en cada país, en cada instante lo que las conciencias colectivas implícita ó explícitamente juzgan ser bueno... El bien es hoy lo que las conciencias colectivas juzgan ser bueno, será mañana lo que mañana juzgarán ser bueno». Apud. M. J. Brugerette loc. cit.

4 Si se le quita al hombre, dice Durkheim, todo lo que recibe de la sociedad no queda más que un ser reducido á la sensación». «Rauh considera los principios morales como esencialmente variables y acomodaticios, dependientes en absoluto de la aceptación de la conciencia social, después de haberlos experimentado». Cfr. Alberto Gómez Izquierdo, *Nuevas direcciones de la Lógica* (Madrid 1907), c. V, § III.

quoad substantiam docent *Durkeim, Huxley, Lévy-Bruhl, Rauh, Gabriel Tarde, Wilbois* aliique nullam agnoscentes moralem individualem [1].

5. **Succedit Schola Utilitaria** cujus fundamentale dogma illo Spinozistico effato continetur: *Bonum dico quod est utile, malum vero idem est quod noxium.* Quamobrem, praeter commodum vel ipsius individui vel totius communitatis, nihil est bonum, nihil honestum. Sibi tamen hujus scholae patroni non constant. Quidam namque pro *utilitarismo privato* (hedonismus aut eudaemonismus) pugnant, ut *sensistae* et *materialistae* qui, cum nihil praeter materiam, voluptatem et dolorem, admittant, finem hujus vitae in perfruendis deliciis vitandisque calamitatibus reponunt, ideoque supremam unicamque moralitatis normam in absentia doloris et miseriae sitam esse arbitrantur. Hinc, illorum maxima, moralitatis norma, homini ceterisque animantibus communis: *Fugere dolorem, expetere voluptatem.*

Hunc utilitarismum privatum, qui et purus *Egoismus* jure meritoque dici valet, inter antiquos theoretice et practice tuiti sunt *Aristippus Cyrenensis, Democritus, Epicurus* et *Lucretius.* Post longam vero saeculorum intercapedinem illum suscitarunt primo *Humanistae* sensuales, *Laurentius Valla* [2], *Antonius Beccadelli* (1471), *Cosm. Raimondi Cremonensis* [3] aliique saec. XV et XVI; dein *Materialistae* saec. XVIII et XIX, *Condillac, de la Mettrie, Cabanis, Helvetius, Diderot, Holbach, D'Alembert, Condoncer, Turgot, Volney, Malthus, Saint-Simon;* novissime autem *Pessimistae, Schopenhauer, Nietzsche* aliique non pauci. Ab individuali utilitarismo nec hilum differunt *Egoismus Fichte* et *Autonomismus Kantianus,* de quo infra.

Alii defendunt *utilitarismum socialem* qui et *Altruismus* audit, juxta quos, bonum et malum in actionibus humanis aestimandum est ex summa utilitatis vel commodi quam producere possunt in beneficium communitatis; consequenter ex hoc calculo materialistico utilitaristae sociales seu altruistae moralitatem metiuntur.

Haec est communior recentiorum positivistarum sententia, quorum infinitus est numerus. Signanter illam pro viribus tuentur *Cumberland, Jer. Bentham, Stendhal, Littrè, Stuart Mill, Mackintosh, Bain, Spencer, Darwin, Vundt, Hegel, Lotze, Paulsen, Sidgwick,* etc. Ad hanc quoque revocantur sententiae comitis de *Shaftesbury,* scholae *Leibnitio-Wolffianae, M. Goyau, Bourgeois et Lapie.* Comes de *Shaftesbury* duas species inclinationum reperit in natura humana alias egoisticas, quas *idiopathicas,* alias sociales, quas *sympathicas,* nominavit; primae ordinantur in bonum privatum uniuscujusque; posteriores in bonum commune; porro in *perfecta harmonia inter inclinationes sympathicas et idiopathicas servanda* bonitatis moralis rationem sitam esse docet. *M. Guyau* censet *vitae intensi-*

---

1 Cfr. Wilbois, *Devoir et Durée, Essai de morale sociale* (Paris 1912) pag. 336.

2 *De voluptate ac vero bono* (Basileae 1519), lib. III.

3 Ad Ambrosium Tignosium *quod recte Epicurus summum bonum in voluptate constituerit, maleque de ea re Academici, Stoici, Peripateticique censerint.* Cfr. Ludovico Pastor, *Historia de los Papas,* t. I, pag. 124 (vers. del P. Ruiz Amado, Barcelona 1910).

tatem et expansionem, ex qua cunctorum bonum necessario sequitur, esse supremam moralitatis normam; *Burgeois* cum aliis multis positivistis tenet *solidaritatem* esse tum regulam tum finem humanarum actionum. Inter anarchistas quidam eudaemonismo privato, ut *Stirner* et *Tucker;* alii, ut *Godwin*, eudaemonismo sociali (altruismo) adhaerent. Juxta *Paulum Lapie*, valor actionum humanarum mensurari debet ex numero effectuum quos producunt et ex agentis independentia [1]. *Leibnitius* item et *Wolffius* opinantur *illas actiones esse bonas quae propriam et aliorum perfectionem promovent, malas vero quae eamdem minuunt.*

6. **4.ª sententia.** *Emmanuel Kantius*, Rationalistarum dux et parens, haec in sua *Critica rationis practicae*, si a verborum novitate et phrasium involucro praescindas, publici juris facere non est veritus, scilicet: Rationem humanam esse *a)* principem normam et supremum principium moralitatis omnium actionum humanarum regulatricem; *b)* omnimode *autonomam* seu independentem; *c)* sibi ipsi legem, cui obediendo nulli subjicitur; proindeque *heteronomiam*, seu alteri, etiam Deo, subjectionem, conceptui moralitatis repugnare; *d)* imo *exlegem*, quia lex moralis, seu *imperativum categoricum*, ut ipse loquitur, est quid pure formale et subjectivum ab ipsa ratione proficiscens. Inde consequitur *e)* voluntatem esse quoque independentem, atque, ut sit bona, operari debere *ex sola reverentia* legi debita; quod si secus faciat, evadet *immoralis*. Tunc enim tantum voluntas est bona quando, et *quod* lex praecipit, et unice *quia* lex praecipit, operatur, ut ipsemet aperte fatetur. Quamobrem si contingat voluntatem intuitu poenae aut praemii, vel etiam amore Dei quandoque legis mandatum adimplere, actio quidem erit *legalis* quia conformatur rei praeceptae, verum nullo modo *moralis* vocari valet, quia non est posita *ex solo motivo* legis, seu *quia praeceptum est;* sed potius turpis et immoralis! natura namque rationalis a qua procedit lex est *finis in se;* ergo operari per respectum ad praemium est agere contra naturam rationalem [2]. Praecedentem doctrinam subscribunt Neo-Kantiani, ut *Renouvier* et *Fouillée*.

Kantio praeiverant veteres *Stoici*, inter quos ex Graecis *Zenon* Scholae fundator, *Cleantes, Chrysippus*, et ex Romanis *Seneca, Epitectus* et *Marcus-Aurelius* asserentes 1) supremam moralitatis normam esse vivere secundum naturam et virtutem; 2) hanc esse *unicum* hominis bonum, caetera alia esse *indifferentia;* 3) virtutem esse propter se expetendam; 4) sapientiam, quam cum virtute confundebant, omnes animi affectus ita dominari ut sapiens nunquam turbari possit nec per voluptatem nec per dolorem, *(ἀπάθεια, impassibilitas* stoica); 5) solum denique sapientem esse beatum, summum ejusdem bonum *vitam sibi semper concordem* peragere [3].

---

1 *La logique de la volonté* (Paris 1902).

2 Cfr. González, *Historia de la Filos. La filosofía novísima*, § 56; Meyer, loc. cit. § 3; Reyes Ruiz, *Historia de la Filosofía*, Epoca general séptima, a. 1; A. Cresson, *La Morale de Kant*, Paris 1904; Brin, *Histoire de la Philos.* prem. part., chap. I. *Le Criticisme*, b).

3 Laforet, *Histoire de la Philos.—Philos. ancienne*, lib. III et IV. (Bruxelles 1867).

Ex hac brevi expositione, si parum attendas, facile perspicies Rationalistas Stoicismum jam pridem exstinctum denuo suscitasse, novaque forma indutum, tanquam ultimum rationis humanae pronuntiatum, saeculo XIX veterem illam mercem vendidisse.

7. **5.ª demum sententia.** *(Positivismus divinus)* tenet *moralitatem actionum humanarum pendere a libera Dei voluntate* nullasque esse *intrinsece* bonas, vel malas, sed, citra legem saltem divinam, omnes esse prorsus indifferentes, remota enim lege removetur quidquid est morale in illis. Ita nonnulli, quos tacito nomine refutat *S. Thomas*, dicentes *quod justa et recta sunt secundum legem posita*[1]; *Nominales*, quos inter saeculo XIV *Ockamus* scripserat: «Licet odium Dei, furari, adulterare, habeant malam circumstantiam annexam, et similia de communi lege, quatenus fiunt ab aliquo, qui ex praecepto divino obligatur ad contrarium, sed quantum ad esse absolutum in illis actibus possunt fieri a Deo sine omni circumstantia mala annexa; et etiam meritorie possent fieri a viatore, si caderent sub praecepto divino, sicut nunc de facto eorum opposita cadunt sub praecepto divino»[2]: quae omnino conformia sunt his quae circa dependentiam essentiae rerum a divina Omnipotentia alibi tradidit. Inter hujus tamen sententiae patronos longe eminet *Samuel Puffendorf*, qui novo apparatu doctrinam a pluribus saeculis jam consepultam in memoriam vocare conatus est. Cum honestas, inquit, sive necessitas moralis et turpitudo sint affectiones actionum humanarum, ortae ex convenientia aut disconvenientia a norma seu lege, lex vero sit jussum superioris, non apparet quomodo honestas aut turpitudo intelligi possit ante legem et citra superioris impositionem»[3]. Hanc theoriam indubie hausit ex *principiis Cartesianis*[4]. Post ipsum idem sensere *Grotius, Osiander, Gronovius, Samuel Coccejus, Heineccius* et *Schwartz*.

His historice relatis, discutiendum sequitur an vera sint quae circa normam seu criterium objectivum moralitatis praecitatae sententiae tuentur.

Quoad antiquorum philosophorum dicta cfr. Tomás Lapeña, *Ensayo sobre la historia de la filosofía*, tres tomos, Burgos 1807.

1 *Contra Gent.* lib. III, c. 129, ad finem.

2 II *Sent.*, q. XIX.

3 *De jure naturae et Gent.*, lib. I, c. 2, § 6.

4 Cfr. Cartesius, *Medit. de prima Phil.* Resp. VI.

§ 2

REFUTANTUR MEMORATA SYSTEMATA [1].

Summa rerum.—1. Thesis I. *Moralitas actionum humanarum non pendet, ut ab unico et supremo criterio, a legibus civilibus. Explicatur thesis.*—Probatur. 2. Thesis II. *Publica populorum opinio nequit esse suprema moralitatis norma.*—Probatur. 3. Thesis III. *Utilitas sive privata sive publica non potest esse morum regula.—Notanda.—Indicantur argumenta in favorem thesis militantia. — Egregia Balmesii ratiocinatio.*—4. Thesis IV. *Autonomismus Rationalistarum plurimis scatet erroribus.*—Probatur. 5. Thesis V. *Non omnium actionum humanarum moralitas pendet a libera Dei voluntate.*—Probatur. 6. *Objectiones.* —7. *Corollaria.*—Duplex moralitas, intrinseca et extrinseca. Duplex principium—quomodo explicatur;—an valeat relate ad legem naturalem.

1. Juxta ordinem in systematum expositione praestitutum primum occurrit *Positivismus humanus*, contra quem sit

Thesis I. Moralitas actionum humanarum non pendet, ut ab unico et supremo criterio, a legibus civilibus.

Cur in propositione interjiciam verba illa *ut a supremo et unico criterio* patet. Nam ultro libenterque fatemur nonnullas actiones pendere quoad suam honestatem et turpitudinem ab humana institutione seu a legibus civilibus. Verum hic non de quolibet criterio sermo est, sed de ultimo et fundamentali in quod reducantur et a quo, tanquam a radice, pendeant si quae aliae dentur rationes ad judicandum de moralitate actionum humanarum; propterea vehementer propugnamus leges civiles non esse ultimam, supremam, unicamque regulam moralitatis.

Etenim, a) dantur quaedam actiones, v. gr. *parricidium, perjurium, patriae proditio*, quae semper, ubique et ab omnibus vituperantur ut pravae et repugnantes naturae; aliae vero, uti sunt, *pro patria vitam dare, subvenire indigentibus, parentes honorare, beneficium pro injuria reddere,*

---

1 Cfr. Tanquerey, *Synopsis Theolog. Fund., De ultimo fine*, a. 2; Pacetti, *Institut. Philos. Mor.*, p. I, sect. I, c. I; Fernández Concha, *Filos. del Derecho*, c. VI, sec. III, a. 2; Willems, *Philos. Mor.*, lib. II, § 1-3; Ferretti, c. III, a. 3; Eleizalde, c. II, a. 2, n. 44-50; Farges et Barbedette, *Ethica*, lib. II, c. I, a. 2, n. 40-43 bis; J. de Bie, *Ethica Gen.*, c. III. Silverio de S. Teresa, C. D., *El Precepto del Amor*. Estudio histórico-crítico de la caridad cristiana y de sus relaciones con la legal y la filantropía (Burgos 1913) c. XXXV.

quae similiter ubivis terrarum et omni tempore laudem merentur; atqui haec constantia et uniformitas in judicando harum actionum moralitatem non potest a lege et institutione humana, quae mutabiles sunt, provenire; ergo moralitas actionum humanarum, quae est quid intrinsecum, immutabile, et apud omnes gentes, quoad aliquas saltem actiones, eadem vigens, minime pendet a legibus civilibus neque a pactis socialibus; b) ipsaemet leges civiles dicuntur et sunt justae vel injustae, bonae vel malae; ergo alio criterio legum moralitas metiri debet; c) si, juxta placitum hobbesianum, leges civiles sunt unica et suprema moralitatis norma, lata via tyrannidi aperitur et bonum in malum et malum in bonum, imperantium arbitrio, verti possunt, quo quid absurdius?

Ad rem praeclare Tullius: «Illud vero stultissimum existimare omnia justa esse, quae scita sint in populorum institutis ac legibus. Etiamsi quae leges sint tyrannorum? si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hae leges justae haberentur? Nihilo credo magis illa quam interrex noster tulit, ut dictator, quem vellet civium, indicta causa, posset occidere. Est enim jus quo devincta est hominum societas, et quod lex constituit una; quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi, quam qui ignorat est injustus, sive est illa scripta uspiam sive nusquam» [1].

2. Thesis II. Publica populorum opinio nequit esse suprema moralitatis norma.

Constat 1) quia iisdem incommodis ac praecedens sententia laborat; 2) quia consensus populorum, seu vox publica, quam tanti faciunt hodierni pseudopolitici, nihil aliud est quam collectio rationum individualium judicantium, in casu nostro, de honestate vel turpitudine actionum humanarum, imo praefata opinio saepissime nihil aliud est quam cujusdam vel quorumdam audacissimorum commentum, ob maximam hujus saeculi animorum levitatem, facillime multitudini impositum; atqui ratio individui non est factiva et constitutiva veritatis et honestatis, sed, e contra, ideo ratio individualis vera est quia judicium ejus conformatur rei veritati, secus inducitur subjectivismus et scepticismus; ergo pariter nullius individui aut collectionis ratio est mensura moralitatis; sed potius opinio popularis erit recta et honesta prout conformetur alteri superiori et immobili criterio, vel inhonesta et arbitraria, si ab eo deviaverit; 3) quia vocem publicam tanquam supremam moralitatis normam ac boni et mali conditorem habere est quaedam

1 *De legib.*, lib. I, n. 15.

rationis communis aut voluntatis popularis *divinizatio;* et 4) quia despotismo demagogico viam complanat.

Iterum de his eleganter edisserens Cicero inquit: «Si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Quod si tanta potestas est stultorum sententiis atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt, ut, quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus? aut cur, cum jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dividere possumus» [1].

Jure ergo meritoque ***Pius Pp. IX*** damnavit eorum sententiam qui, «certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audent conclamare *voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam; et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere* [2].

3. **Thesis III.** Utilitas sive privata sive publica non potest esse morum regula.

Initio cum *Balmesio* animadvertimus quod «cum utilitatem a moralitate distinguimus, animus non est inter se pugnantes dicere, nec vero separare; quinimo potius intime junctae nobis videntur, non quidem in singulis rebus, sed in effectu finali. Moralis utilis etiam est; qui officio fideliter fungitur juxta morum regulam, praeter praemium quod post mortem assequetur, frequenter felix erit in hac vita, quantum patitur humana miseria. Jucunditates nec tam vividas nec varias habebit, ut homo immoralis; at dulciores, et stabiliores et quae mordentem conscientiae vermem non generabunt» [3]. Moralitatem vero nullatenus in utilitate sive publica sive privata consistere multis argumentis probari potest contra *Bentham, Stuart Mill* aliosque utilitaristas. Ne autem praesens materia nimis protrahatur sequentia synthetice damus.

a) Secundum hanc sententiam id bonum et morale dicitur quod individuo est utile, id malum quod ipsi nocet; ergo plurimae actiones quae in gratiam proximi fiunt cum proprii boni dispendio, v. gr. *pauperi*

1 Ib. 16.

2 Encycl. *Quanta cura*, VIII Dec. 1864.

3 *Ethic.* c. VII. Cfr. quoque M. J. Brugerette. *Las morales independientes y la moral evangélica.* c. I, *El utilitarismo y la moral cristiana*; J. Oudot, *Conscience et science du devoir*, t. 2, lib. VII.

ingrato subvenire, pro patriae defensione absque spe ulterioris praemii periculo vitam exponere, erunt actiones immorales, et quae juxta communem sensum humani generis praemio et laude dignae sunt, poena essent mulctandae. Ita logice et aperte docet ***Nietzsche,*** virtutes christianas humilitatis, abstinentiae, caritatis, beneficentiae, misericordiae, condemnans, et naturalium hominis inclinationum passionumque satisfactionem glorificans; illud enim *moralem mancipiorum,* istud vero *superhominem,* producit; b) inducitur egoismus in eoque basis moralitatis fundatur; c) nutat moralitas omnis, cum utilitas sit varia et mutabilis pro variis circumstantiis in quibus idem homo reperitur, imo nonnumquam quod est utile uni, alteri sit nocivum; moralitas autem est quid immutabile et universale; d) quandoquidem utilitas nihil aliud est quam valor medii ad finem consequendum, et ajente ***Angelico Praeceptore,*** «oportet esse conformitatem proportionis, ut scilicet, ea quae sunt ad finem sint proportionata ad finem inducendum» [1]; necesse est quod utilitaristae assignent finem per cujus comparationem utilitas mensuretur; sed hi errant in determinatione finis, reponunt siquidem felicitatem in perfruendis bonis corporalibus et delectationibus sensuum; ergo falluntur etiam in assignanda regula moralitatis. Quamobrem in Syllabo proscripta est sequens utilitaristarum propositio: *Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum doctrina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis* [2]. e) Denique «vera, inquit Balmesius, nequit esse doctrina cujus applicationes sustinere non audet qui pudorem non amiserit. En quomodo loqui deberet Epicurus sibi constans: mihi finis voluptas; haec morum regula; fruor quantum possum, nec abstineo nisi mortis timore; qui si non adesset, nullum terminum ponerem sensuum jucunditati; epulae et omnium generum deliciae meam vitam constituerent; tum autem excellenter moratus essem, quippe qui nihil deviarem a moralitatis regula; voluptate. Erit qui tantam impudentiam sustineat? Ecquis alii, nec vero sibimetipsi, ita loqui audeat?» [3].

Ii autem qui *utilitatem publicam* uti normam moralitatis adsciscunt moralitatem ipsam penitus convellunt. Etenim a) si moralitas calculo aestimatur, id est, si id tantum bonum et morale dicitur quod in bonum cedit communitatis, deficiente relatione ad bonum commune, nulla est moralitas; atqui perplures operationes humanae ad communitatem non referuntur; ergo hae operationes, v. gr. *odium Dei, turpes cogitationes,*

1 IV *Sent.*, Dist. XLIX, q. I, a. 1.
2 Prop. LVIII.
3 *Ethica*, c. IV.

blasphemiae et similes, omni carent moralitate. Imo, societate non existente, homines extra ordinem moralem constituuntur. b) In systemate utilitarista turpia et inhonesta cohonestantur per subsequens bonum commune ex illis causatum; sed non *sunt facienda mala ut eveniant bona;* hinc licitum esset *mendacium, juramenti violatio, mors innocentis,* si commodum publicum id exigeret; item qui magis conferret ad bonum civium, uti rex, minister, magistratus, miles etc., is cunctis moralior existeret, etiamsi aliunde tyrannide, libidine, vitiisque omnibus irretitus esset. c) Si bonum commune est norma suprema moralitatis, explicent, quaeso, utilitaristae in quo praefatum bonum consistat. Sed in hoc determinando certe sibi non constant quotquot calculo materialistico dimetiuntur moralitatem; et ideo quod alii morale appellant, alii dicunt immorale.

«Hac incertitudine, inquit iterum Balmesius, adolebunt vel maxime actus individuales qui ad bonum commune relationem immediatam non habent. Suicida dicet: «Societati non expedit membrum adeo infelix; ejus bonum curo, vitando ipsi spectaculum quod contristat», et continuo se interficit. Offensus imprudenti verbo dicet: «Societati non expediunt homines sine honore; meum igitur lavare debeo, vel inimici sanguine vel meo», et duello confliget. Prodigus dicet: «Societati expedit industriae et commercii progressus, quem luxu foveo: liberorum fortuna deperditur quidem, sed non tantum valet quantum societatis bonum», et sumptibus effrenatis omnia effundet. Insani essent quidem nec tandem lege morali refelli possent; eo enim ipso quod omnia calculo metiremur, hujus effectus non minus varius esset, quam hominum passiones et placita; igitur nec moralitatem socialem haberemus, nec vero ullam» [1]. Praeclara sunt quae paulo post subjungit idem philosophus; videantur, si placet, ib. c. VI n. 36 et 37.

4. Thesis IV. Autonomismus Rationalistarum plurimis scatet erroribus.

Sufficiat aliquos tantum in propatulo ponere ad thesis probationem.

Et quidem, 1) quoad *methodum attinet* error est et radix plurium errorum velle omnem doctrinam moralem *unice* ex natura ipsa rationali *a priori* deducere, observatione psychologica posthabita et methodo experimentali penitus recusata; 2) quoad *doctrinam spectat* primum est illud quod fundamenti instar et basis ponunt Autonomistae, scilicet *naturam rationalem esse finem in se.* Et ne videatur id falso Kantianis impositum, audi ipsum *Kantium* hisce verbis enuntiantem supremam moralitatis normam: *Sic age*, inquit, *ut teipsum aliosque habeas tanquam*

1 ib. c. V. n. 33.

finem, non autem tanquam medium quo uteris. En *purus Egoismus* et naturae rationalis *divinizatio*. Ex quo consequitur rationem humanam esse 3) a Deo prorsus independentem, 4) factivam legis, 5) unicum boni et mali arbitrum, 6) obligationis fontem et 7) supremam moralitatis normam. Deinde Autonomismus, 8) suppressis spe mercedis et poenarum metu, stimulos efficaces ad virtutem exercendam extinguit; 9) consilia, opera caritatis et misericordiae, quae sponte et ex motivo supernaturali, et non tantum quia lex moralis absolute ea praecipiat, eliciuntur, turpia declarat et inhonesta; postremo 10) destruit necessariam sanctionem, et 11) totum ordinem moralem subvertit.

Scholion: His aliisque simillimis rationibus exsibilantur placita *Moralis Socialis* quae ultimo in Utilitarismum deflectit et moralem privatam penitus inficiatur [1].

5. Thesis V. Neque omnium humanarum actionum moralitas pendet a libera Dei voluntate.

Probatur. *1)* Ea quae pendent a libera Dei voluntate sic vel aliter fieri possunt; sed quarumdam actionum moralitas mutari omnino non potest; sic v. gr. odium Dei, blasphemia, perjurium etc. adeo intrinsece et essentialiter inhonesta sunt ut nec Deus ea bona facere possit; ea enim quae contradictionem implicant Deus facere non potest, seu melius ipsa non possunt fieri; ergo. *2)* Praefata sententia, adversus quam militat nostra conclusio, nititur falso principio, procedit namque a theoria Cartesiana de possibilium dependentia a voluntate Dei. *3)* Quae a libera Dei voluntate pendent nonnisi per revelationem innotescere possunt; sequeretur ergo in sententia ***Puffendorf*** quod, qui revelationem ignoraret, non posset discernere bonum a malo. Verum, ut eleganter docet ***Angelicus***, homines ex divina Providentia sortiuntur naturale judicatorium rationis ut principium propriarum operationum. Naturalia autem principia ad ea ordinantur quae sunt naturaliter. Sunt igitur aliquae operationes naturaliter homini convenientes, quae sunt secundum se rectae, et non solum quasi lege positae [2].

1 Audiatur Huxley: Se pueden distinguir dos clases de moral: la moral *social* y la moral *personal* o *individual*. La primera tiene por criterio la felicidad de la sociedad: la segunda se refiere a la felicidad del individuo. Pero como el individuo es para la sociedad, el bien social viene a ser el verdadero objeto de la moral. Todo pues se reduce a esta regla: En una sociedad de seres humanos colocados en determinadas circunstancias, se desea saber si una acción particular de uno de sus miembros tenderá a acrecentar o disminuir la felicidad general... Que nos muestren que el robo, el crimen, el adulterio, no tienden a disminuir la felicidad de la sociedad, entonces no se verán en ellas inmoralidades sociales. Apud P. Vallet, *Dios, principio de la ley moral*. Cfr. Cicero, *De officiis*, lib. III, 11.

2 *Contra Gent.*, lib. III, c. 129.

4) Denique, fine hominis constituto, constituta sunt ea quae ad finem consequendum necessaria sunt; ea autem quae ad finis assecutionem consentanea sunt, bona, quae ab ea deviant, mala dicuntur; implicat autem esse mala quae sunt fini convenientia, bona quae finis assecutioni opponuntur; ergo sunt quaedam actiones ita intrinsece bonae vel malae quae nullatenus mutari possunt, nec ab aliqua lege aut voluntate positiva pendere [1].

6. **Objicies.** Moralitas actuum humanorum desumitur ex convenientia aut disconvenientia a norma seu lege; lex vero est jussum superioris; ergo ab ea dependet. Ita *Puffendorf*.

Resp. Moralitas dessumitur ex relatione ad legem *proxime* et *immediate* nego, remote et mediate, subdist., quarumdam actionum concedo; omnium, iterum distinguo, si lex cum voluntate confunditur, nego; si lex sumitur pro ratione divinae sapientiae, concedo.

Explico. Lex aeterna, a qua pendet moralitas cujuslibet operationis, est ratio divinae sapientiae antecedens modo nostro concipiendi divinam voluntatem fundans et necessario dictans rerum essentias. Si ita legem intelligit *Puffendorfius* libenter ei assentimus affirmanti nullam dari moralitatem citra legem superioris; sed id non dat jus ad concludendum actionum humanarum moralitatem pendere a divina voluntate, quam cum lege aeterna perperam confundit *Puffendorfius*. Sicut enim ante divinam sapientiam nihil concipitur possibile ideoque ipsa est principium a quo dependent essentiae rerum, quemadmodum late demonstratur in Ontologia, ita divina sapientia est ratio et fons moralitatis illarum quoque actionum quae intrinsece sunt bonae vel malae, et idcirco nulla concipitur moralitas citra ipsam.

7. **Corollaria.** Ex hactenus dictis infertur: 1) *Existere aliquod discrimen intrinsecum et essentiale inter bonum et malum morale;*

2) *Duplicem esse moralitatem, intrinsecam,* quae *absoluta* quoque dicitur, et conformitatem aut difformitatem involvit cum ordine metaphysice necessario atque immutabili rerum, et *extrinsecam,* quae oritur ex sola lege positiva, ut *diei Dominicae sanctificatio, tributorum solutio* etc.

3) Quae hac duplici vestiuntur moralitate regulari respective illis principiis: *Sunt in lege divina quaedam praecepta quia bona et prohibita quia mala; quaedam vero bona quia praecepta et mala quia prohibita* [2]. Id est, sunt quaedam actiones quae praecipiuntur aut prohibentur, quia antecedenter ad omnem legem positivam sunt bonae vel malae: aliae vero sunt bonae vel malae quia supervenit eis praeceptum aut prohibitio, quibus deficientibus, actiones ille non essent neque bonae neque malae.

---

1 Ib. Cfr. sex alias rationes, quas S. Doctor adducit.

2 II-II, q. LVII, a. 2 ad 3.

Sed diligenter adverte hujusmodi proloquium admitti non posse respectu *legis naturalis*, nisi in sensu quodam latissimo, nempe quatenus in signo priori ad legis naturalis obligationem illa concipitur bonitas vel malitia, quam vocavimus *objectivam* et *fundamentalem*; et non aliter. Audiatur Angelicus: «Cum dicitur quod non *omne peccatum ideo est malum quia prohibitum*, intelligitur de prohibitione facta per *jus positivum*. Si autem referatur ad *jus naturale* quod continetur, primo quidem in lege aeterna, secundario vero in naturali judicatorio rationis humanae, *tunc omne peccatum est malum quia prohibitum; hoc enim ipso quod est inordinatum juri naturali repugnat*»[1].

Articulus II

Statuitur vera moralitatis norma.

Summa rerum. 1. *Status quaestionis.—Conditiones requisitae ad normam objectivam moralitatis.*—2. *Solvitur quaestio.*—3. Thesis. *Prima regula bonitatis moralis ac proinde totius generis moris est sola lex aeterna in mente divina existens; proxima vero est dictamen nostrae rationis secundum quod praedictam legem participat et ei subordinatur.*—Probatur quoad utramque partem. —4. *Sententia S. Thomae.*—5. *Scholion.*—*Variae sententiae.*—*Conciliantur.*—6. *Opinio Balmesii.*—*Critica.*

1. **Status quaestionis.** Siquidem intrinsecum discrimen inter bonum et malum intercedere constat, oportet nunc investigare *rationem*, et quidem *objectivam*, qua bonum et malum, honestas et turpitudo, actionibus humanis conveniat. Haec autem *ratio*, prout est regula qua intellectus ducitur ad discernendas actiones bonas et malas, *norma moralitatis* vocatur. Porro meminisse juvabit, non de qualibet sed de suprema et universali regula moralitatis nos impraesentiarum instituere sermonem. Quapropter praedicta regula debet esse a) *objectiva intrinseca;* b) *immutabilis;* c) *universalis*, ita scilicet ut deservire queat ad moralitatem omnium actionum humanarum internoscendam; d) omnibus hominibus *perspicua et manifesta;* e) ita *prima* ut ex illa derivari possint omnes aliae moralitatis regulae. Verbo, debet esse *ultima ratio* qua responderi possit interroganti cur actio aliqua sit bona vel mala.

2. **Quaestionis solutio.** Itaque in tanta varietate sententiarum tenemus cum communiori sententia moralitatem *ultimo et remote* dimetiendam esse ex objectiva et absoluta conformitate aut difformitate actus cum divina ratione, *proxime* vero ab ipsa ratione humana practica.

1 I-II, q. LXXI, a. 6, ad 4.

Quae sententia plane consonat iis omnibus quae de natura moralitatis fuse explicavimus, et dictis ***Angelici Doctoris,*** qui nostrum sentiendi modum expresse confirmat pluribus in locis, ex quibus sufficiat sequens tantum excribere: *Regula voluntatis humanae est duplex, una propinqua et homogenea, scilicet, ipsa humana ratio, alia vero est prima regula, scilicet, lex aeterna quae est quasi ratio Dei*[1]. Sit igitur

3. **Thesis. Prima regula bonitatis moralis ac proinde totius generis moris est sola lex aeterna in mente divina existens; proxima vero est dictamen nostrae rationis secundum quod praedictam legem participat et ei subordinatur**[2].

Unde ratio seu fundamentum proximum boni et mali in actionibus humanis consistit in convenientia vel disconvenientia earumdem cum ratione humana; remotum vero in eadem convenientia vel disconvenientia cum lege aeterna, ultimo autem cum ipsa essentia Dei.

Prob. Et quidem quod interna actuum humanorum honestas vel turpitudo pendeat a Deo nulli dubium. Fundamentum enim moralitatis debet esse immutabile, aeternum, necessarium, cum essentiis rerum intime connexum; nam quaedam actiones adeo intrinsece bonae sunt. ut non possint sua bonitate expoliari; aliae, e contra, ita sunt intrinsece malae ut nunquam sua malitia denudari queant; atqui essentiae rerum pendent a divina ratione illas concipiente, ideo quippe tales sunt quia divinus intellectus sic eas intelligit; ergo bonitas intrinseca actionum humanarum dependet a Deo.

Age vero: probatum est supra contra ***Puffendorf*** ejusque asseclas moralitatem non pendere a divina voluntate, sed ipsam modo nostro concipiendi antecedere; ergo moralitas non potest habere suum ultimum fundamentum nisi in intellectu divino; atqui intellectus divinus prout est ratio directiva actionum humanarum est lex aeterna; ergo prima regula moralitatis est lex aeterna.

Confirmatur. 1) «Moralitas in actibus humanis attenditur per ordinem

---

1 I-II, q. LXXI, a. 6. Cfr. q. XCIII, a. 3; *De Malo*, q. II, a. 4; *De Virtut.* q. V, a. 2. etc.

2 Ita litteraliter Salmantic. Disp. I, Dub. V, § 1; Gonet Tract. III. *De moral. act. hnm.*, Disp. I, a. 2, § 1. Eamdem sententiam tenent veteres Theologi. Noster Joseph a Matre Dei, Tract. XVIII, Disp. I, *De bonit. et mal.* Dub. III, has statuit concl. I. Quamvis natura rationalis possit dici radicaliter lex moralitatis non tamen formaliter: Unde nunquam D. Thom. vocat eam regulam formalem. II. Lex aeterna est prima (non tamen proxima sed remota) regula moralitatis. Regula vero proxima est dictamen rationis. *Cursus Triennalis Theologico-Scholasticus.* t. 3. Pampilonae 1772. Tanquerey, *De ultimo fine*, a. 2; Farges et Barbedette, lib. II, a. 2; Ferretti, n 82; Meyer, lib. I, c. I, § 3; Chr. Pesch, *De ult. fine*, tract. II, sect. a. 3; Wirceburgenses, Tract. *De act. hum.* c. III, a. 4 et 5.

et directionem ad ultimum finem humanae vitae; ergo illa erit prima regula moralitatis quae fuerit prima ratio hujus ordinis. Sed haec non potest esse alia quam ratio existens in Deo quae dicitur lex aeterna, sicut nec alius quam ipse Deus potest esse primum dirigens in praedictum finem; ergo. 2) Prima regula debet esse a se indefectibilis in dirigendo et regulando, sicut primum principium est indefectibile in operando; sed nulla creatura potest esse per se impeccabilis; ergo prima regula hujus ordinis non potest esse aliquid creatum; erit igitur ipsa ratio directionis existens in mente divina quam *legem aeternam* dicimus»[1]. 4) Quemadmodum veritas et falsitas in ordine speculativo se habet ad intellectum divinum, ita veritas in ordine practico ad rationem divinam quatenus est regula eorum quae sunt agenda: nihil enim aliud est ratio divina practica quam absolutus ordo operabilium; sed in ordine ontologico verum a falso ultimo et absolute distinguitur ex conformitate objectiva cum intellectu divino prout est idea rerum omnium; ergo bonum et malum ex conformitate aut difformitate ad rationem practicam divinam, seu per comparationem ad legem aeternam.

Secunda conclusionis pars de facili probatur. Deus enim movet et dirigit unumquodque secundum quod convenit suae naturae; atqui proprium est hominis rationalis ut per dictamen rationis in finem sese dirigat nihilque operetur nisi postquam ratio ei proponat quid sibi conveniat necne; ergo actio erit bona vel mala prout dictamini rectae rationis conformetur vel non; dictamen autem erit rectum si conformetur ordini objectivo rerum; sed ordo rerum fundamentum ultimum habet in essentia divina; ergo regula proxima est recta ratio, ultima lex aeterna.

Confirmatur. «Nam eo ipso quod aliquid sit juxta dictamen rationis conformatur legi aeternae et est bonum moraliter; e contra vero, quidquid est contra hoc dictamen dissonat eo ipso praedictae legi et est moraliter malum; ergo habet totum quod requiritur ut sit proxima regula moralitatis et ut per illud homo immediate dirigatur in genere moris»[2].

4. *D. Thomas* **pro nostra sententia.** *Angelicus Doctor,* cujus auctoritate et patrocinio suffulti omnes suam tueri sententiam exoptant, praenuntiatam conclusionem quoad utramque partem non uno in loco apertissime docet. Innumera pene testimonia possemus afferre; quae in nota mutuamus pro instituto nostro sufficiant[3].

---

1 Salmantic., loc. cit.

2 Salmantic., loc. cit.

3 In Quaest. Disp. *De Malo.* q. II, a. 4, haec habet:«Bonum et malum in actibus, secundum quod nunc loquimur, est accipiendum secundum id quod est proprium hominis in quantum est homo. *Hoc autem est ratio;* unde bonum et malum in actibus humanis conside-

5. **Scholion.** Non omnes Philosophi scholastici eamdem statuunt moralitatis normam. *Alii* namque cum ***Zigliara*** et ***Mancini*** [1] affirmant supremum moralitatis criterium esse *ipsam evidentiam objectivam* honestatis vel turpitudinis actionum humanarum. *Plures,* ut ***Costa-Rossetti, S. Schiffini*** et ***Cathrein*** [2], rentur proximam normam moralitatis esse ipsam *naturam rationalem, qua talem,* fundamentalem vel ultimam essentiam divinam, proindeque actus esse bonos vel malos *pro eo quantum concordant,* inquit laudatus ***S. Schiffini,*** *cum natura rationali complete spectata vel ab ea discordant.* Nonnulli cum ***Castelein*** *ipsam actus humani relationem ad finem Dei creantis. Alii* aliam statuunt regulam [3].

At, ni fallor, licet praefatae sententiae videantur a nostra aliquantulum discrepare, re tamen ab ea non differunt. Omnibus siquidem

---

ratur secundum quod actus *concordat rationi informatae lege divina* vel naturaliter, vel per doctrinam vel per infusionem».

I-II, q. LXXI, a. 2. «Considerandum est, quod natura uniuscujusque rei potissime est forma, secundum quam res species sortitur: homo autem in specie constituitur per animam rationalem; et ideo, id quod *est contra ordinem rationis proprie est contra naturam hominis, in quantum est homo; quod autem est secundum rationem est secundum naturam hominis, in quantum est homo; bonum autem hominis est secundum rationem esse, et malum hominis est praeter rationem esse,* ut Dionysius dicit (4 cap. de *Div. nom.*) unde *virtus humana, quae hominem facit bonum, et opus ipsius bonum reddit, in tantum est secundum naturam hominis in quantum convenit rationi: vitium autem in tantum est contra naturam hominis, quantum est contra ordinem rationis*». Similia habet in q. XVIII, a. 5.

Et ib. ad 1. «Bonum in quantum est secundum rationem et malum in quantum est praeter rationem diversificant speciem moris».

Ib. q. C. a. 1. «Illi mores dicuntur boni qui rationi congruunt; mali autem qui a ratione discordant».

Quid clarius? «In his quae aguntur per voluntatem *regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex aeterna:* quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis et legis aeternae tunc actus est rectus; quando autem ab hac rectitudine obliquatur tunc dicitur peccatum. Manifestum est autem ex praemissis (q. XIX, a. 3, et 4) quod *omnis actus voluntarius est malus per hoc quod recedit ab ordine rationis et legis aeternae, et omnis actus bonus concordat rationi et legi aeternae*» ib. q. XXI, a. 1.

Cfr. I-II, q. XIX, a. 4; ib. q. LXVIII, a. 2: q. LXXI. a. 6; I-II, q. XC, a. 1 ad 2. II *Sent.* Dist. XXIV, q. III, a. 3, ad 3, et alibi saepe.

1 Zigliara, *Ethica,* lib. II, c. I, a. 4; Mancini, q. III, a. 4.

2 Laymann, *Theol. Mor.,* lib. I, Tract. II, c. VII; Costa-Rossetti, *Institut. Ethicae et Juris Naturae,* c. II, sect. I; Schifini, Disput. II, *Tesis* XI; Cathrein, p. I, c. III, a. 3, § 3; Eamdem sententiam tuentur Reinstadler, *Ethic.* loc. cit. a. 2; De Bie, c. III, § 3. Cfr. *La Ciencia Tomista,* Marzo-Abril y Mayo-Junio 1911, ubi D. Gafo, O. P., propendet in hanc sententiam

3 Inter alios Liberatore hanc statuit conclusionem: (Propos. 4): Actionum humanarum moralitas immediate pendet ab ordine objectivo rerum per rationem apprehenso; mediate autem ab ordine divinae sapientiae et bonitatis seu a lege aeterna. *Ethica,* c. II a. 1. Hanc quoque facit suam Eleizalde, loc. cit. n. 49.

Meyer, loc. cit. probat seq. thes. (XVIII). «Ontologicum discrimen inter honestum et inhonestum formaliter et absolute in conformitate aut difformitate cum divina ratione con-

commune est *a)* contra moralem Positivismum, quasdam esse actiones intrinsece et natura sua bonas vel malas; *b)* esse tales quia sunt rectae rationi consentaneae vel ab ea discordant; *c)* quae rectae rationis dictamini consonant vel repugnant esse quoque conformes vel contrarias naturae rationali, quae, diversas cum habeat inclinationes, debet omnibus debitum modum imponere, hoc est, semper rationabiliter operari. Ad rem ***S. Thomas:*** *Dicendum quod ratio hominis est natura; unde quidquid est contra rationem hominis est contra naturam. Sic ergo effluere voluptatibus est contra naturam hominis, in quantum transcendit regulam rationis, vel tollendo ordinem finis, quod est simpliciter esse contra rationem, vel tollendo ordinem eorum quae sunt ad finem, quod est esse contra rationem secundum quid, vel magis esse praeter rationem*[1]*; d)* ultra rectam rationem esse aliam regulam immutabilem et necessariam, scilicet, legem aeternam; *e)* quibus si addatur in nostra sententia rationem humanam non se habere tantum per modum *principii cognoscentis, applicantis vel proponentis* quid naturae rationali conveniat necne, sed in *munere criterii seu normae objectivae,* de qua exclusive loquimur, se habere per modum *principii constitutivi* respectu bonitatis vel malitiae humanarum actionum quae per ordinem ad ipsam constituuntur in esse moris, quoniam non referuntur ad ipsam *subjective* et *individualiter* acceptam, sed *objective* et *universaliter,* quatenus dicit nempe communitatem illorum principiorum regulantium diversas inclinationes naturae humanae integre spectatae, rationali tamen inclinationi subjectas; hisce, inquam, rite perpensis, manifeste patet laudatas sententias parum ab invicem discrepare.

---

sistit.—(XIX) Proxime in ipsa ratione humana practica quatenus haec essentialem naturae rationalis directionem exhibet, objectiva moralitatis norma exstat, verum secundaria tantum et relativa».

Ferretti, a. 2. n. 82: «Formalis regula morum duplex distinguitur, proxima et suprema: proxima est ratio recta, suprema est lex aeterna».

Casanova: «Moralitas actionum humanarum in divina essentia suum ultimum fundamentum habet; proximum autem in ordine rerum a ratione proposito est collocandum». *Ethic. Gen.*, a. 2. n. 27.

Arendt, n. 32: «La distinción entre el bien y el mal está fundada en la conformidad o la oposición natural de nuestros actos con nuestro fin supremo».

Castelein, loc. cit. pag. 66: «Bonitas moralis actus est formaliter ejus cum fine Dei tanquam cum suprema ejus norma conformitas».

Willems, omnes comprehendens hanc statuit thesim: «Actus humani constituuntur intrinsecus morales *subjective* per dictamen rationis et conformationem voluntatis ad illud; *objective* per convenientiam cum natura humana tamquam norma proxima *logica*, per convenientiam cum intelligentia et natura divina tamquam norma ultima *logica;* per conformationem autem cum fine nostro ultimo tamquam principio *ontologico;* motiva autem possunt esse diversa tum a natura humana tum a fine ultimo distincta» lib. II, § 3, c. 3, sect. II.

1 *De Malo*, q. XIV, a. 2, ad 8.

6. **Balmesii sententia.** Celeber iste philosophus, in investigandis scrutandisque intimis rerum essentiis nulli secundus, quaerens moralitatis criterium conatur probare *non sat explicari moralitatem dicendo id morale esse quod rationi consentaneum est.*

«Quid enim significat, inquit, conformitas actionis cum ratione? Ut id plene explicetur, enucleare oportet quid veniat rationis nomine. Variae sunt acceptiones istius vocis..... *Si ratio sonet intellectum ipsum,* dicere conforme rationi, nihil est; nam facultas activitatem includit, ipsi conformari est proportionem cum illa habere, sive esse conditionem exercitii ipsius; haec autem nihil docent ad moralitatem explicandam. *Conforme rationi,* id est, *complexioni veritatum quas intellectus cognoscit,* vel nihil exprimit, vel circulum vitiosum includit. In hac complexione, aut continentur veritates morales, aut non; si primum circulus vitiosus erit, nam conforme rationi significabit conforme veritatibus moralibus; quo moralitatem semetipsa explicavimus; si non continentur, tunc conformitas rationi significabit conformitas rei cognitae; quae cognitio cum ad infinita objecta et infinitis modis referri queat nihil nos docebit ad veritatem moralem, nisi velimus conformitatem cum quacumque cognitione regulam moralem dare, quod absurdum est. Si ratio exprimat justitiam, vel aequitatem, vel aliquid ad mores pertinens, conforme rationi significabit conforme bonis moribus; quo in circulum vitiosum incidemus» [1].

Porro, c. XI ejusdem Operis ita paucis conficit tum systema tum probationem ejusdem. Moralitas, utpote necessaria et aeterna, in creatura fundari non potest; ergo ejus origo in Deo est. Bonitas moralis participata niti debet in bonitate per essentiam; haec est sanctitas infinita. Cum homo moralitate maxime excellit, sanctus dicitur; igitur bonitas essentialis erit etiam sanctitas essentialis. Inter Dei attributa nullum concipimus, quod ordinem moralem immediate et recte referatur, nisi Dei erga se amorem; hoc nihil melius, nihil sanctius, excogitare possumus; igitur bonitas moralis per essentiam est actus purus, infinitus, quo Deus amat suam infinitam perfectionem. Creaturae moralitas nihil esse potest nisi moralitatis divinae participatio; prima et princeps erit participatio amoris; igitur amor creaturae erga Deum primas in moralitate tenebit» [2].

Critica. In hanc nobilissimi Hispani sententiam sequentia animadvertimus. Cum dicimus actionem aliquam esse moralem quia conformatur rationi, sensus est actionem esse conformem dictamini practico intellectus judicantis illam esse consentaneam ordini objectivo quo actiones referuntur in finem debitum, qui quidem ordo objectivus ultimo fundatur in essentia divina seu in lege aeterna, cujus nempe est dirigere

1 *Ethica* c. VIII. Cfr. cap. seq.

2 Loc. cit. n. 63. Et c. seq. n. 67 inquit: «Moralitas absoluta et essentialis est sanctitas infinita, sive actus quo Deus amat suam perfectionem infinitam. n. 68 Moralitas in creaturis est amor Dei explicitus». Cfr. quoque ejusdem auctoris *Filos. Fundament.*, lib. X, c. XX.

omnia in finem, potius quam in amore, qui ex se non dicit relationem directionemque ullam. Hinc sapienter *S. Th.* concludit: «Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis et legis aeternae tunc actus est rectus, quando autem ab hac rectitudine obliquatur tunc dicitur peccatum» [1] Insuper amor est actus voluntatis; antecedenter ergo ad illum, juxta superius dicta, quaerendum est in Deo fundamentum moralitatis absolutae et intrinsecae. De ceteris, his animadversis in citatam sententiam, judicet lector.

Articulus III

De primo principio moralitatis [2].

Summa rerum. 1. *Conditiones necessariae ad rationem primi principii*—2. *Sententiae. (Hobbes, Thomasius, Grotius et Puffendorf, Kant, Fichte, Cousin, Damiron, Jouffroy, Guyau, Nietzsche).* —Refutantur. 3. *Principium a Balmes statutum critice expenditur.*—4. *Scholasticorum sententia.*—Thesis. *Primum principium moralitatis his verbis optime enuntiatur: Bonum est faciendum malumque vitandum.* Probatur.

1. Cognita vera supremaque moralitatis norma, qua intellectus noster dirigitur ad cognoscendas et discernendas actiones humanas in bonas et malas, qua ipsae quoque actiones intrinsece insigniuntur et sigillantur, determinandum est *quo principio per se noto exprimatur,* ut eumdem nunc sequamur ordinem ac in speculativis.

Ad rationem primi principii in ordine morum quatuor conditiones requiruntur: 1.ª quod sit *universalissimum,* ut possit omnibus actionibus applicari; 2.ª quod sit ita *primum* ut a nullo alio dependeat; 3.ª ita *necessarium* ut, ipso corruente, nutent omnes veritates practicae, ipso vero stante, omnes aliqua saltem ratione probentur; et 4.ª quod sit *evidens,* seu omnibus perspicuum et manifestum, secus non erit principium per se notum.

2. **Sententiae.** Sciendum est ergo magnum esse dissidium inter philosophos modernos in determinando primum principium veritatum moralium, uti ex sequentibus patet. Nam *Hobbes,* exordiens a falso illo suo principio de *statu primaevo hominis antisociali,* vult primum principium esse *conservationem sui,* cui conservationi opponitur *bellum omnium in omnes,*

---

1 Cfr. Pacetti, *Instit. Philos. Mor.*, t. 1, p. I, sect. III. Appendix.
2 I-II. q. XXI, a. 1.

naturale quidem, ut ipsemet affirmat in illo statu antisociali; unde prima et fundamentalis regula ordinis moralis his verbis, juxta ipsum, exprimitur: *Quaerenda pax ubi haberi potest; ubi non potest, quaerenda belli auxilia ad vitae membrorumque conservationem. Thomasius*, una cum *naturalistis* et *sensistis* omnibus, quorum dogma fundamentale est nihil esse praeter hanc vitam, inverecunde proclamat primum principium regulativum omnium humanarum actionum esse: *Facienda quae reddunt vitam hominis maxime diuturnam et felicissimam; vitanda vero iis opposita.* Alii, qui ex socialitate hominis omnia jura et officia exoriri faciunt, opinantur cum *Grotio* et *Puffendorf* primum praeceptum legis naturae esse: *Homini, quantum in ipso est, colendam esse et servandam societatem. Fichte* duplex statuit principium; unum *morale*, quod respicit hominem in se seu in singulari, alterum *sociale*, prout regulat actiones hominis in societate viventis. Primum est *omnimoda independentia*, qua homo nullis devincitur legibus, nullo vinculo morali adstringitur. Alterum sic exprimitur: *Diliges te super omnia et alios homines propter te. Kant* vero docet primum principium moralitatis determinandum esse *a priori* independenter a quocumque elemento empirico atque in hoc consistere quod *actio ponatur unice propter legem rationis*. quamobrem praefatum principium hisce verbis continetur: *Sic age, ut lex, quam voluntati tuae praestituis, valere simul possit pro generali norma operandi.* Sed haec Kantiana doctrina supponit hominem libere posse praestituere suis actionibus regulam moralitatis, quod est falsum: nam fine constituto, independenter a voluntate sunt quaedam actiones fini consentaneae ideoque bonae, quaedam vero ab eo deviant et idcirco pravae appellantur, nec voluntas potest contrarium statuere; sicut enim intellectus non est regula et mensura rerum, sed veritas speculativa mensuratur a rebus, ita voluntas non potest pro libito determinare normam qua actiones sint morales, sed ipsa immutabili et necessariae morum legi subjicitur.

Sententiae *Hobbesii, Thomasii* et *Fichtii* suapte natura corruunt; namque in solo et puro *Egoismo* fundantur, et actiones, quae semper et ab omnibus tanquam meritoriae et praemio dignae habitae sunt, v. gr. *sanguinem pro patria, honore, virtute, libenter fundere, inimicos diligere, auxilio indigentibus, licet ingratis, subvenire* etc., ut punibiles et juri naturae contrarias vertunt; quippe e diametro opponuntur regulae fundamentali morum ab ipsis statutae.

Item opinio *Grotii* et *Puffendorfii* in multis peccat; quoniam antecedenter et independenter ab omni societate plura adsunt jura et officia pro homine in particulari, quae dimanare nequeunt a societate, ut sunt officia erga Deum et seipsum; societas ipsa nonnulla habet officia naturalia quae alia regula quam principio socialitatis dirigi debent; ergo subaudit aliud principium. Denique principium socialitatis non est universale, quia actus interni hominis, qui etiam morales sunt, non cadunt sub directione societatis ad quam solum refertur homo directe per actus externos.

Alia quoque ab aliis philosophis assignantur principia, quae, aut nihil

dicunt, aut sunt incompleta, proindeque nec universalia nec prima[1]. Sic in specie, *Cousin* pro principio supremo habet: *Ens liberum manet liberum. Damiron: Plena omnium facultatum hominis explicatio suae naturae conveniens est suprema regula morum.* Sed, quae relatio horum principiorum ad moralitatem? hac etiam relatione supposita, quomodo cetera moralitatis principia per haec probarentur? *Theodorus Jouffroy hoc alterum statuit: Actus tuus, ut bonus sit, tuo fini sit conformis;* sed obliviscitur assignare finem ex quo mutuanda esset conformitas vel difformitas actus humani. *Alii: Illud anteponatur a voluntate quod intellectus commonstrat in se plus entitatis aut perfectionis habere.* Falso tamen, quippe non est necesse quod voluntas prosequatur semper quod intellectus proponit ut melius; pessumdatur insuper distinctio inter praeceptum et consilium. *Guyau* hanc regulam praefert: facienda semper quae *vitae intensitatem* et *expansionem* promoveant. *Nietzsche* vero: faciendum *quidquid vim, sanitatem, voluptatemque augeat et super-hominem producat,* vitandum *his oppositum*[2]. Sed haec non moralitatis principia, sed lubricae sunt immoralitatis causae.

3. A ***Balmes*** ita formulatur principium supremum: *Actus tuus, ut bonus sit, procedat ab amore Dei explicito vel saltem implicito,* quia moralitas hominis debet participare moralitatem Dei; sed haec, prosequitur auctor, nihil aliud est quam actus quo Deus se diligit, seu sanctitas divina; ergo. Sed 1) *negatur paritas;* nam in Deo non sunt possibiles

---

1 Christiano Wolf, el padre del más árido racionalismo, cree que el amor de Dios, primer precepto de la ley, está ya incluído en esta formula: «Haz lo que te ha de perfeccionar á ti mismo, lo que ha de perfeccionar tu estado y el de los demás: apártate de todo lo que no conduzca á este fin».

Canz propone este otro: «Obra según tu conciencia y tu provecho propio: obra según la conaveniencia y el provecho de los que obran moralmente».

Buddeus: «Haz todo lo que naturalmente puede mantener tu estado corporal».

Moisés Mendelsshon: «En la proporción que puedas mejora tu condición interior y exterior, lo mismo que la condición de tu prójimo».

Lessing: «Obra conforme á tus perfecciones individuales».

Schleiermacher: «En todas las circunstancias haz siempre aquello á que te sientes con verdadera inclinación..... aquello á que te lleven las circunstancias exteriores».

Hegel: «Sé persona y respeta á los demás como persona».

Krug: «Soy activo y en toda mi actividad busco la armonía absoluta».

Bouterwek: «Obra y vive en armonía contigo mismo sabiendo que eres de la dignidad de la naturaleza humana». Apud Weiss *Apolog. del Crist.* Confer. IX.

Más se acercaron á la verdad los antiguos filósofos que los modernos. La fórmula de Pitágoras y Platón fué esta: *Imita á Dios,* sequere Deum. Es perfectamente verdad, dice Plutarco, y lo has oído repetir muchas veces, que «es lo mismo seguir la naturaleza é imitar á Dios» (De recta audiendi ratione. I). Alia principia tum veterum tum recentiorum vide apud. Weiss loc. cit. Véase también *El precepto del amor,* c. XXXVI, por el P. Silverio de Sta. Teresa.

2 Schopenhauer, no admite regla alguna moral, porque no hay, dice, leyes ni deberes que puedan imponerse á una voluntad libre. *El mundo como voluntad y representación,* lib. IV.

alii actus praeter amorem sui; sed in homine dantur plures alii actus v. gr. fidei, spei, adorationis; 2) norma assignata *non est prima neque suprema*, necessarium quippe est demonstrare hominem adstrictum esse ad diligendum Deum sive explicite sive implicite in omni opere; 3) amor est attributum bonitatis ipsamque modo nostro concipiendi in Deo supponit; ergo subaudit quoque aliam rationem proindeque non est ultimum *quia* honestatis actionis humanae, imo nec ultimum *quia* in divinis; nam Deus est ipsamet sanctitas *quia* est summa bonitas; et *quia* est summa bonitas necessario diligit se; est autem summa bonitas quia est plenitudo essendi; est denique plenitudo essendi *quia est*[1].

4. His ergo missis, *quidam* ita supremum exprimunt principium: *Sic age ut actus tuus sit secundum rectam rationem; alii: Rectum naturae rationalis ordinem, tanquam divinitus sanctum, serva,* nam ratio dictat ordinem esse servandum; melius tamen cum eodem ***Aquinatensi*** et fere omnibus ***Scholasticis*** primum moralitatis principium supremaque norma his verbis enuntiatur:

Thesis. Bonum est faciendum malumque vitandum.

Prob.

Illud siquidem est primum principium in moralibus in quo inveniuntur conditiones necessariae ad rationem primi principii; atqui hujusmodi conditiones inveniuntur in praedicto effato; ergo hoc est primum principium veritatum moralium. Prob. minor. Nam 1.ª conditio est quod ita sit *primum et independens* ut ad nullum aliud reducatur; atqui hoc effatum fundatur in ipsa notione boni ultra quod nihil est aut concipi potest nisi ens, quod, ut tale, nihil confert ad rationem moralitatis; primum vero ita est *necessarium* (2.ª condit.) et in omnibus imbibitur, ut ipso sublato, cetera corruant, ita *universale* (3.ª) ut in omnibus reperiatur, quoniam bonitas est ratio omnium appetitionum voluntatis nullumque potest enuntiari principium morale quin implicite aut explicite loquatur de bono vel malo; et denique (4.ª) ita clarum et manifestum ut a nemine in dubium vocari possit; ergo hoc effatum: *Bonum est faciendum malumque vitandum* habet omnes conditiones requisitas ad rationem primi principii.

Apposite ***S. Thomas:*** *Sicut ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicae*

1 Huic principio affine est illud Joannis Laurentii Berti, ad mentem S. August. propositum: *Ama Deum ut finem et cetera propter ipsum. De Theolog. disciplinis*, lib. XX *de juris et aequi regulis*, id est, *de legibus*.

rationis quae ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est quod fundatur supra rationem boni, quae est bonum quod omnia appetunt. Hoc est ergo primum principium legis quod bonum est faciendum et prosequendum et malum vitandum, et super hoc fundantur omnia alia praecepta legis naturae[1].

Hoc est etiam principium quo Regius Psaltes circulum activitatis humanae conclusit, quoque regitur totus ordo moralis: *Diverte a malo et fac bonum*[2].

Articulus IV

De facultate cognoscitiva moralitatis seu De criterio subjectivo

Summa rerum. — 1. *Quaestio—Duplex criterium. — Auctoris votum.* 2. *Philosophorum placita.* 3. *Sensistarum sententia—singularis positio* Robinet.—*Phrenologismus.—Schola criminalista.* 4. *Rejicitur theoria sensistica.* 5. *Schola scotica.*—Hutcheson, Adam Smith, *etc.* 6. *Critica.* 7. *Sentimentalismus*—Jacobi *discipuli—Theoria* Joan. Frid. Herbart.—*Modernismus.* 8. *Exploditur recitata sententia.* 9. Thesis. *Facultas qua actionum moralitas dignoscitur est solus intellectus.* Prob. 10. *Scholion.*

1. Distinximus alibi criterium in objectivum et subjectivum. *Objectivum* est nota seu character quo actiones morales ab immoralibus discriminantur, et de quo, post dicta in superioribus articulis, nihil novum occurrit addendum. *Subjectivum*, quod et *manifestativum* dicitur, est *facultas illa per quam judicamus de bonitate et malitia actuum humanorum.* Vellem autem ut, ad vitandas aequivocationes, nomine criterii semper objectivum intelligeretur; sed usus invaluit, non sine magna rerum confusione, vocem *criterium* ad regulam tum subjectivam tum objectivam designandam in scholis assumi. Quaerimus autem in praesenti quaenam sit illa facultas.

2. **Philosophorum placita.** Hac in re plures sunt opiniones; praecipuae tamen, ad quas de facili reducuntur ceterae, sunt scholae *sensisticae, Scholae scoticae* et *Sentimentalistae.* Pauca de singulis.

3. **I.ª sententia.** *Helvetius, Lamettrie, D'Holbach, Gioja* omnisque

1 I-II, q. XCIV, a. 2.
2 Psalm. XXXIII, 15.

materialistarum et positivistarum turba, post *Locke* et *Condillac*, nullam agnoscunt moralitatis normam sive objectivam sive subjectivam, praeter sensum sensuumque affectiones organicas. Horum omnium dogma, cum nonnisi materiam degustent et cura nulla sit nisi de bonis hujus vitae, est voluptatem esse supremum hominis bonum, dolorem autem unicum malum; quapropter princeps norma, juxta ipsos, est inclinationibus naturae nullatenus contraire; aliis verbis: fugere dolorem, expetere voluptatem [1].

In sensistarum quoque castris stipendia meruit *Robinet* (1735-1820) qui sextum invenit sensum, similem reliquis quinque sensibus corporis, dependentem ab organo corporali, quem *sensum moralem* vocavit, cujus officium est sentire justum et injustum, seu judicare de moralitate actuum, eo simili modo quo per olfactum et gustum judicamus de odoribus et saporibus. Hinc, quae sensui illi placent, honesta, quae displicent immoralia, dicuntur.

Ad sensismum item reducitur *Phrenologismus* et *Craneoscopia* seu *Craniologia*, auctoribus *Gall* (1758-1828) et *Spurzheim* (1766-1833) juxta quos, insunt homini praepotentes et irresistibiles atque fatales quaedam inclinationes ad laudabiles operationes necessario efficiendas, vel ad crimina atrocissima perpetranda. Hae inclinationes procedentes a facultatibus moralibus *organa* dictis, eo quod vel ab organismo non differunt, vel ab eo dependent, cognosci valent, quemadmodum et ipsae facultates, ex protuberationibus cranei, ex configurationibus faciei, vel ex ipsa anguli facialis extensione. Causam phrenologismi tuiti sunt et vulgarunt *Cubi, Dumoutier* et *M. Isabeau*. Idem docet recentior *Schola Criminalista* cum Lombroso.

4. **Rejicitur sensismus.** Satis superque refutata manet theoria sensistica in tota pene philosophia speculativa et, quoad moralem attinet, in I hujus partis Disputatione; sed his addimus *a)* sensismum destruere moralitatem in suo principio, quoniam ad moralitem requiritur necessario quod actio procedat a libertate, quam denegat sensismus; *b)* si juxta sensismi placitum, voluptates et dolores constituunt supremam moralitatis normam, iis contraire esset inhonestum, contra quod universum tenet genus humanum; *c)* implicat sensus moralis; est enim moralitas a voluntate sequente ductum rationis, idcirco repugnat a sensu procedere sensumque posse judicare de honestate vel turpitudine actionum humanarum; *d)* regula moralitatis debet esse uniformis, fixa et invariabilis; sed sensus vel in uno eodemque homine varias subit mutationes pro circumstantiarum diversitate; ergo sensus nequit esse criterium manifestativum et a fortiori constitutivum moralitatis.

---

1 «En realité, la *nature* est tout: la loi suprême consiste a ne contrarier aucun de ses penchants; le plaisir est le vrai bien; la dôleur est le seul mal a redouter» D'Holbach apud P. M. Brin, *Historie de la Philos. General.*, p. III, chap. II; Cfr. A. Noget-Lacoudre *Ethic.* p. IV, *historica* et *critica*.

5. **Schola Scotica.** *Thomas Reid* (1710-1796) hujus scholae facile princeps et in universitate Glasgowiensi profesor, quemadmodum in speculativis, ut Humii Scepticismum funditus convelleret, supremum certitudinis criterium reposuit in *instinctu caeco,* per quem homo, nulla ductus ratione, imo ante omnem intellectus apprehensionem, certo cognoscit quasdam veritates fundamentales, uti prima principia scientiarum, et mordicus adhaeret *primigeniis quibusdam judiciis,* ita in practicis induxit *sensum moralem* ab intellectu distinctum, sensibus tamen longe praestantiorem, quo bonum a malo discernimus et per conformitatem ad quem vel disconformitatem actiones sunt bonae vel malae. Species nostra, inquit *Reid,* facultatem possidet innatam, cujus virtute, dum ad annos discretionis ac reflexionis pervenimus, non solum notionem boni et mali in genere acquirimus sed insuper recognoscimus quosdam actus esse bonos et quosdam malos»[1]. Reidium praeiverat *Hutcheson* (1694-1747) ejusque discipulus *Adam Smith* (1723-1790) assignantes pro suprema moralitatis norma *benevolentiam* seu *sympathiam*[2], quam experimur erga aliorum actiones vel actionum auctores. Hinc, quae *sympathiam* in nobis excitant, bona, quae *antipathiam* generant, mala dicimus. Horum studium prosecuti sunt *Oswald, Ferguson, Beattie, Joan. Bruce, Dugald-Stewart, Mackintosh, Tomas Brown* et *W. Hamilton* († 1856).

6. **Critica.** Haec theoria 1) peccat in suo principio, procedit namque ex supposita existentia illius *sensus moralis* qui nec potentiis sensitivis nec intellectivo-cognoscitivis adnumeratur; sed non probatur nec possibile est probare existentiam alicujus facultatis intermediae, quae scilicet sit cognoscitiva, id enim requiritur ad rationem criterii manifestativi, et tamen nullum locum occupet vel inter sensitivas aut intellectivas; 2) falso nititur fundamento, theoria scilicet de *instinctu caeco,* quo, juxta placitum *Scholae Scoticae,* adhaeremus primis scientiarum principiis; 3) nullatenus explicat notiones boni et mali, quae nonnisi per intellectum manifestae fiunt, et ideo ipsam Ethicam funditus evertit; 4) denique inducit regulam variam et mutabilem: nihil enim est adeo fluxum et varium sicut affectiones *sympathiae* et *antipathiae* quae in omnibus maxime pendent ex variabili conditione subjecti; nutaret ergo moralitas actionum, et quae nunc tanquam licitae approbantur, postmodum, mutatis circumstantiis, ut injustae damnarentur. Verbo, *Schola Scotica* e medio tollit intrinsecum discrimen inter

---

1 «Selon moi, notre espèce possède une faculté originelle en vertu de laquelle, non seulement nous acquerons la notion du bien et du mal en général, mais encore nous connaissons que certains actes son bons et certains autres mauvais». *Ess. sur les facult. act.* III, p. III, c. II.

2 Theoriam sympathiae refutatam invenies apud J. Oudot, *Conscience et science du devoir,* lib. V, chap. II.

bonum et malum; posita namque sympathia aut benevolentia ut norma suprema moralitatis, nihil est *in se* bonum nihilque malum [1].

7. **Sentimentalismus.** *Fridericus Jacobi,* natus *Dusseldorf* an. 1743 et mortuus 1819, supremam moralitatis normam objectivam et criterium veritatis et moralitatis manifestativum reposuit in quadam animi affectione qua ducimur ad prosequenda bona et refugienda mala. Is enim parum fidens rationi, supernaturali fide rejecta, ne in scepticismi pelago naufragium faceret, certitudinis fulcrum et *totius philosophiae et religionis* basim se invenisse ratus est in *sensu* (sentiment) *invincibili et irrecusabili,* ut ipse loquitur. Praefatus sensus est quaedam velut *conscientia naturalis* quae clarius certiusque omni scientifica ratiocinatione veritatem manifestat [2]; imo, ipso *Jacobi* fatente, realitas rerum nonnisi a sensu illo intimo seu ab illa affectione subjectiva concipi valet; est ergo unica norma, criterium et judex veritatis et moralitatis. Haec affectio, qua, praecisa omni cognitione intellectiva, fallibili et versatili juxta *Jacobi,* invincibiliter et indubitanter tenemus prima scientiarum principia tum speculativa tum practica, vocatur etiam *instinctus rationalis.* Inter *Jacobi* discipulos citari merentur *Frid. Koeppen, Jac. Salat, Teod. Schmid, Calker, Ancillon, Weiss, Weiller, Clodius, Neeb* aliique. Novissime vero *P. Aug. Gatry,* oratorianus, suo nomine suisque elucubrationibus hanc theoriam nobiliorem reddidit. Huic etiam favet doctrinae *Balmesius* noster pluribus in locis, praecipue ubi agit de inveniendis fundamentis veritatis et moralitatis [3].

Ad Sentimentalismum quoque reducitur sententia *Joan. Frid. Herbart* (1776-1841) statuentis *gustum moralem* ut normam moralitatis, et quidem logice. Cum enim Ethicam tanquam partem Aestheticae inseruisset, planum erat actionum honestatem vel turpitudinem per *gustum* regulari, idcirco legitime conclusit judicia quaedam primitiva approbantia vel reprobantia quasdam relationes voluntatis, quae judicia ad gustum moralem spectant, esse normam supremam moralitatis. Nec dissentit *Modernismus* sensui cuidam intimo religioso unice adscribens certam Dei ac veritatum moralium ad religionem spectantium cognitionem.

8. **Exploditur.** Praeter incommoda quibus laborat *Schola Scotica,* multis aliis Sentimentalismus implexatur. Nam 1) *labitur in Scepticismum,* quem vitare vult, ipsumque communit; quia cognoscere veritatem certosque nos reddere de veritatis possessione solius est rationis. Hac igitur negata, vel in dubium posita ejusdem ad acquirendam

1 Cfr. P. M. Brin loc. cit. c. II, § II.

2 «La science, au lieu de dissiper notre ignorance et nous doutes, souvent y ajoute une confusion nouvelle» Jacob. apud eumd. auct. p. I, c. I. *Le Criticisme.*

3 Cfr. inter alia *El Criterio.* c. XV; *Filos. Fund.,* t. I, lib. I; tomo III, lib. X, c. XVIII, XIX, XX; *Element. Log.,* lib. III. *Etica,* c. VIII-XII. Cfr. quoque González, *Historia de la Filos.* tom. III, pag. 495, donde nota la tendencia de la doctrina de Balmes al fideísmo de Jacobi.

certitudinem sufficientia, negatur possibilitas consequendi veritatem et scepticismi causa tuetur; 2) *falsum assumit principium,* scilicet rationem humanam imparem esse ad veritatem cum certitudine tenendam; ipsa namque in suis judiciis ferendis per se falli non potest; ergo non est necessarium ad caecum instinctum vel ad affectionem subjectivam recurrere ut scientiae aedificium solido et incommovibili nitatur fundamento. Equidem saepissime, nulla fere adhibita consideratione, vel ipsi rudes, quaedam judicia cum circa veritatis speculativas tum circa mores celerrime proferunt; at id, non affectione, sensu religioso, aut gustu morali, sed lumine naturalis rationis efficitur; imo, etiamsi praedicta judicia ab instinctu procederent, ea, quemadmodum et prima principia scientiarum, debent esse nota rationi et per rationem explicari, rimari et defendi, ut tuta reddantur adversus scepticorum tela. *Deinde,* haec affectiva animi propensio, inquit rectissime Card. ***Zigliara,*** se haberet in actionibus humanis ut principium movens et regulans, seu ut formale earumdem actionum. Ergo inhonestum esset ipsi contraire, eo modo quo diximus inhonestum esse rectae rationi adversari. Hoc autem est maxime absurdum et inhonestum, ut jam supra dictum est; in innumeris enim circumstantiis homo, non solum sine vituperio, sed cum maxima laude individuales affectiones posthabet, ut quae praecipiuntur a recta ratione fortiter adimpleat. Naturalis est amor matris in natos, et tamen maximis laudibus extollitur ***Machabaea*** illa *mater mirabilis,* cujus ratio, non *cor,* Deum considerans, septimum filium adhuc superstitem his verbis ad martyrium vehementer excitabat: «*Fili mi, miserere mei, quae te in utero novem mensibus portavi et lac triennio dedi et alui, et in aetatem istam perduxi. Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia quae in eis sunt: et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus: ita fiet ut non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam*»[1]. Non ergo ex *affectione,* vel ex *sympathia,* vel ex *instinctu,* vel ex *gustu* sensus, ratio judicat de actionis humanae honestate, sed per alia principia per quae judicat etiam de rectitudine affectionis, instinctus et gustus[2]. Sit ergo

9. **Thesis. Criterium subjectivum seu facultas, qua actionum moralitas a nobis dignoscitur, est solus intellectus**[3].

Probatur. Notiones moralitatis quae, uti supra diximus, con-

1 II *Machab.* VII, 27-29.
2 *Ethic.,* lib. II, c. I, a. 3.
3 Cfr. Rosset, *Moralis* p. II, c. I.

sistit in relatione conformitatis vel difformitatis ad objectum subditum legi aeternae rectaeque rationi, sunt notiones abstractae, immateriales et insensibiles, sic v. gr. idea justi, injusti, gratitudinis, juris, officii, auctoritatis, religionis, sexcentaque alia; atqui hae notiones universales et insensibiles solum apprehendi queunt ab intellectu; ergo solus intellectus judicat de moralitate actuum humanorum. ***Minor nullam ingerit difficultatem.*** Probatur quippe in Dynamilogia non dari nisi duplicem facultatem cognoscitivam, sensitivam nempe et rationalem, sensum et intellectum; sed sensus non potest judicium ferre de notionibus immaterialibus et abstractis, nihil enim agere potest extra sphaeram suae activitatis, vel ut dicit *D. Th., impossibile est actionem corporeae virtutis ad hoc elevari quod virtutem penitus spiritualem et incorpoream causare possit* [1]; consequitur ergo solum intellectum esse criterium manifestativum moralitatis.

Confirmatur. Judicium moralitatis consistit in cognitione relationis actuum humanorum ad naturam rationalem, nam, ut saepe animadvertit *Angelicus*, «in actibus bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem» [2]. Atqui talis cognitio implicat reflexionem, quae solius rationis est; ergo sola ratio est criterium subjectivum quo actionum moralitas a nobis dignoscitur. Id ipsum demonstratur ex objecto voluntatis [3].

Item. Eadem est facultas cognoscitiva ordinis moralis et speculativi; ut enim supra notatum relinquimus, veritas speculativa et practica extensione tantum differunt; sed facultas cognoscitiva veritatum speculabilium est solus intellectus; sapienter ergo «Psalmista cum dixisset: *Sacrificate sacrificium justitiae,* quasi quibusdam quaerentibus quae sunt justitiae opera, subjungit: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Cui quaestioni respondens dicit: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,* scilicet lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum et quid sit malum» [4].

Actus autem intellectus judicantis de moralitate actionum in singulari operabili vocatur *conscientia,* de qua fuse in Disp. V.

10. **Scholion.** Quae in praecedentibus explicata dedimus non levem aut unicam hisce temporibus applicationem sortiuntur, cum actionum moralitas, illarum praesertim quae publicae dicuntur, mensuretur, ut plurimum, ex publica opinione voce sive scripto expresa, ex principum legislatorumque mandatis, ex voluptate et dolore, ex utilitate sociali aut privata, ex eventibus et sequelis, vel denique ex naturali sympathia, affectu vel gustu, ut ajunt, saeculi.

---

1 *De pot.* q. III, a. 9.
2 I-II, q. XVIII, a. 5.
3 Cfr. D. Th., I-II, q. XIX, a. 3.
4 D. Th., I-II, q. XCI, a. 2.

QUAESTIO III

DE

FONTIBUS MORALITATIS.

Praesens quaestio intime cum praecedenti connectitur. Ne igitur bis eadem repetamus, summatim exponenda sunt quae ab auctoribus fusius tradi solent impraesentiarum.

Articulus I

De objecto, primo moralitatis fonte[1].

Summa rerum. 1. *Quid et quot sunt fontes moralitatis.* 2. Thesis. *Actio humana desumit primam et essentialem moralitatem ex objecto bono vel malo.—Tria notanda ante demonstrationem.* 3. Prob. thesis. 4. *Observanda.—Conciliantur sententiae.* 5. *Quorumdam auctorum opinio.* 6. *Critica.* 7. *Corollaria* (prima et fundamentalis bonitas invariabilis — objectum intrinsece bonum vel malum contingit dupliciter—moralitas essentialis—accidentalis—diversae harum denominationes).

1. A definitione exordientes dicimus *fontes* moralitatis nuncupari *principia illa ex quibus actus humani habent quod sint boni vel mali,* mutuantes scilicet vel derivantes ab illis suam moralitatem: vel describi possunt cum toties laudato ***Raphaele a S. Joseph:*** *ea quae in actu humano possunt rationem habere consonantiae vel dissonantiae ad regulam morum, ita ut inde actus humanus, in individuo sumptus, sit bonus vel malus*[2]*;* vel ut aliis placet: *elementa concurrentia ad moralitatem actus.* Haec autem

---

1 Cfr., praeter *Theologos Moralistas*, D. Thomas, 1-II, q. XVIII, a. 2; q. XIX, a. 1 et 2; II *Sent. Dist.* XXXVI, a. 5; Salmantic., *Tract.* XI, *De bon. et malitia hum. act.*, Disp. III, Dub. I-II; Suarez, *Tract.* III, *De bon. et mal. act. hum.*, Disp. IV, sect. I-IV; Joan. a S. Th., Disp. VIII, a. 2; Valentia, *Comment. Theolog.*, t. 2, q. XIV, *Punct.* I; Paulus a Concept., t. 2, *Tract.* V, Disp. I, Dub. II; Andreas a Cruce, n. I-II D. Th., Disp. 102; Gonet, Disput. III, a. 1; Joan. Viguerius Granatensis, *Institutiones ad Naturalem et Christianam Philosophiam* etc. O. P. (Parisiis 1582) *De voluntate humana*, c. III, § 7, ver. 2; ex recentioribus, Roselli, *Ethica*, q. III, a. 6; Bouquillon, lib. IV, sect. II, c. I, a. 1; Tanquerey, c. II, a. 1; § 1; Christ. Pesch, *Tract.* II. De fine ultimo sect. III, a. 2, § 1; F. Amat, *Institut. Philos.*, lib. II, q. II; J. Costa Rossetti, *Instit.* p. I. c. I, sect. II; Marinus de Boylesve, S. J., *Cursus Philosophiae, Ethica*, § 32 et sqq.; Ferretti, c. III, a. 5; De Bie, *Philos. Mor. Ethica Gen.*, c. III, a. 1, § 1.

2 *De actib. hum.* c. III, q. III, n. 154.

sunt duo, videlicet *objectum* et *circumstantia*. Nihilominus, cum finis sit potissima circumstantiarum plurimumque conferat ad bonitatem vel malitiam actus, tres communiter recensentur fontes seu principia moralitatis, nempe *objectum, circumstantiae* et *finis*. Pauca de singulis.

2. Thesis. Actio humana primam et essentialem moralitatem sumit ex objecto bono vel malo.

Ante demonstrationem praenota: 1) objectum impraesentiarum non accipi in suo *esse physico* seu in genere *entis*, sed in esse moris; primo enim modo *materialiter* se habet ad actum, quo sensu nequit eidem speciem moralitatis dare; altero autem modo consideratur *formaliter* prout nempe subest regulae morum et ita moralem specificationem confert actui humano, eo simili modo quo ex objecto *formaliter* considerato diversa species scientiarum exurgit. Non ergo debet objectum spectari *in se* sed comparate ad actum, cujus dicitur objectum; sic Deus bonus est in se, verum prout terminat actum odii habet rationem mali [1]. Licet res exteriores, inquit *D. Th.*, sint in seipsis bonae, tamen non semper habent debitam proportionem ad hanc vel illam actionem, et ideo in quantum considerantur ut objecta talium actionum non habent rationem boni [2]. 2) Objectum moraliter acceptum hic non sumi in sua latiori significatione, pro eo scilicet omni quod objicitur voluntati seu quod potest habere rationem termini seu finis actus; sic enim et finis et circumstantiae forent ipsius objectum; sed strictius spectari, *pro eo nempe quod proxime terminat et specificat essentialiter actum, seu quod immediate, directe et per se, attingitur a voluntate.* Ideoque 3) objectum in praesenti recte definiri posse: *id quod in esse moris primario et per se attingitur a voluntate prout est conforme ad regulam aut ab ea difforme* [3].

3. Quibus praemissis, **probatur thesis** verbis ipsis *S. Thomae:* «Bonum et malum actionis, sicut et ceterarum rerum, attenditur ex plenitudine essendi vel defectu ipsius. Primum autem, quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur, est id quod dat rei speciem. Sicut autem res naturalis habet speciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex objecto, sicut et motus ex termino. Et ideo sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma quae dat speciem ei, ita et prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti; unde et a quibusdam vocatur «bonum ex genere», puta, uti re sua. Et sicut in rebus naturalibus primum malum est si res generata non consequitur formam specificam, puta si non generetur homo, sed

1 Cfr. I-II, q. XIX, a. 2 ad 3.
2 Ib. q. XVIII, a. 2, ad 1.
3 P. Raphael, loc. cit. a. II, § 1, n. 175.

aliquid loco hominis, ita primum malum in actionibus moralibus est quod est ex objecto, sicut accipere aliena, et dicitur «malum ex genere», genere pro specie accepto, eo modo loquendi quo dicimus humanum genus totam humanam speciem» [1].

Paucis contrahitur argumentum *S. Thomae.* Ab eo actus humanus habet primam et essentialem bonitatem a quo habet speciem; atqui actus humanus habet speciem ab objecto bono vel malo: nam quod ordinatur essentialiter ad aliud per ordinem ad illud specificatur, ut fert vulgatum axioma; ergo prima et essentialis bonitas vel malitia actus sumitur ex objecto bono vel malo.

Ad haec. Actio moralis est quidam motus a potentia ad objectum morale; atqui motus specificatur a termino; ergo actio moralis haurit suam speciem ab objecto; quod autem dat speciem simpliciter alicui est ei primum et essentiale, cum sit velut formale ipsius; sed hujusmodi se habet objectum bonum vel malum respectu actionis humanae; nam, ajente ***Angelico Praeceptore,*** *objectum non est materia ex qua, sed materia circa quam, et habet quodammodo rationem formae in quantum dat speciem* [2]. Ergo stat nostra conclusio [3].

4. **Observanda.** In praecedentem conclusionem duo animadvertas velim: 1) quod nonnulli auctores cum *Tournely* et *Contenson* opinantur, contradicentibus aliis, actum humanum desumere suam moralitatem, non ex ipso objecto, sed ex modo tendendi ad objectum rationi consono aut dissono. Sed meo quidem judicio, diversitas opinandi, suppositis his quae in antecessum praenotavimus, prorsus evanescit. Nam objectum ita appellatur quia terminat proxime et immediate actum voluntatis; consequenter actus humanus dicitur moralis prout refertur ad objectum, non in se consideratum, sed quatenus subest rationi ipsum in genere moris repraesentanti et proponenti volitioni voluntatis. Et hoc bene nota, quoniam verum est in utraque sententia actum esse bonum si objectum, alias in se malum, per errorem invincibilem proponatur ut bonum voluntati; et e contra actum esse malum si quando objectum, in se bonum, voluntati proponatur ut malum. Et ratio est quia objectum non specificat actum prout est in se, sed in genere moris; est autem tale per comparationem ad rationem, ut supra diximus. Hujusmodi vero comparatio, sicut et actus specificatio, implicat relationem seu tendentiam actus ad objectum subditum rationi rectae et

---

1 Q. XVIII, a. 2.

2 Q. XVIII, a. 2, ad 2.

3 Praefatum argumentum sequentibus verbis exponitur ab Angelico. «Ex hoc quod objectum est aliquo modo effectus potentiae activae sequitur quod sit terminus actionis ejus, et per consequens quod det ei formam et speciem; motus enim habet speciem a terminis. Et quamvis etiam bonitas actionis non causetur ex bonitate effectus, tamen ex hoc dicitur actio bona quod bonum effectum inducere potest: et ita ipsa proportio actionis ad effectum est ratio bonitatis ipsius». Ib. ad. 3.

legi aeternae. Sententiae igitur, ni fallor, coincidunt; 2) nos consulto dixisse in propositione actum sumere primam et essentialem bonitatem *ex objecto bono vel malo,* quia contingere potest quod objectum sit ex se indifferens, ut pluries de facto contingit, quo in casu nequit communicare actui humano bonitatem vel malitiam qua caret. Tunc autem prima bonitas vel malitia desumitur ex circumstantia principaliter intenta, quae transit proinde in objectum et est veluti *formale* ipsius actus.

5. **Quorumdam auctorum opinio.** Extra *Scholam Thomisticam* non raro docent plures philosophi et Theologi *actum humanum specificari a fine; a fine repetendam esse primariam et fundamentalem moralitatem; bonitatem et malitiam proxime et formaliter desumendam esse a lege,* aliaque similia, quibus aperte inficiatur nostra conclusio.

6. Ad haec breviter respondemus: Si loquamur de fine *operis* qui cum objecto coincidit, nulli dubium quin actio desumat primam, essentialem et fundamentalem moralitatem a fine quem primo et per se respicit; si autem sermo sit de fine *operantis* negandum est ab eo mutuandam esse primam et essentialem bonitatem vel malitiam actus; quoniam voluntas nonnisi mediate et secundario attingit illum; ergo, juxta dicta in praenotamine ad conclusionem, nequit ab illo specificari primo et per se.

Pariter: actus moralis habet quidem bonitatem aut malitiam a lege, sed mediate dumtaxat et tanquam a regula, non autem immediate et tanquam a forma specificante. Cum enim actus, inquit laudatus auctor *O. N.*, sit motus et via ad objectum, illud primo et immediate respicit ut terminum, consequenter ut formam specificantem; objectum autem non specificat nisi ut subest legi praecipienti vel prohibenti [1]. Cfr. quae circa hanc materiam tradidimus supra q. I.

7. **Corollarium primum.** Ex dictis liquido infertur moralitatem quae desumitur ex objecto, utpote primam et fundamentalem, substerni omnibus aliis speciebus moralitatis, iisque mutatis, ipsam invariabilem perseverare, induit enim immutabilitatem objecti. Porro, ut alibi innuimus, objectum potest esse intrinsece bonum vel malum dupliciter, *absolute* scilicet et *hypothetice;* absolute quando congruit vel repugnat ordini metaphysico rerum, ex ipsis nempe rerum essentiis promananti, et tunc nullo in casu nec ab aliqua potentia potest denudari sua moralitate, v. gr. *odium Dei, blasphemia* et similia; defectus enim rectitudinis moralis adeo intrinsecus est his actibus ut nec concipi valeant absque illo defectu. Hypothetice vero objectum est intrinsece bonum vel malum quando pendet ab aliqua suppositione vel circumstantia, qua variata, potest verti de malo in bonum et vicissim: ita a Deo fieri potest ut ablatio rei alienae, v. gr. expoliatio Aegyptiorum, sit licita, cum ipse sit omnium dominus.

1 loc. cit. Salmantic., Disp. III, Dub. I.

Corollarium alterum. Jure moralitas quae mensuratur ex objecto vocatur moralitas *prima, ex genere,* sumendo genus pro specie, *ex objecto, ex natura sua, materialis, objectiva, specifica et essentialis;* quae autem desumitur ex fine vel ex circumstantiis dicitur *secundaria* et *accidentalis* [1].

Articulus II

De circumstantiis [2].

Summa rerum. 1. *Circumstantiae notio quoad nomen et rem ipsam.* 2. *Duo ad rationem circumstantiae proprie dictae necessaria.* 3. *Circumstantiarum species* (physicae, morales, communes, particulares, objectivae, subjectivae, mutantes et non mutantes speciem etc.) 4. *Numerus circumstantiarum.—Ratio numeri.* 5. *Ad quam ex praedictis nonnullae aliae reducantur.* 6. *Dices.—Quid circa modum actus* BENE VEL MALE. 7. *Explicantur singulae singillatim circumstantiae.* 8. Thesis. *Actio humana est etiam bona vel mala ex circumstantiis.*—Probatur. 9. *An moralitas propria circumstantiarum sit accidentalis.* 10. *Corollarium* (contra Utilitaristas et Liberales).

1. «Nomen *circumstantiae,* inquit ***S. Thomas,*** ab his quae in loco sunt derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid *circumstare,* quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam, vel appropinquat ei secundum locum. Et ideo quaecumque conditiones sunt extra substantiam actus et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circumstantiae dicuntur. Quod autem est extra substantiam rei ad rem ipsam pertinens, accidens ejus dicitur. Unde circumstantiae actuum humanorum accidentia eorum dicendae sunt» [3]. Realiter autem definitur ad mentem ***S. Thomae:*** *Accidens actus humani ipsum in esse morali jam constitutum moraliter afficiens.*

Definitio clara est. Nam circumstantia, ut nomen indicat, est extra substantiam actus ipsum tamen aliquo modo attingens, idcirco *accidens ejus* dicitur: accidens autem supponit subjectum jam in suo esse constitutum; et, in casu, circumstantia moralis *advenit actui constituto in sua*

---

1 Cfr. Philippus a SS. Trinitate, Disp. XX, Dub. I.

2 Praeter auct. in art. praeced. cit. cfr. Philippus a SS. Trinit., Disp. XX, Dub. III, V; Noldin, lib. II, q. II, a. 3, § 2; Meyer, lib. II, c. I, a. 2, § 1; Casanova, *Ethica Gen.*, c. I, a. 4; Mendive, c. II, a. 3; Farges et D. Barbedette, a. III, n. 44.

3 I-II, q. VII, a. 1.

primaria et essentiali moralitate per objectum, quod habet rationem formae: quod si aliquando, nulla alia moralitate praesupposita, intrinsecam actus moralitatem constituat, tunc non servat conditionem circumstantiae, sed accipit rationem objecti, ut supra diximus. Additur *ipsum* (actum) *moraliter afficiens,* id est, aliquid speciale conferens ad esse morale actus; si enim circumstantia *physice* tantum actum afficeret, nullam novam moralitatem in eadem aut in diversa specie afferendo, non esset moralis, sed physica seu naturalis nihil pertinens ad esse morale actus.

2. **Hinc duo sunt** de ratione circumstantiae moralis, inquiunt ***Salmanticenses.*** *Primum* ut vere afficiat actum humanum secundum esse morale, vel immediate in seipso, vel ratione principii, causae aut effectus, quod tunc fit quando talis circumstantia aliquo modo importat ordinem convenientiae vel disconvenientiae secundum rationem ad illum actum, ita quod, ex accessu, vel recessu circumstantiae, moralitas actus varietur, augeatur vel minuatur. *Secundo* est de ratione circumstantiae quod ita afficiat actum moralem ut maneat extra essentiam. Quare nec debet esse de conceptu ejus quidditativo nec ad illum pertinere. Et hac ratione objectum specificativum, efficiens, vel aliae causae a quibus talis essentia pendet, non habet rationem circumstantiae. Quinimo quaedam accidentia communia quae necessario comitantur omnem actum moralem ex ipsa ratione communi talis actus, ut respectu actus boni subjectio, vel obedientia ad Deum et ad legem, et respectu mali communis inobedientia, ingratitudo et similes, non sunt circumstantiae proprie dictae, prout hic loquimur de circumstantiis particularibus, sed se habent ut conditiones generales transcendentes omnes actus, solentque appellari *circumstantiae communes*, quae non ponunt in numero cum aliis principiis conferentibus determinatam bonitatem vel malitiam, sed ad illa reducuntur»[1].

3. Circumstantiae aliae sunt *physicae,* aliae *morales,* prout afficiunt actum humanum in esse naturae, aut in esse moris, ut furari manu dextera, furari in sacro; et morales aliae *generales* seu *communes,* aliae *particulares.* Communes dicuntur illae quae transcendunt et comitantur omnes actus: particulares vero quae aliquid speciale conferunt ad esse morale alicujus actionis: v. gr. inobedientia respectu omissionis Sacri die dominica, et sacrum libare citra necessitatem in loco non sacro. De circumstantiis physicis et moralibus communibus hic non agimus.

Circumstantiae morales particulares aliae sunt *objectivae,* aliae *subjectivae,* prout stant ex parte objecti, aut ex parte actus vel agentis.

---

1 Disp. IV, Dub. I, § 1; Cfr. D. Th., q. VII, a. 3, ad 3.

Item circumstantiae dividuntur in *mutantes speciem* et *non mutantes. Mutantes,* melius dixeris, *addentes* vel *multiplicantes* speciem, dicuntur *quae objecto,* ex quo actus habet primam moralitatem, *addunt specialem ordinem conformitatis vel disconformitatis ad rationem,* vel illae quae actui addunt novam bonitatem aut malitiam specie diversam ab ea quam accipit ex objecto, v. gr. *furari in sacro;* accipere quippe *rem* alienam dat actui humano primam malitiam, huic autem alia diversa additur quin prior destruatur aut in aliam convertatur, nempe *injuria* loco sacro, et ideo actus duplici malitia turpatur, *furti* nempe et *sacrilegii.*

Non mutantes dicuntur illae circumstantiae *quae non addunt specialem et distinctum ordinem ad rationem,* sed *praesuppositam moralitatem aliquo modo intra eamdem speciem modificant;* v. gr. furari in majori vel minori quantitate, longa vel brevis mora actus.

Non mutantes aliae sunt *augentes seu aggravantes, aliae minuentes,* prout modificant intra eamdem speciem moralitatem augendo vel minuendo bonitatem aut malitiam actus: idque potest esse *notabiliter* aut *leviter;* et ideo non mutantes speciem subdividuntur in *augentes* et *minuentes notabiliter* aut *non notabiliter* seu *leviter,* de quibus speciatim ad Theologos Moralistas.

4. Quoad numerum circumstantiarum septem communiter recensentur sequenti versiculo comprehensae.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Rationem hujus septenarii numeri ita explicat *D. Thomas*: «Circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen quod aliquo modo attingit ipsum. Contingit autem hoc fieri tripliciter: *uno modo* in quantum attingit ipsum actum: *alio modo* in quantum attingit causam actus: *tertio modo* in quantum attingit effectum. Ipsum autem actum attingit vel per modum mensurae, sicut *tempus* et *locus;* vel per modum qualitatis actus sicut *modus* agendi. Ex parte autem effectus, ut cum consideratur *quid* aliquis fecerit. Ex parte vero causae actus, quantum ad causam finalem, accipitur *propter quid;* ex parte autem causae materialis sive objecti accipitur *circa quid;* ex parte vero causae agentis principalis accipitur *quis* egerit; ex parte vero causae agentis instrumentalis accipitur *quibus auxiliis*» [1].

5. Ad has autem circumstantias omnes aliae reducuntur. Sic circumstantia *circa quid,* quam aliis connumerat ***Aristoteles*** comprehenditur a ***Tullio*** sub *quid;* circumstantia *quoties,* quam alii addunt, reducitur, juxta *S. Th.*[2], ad *quomodo,* potestque etiam reduci ad *quando,*

1 D Th., q. VII, a. 3.
2 *De malo,* q. II, a. 6, et in IV *Sent.* Dist. XVI, q. III, a. 1.

vel *ad quis* si, ut notant ***Salmanticenses, Vazquez*** et ***Lugo,*** hujusmodi circumstantia generet specialem consuetudinem ex parte operantis; numerus tamen actuum prout praecise dicit plures actus secundum se non est circumstantia alicujus vel eorum omnium, sed sunt ipsimet substantialiter multiplicati [1].

6. **Dices:** Ex circumstantiis accipitur quid *bene* vel *male* fiat. Sed hoc pertinet ad modum actus. Ergo omnes circumstantiae includuntur sub una quae est *modus agendi.*

Respondet sibi *S. Th.*:«Dicendum quod iste modus qui est *bene* vel *male,* non ponitur circumstantia, sed consequens ad omnes circumstantias. Sed specialis circumstantia ponitur modus qui pertinet ad qualitatem actus; puta quod aliquis ambulet velociter vel tarde; et quod aliquis percutiat fortiter vel remisse; et sic de aliis» [2].

7. Quod ut melius intelligas et quasdam alias difficultates praevenias, diligenter adverte ad uniuscujusque significationem.

Explicantur circumstantiae. *Quis* non significat ipsam substantiam seu personam agentis, sed *ejus qualitatem seu conditionem accidentalem,* v. gr. quod sit voto ligatus aut matrimonio junctus, religiosus vel saecularis, publicus magistratus vel homo privatus, pauper aut dives; nam hae conditiones augere possunt vel minuere aut etiam mutare seu multiplicare moralitatis species.

Circumstantia *quid* non denotat substantiam effectus seu objecti, sed exprimit qualitatem vel quantitatem actus vel effectum ex actione sequutum. Exempla innumera suppeditat materia moralis: sic *magnum* et *parvum* quoad quantitatem in materia furti aut donationis; *sacerdotis* vel *laici* conditio in homicidio; res *sacra* vel *profana* in sacrilegio; *subjectionis* vel *praelaturae* circumstantia in humilitatis exercitatione; quoad qualitatem objecti et quoad effectum, damna vel scandalum ex homicidio vel furto provenientia, sexcentaque alia [3].

Ubi non significat nudum locum, sed qualitatem loci, ut quod sit sacer vel profanus, publicus vel privatus; sic violentae extractiones ex loco immuni, effusiones sanguinis, emptiones et venditiones in Ecclesia, sunt circumstantiae modificantes moralitatem actus.

Quibus auxiliis denotat instrumenta seu media ad actum exercendum adhibita, v. gr. qui vasis sacris utatur ad venenum alicui propinandum, qui alios ope artis diabolicae decipiat reus erit duplicis malitiae.

Cur indicat finem extrinsecum et accidentalem operi, id est finem *operantis,* ut dum quis occidit ut furetur, vel furatur ut se inebriet, vel dat eleemosynam ut pro peccato satisfaciat.

---

1 Disput. IV, Dub. I, § 1; Lugo, *De Poenit.* Disp. XVI, n. 200.

2 q. VII, a. 3 ad 2. 3 P. Raphael, loc. cit. n. 192.

Quomodo exprimit accidentalem modum quo actus ponitur, an nempe intense vel remisse, ex metu, contemptu, passione aut levitate etc. opus fiat: sic v. gr. circumstantia quomodo auget malitiam in eo qui inimicum, saeva crudelitate, membratim interimeret, trucidaret; et transfert moralitatem de una in aliam speciem, de furto v. gr. in rapinam, cum quis per violentiam, vidente domino, surriperet non suum. Sic etiam caritas Magdalenae propter modum commendatur a Christo Domino: *quoniam dilexit multum*.

Denique, circumstantia *quando* significat quantitatem vel qualitatem temporis, ut quod actus ponatur die festo, vel feriali, quod diu aut brevi tempore duret etc. Hinc *D. Joannes* (c. XIII) specialiter commendat Christi Domini caritatem et amorem in discipulos, totumque quod in ultima Coena gessit, quia facta sunt *ante diem festum Paschae*, quando jamjam hora mortis properabat. Et e contra aggravatur peccatum Judaeorum circa mortem Christi, quia commissum est in festo *Paschali, quando* (ut scribit *Leo* Papa, Serm. 7 de Pass. Dom.) *qui ornare templum, mundare vasa, victimas providere et legitimis purificationibus sacratiorem diligentiam adhibere debuerant, parricidalis odii furore concepto, ad unum opus vacant, et in unum facinus simili crudelitate conjurant*[1].

Ex hac circumstantiarum explicatione liquido patet omnes aliquam bonitatem vel malitiam actibus humanis conferre. Nihilominus ad majorem abundantiam sit

8. **Thesis. Actio humana est etiam bona vel mala ex circumstantiis.**

Prob.

De bonitate et malitia in actibus humanis judicandum est sicut de bono et malo in rebus; bonitas et malitia rerum non solum mensuratur ex forma substantiali sed etiam ex accidentibus ei supervenientibus; ergo moralitas actionum humanarum dependet etiam ex circumstantiis et non tantum ex objecto.

Ad rem *S. Th.* «Dicendum quod in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis quae debetur eis ex forma substantiali quae dat speciem, sed multum superadditur ex colore, et sic de aliis; quorum si aliquod desit ad decentem habitudinem, consequitur malum. Ita etiam est in actione. Nam plenitudo bonitatis ejus non tota consistit in sua specie sed aliquid additur ex his quae adveniunt tanquam accidentia quaedam; et hujusmodi

[1] Salmantic., loc. cit. Dub. II, § 1.

sunt circumstantiae debitae. Unde si aliquid desit quod requiratur ad debitas circumstantias erit actio mala»[1].

Confirmatur. Actus dicuntur boni vel mali ex conformitate vel difformitate ad rectam rationem; atqui actus humanus ratione circumstantiarum potest importare specialem ordinem conformitatis vel repugnantiae ad rationem; ergo actus humanus est etiam bonus vel malus ex circumstantiis. Minor patet ex exemplis adductis pro uniuscujusque circumstantiae explicatione. Et ulterius potest manifestari. Forma enim accidentalis adveniens alicui rei jam in suo esse essentiali constitutae ipsam aliquo modo modificat vel complendo, licet accidentaliter, suum esse, si sit forma rei conveniens et proportionata, vel in deterius mutando, si repugnat subjecto; quaelibet autem ex praedictis circumstantiis est accidens actus humani; est ergo ratio terminativa, consequenter forma, licet accidentalis, ipsius actus; ergo non potest non ipsi conferre aliquam bonitatem vel malitiam[2].

9. **Bene autem nota** moralitatem propriam circumstantiarum esse *accidentalem*. Nam etsi circumstantia aliquando constituat actionem in sua specie, ut supra diximus, tamen «circumstantia secundum quod dat speciem actui consideratur ut quaedam conditio objecti, et quasi quaedam specifica differentia ejus»[3]. «Unde circumstantia, manens in ratione circumstantiae, cum habeat rationem accidentis non dat speciem; sed in quantum mutatur in principalem conditionem objecti, secundum hoc dat speciem»[4].

10. **Corollarium.** Ex quo inferes contra *Utilitaristas* et *Liberales*, qui ex eventibus, ex factis consummatis, vel etiam ex fine intento unice omnium actionum moralitatem mensurandam esse ajunt, dogmatizantes *effectum vel finem bonum sanctificare media*, inferes, inquam, nullam circumstantiam, etsi bonam, posse actionem ex objecto malam cohonestare. Nam «oportet esse conformitatem proportionis, ut scilicet ea quae sunt ad finem sint proportionata ad finem inducendum»[5], quae proportio deficit ubi media non sunt bona. Non enim actio dici potest recta «nisi et finis bonus sit et id quod ordinatur in finem sit etiam bonum et conveniens fini»[6], inquit *Angelicus*. Et *S. Bonaventura:* «Ad hoc quod opus sit bonum non sufficit quod

1 q. XVIII, a. 3.
2 Cfr. S. Thomas, ib. a. 10.
3 Ib. ad 1.
4 Ib. ad 2.
5 IV *Sent.*, *Dist.* XLIX, q. I, a. 1, solut. 3 ad 3.
6 II-II, q. XLIX, a. 7.

homo intendat bonum, sed etiam exigitur quod recta via tendat ad bonum»[1]. Et *S. Aug.: Ad sempiternam salutem nullus ducendus est opitulante mendacio*[2]. Finis ergo non sanctificat media, si haec sint ex natura sua mala, meritoque justam reputat Apostolus eorum damnationem, qui blasphemantes ajunt nos dicere *faciamus mala ut eveniant bona*[3].

Articulus III

De fine, tertio moralitatis fonte[4].

Summa rerum. 1. *Potiores circumstantiae.* 2. Thesis. *Actio est etiam bona vel mala ex fine causaliter.* — Praenotanda. — *Sensus quaestionis.*—Probatur thesis. 3. Corollarium I. *Quadruplex bonitas in actione humana.* — Corollarium alterum. — Axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* 4. Dubium I.—*Aperitur status quaestionis et certa ab incertis separantur.* 5. Thesis I. *Actus ex objecto bonus, sed cujus malus finis est totalis et adaequata causa cur actus ponatur, non potest esse bonus ex aliqua parte, sed totus malus.* 6. Thesis II. *Idem numero actus ex objecto bonus, sed cujus finis utique malus non est causa totalis et adaequata sed partialis tantum actus, est bonus ex objecto, malus autem ex fine.* 7. *Objectiones. — Responsio magni momenti.* 8. Thesis III. *Idem actus non potest esse malus ex objecto et bonus ex fine, sed totus actus est malus.—Quotupliciter possit intendi finis.* Prob. thesis. 9. Dubium II. *Utrum actus exterior addat actui interno voluntatis aliquam moralitatem.—Praenotamen.—Sententiae.* 10. *Stabilitur et probatur thesis.* 11. *Declaratur ex solutione argumentorum.* 12. *Ostenditur II pars.* 13. *Corollaria.*

1. **Potiores circumstantiae.** Ex traditis perspicue elucet non omnes circumstantias aeque principaliter ad actum ordinari eumque afficere, sed inter recensitas principaliores esse circumstantiam *cur* seu *propter quid* et *quid*. Et probatur ratione *S. Thomae:* Actus proprie dicuntur humani, sicut supra dictum est, prout sunt voluntarii. Voluntatis

---

1 II *Sent., Dist.* XL, a. 1, q. I. De factis consummatis in ordine politico cfr. inter alios Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolic.*, c. 55, et Perujo, *Lecciones sobre el Syllabus*, t. II, c. XLIII.

2 *De Mendac.*, c. XXI. Cfr. Farges, *La liberté et le devoir*, pag. 302.

3 Ad Rom. III, 8.

4 Cfr. D. Thomas, I-II, q. XVIII, a. 4 et 6; q. XIX, a. 7 et 8; q. LXXIII, a. 1 ad 1; II *Sent. Dist.* XL, a. 1; Andreas a Cruce, Disp. CIV, *Dub.* 1-3; *Cursus Triennalis*, Disp. XVIII; Pesch, loc. cit. § 3; Liberatore, c. II, a. 4; Farges, *La liberté et le devoir*, pag. 300.

autem motivum et objectum est finis. Et ideo principalissima est omnium circumstantiarum illa quae attingit actum ex parte finis, secundaria vero quae attingit ipsam substantiam actus. Aliae vero circumstantiae sunt magis vel minus principales, secundum quod magis vel minus ad has appropinquant[1]. Ob hanc rationem sit specialis de fine conclusio.

2. **Thesis. Actio humana est etiam bona vel mala causaliter ex fine.**

Praenotanda: Finis est duplex: *operis*, qui est intrinsecus actioni, et *operantis*, ad quem scilicet operans pro libito ordinat actionem. Hic non agimus 1.° de fine *operis* qui cum objecto convertitur et a quo proinde actus humani speciem sortiuntur[2]; 2.° nec de fine *operantis* quatenus respicit ipsum interiorem actum voluntatis, prout esset v. gr. finis actus interioris quo quis vult inanem gloriam; sed 3.° sermo est de fine operantis ad quem exterius opus ordinatur ab agente: ut cum quis elargitur eleemosynam ad inanem gloriam captandam. Quaerimus ergo *an finis praefixus ab agente alicui actioni, sed ipsi actioni extrinsecus, aliquam necne moralitatem ei conferat.* De fine siquidem in prima et secunda acceptione sumpto non est dubium, imo non consideratur tanquam circumstantia actus humani. «Finis, ait *D. Th.*, est objectum voluntatis, unde quantum ad actum voluntatis non differt bonitas quae est ex objecto a bonitate quae est ex fine»[3]. Et alibi: «Actus interior voluntatis accipit speciem a fine sicut a proprio objecto»[4].

Probatur thesis.

Finis operantis non tantum actum exteriorem circumstat, sed etiam causat, ut videre est in eo qui furatur ad dandam eleemosynam; nam illud quod vere influit et movet voluntatem ad ponendum vel ad imperandum actum exteriorem vere est hujusmodi actus causa; atqui effectus productus naturam causae participat; ergo actus exterior est etiam bonus vel malus ex fine ad quem ab agente ordinatur.

Insuper. Licet finis intentus a voluntate sit ipsi actioni extrinsecus et accidentalis, tamen voluntas praedictam actionem ordinat tanquam medium ad finem intentum consequendum, ut furtum v. gr. ad moe-

1 I-II, q. VII, a. 4; ib. ad 2, ait: dicendum quod finis, etsi non sit de substantia actus, est tamen causa actus principalissima, in quantum movet agentem ad agendum; unde et maxime actus moralis speciem habet ex fine.

2 Cfr. ib. q. I, a. 3.

3 I-II, q. XIX, a. 2, ad 1.

4 q. XVIII, a. 6. Haec quae notavimus diligenter jam exposuerat Cajetanus in art. 4 hujus quaest. Videatur, si placet.

chandum; ergo, licet finis operantis non immutet bonitatem vel malitiam, quam actio ex intrinseco suo objecto habet, eam tamen determinat ad speciem moralitatis actus interioris. Nam, ut peracute notat ***Angelicus,*** «*id quod est ex parte voluntatis se habet ut formale ad id quod est ex parte exterioris actus,* quia voluntas utitur membris ad agendum, sicut instrumentis; *neque actus exteriores habent rationem moralitatis nisi in quantum sunt voluntarii.* Et ideo actus humani species formaliter consideratur secundum finem, materialiter autem secundum objectum exterioris actus. Unde Philosophus dicit in V. Ethic. c. II, *quod ille qui furatur ut committat adulterium est per se loquendo magis adulter quam fur*» [1].

3. **Corollaria. I.** Ex traditis concludimus cum ***S. Thoma:*** «Sic igitur in actione humana bonitas quadruplex considerari potest; una quidem secundum genus, prout scilicet est actio, quia quantum habet de actione et entitate tantum habet de bonitate (*bonitas physica*); alia vero secundum speciem quae accipitur secundum objectum conveniens *(objectiva moralis et substantialis);* tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quaedam *(accidentalis);* quarta autem secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam» [2] *(finalis).*

II. «Nihil prohibet actioni habenti unam praedictarum bonitatem deesse aliam..... Non tamen est actio bona simpliciter nisi omnes bonitates concurrant» [3], quia, ut fert vulgatum axioma, *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Necesse est ergo ad bonitatem actionis, quae, ut diximus, in *plenitudine essendi* consistit, ut tria haec, objectum bonum, finis et circumstantia bonae simul concurrant; ad malitiam autem actionis sufficit ut quodlibet horum sit malum; *plura requiruntur ad bonum quam ad malum* [4], inquit ***Angelicus;*** siquidem, ut ipsemet exemplo confirmat, «nec judicatur homo pulcher nisi omnia ejus membra fuerint decora; turpis autem judicatur, etiamsi unum ejus membrum fuerit deforme» [5].

4. **Dubium I.** His positis, e vestigio oritur quaestio ***utrum et qua ratione unus idemque actus possit esse simul bonus et malus.***

Aperitur status quaestionis. Actus humanus considerari potest quoad *esse physicum* seu materialiter et quoad *esse morale* seu formaliter. Porro indubium videtur 1.° unum numero vel specie actum in *genere moris* non posse esse simul bonum et malum; quia, «cum bonitas et malitia sint in hoc

1 I-II, q. XVIII, a. 6.
2 ib. a. 4.
3 ib. ad 3.
4 q. LXXI, a. 5, ad 1.
5 *De Malo*, q. II, a. 4 ad 2.

genere differentiae essentiales, apertam involvit repugnantiam actum per utramque constitutum esse unum in praedicto genere numerice vel specifice, sicut repugnat corpus ex una parte album et ex alia nigrum esse unum numero vel specie in genere colorati. Quo sensu scribit *D. Th.* tanquam rem per se notam: *Quod si accipiatur unus actus prout est in genere moris, impossibile est quod sit bonus et malus bonitate et malitia morali* [1], idem enim et secundum idem non potest esse rationi conforme et difforme: 2.° etiam in *esse physico* considerato, non posse eidem actui utramque denominationem «boni et mali» simpliciter convenire; siquidem implicat actionem esse simpliciter bonam et simul simpliciter malam. Ergo quaeritur: *utrum actus qui in esse physico est unus numero, possit esse ita multiplex in esse moris, ut simul sit bonus et malus ex diversis principiis*, puta, bonus ex objecto et malus ex fine, vel vicissim [2].

Cui quaestioni, sic generatim propositae, *negative* respondent ***Salmanticenses*** cum pluribus theologis et philosophis, contradicentibus tamen aliis. Nihilominus existimo eos inter se facillime consensuros, controversia diverso plane modo enuntiata atque disserta. Sit igitur

5. **Thesis I. Actus ex objecto bonus, sed cujus malus finis est totalis et adaequata causa cur actus ponatur, non potest esse bonus ex aliqua parte, sed totus est malus.**

Loquimur de bonitate *formali* actus, et quidem de actu cujus objectum, licet bonum, nullo modo movet agentem ad sui appetitionem, sed est tantum medium utile ad finem malum consequendum; et ideo actus ita pendet a fine ut nullatenus poneretur, fine illo non existente. Jam vero. In praedicto casu, etsi alias objectum sit bonum, cum nullo modo directe appetatur in se, sed ingrediatur intentionem finis et propter finem unice eligatur, nullam bonitatem in actum refundere potest; et in hypothesi quod finis malus sit adaequata et tota ratio cur eligatur est medium *malum* prout a voluntate eligitur, et ideo actus formaliter nequit esse bonus ex ulla parte, sed totus est malus. Ad rem *S. Th.*: «Cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis et hic actus totus malus est, *licet non ab omni eo, quod in eo est, malitiam habeat*» [3]. Rationemque praebet alibi inquiens: «Voluntas non potest dici bona si sit intentio mala causa volendi, qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam vult id quod de se est bonum sub ratione mali, et ideo prout

1 q. XX, a. 6; Salmantic., Disp. VI, Dub. I, n. 1.

2 Cfr. Salmantic., ib. per tot. *Disput.*, et P. Raphael, loc. cit., n. 155-168; Billuart, *De act. hum.*, Diss. IV; Suarez, *Disp.* VIII, sect. I.

3 II *Sent.*, *Dist.* XXXVIII, q. I, a. 4 ad 4.

est volitum ab ipso est malum; unde voluntas ejus est mala»[1]. «Sola malitia intentionis sufficit ad malitiam voluntatis»[2].

6. **Thesis II. Idem numero actus ex objecto bonus, sed cujus finis, utique malus, non est causa totalis et adaequata sed partialis tantum actus, est bonus ex objecto, malus autem ex fine.**

Finis est causa partialis operis quando, eo non stante, opus nihilominus poneretur ob honestatem intrinsecam objecti; sicut erogare eleemosynam pauperi ad illius inopiam sublevandam, cui tamen intentioni conjungeretur motus vanitatis, ut videatur scilicet ab hominibus.

Probatur ergo thesis *ex disparitate inter hanc et praecedentem hypothesim.* In anteriori namque suppositione objectum bonum habebat rationem puri medii tantum, nec poterat appeti propter honestatem sui sed unice et totaliter propter finem, idcirco nulla bonitas remanet in ipso relate ad voluntatis actum: sed in praesenti casu actus ponitur propter honestatem objecti et bonum finem operis; consequenter actus ex objecto bonus non tantum eligitur sed etiam intenditur a voluntate; intendere autem et eligere bonum propter se et in se est essentialiter bonum; ergo circumstantia leviter influens, qualis est finis qui non est causa totalis actus, nequit inficere totam actionem intrinsece ex objecto bonam.

Nec spernenda videtur ratio quam in hujus thesis confirmationem afferunt *Billuart, Wirceburgenses, P. Raphael* aliique. «Si enim levis, inquiunt, inordinatio finis aut quaevis mala circumstantia totum inficiat actum ut nihil in eo bonitatis remaneat, vix ullum actum bonum etiam in viris sanctis, reperire poterimus, quod est nimis durum et absurdum; sic paucissimi sunt poenitentes, quorum poenitentiam non comitetur aliquis excessus aut defectus; paucissimi superiores, qui in correptionibus aliquem excessum zeli aut irae non patiantur; paucissimi concionatores, qui quamvis gloriae Dei zelo ducti, inter auditorum applausus alicujus complacentiae titillatione non moveantur; paucissimi orantes, qui levem distractionem non admittant; et sic de ceteris»[3].

7. **Objicies.** Idem numero actus simul et semel non potest esse bonus et malus, quia differentiae boni et mali sibi invicem opponuntur; ergo simul non possunt constituere eumdem actum in diversis et contrariis speciebus moralitatis.

Resp. Dist. antec. Idem numero actus *in esse moris,* concedo; in *esse*

---

1 I-II, q. XIX, a. 7 ad 2.

2 ib. a. 8 ad 3.

3 P. Raphael, loc. cit. n. 163. Cfr. Suarez, *Disp.* VIII, sect. 1; Pesch, sect. III, a. 1, n. 637, sqq.; Tanquerey, c. II, § 2; De Bie, c. III, a. III, § 3.

physico, nego. In hac enim hypothesi, quando scilicet objectum est bonum et intenditur in se, cui tamen conjungitur malus finis, quem voluntas quidem vult sed nullatenus ponit actionem propter illum, est duplex actus in *esse moris*, et ideo de uno eodemque actu non affirmantur simul differentiae essentiales boni et mali.

Objicies iterum. Nostra sententia adversatur communi et vulgato principio: *Bonum ex integra causa malum vero ex quocumque defectu,* nec cohaeret cum doctrina *Angelici Doctoris* superius tradita. *Non* enim, inquit, *est actio simpliciter bona nisi omnes bonitates concurrant;* ergo, deficiente bonitate v. gr. finis, actio nequit dici bona.

Resp. Nego antecedens et consequentiam. Est enim fallacia *a simpliciter ad secundum quid;* vel, si mavis, distinguo antec. et aperitur fallacia. Bonum *simpliciter* est ex integra causa, concedo; bonum *secundum quid,* nego. Nulla quippe datur contradictio in hoc quod actus sit bonus ex objecto, malus autem ex fine, tum ratione multiplicationis actuum in esse moris, ut in praecedenti solut. dictum est, tum quia inter non esse simpliciter bonam actionem et esse simpliciter malam datur medium, nempe esse bonam secundum quid vel ex parte. Nec aliud infertur ex verbis *D. Th.*, si bene, ut par est, perpendantur. Nam ex *S. Doctoris* mente, licet non concurrant omnes bonitates, ratione cujus defectus actio non dicitur simpliciter bona, in ea tamen aliqua censetur adesse, alioquin non tantum diceret *Angelicus Doctor* actionem esse non bonam simpliciter, sed nullatenus bonam. Non ergo excludit omnem bonitatem ab actu cujus objectum est bonum etsi malus finis. VERBO, foret contradictio quidem manifesta eumdem actum undique dici bonum et simul esse malum, sed non apparet implicatio in eo quod idem actus sit partim bonus partim malus [1].

8. **Thesis III. Idem actus non potest esse malus ex objecto et bonus ex fine, ut cum quis furatur ad dandam eleemosynam, sed totus actus est malus.**

Ante probationem vero nota finem bonum in actione cujus objectum est malum posse intendi *dupliciter:* ut moventem ad malum medium; vel propter honestatem sui. *Thesis* in hoc secundo sensu accepta, nempe quatenus finis appetitur propter suam bonitatem et non tantum ut purum medium subordinatum objecto malo, eamdem patitur solutionem ac praecedens conclusio; id est, licet actus sit unus unitate naturae seu in esse physico est tamen multiplex in esse moris ideoque potest esse partim bonus et partim malus, malus ex objecto, bonus ex fine. In prima autem acceptione stat conclusio prout jacet. Nec opus est multiplicare argumenta.

Nam prava electio non subsanatur per bonam intentionem, nec finis

1 Cfr. D. Th., I-II, q. XX, a. 6, praesertim solut. ad object.

justificat media. Et ratio est, quia in operatione propter finem posita, ut in mendacio ad salvandam vitam proximi, est duplex finis, operis scilicet et operantis: finis operantis est objectum interioris actus voluntatis, sed est extrinsecus operationi; ita salvatio proximi est omnino accidentalis mendacio quod constituitur ex suo objecto in ratione intrinseca malitiae, et ideo finis intentus a voluntate, intrinsecus voluntati sed extrinsecus operationi, accidentaliter tantum afficit actum neque illum specificare potest; quia specificatio fit per intrinseca rei; ergo bonus finis nequit cohonestare actionem ex objecto suo malam. Imo, in hypothesi quod finis intendatur ut movens voluntatem ad ponendam actionem ex objecto malam, finis, prout sic intentus, est malus et ideo tota actio est indubie mala. Ad rem ***S. Thomas:*** *Quando aliquis vult malum propter bonum, illud bonum non est finis actus voluntatis, secundum se considerati, sed est finis a voluntate inordinate praestitutus* [1].

9. **Dubium II.** Utrum ***actus exterior,*** v. e. erogatio eleemosynae, ***aliquid addat ad bonitatem vel malitiam actus interioris*** [2].

Praenotamen. Ad hujus quaestionis solutionem duo sunt ex necessitate praemittenda: 1) actum exteriorem posse considerari dupliciter, scilicet, *in se, ratione sui,* absque respectu ad voluntatem tanquam ad principium, seu *in ordine intentionis,* quo in casu se habet ad interiorem actum voluntatis tanquam objectum ipsamque antecedit voluntatem, nam de ratione objecti est suam potentiam antecedere; vel *in ordine executionis,* quatenus ex imperio voluntatis exercetur estque effectus ejus [3]. Actus exterior seu imperatus *in se* consideratus non dependet in sua bonitate vel malitia *objectiva* a voluntate; sed prout oritur a voluntate estque mera executio interioris actus necessario ab ipsa dependet. Ergo 2) quaestionem minime versari circa actum exteriorem primo modo seu in *ordine intentionis* spectatum, sed circa bonitatem *formalem* ejusdem prout imperatur a voluntate et a voluntate dependet. Quo sensu dicimus:

10. **Thesis. Actus exterior per se nullam addit bonitatem vel malitiam actui interiori; bene vero per accidens.**

Hanc communem Scholae sententiam negant *Scotistae* asserentes

1 III *Sent. Dist.* XXXVIII, a. 5 ad 1; Cfr. Salmantic., in I-II, q. XX a. 1, et Schiffini, Disp. II, sect. V, n. 76.

2 Cfr. D. Th., I-II, q. XX, per tot.; Cajetanus, in I-II, q. XX, a. 4; Valentia, loc. cit. q. XV, Punct. 3; Suarez, Disp. X, sect. I; Tanquerey, c. II, § 4; F. Amat, *Instit. Philos. Ethica,* lib. II, q. II, a. 7; *Theologi et philosophi* passim tuentes communissime sententiam Thomistarum.

3 S. Th., q. XX, a. 1 ad 1.

cum *Subtili* actum exteriorem ex se addere bonitatem aliam illi, quae est in interiori actu [1]. Sed argumenta quibus suam propositionem ut probabiliorem rentur evinci, id, opinor, non efficiunt, concludunt enim per se de actu externo quod nonnisi per accidens et ratione actus interioris voluntatis eidem convenit.

Probatur breviter nostrum assertum **quoad I.am partem.** Actus externus non dicitur moralis nisi per extrinsecam denominationem ab actu interiori voluntatis; *atqui denominativum extrinsecum nihil formae addit supra denominativum formale,* ut loquitur ***Cajetanus*** [2]; ergo actus exterior per se et ratione sui nullam moralitatem formalem addere potest actui interno votuntatis.

Deinde. Ad rationem moralitatis intrinsecae et formalis essentialiter requiritur libertas; sed actus exteriores non dicuntur liberi nisi a voluntate, ideoque nulla est in eisdem intrinseca libertas; ergo nec possunt conferre actui interiori aliam bonitatem vel malitiam formalem quam quae habent a voluntate.

11. **Tertio declaratur thesis** ex solutione argumentorum quae in contrarium objicere solent Scotistae.

I. «Quilibet actus, hoc ipso quod habet in se integritatem eorum quae recta ratio dictat tanquam ipsi actui convenientia, ornatur bonitate naturali; et e converso, cui deest talis integritas dicitur moraliter malus. Sed actui externo convenit alia integritas distincta ab integritate actus exterioris, ergo» [3].

Ad hujus et sequentium argumentorum solutionem praemittimus doctrinam *D. Th.* ut punctum quaestionis determinatius signetur. «Dicendum, inquit, quod aliqui actus exteriores possunt dici boni vel mali dupliciter: Uno modo secundum genus suum, et secundum circumstantias in ipsis consideratas; sicut dare eleemosynam, servatis debitis circumstantiis, dicitur esse bonum. Alio modo dicitur aliquid esse bonum vel malum ex ordine ad finem, sicut dare eleemosynam propter inanem gloriam dicitur esse malum.

Cum autem finis sit proprium objectum voluntatis, manifestum est quod ista ratio boni vel mali, quam habet actus exterior ex ordine ad finem per prius invenitur in actu voluntatis et ex eo derivatur ad actum exteriorem.

Bonitas autem vel malitia quam habet actus exterior secundum se propter debitam materiam et debitas circumstantias non derivatur a voluntate sed magis a ratione. Unde si consideretur bonitas exterioris actus, secundum quod est in ordinatione et apprehensione rationis prior est quam boni-

---

1 Scotus, *Quodlib.* q. XVIII, n. 2, apud P. Casanova, *Ethica*, c. I, a. 4, n. 43.
2 In q. XX, a. 4, § Ad evidentiam horum. Cfr. totum Comment. in praefatam quaest.
3 P. Casanova, loc. cit.

tas actus voluntatis. Sed si consideretur secundum quod est in executione operis sequitur bonitatem voluntatis quae est principium ejus»[1].

Habes ergo ex D. Th., duplicem illam considerationem actus exterioris, de qua in praenotamine, et ratione cujus satis constat bonitatem vel malitiam *objectivam* actus exterioris antecedere ipsam voluntatem, *formalem* vero totam esse ab actu interiori[2].

Igitur veniendo ad argumentum resp. dist. maj. Quilibet actus... ornatur bonitate naturali, et e converso, cui deest talis integritas dicitur moraliter malus, bonitate et malitia *objectiva*, concedo; deficiente ordinatione voluntatis in finem, actus dicitur bonus vel malus *formaliter*, nego. Et ad minor. Atqui actui externo convenit alia integritas distincta ab integritate actus interioris, *formalis*, nego; *objectiva*, subdistinguo; *aliquando*, concedo; *universaliter et semper*, nego. Negavi universaliter et absolute actum exteriorem ullam praeseferre bonitatem aut malitiam formalem distinctam ab ea quae est in actu interiori, quia actus exterior secundum id praecise quod habet a potentia executiva, a re, tempore et loco, seclusa obedientia voluntatis, non est capax bonitatis et malitiae moralis, quoniam haec circa voluntaria tantum sunt, inquit *Card. Cajetanus*.

II. «Si actus externus non haberet aliam moralitatem diversam ab ea quae comitatur actum internum nulla esset necessitas prohibendi actum internum postquam prohibita fuit actio externa et vicissim. Sed in praeceptis negativis videmus interdictum, praeter actionem externam, actum internum». Ita cit. Scotista.

Resp. Nego majorem; quoniam, non obstante identitate bonitatis et malitiae formalis actus interioris et exterioris, quando exterior est mera executio voluntatis, rationabiliter interdicitur actus internus in praeceptis negativis postquam vetita est actio externa, et vicissim tum quia hujus occasione augentur et saepius multiplicantur numero et specie actus interni; tum quia hi perfici possunt absque operis executione. Et quamvis non ita foret, nunquam probabunt adversarii actus internos vetari quia moralitas actus exterioris sit alia a moralitate voluntatis; et ideo negatur consequentia.

III. Objicies cum eodem auctore: «Actus internus fit pejor per actum exteriorem. Amplius namque perdurat ejus existentia; voluntas per actionem externam fortior est in adhaesione objecto proposito; potentiae interiores procliviores in malum fiunt; multoties actio externa facit multiplicari actus internos; actus externi saepe scandalum pariunt; et denique per eos peccator incurrit in excommunicationem et in alias poenas a lege tum ecclesiastica, tum civili, sancitas: quae omnia longe sunt ab actibus mere internis. Sed quonam pacto recensita acciderent, si actus externus nullam bonitatem aut malitiam adderet actui voluntatis? etc».

---

1 q. XX, a. 1. 2 Cfr. a. 1 ad 1.

Resp. Plura hic congerit laudatus scriptor, sed tota ejus argumentatio eodem vitio laborat; ubique eadem aequivocatio. Ultro libenterque fatemur actum internum fieri pejorem voluntatemque magis obfirmari in bono vel in malo per actum externum; non negamus quae adversarius multiplicat ad suum assertum probandum; sed quorsum haec tendunt? ¿quid probant? Id unum nempe actum externum aliquam addere bonitatem vel malitiam actui interno; quod nec *S. Th.*, nec ullus *Thomista* unquam negavit; sed hoc convenit actui externo per se, ratione sui, an per accidens et dependenter a voluntate? En punctum quaestionis.

Certe ipsemet *P. Casanova*, sibi non constans, secundum elegit membrum dum ratus nostram enodare argumentationem magis magisque confirmat. «Objicies, inquit, actus externus, secundum se praecise, incapax est moralitatis. Ergo impossibile est ut addat bonitatem vel malitiam actui interno.

Resp. Dist. ant: Incapax est moralitatis, quatenus consideratur ut independens a libera voluntate, conc.; consideratus ut dependens ab hac potentia, neg. Esto quod externa actio, prosequitur, prout externa est, et amota consideratione a voluntate, sit incapax moralitatis. Hoc enim modo sumpta, solum offert exercitium activitatis physicae quae communis est homini et bruto, quin ulla moralitas in ea advertatur, sed quoniam in concreto, seu prout in homine locum habet, numquam est independens a voluntate, sed semper ejus imperio subdit, rectitudine gaudet vel caret prout voluntas, a qua pendet, recta est vel non» [1].

Ergo, ut ipsemet fatetur, quod actus externus sit bonus vel malus formaliter habet a voluntate; ergo est tantum moralis denominative extrinsece a moralitate actus interioris voluntatis; ergo per se et ratione sui nullam potest moralitatem conferre actui interno, siquidem ea caret.

IV. Si actus externus nullam adderet bonitatem vel malitiam actui interno «nullum existeret discrimen inter eum qui martyrium subit, et illum qui solum est martyr desiderio; nec inter eam quae usque ad mortem virginem mente et corpore manet, et illam quae hanc virtutem vult custodire, sed de facto non custodit. Id autem est contra doctrinam communem, quae aureolam martyrii et virginitatis non adjudicat nisi martyrio effectivo, et virginitati caute custoditae. Magnum viget discrimen inter operam et merum desiderium, atque ideo Auctores Ascetici, ad homines ad praxim bonorum operum excitandos, repetere solent illud apud Mysticos nimis vulgare dictum: *Infernus plenus est bonis desideriis*». Ita demum idem Pater O. M.

Resp. dist. maj. Si actus externus nullam, neque per se, neque per accidens, adderet bonitatem vel malitiam actui interiori nullum existeret discrimen...., conc.; si nullam addat ratione sui, aliquid nihilominus conferat ratione diuturnitatis, multiplicationis, adhaesionis etc nullum existeret discrimen inter eum qui de facto et eum qui desiderio subit martyrium, nego.

---

1 ib. n. 44.

Et ad minor. Doctrina communis adjudicat aureolam martyrio effectivo tanquam praemium accidentale, concedo; tanquam praemium essentiale quod respondet bonitati formali, quae tota quanta est dependet a voluntate, nego. Item: magnum viget discrimen accidentale inter operam et merum desiderium, conc.; essentiale, si desiderium est efficax, nego. Non est autem desiderium efficax si voluntas, cum potest, non operatur. Opera enim testimonia sunt voluntatis, quae tunc remuneratur profecto quando est consummata et non cessatur ab actu nisi propter impotentiam faciendi.

Audi ipsum *Aquinatem:* «Non est perfecta voluntas nisi sit talis quae, opportunitate data, operetur. Si vero possibilitas desit, voluntate existente perfecta, ut operaretur, si posset, defectus perfectionis, quae est ex actu exteriori, est simpliciter involuntarius. Involuntarium autem, sicut non meretur poenam vel praemium in operando bonum aut malum, ita non tollit aliquid de praemio vel de poena, si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum»[1]. Exempla innumera reperies in vita Sanctorum quibus thesis nostra confirmatur, magnumque afferunt solatium male habentibus, qui propter physicam impotentiam non valent desideria, etsi ardentissima, opere complere.

12. **II pars** constat ex dictis. Per actum siquidem externum actus interior *multiplicatur,* fit *diuturnior* et *intensior;* ergo actus externus per accidens aliquam bonitatem vel malitiam addit actui interiori voluntatis, si contingat nempe propter ipsum voluntatem secundum se fieri meliorem in bonis vel pejorem in malis, ut loquitur *S. Thomas*[2].

13. **Corollarium I.** Ergo actus interior et exterior, et generatim imperans et imperatus, habent unam eamdemque bonitatem vel malitiam formalem[3]: actus enim moventis et moti sunt moraliter unus actus[4], quia semper actus inferioris potentiae materialiter se habent ad actum superioris, in quantum inferior potentia agit in virtute superioris moventis ipsam; ergo actus interior et imperans se habent ad actus exteriorem et imperatos ut formale, ac proinde hi suam ab illis desumunt formalem bonitatem vel malitiam.

Corollarium II. Quoniam bonitas vel malitia *objectiva* terminat, perficit et consummat motum voluntatis, ideo in praxi melior est volens et faciens actum bonum quam volens facere et non faciens; et eadem ratione pejor est qui externe malum committit quam qui tantum illud concupiscit. Inde tamen, ut abunde constat ex dictis, non praejudicatur nostra sententia.

---

1 q. XX, a. 4 cfr. Cajet., ib. § ad secundum dub.
2 q, et a. cit.
3 q. XX, a. 3 ad 1.
4 q. XVII, a. 4 ad 1.

QUAESTIO IV

DE SPECIEBUS MORALITATIS

Series rerum. Juxta dicta in prologo ad praesentem Disputationem, circa actum humanum in suo esse morali consideratum oportebat quatuor inter alia diligenter expendere, scilicet: *essentiam, normam, fontes* seu momenta, et *species*. Jam tribus primis discussis, superest dilucidare sit necne adaequata actuum humanorum in bonos et malos divisio, seu deturne inter bonitatem et malitiam moralem alia species moralitatis. Quod praestabimus art. sequenti.

Articulus unicus

De indifferentia actuum humanorum

Summa rerum. 1. *Notiones* a) *Duplex indifferentia—Quid sit indifferentia moralis* b) *Duplex consideratio actuum nempe in specie et in individuo.* 2. *Primum quaesitum—Antiquorum sententia.* 3. Thesis I. *Dantur aliqui actus secundum speciem indifferentes.* Prob. 4. *Scholion.* 5. *Objectiones.* 6. *Quid ponat indifferentia in actibus humanis.* 7. Thesis II. *Moralitas adaequate dividitur in bonitatem et malitiam.* Prob. 8. *Alterum quaesitum—Praemittenda.* 9. Thesis III. *Si loquamur de actu morali secundum individuum, quilibet particularis actus humanus est bonus vel malus.* Prob. 10. *Dices—Instabis.* 11. *Corollarium—Quae sit benignior sententia.* 12. *Objectiones. An detur praeceptum referendi omnia in finem honestum.* 13. *Praesentis Disputationis recapitulatio.*

1. **Notiones.** *a)* Duplex indifferentia, inquiunt Nostrates, considerari potest in actibus humanis: alia *ad bonum et malum,* juxta quam, ille actus dicitur indifferens, qui cum sit liber, atque adeo capax bonitatis et malitiae moralis, neutram includit, et ideo potest quantum est ex se per utramque determinari. Alia est indifferentia ad *meritum et demeritum,* secundum quam, ille actus dicitur indifferens qui cum sit moralis, atque adeo bonus vel malus, neque est meritorius nec demeritorius[1]. Meritum autem est duplex: *naturale,* quod consequitur nempe

1 Salmantic., Disp. VII, Dub. I, Animadversio pro intell. Disput.

omnem actum bonum, sicut demeritum omnem actum malum; et *supernaturale*, quod gratiam praesupponit. De merito naturali relate ad indifferentiam loquendum est sicut de indifferentia ad bonum et malum: non sic de merito supernaturali, cum revera in eo qui gratia caret dentur actus qui nec sunt meritorii nec demeritorii, sed indifferentes. Sed haec ad praesens non faciunt, sermo enim est de indifferentia ad bonum et malum, quae *moralis* vocatur, et definitur: *Privatio habitudinis alicujus actionis ad praescriptas regulas morum;* seu, *carentia conformitatis vel difformitatis actus humani cum recta ratione.*

b) Porro actus humani spectari possunt: 1.° *in specie* seu *in abstracto*, secundum proprium et immediatum objectum a quo specificantur, praescindendo a fine et circumstantiis quibus in particulari vestiuntur; et 2.° *in individuo* seu *in concreto*, secundum triplicem fontem moralitatis, videlicet: objectum, finis operantis et reliquae circumstantiae quae actus comitantur. Quaerendum est igitur: 1.° an *dentur actus humani indifferentes secundum speciem;* et 2.° an *dentur in individuo.*

2. **Primum quaesitum.** Circa primum innuit *S. Th.* quorumdam antiquorum sententiam asserentem omnes actus secundum se esse indifferentes, solumque fieri bonos vel malos ratione finis, aut intentione operantis. Verum quasdam actiones esse bonas secundum se, ex natura sua, quasdam autem malas antecedenter ad omnem voluntatem, ex dictis circa moralitatis criterium liquido constat. Item, non omnes actus esse bonos neque malos, sed aliquos secundum speciem seu in abstracto esse indifferentes, nullus est qui neget. Nihilominus sit

3. **Thesis I. Dantur aliqui actus secundum suam speciem indifferentes moraliter** [1].

Probatur.

Indifferentia moralis est carentia conformitatis vel difformitatis actus humani cum recta ratione; atqui nonnulli actus humani in specie considerati carent praedicta convenientia aut disconvenientia. Ergo. Nam actus specifice derivant suam moralitatem ab objectis solummodo; atqui revera dantur objecta quae nullam conformitatem vel difformitatem important ad rectam rationem, ut saltare, comedere, tussire et similia; ergo ab ipsis nequit in actus aliqua moralitas derivari [2].

4. Cum dicitur dari quosdam actus secundum suam speciem indifferentes non sic intelligas, velim, quod dentur actus de quorum

1 I-II, q. XVIII, a. 8.
2 S. Thomas, ib.

ratione vel essentia sit indifferentia moralis, adeo ut non possint trahi ad bonum vel ad malum, hic enim sensus falsissimus est; sed id unum significari intenditur, esse, nempe, actus qui ex sua specie seu ex objecto, a quo specificantur, nec sunt boni neque mali, sicut homo secundum suam speciem neque virtuosus neque vitiosus est [1].

5. **Objicies.** Si darentur actus in specie indifferentes existeret medium inter bonum et malum; atqui non datur medium inter bonum et malum; ergo nec actus in specie indifferentes.

Conc. maj. et neg. minor.; vel, si mavis, disting.: inter bonum et malum, prout est proprium *actus singularis,* non datur medium, concedo, sunt enim opposita *immediata,* quia, ut docet *S. Th.*, «distinguuntur secundum oppositionem affirmationis et negationis, scilicet per hoc quod est secundum quod oportet, et non secundum quod oportet secundum omnes circumstantias» [2]; inter bonum autem et malum *ex genere* non datur medium, nego; sic enim bonum et malum sunt opposita mediata. Non enim opponuntur sicut ens et non ens oppositione contradictoria, sed contraria, quae existit inter duas formas quae simul et semel non possunt stare in uno eodemque subjecto, inter quas vero potest esse medium, quia forma opposita unam vel alteram perfectionem aufert a subjecto, non tamen destruit ipsum subjectum; et ideo malum, quod est privatio boni, relinquit subjectum quod est medium inter ipsa.

Instabis. Si datur medium inter bonum et malum proindeque et actus indifferentes in specie, non est adaequata divisio moralitatis in bonitatem et malitiam, et actuum in bonos et malos; atqui falsum consequens; ergo et antecedens.

Resp. nego conditionalem vel potius consequentiam; nulla quippe datur connexio inter antecedentem seu conditionem et consequentem seu conditionatum. Nam indifferentia non est species moralitatis, sed pertinet ad ordinem physicum; et ideo quamvis in esse moris non detur species media inter bonitatem et malitiam, nec detur actus moralis qui, ut moralis est, non sit bonus vel malus, potest tamen dari actus humanus qui secundum objectum ipsum non sit moralis, eo quod objectum secundum se non importat habitudinem ad regulas morum. Et hac ratione manet indifferens secundum speciem [3].

Indifferentia autem sic est medium inter bonum et malum ut neget utrumque extremum, non vero constituat aliquid positivum in esse moris inter ea. Hinc actus indifferentes, cum nullam importent rationem convenientiae aut disconvenientiae ad rectam rationem sed potius auferant praedictum respectum, recte dicuntur *non morales,* seu extra moralitatis speciem vagantes; non enim subsunt regulae morum, quod est proprium mo-

1 Cfr. S. Th., q XVIII, a. 9 ad 1.
2 *De Malo*, q. II, a. 5.
3 Salmantic., Disp. VII, Dub. I, § II.

ralitatis, et ideo excluduntur a genere morali et manent in esse physico. Id non obscure indicavit *Angelicus* dicens: «Omne objectum vel finis habet aliquam bonitatem vel malitiam, saltem naturalem; non tamen semper importat bonitatem vel malitiam moralem, quae consideratur per comparationem ad rationem»[1].

6. **Si autem inquiras** quid ponat in actibus humanis haec indifferentia, supposito quod non sit species moralitatis, respondent laudati Doctores O. N. loc. cit. «nihil aliud ponere praeter entitatem et speciem physicam, quam ipsi actus habent ex objecto indifferenti considerato in esse physico, cum capacitate ad habendam moralitatem ex aliis principiis et indeterminationem ad bonitatem vel malitiam. Quod potest explicari in aliis differentiis aliorum generum. Nam quod homo secundum suam speciem sit indifferens ad album et nigrum, non dicit in eo tertiam speciem coloris, sed ipsam essentiam substantialem per quam est capax coloris cum indeterminatione ad albedinem vel nigredinem..... Ergo similiter dicendum est de indifferentia humani actus ad bonum et malum morale, quod non est aliqua forma praeter ipsam entitatem physicam indeterminatam secundum se ad bonitatem vel malitiam. Debet autem importare capacitatem ad utramque; quia actus incapax illarum, quales sunt actus brutorum, sicut non est actus humanus, ita non dicitur proprie *indifferens*, quamvis nec bonus nec malus sit»[2].

7. Thesis II. Moralitas adaequate dividitur in bonitatem et malitiam[3].

Paucis et in forma syllogistica. Moralitas sive in actibus sive in objectis nihil aliud est quam actualis eorum subjectio ad regulas morum; atqui praedicta subjectio debet esse per modum convenientis aut disconvenientis, nec inter haec datur medium, cum immediate opponantur tanquam conveniens et non conveniens regulae; ergo actus vel objectum prout convenit cum recta ratione bonus dicitur, malus autem si ab ea discordat.

Minor patet: quia quidquid actu subest regulae, vel eam adaequat, et tunc dicitur convenire; vel non adaequat, et tunc, quatenus in aliquo deficit, cum ea non convenit[4].

---

1 I-II, q. XVIII, a. 8 ad 3.

2 Salmantic., loc. cit. n. 10.

3 Bonitas, et malitia, juxta eos qui naturam rationalem assignant tanquam normam proximam actus humani, ultimam vero Deum, ut est supremum bonum et ultimus finis, definitur: Conformitas vel difformitas actus humani cum natura rationali adaequate spectata et divina bonitate. Juxta nostram sententiam: Conformitas vel difformitas actus humani cum recta ratione et lege aeterna.

4 D. Th., q. XVIII, a. 5.

Nec valet objicere quod potest aliquid *non convenire* regulae *negative* seu *permissive*, quatenus scilicet, lex sive regula nihil de eo disponit praecipiendo aut prohibendo, sed tantum permittit; non valet, inquam, quoniam si nullum dicit respectum actualem seu subjectionem ad regulam morum, idem est ac si regula non existeret, et ideo nulla est in eo moralitas. Lege *Salmanticenses* [1].

8. **Alterum quaesitum.** ***Danturne actus indifferentes in individuo, seu in concreto?*** Aliter: dictum est supra actus desumere suam moralitatem ex objecto, ex fine et circumstantiis: fieri ergo potest ut, neque ex objecto, neque ex fine, neque ex circumstantiis, aliqua species moralitatis in actum derivetur? Stant pro affirmativa sententia ***S. Bonaventura, Alensis, Scotus*** et ***Scotistae, Ockam,*** quibuscum sentiunt ***Nominales, Vazquez,*** et plures Protestantes. Negant vero cum ***S. Thoma, Cajetanus, Suarez, Bellarminus, Valentia, Salmantic.,*** aliique Theologi et Philosophi communiter [2].

Ad hujus quaesiti solutionem, praeter ea quae initio hujus art. praemisimus, plura alia, claritatis gratia, notanda occurrunt scilicet: a) nomine *actus in individuo*, uti jam ex ipsa quaesiti enuntiatione constat, non intelligimus actum utcumque individuatum, sic enim et actus indifferens in specie est individuus, scilicet unus numero actus contractus per aliquam differentiam individualem, sed intelligimus per actum in individuo actum humanum ut associatum omnibus suis accidentibus et vestitum omnibus circumstantiis quae ad ejus existentiam in rerum natura concurrunt [3]; b) praesentem

---

1 Disp. II, Dub. I, § 1.

2 D. Th., I-II, q. XVIII, a. 9; *De Malo*, q. II, a. 4, et 5; II *Sent. Dist.* XL, a. 5; IV *Sent. Dist.* XXVI, q. I, a. 4; Viguerius, *Institut. ad Nat. et Christ. Philos., De Volunt. hum.* c. III, § 7, ver. 5.; Cajetanus, in a. 9, q. XVIII, I-II. D. Th.; Suarez, *Disp.* X, sect. III, n. 10, ubi approbat simpliciter sententiam D. Th., quae «est per se, ac simpliciter loquendo, probabilior, dictisque Sanctorum et sacrae Scripturae conformior»; Valentia, q. XIII, Punct. VI; Benedict. Schmier, O. S. B., t. 2, Tract. X, q. XVII, *Sacrae Theologiae Scholastico. Polemico-Practicae* (Augustae Vindelicorum 1737); Gonet, *Disp.* V, art. unic.; Gotti, *Tract.* II, q. III, Dub. VI, § 2; Billuart, *Diss.* IV, a. 6; Doctores Nostri omnes, nullo excepto, sic Salmantic., *Disp.* VII, Dub. II; Andreas a Cruce, *Disp.* 109; Paulus a Concept., *Tract.*, X, *Disp.* III, Dub. III; Joseph a Matre Dei, *Tract.* XVIII, *Disp.* III, Dub. II, etc; Lehmkuhl, *Theolog. Moralis* (Friburgi Brisgoviae 1888 ed 5.ª) vol. I, *Tract.* I, *De act. hum. eorumque moralitate*, c. III, § 3, n. 39; idem, Compendium, n. 32; Bouquillon, lib. IV, sect. II, c. II, a. 1; Haine, p. II, c. unic. a. 2, q. 38; Tanquerey, n. 191; Wirceburgenses, *De act. hum.* c. III, a. 2, n. 156; Ex Philosophis omnes Thomistae, extranei quoque communissime, ut Costa-Rossetti, *Philos. Moral*, thes. XXVI; Tongiorgi, *Ethica* c. III, a. 4, prop. II; Liberatore, c. II, a. 4, prop. 2; Signoriello, *Philos. Mor.* p. I, c. III, a. 2, n. 98; S. Schiffini, *Disput. Philos. Mor. Disp.* II, sect. VI; Meyer, *Jus. Nat.*, lib. II, c. I, a. 2, § 1; Catrhein, c. III, a. 4, § 4; Farges et D. Barbedette, c. II, a. 3, B.; Willems, lib. II, § 3, c. III, sect. III; Ferretti, c. III, a. 6; De Bie, c. III, a. 3, § 4; Castelein, *Philosophia moralis et socialis*, Thesis V; Farges, *La liberté et le devoir*, pag. 303.

3 Salmantic., Disp. VII, Dub. II, n. 15.

controversiam pendere ex altiori radice, de qua alibi mentionem injecimus, an scilicet necessaria sit positiva operis relatio, saltem virtualis implicita, ut opus dicatur bonum. Qui enim opinantur hominem non teneri ad positivam relationem operum in finem honestum, qui sive mediate sive immediate sit ultimus, sed sufficere ajunt negativam relationem, seu meram referibilitatem ad hoc, ut, etsi non bonus, non tamen malus censeatur, illi actus indifferentes non tantum abstracte, sed etiam in individuo, et quidem logice, adsciscunt. Nos autem qui praedictam positionem vehementer improbamus, nam, ut ex dictis liquet, omnis actus deliberatus qui positiva explicita vel saltem implicita relatione caret, eo ipso, malus est, actus indifferentes in individuo non admittimus; c) neque ob id, nostram sententiam rigidiorem, contrariam vero «magis consonam humanae fragilitati et statui tot distractionum, benignitati item divinae circa nos Providentiae conformiorem», reputamus, ut *Schwarz* et *Casanova* opinantur; sed illam dicimus, non tantum nobiliorem et digniorem homini rationali, ut citati auctores ultro libenterque fatentur [1], sed etiam benigniorem suavioremque prae opposita; d) quaestionem solum actus humanos, non autem *actus hominis,* respicere, quia si non procedit actus, inquit *Angelicus,* a ratione deliberata, sed ex quadam imaginatione, sicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum aut pedem, talis actus non est proprie loquendo moralis vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione, et *sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens* [2].

9. Hisce praenotatis, dicimus cum eodem *S. Doctore:*

Thesis III. Si loquamur de actu morali secundum individuum, sic quilibet particularis actus moralis necesse est quod sit bonus vel malus [3].

Prob. 1) Tunc actus humanus consideratur concrete seu in individuo, juxta superius dicta, cum illis omnibus accidentibus vestitur, quibuscum in exercitio activitatis humanae associatus apparet, vel, ut loquitur *Cajetanus,* cum est *circumstantiatus;* atqui «non potest contingere quod actus singularis sine circumstantiis fiat, quae ipsum rectum faciant vel indirectum. Si enim fiat quodcumque quando oportet, et ubi oportet, et sicut oportet, etc, hujusmodi actus est ordinatus et bonus; si vero aliquid horum deficiat, actus est inordinatus et malus» [4]. Ergo, si loquamur de actibus humanis in concreto, quilibet actus est bonus vel malus nullusque indifferens.

---

1 Schwarz, *Institut. Juris Public. Univers.* p. I, tit. I, *Instruct.* II, § 3, Casanova, *Ethica Gener.* c. I, a. 4, n. 45, ubi etiam fatetur Scotistarum sententiam esse *minus communem inter Philosophos.*

2 q. XVIII, a. 9.

3 *De Malo,* q. II, a. 5.

4 D. Th. *De Malo,* q. II, a. 5.

2) Iisdem *S. Thomae* verbis: «Cum rationis sit ordinare, actus a deliberativa ratione procedens, si non sit ad debitum finem ordinatum, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali. Si vero ordinetur ad debitum finem convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum» [1].

Vel, ut *Cajetanus* exponit: Ratio deliberativa, quando agit, debet agere propter debitum finem, quia debet ex ratione recta; recta autem ratio dictat quod unicuique detur quod sibi debetur, ac per hoc quod actio ordinetur in finem debitum. Si ergo agit et non propter debitum finem, ergo privat actionem fine debito, quando oportet; hoc autem est manifeste malum contrarie, sicut privare hominem de bono sibi debito [2]. Ergo inter actiones bonas et malas in individuo non datur medium.

Confirmatur. Uti vides, praefata *Angelici Doctoris* argumentatio tota nititur hoc principio: ratio deliberativa, seu homo deliberate agens, tenetur semper agere propter debitum finem. Id autem vel ex eo constat quod homo deliberate agens tenetur operari ut homo, et ideo juxta exigentiam et inclinationem naturae rationalis. *Inest autem cuilibet homini inclinatio naturalis ad hoc quod agat secundum rationem; ratio vero est ordinativa omnium quae ad hominem spectant* [3]; ergo ejus est operari propter finem homini convenientem, atque in hunc finem actiones humanas dirigere; secus actiones deliberatae non commensurantur suo principio ideoque non sunt rectae sed malae.

Age vero: Actiones deliberatae sunt actiones humanae, quarum regula necessaria est recta ratio; ergo aut huic regulae conformantur et tunc erunt bonae, aut non conformantur; sed non conformari regulae, cui commensuratae esse debent, malum est; ergo actiones deliberatae aut sunt bonae aut malae; non dantur ergo actus in concreto indifferentes.

10. **Sed dices:** quis potest operari non propter finem; v. gr. dando eleemosynam pauperi, nihil cogitando de fine; tunc autem actio non est mala, quia non est propter indebitum finem; non est bona, quia deficit debita circumstantia; ergo indifferens.

Resp. nego major., scilicet quod quis *deliberate* (de quo est quaestio) operetur et non propter finem; vel si mavis, disting.: actu et explicite, concedo; virtualiter et implicite, nego. «Exemplum vero pro ratione implicat, inquit *Cajetanus;* quia si quis det eleemosynam pauperi et non propter ma-

1 I-II, q. cit. a. 9.
2 ib. § Praeterea.
3 I-II, q. XCIV, a. 3et a. 2, ad 3; Cfr. Castelein, loc. cit. pag. 78.

lum finem, et nihil cogitet de fine actualiter, non propter hoc agit non propter finem; quia aut agit propter finem virtualiter, aut agit propter finem quod est objectum: jam enim dictum est quod objectum voluntatis est finis, dat enim eleemosynam pauperi ut det eleemosynam pauperi; hoc autem constat esse bonum. Implicat ergo dicere actum humanum absque fine» [1].

Instabis: Dato quod homo in suis actionibus deliberatis semper operetur saltem virtualiter et implicite propter finem, hic finis potest esse indifferens; ergo nullam bonitatem neque malitiam potest in actum derivare, quo in casu actus etiam in individuo esset indifferens.

Resp. nego antec. Implicat enim quod actus sit propter finem et quod finis sit indifferens, Audi *Aquinatem* similem objectionem solventem: «Dicendum quod, cum nihil appetatur nisi in quantum est bonum, impossibile est quod finis, ad quem ordinatur actio ex deliberatione, sit indifferens. Quia vel *ratio decipitur et judicat esse bonum sibi quod non est bonum;* et hoc non est, nisi quando finis est malus discordans a rationis rectitudine, quamvis hoc quod desideratur forte sit bonum desideranti secundum aliquid sui, ut secundum gustum vel secundum tactum delectabile: vel *est bonum simpliciter,* et sic etiam actus ex fine erit bonus» [2].

11. **Corollarium.** Jam ergo: posito quod omnis actio deliberata sit saltem virtualiter propter finem cognitum, qui indifferens esse nequit, sed bonus, si rectae rationis judicio reguletur, malus vero, si ab hac rectitudine deflectat, sequitur omnes actiones in individuo esse bonas vel malas; atque ulterius infertur actiones, quas ***Scotistae*** indifferentes nuncupant, v. gr. actiones ludicrae, jocosae, actus *virtutis politicae,* ut si quis *alicui loquatur ex quadam civili amicitia, vel etiam aliquod opus amicabile ad ipsum exerceat,* ut verbis utamur ***Angelici,*** esse actiones bonas; quo fit ut nostra sententia sit prae opposita suavior atque benignior.

Etenim constat ex supradictis sufficere quod homo intendat implicite bonum honestum alias aliqua positiva circumstantia non deturpatum, quin necesse sit ut propter ipsam formalem honestatem operetur, ad hoc quod actio bona dicatur et sit; nam, ut signanter docet ***Angelicus,*** *omnis finis a ratione deliberativa intentus pertinet ad bonum alicujus virtutis, vel ad malum alicujus vitii. Nam hoc ipsum quod aliquis agit ordinate ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis,* et idem patet in aliis [3].

In nostra igitur sententia, ut actio mala nuncupetur, requiritur quod bonum intentum sit *contrarium* bono honesto, quod est secundum

---

1 loc. cit. § Ad primum autem inductorum.
2 II *Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 5 ad 5.
3 I-II, q. XVIII, a. 9 ad 3.

rationem, vel quod non sit recta ratione regulatum; quod si explicite aut tantum implicite ad bonum honestum ordinetur referaturque, fit propter debitum finem, adeoque actio apud nos bona dicitur [1].

12. Objectiones.

I. Non datur species quae sub se non habeat aliquod individuum; atqui dantur actus in specie indifferentes; ergo etiam in individuo. Ita *Vazquez*, *Burlamachius* aliique.

Resp. disting. major. Nulla datur species quae sub se non contineat aliquod individuum, cum illa abstractione quae est in specie, concedo; sine illa abstractione et cum differentiis individualibus speciei superadditis, nego. Et ad minorem: dantur actus ex sua specie indifferentes ita ut ex sua natura exigant esse tales, nego; quatenus per mentis abstractionem vel ex objecto non sint neque boni neque mali, concedo [2]. Cfr. quae dicta sunt circa primam thesim hujus art.

Ex quo inferes: *Barbeyrac* aliosque Protestantes non satis intellexisse, aut intelligere noluisse, doctrinam *Scholasticorum*, quos vehementer irridet. Alius siquidem est status speciei, alius individui; species enim est cum praecisione et illa tantum complectitur quae sunt de ratione ejus; individuus vero esse non potest absque differentiis quibusdam speciei superadditis. Ergo et actus, licet in specie seu ex objecto consideratus possit determinatam moralitatem non induere, in concreto tamen necesse est quod talem differentiam boni scilicet vel mali habeat.

II. Potest quis actionem deliberatam exercere ob finem delectationis, non excludendo positive finem honestum, uti sunt actiones positae ob commoditatem naturae, ludere, capitis purgamenta naribus projicere, sputis reumata jacere, scalpere barbam, quietem sumere etc.; atqui haec et similia sunt actus indifferentes in individuo. Probatur. Non sunt boni quia non referuntur in finem honestum et ultimum; sed neque mali, quia exclusio negativa ulterioris finis non vitiat actum; ergo indifferentes.

Resp. Concedo majorem et nego minorem. Ad probat. disting.: si neque explicite, neque implicite referuntur in finem honestum, concedo; si secus, non sunt boni, nego. Praedicti actus, si ad rectam corporis dispositionem aut alium finem honestum, aliqua saltem ratione, fuerint necessarii, et in his debitus modus et mensura servetur, licet de eorum fine actu non cogitetur, sunt boni; si autem debitus modus et mensura praetergrediantur, erunt determinate mali. Et ratio est, quia actus a ratione deliberativa procedentes ob commodum naturae sunt quidem propter finem; ergo aut honestum aut delectabile; commodum enim naturae seu bonum utile, qua tale, *finis* esse non potest, sed tantum *medium*. De ratione autem boni delectabilis est quod honesto subordinetur; turpe namque et indignum videtur

---

1 Cfr. S. Th., II *Sent. Dist.* XL, a. 5, et Salmantic. Disp. VIII, Dub. II, § Praeclu-ditur responsio Gabrielis Vazquez.

2 q. cit. *De Malo*, a 5.

quod homo in suis actionibus deliberatis sistat in bono delectabili, ratioque dirigat operationem suam ad commodum praecise sensibile et animale[1].

Ceterum, semel et iterum animadvertimus sufficere relationem implicitam, quae non est adeo difficilis ut adversarii fingunt, siquidem dum commodis naturae temperate utitur agens, censetur ea ad rectae rationis normam assumere atque ideo in bonum honestum,quod solum habet rationem ultimi, dirigere.

III. Nullum adest praeceptum referendi omnem actum liberum ad finem honestum; nam, si daretur, esset vel positivum vel naturale; non primum, cum ex Scriptura non constet; neque secundum, quia ad nullum ex praeceptis Decalogi, ubi naturalia continentur, spectat; ergo possunt dari actus indifferentes in individuo.

Respond. nego antecedens. Constat enim ex rationibus allatis verum adesse praeceptum. «Quod adhuc possumus colligere, inquiunt *Salmantic.*, ex his quae cernimus in agentibus naturalibus. Nam sicut hujusmodi agentia determinantur ab auctore naturae ad proprios actus naturali inclinatione, ita agens liberum determinatur per leges et praecepta; videmus autem quod agentia naturalia recipiunt ab auctore naturae inclinationem, ut per omnes suos actus tendant ad proprios fines consonos suis naturis: ergo etiam agens rationale et liberum debuit habere praecepta et legem ut omnibus suis actibus tendat ad finem consonum naturae rationali, quod est bonum honestum; neque enim minus spectat ad naturae auctorem dare agentibus liberis pro omnibus suis actibus determinationem moralem, quae est per praeceptum, quam agentibus naturalibus per naturalem inclinationem..... Ex quibus etiam constat praedictum praeceptum esse *naturale*. Pertinet autem ad primum Decalogi, et non obscure continetur in illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis*»[2].

13. **Brevis hujus Disput. recapitulatio.** Haec quae de esse morali actuum humanorum instituta est Disputatio quatuor quaestionibus absolvitur in quibus gradatim statutum est: a) indubiam esse moralitatis existentiam;—essentiale vigere discrimen inter bonum et malum;—essentiam moralitatis, supposita libertate quae est conditio sine qua non, consistere in relatione intrinseca transcendentali actus humani ad objectum subditum regulis morum;—proximum et formale specificativum ipsius esse objectum;—praeter moralitatem formalem actus, aliam existere in objectis moralitatem, quae ideo objectiva appellatur: b) duplici norma objectiva nempe et subjectiva distincta, probatum reliquimus moralitatem actionum non pendere, ceu a supremo criterio, nec a legibus civilibus, nec ab opinione populo-

---

1 loc. cit. Dub. II, § III.

2 ib. § V. Cfr. alia argumenta ibidem adducta.

rum, aut a divina voluntate; sed intrinsecum adesse discrimen inter bonitatem et malitiam quarumdam actionum, quae ideo converti non possunt nec aliqua voluntate, pacto, lege aut conventione mutari;—proindeque earum normam remotam sumendam esse ex objectiva et absoluta conformitate actus cum divina ratione, proxime vero ex convenientia aut difformitate cum ratione humana practica;—falsitatis convinci plura auctorum effata, quae ab ipsis tanquam suprema moralitatis principia laudantur;—primum et supremum principium morale his verbis exprimi: Bonum est faciendum, malum vitandum;—erroneas esse Sensistarum, Scholae Scoticae et Sentimentalistarum sententias circa criterium subjectivum seu manifestativum moralitatis;—cognoscere et judicare de moralitate actuum humanorum solum intellectui competere: c) tres esse fontes moralitatis: objectum, a quo actus primam et essentialem moralitatem desumit, circumstantiam et finem operantis.—Actionem esse bonam vel malam ex fine causaliter.—Actum exteriorem per se nullam addere bonitatem aut malitiam actui interiori, aliquam tamen addere per accidens, ratione multiplicationis actuum, diuturnitatis aut intensitatis: d) denique, moralitatem adaequate dividi in bonitatem et malitiam; dari quidem actus indifferentes in specie, non vero, juxta communiorem sententiam, in individuo;—adesse praeceptum naturale dirigendi omnes actiones deliberatas in finem honestum seu in bonum conveniens homini secundum rationem, ad quam pertinet regulare motus aliarum virium ut omnes conspirent sub ejus imperio in bonum naturae rationalis, sicque mediate vel immediate, explicite vel implicite, omnia referantur ad Deum, principium et causam omnium entium et operationum, et adimpleatur illud Apostoli ajentis ad Cor. (I, c. X, 31): *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

DISPUTATIO IV

DE ACTIBUS HUMANIS IN ORDINE AD EORUM PRINCIPIUM EXTRINSECUM SEU DE LEGE MORALI [1].

Prologus. Moralitatis notione praejacta, superest nunc, juxta ordinem superius definitum, ea, quae ad principium regulativum actuum humanorum spectant, breviter exponere. Regula autem humanorum actuum est duplex, una *proxima* et *homogenea*, recta nimirum ratio seu conscientia; altera vero *remota* et *heterogenea*, lex nempe, quae, ajente ***Angelico Praeceptore,*** «nihil aliud est quam quaedam ratio et regula operandi» [2]. Ad hanc primo, et quidem logice, sermonem convertimus; conscientia namque supponit leges *objective, materialiter* et *in actu primo* jam obligantes, cum proprium ejus sit universalia legis praecepta ad opus hic et nunc ponendum applicare ut *proxime* et *formaliter* obligent.

Verum leges considerari possunt in *genere* et in *specie*. Itaque praesens Disputatio duas complectitur quaestiones: I.ª de *natura et proprietatibus legis:* II.ª de *diversis legum speciebus.*

---

1 Cfr. D. Th. I-II, q. XC—CVIII; Commentatores Summae Theologicae; videantur quoque *Theologi Moralistae*, ut Salmantic., Tract. XI; Laymann, *Theologia Moralis*, lib. I, Tract. IV; Antonius a S. Joseph, *Compendium Salmantic.*, Tract. III, c. I-VIII (ed. 7.ª 1817); Gabriel a S. Vincent. in I-II, D. Th. Disp. XXII-V; recentiores, Ern. Muller, *Theologia Moralis* (ed. 7.ª recognovit Adolphus Schmuckenschlaeger, Vindobonae 1894), lib. I, Tract. III, c. I; Bouquillon, *Theolog. Mor. Fundam.* Lib. III, *De regulis in finem*; Tanquerey, *Synopsis Theolog. Mor.* De Legibus, n. 206-948; Haine, *Theologiae Moralis elementa*, De Legibus, q. 1-107; Miguel Saralegui, O. P. *Comentarios* al P. Larraga (2.ª ed. Avila 1911), I, p. Tratado III, c. I-VI; Gury-Ferreres, *Comp. Theolog. Mor.* Tract. de Legibus, n. 81-141, (6.ª ed. Barcinone 1913). Consulantur inter Juristas, Nicolaus Rodriguez Formosinus, *Opera omnia* (ed. altera) t. I. Ad tit. de Constitutionibus, Praemissum; Schmalzgrueber, *Jus Ecclesiasticum Universum*, t. 1. Diss. Prooemialis; recentiores omnes; inter philosophos Cicero de *Legibus*; Goudin, *Ethica*, q. IV, a. 3; Roselli, *Ethica*, q. IV; Bautain, *Philosophie des Lois*, chap. I; Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, c. 53; Taparelli, *Ensayo Teórico de Derecho Natural*, lib. I, c. 5; Corsini, *Institut. Philos.*, Disp. II, c. V; Castelló, *Filos. Mor.* p. I, c. VI, a. 1; Farges et D. Barbedette, *Ethica Gen.*, c. II; J. De Bie, *Philos. Mor. Gen.* c. V; Paulino Alvarez, O. P., *La ley*, (Conferencias predic. en S. José de Madrid 1894) aliique.

2 *Contra Gent.*, lib. III. c. 114.

QUAESTIO I.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS

Quaestionis partitio. Quemadmodum ex titulo ipso quaestionis satis apparet, praemittenda sunt quae ad perfectam legis notionem attinent, ut omnibus pateat intrinseca ejus natura, quae nonnisi per definitionem manifestatur: postmodum vero characteres seu proprietates quibus lex, ut obliget, ornari debet, explicabimus.

Articulus I

Legis moralis notio [1].

Summa rerum. 1. *Quid nominis—triplex etymologia.* 2. *Variae legis acceptiones.* 3. *Leges physicae et morales.* 4. *Carpitur Spinoza.* 5. *Realis definitio legis—exhibentur falsae aut incompletae quaedam definitiones* (Rousseau, Scholae Liberalis, Hobbesii, Rationalisticae, Materialistarum, Montesquieu, de Maistre). 6. *Optima S. Thomae definitio.—Breviter probatur recitatam definitionem esse rectam.—Perpenduntur singula verba A) B) C) D).*

1. **Quid nominis.** Si etymon spectemus, lex dicitur, secundum ***S. Isidorum,*** a *legendo,* quia, cum ferretur, populo legebatur, ut omnibus innotesceret, vel, quia scripta est, ut subjicit ipsemet Doctor ***Hispalensis*** [2], sive in chartula sive in cordibus hominum. Juxta ***S. Augustinum,*** lex derivatur ab *eligendo,* quia lex ostendit unicuique quid eligendum sit [3]. Consonat ***Cicero*** inquiens: «ut illi (graeci) *aequitatis,* sic nos *delectus* vim in lege ponimus, et proprium tamen utrumque legis est [4]. Communiter tamen lex dicitur a *ligando,* quia obligat ad agendum, inquit ***D. Thomas;*** lex enim est quaedam regula et mensura actuum secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur [5].

---

1 Totam materiam de Legibus solide et erudite perlustrat Eximius Doctor (Opera omnia, tom. 5 et 6), idcirco lectori valde commendamus, praesertim, quoad nostrum attinet institutum, priores quinque libros.

2 *Etymol.*, lib. II, c. X, et in V, c. III.

3 q. XX, *in Levit.*

4 *De Leg.* lib. VI, 6.

5 I-II, q. XC, a. 1. Cfr. Valentia, Disp. VII, q. I, Punct. I.

«Ley tanto quiere decir como leyenda en que yace enseñamiento e castigo escripto que liga e apremia la vida del home, que no faga mal, e muestra e enseña el bien que el home debe facer e usar: e otrosi es dicha ley porque todos los mandamientos della deben ser leales e derechos e complidos segun Dios e segun justicia». Alfonso el Sabio, Partida I. titulo I, ley IV.

2. **Diversae legis acceptiones.** Lex diversimode accipitur: 1.° latissime, pro norma cujuscumque actionis, quo sensu vere dicitur cum *S. Bernardo:* «nihil sine lege relinquitur», omnia quippe creata suis reguntur legibus: sic dantur in mundo leges *gravitatis, repulsionis, attractionis* etc.; 2.° lato sensu significat normam sive regulam applicatam operibus artis, v. gr. leges poesis, eloquentiae, picturae, et hujusmodi: 3.° sumitur quoque pro quocumque mandato, vel etiam pro ipso opere praecepto: 4.° pro libro leges praeceptaque continente: 5.° pro inclinatione rei sive bona sive mala, quo sensu dicit Apostolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*[1]: 6.° denique sumitur lex propriissime pro regula actionum humanarum vinculum vel obligationem moralem inducens; quae quidem acceptio diversissima est ab aliis acceptionibus siquidem in iis regulat actiones non liberas quae, sicut physica determinatione diriguntur in finem, physicam tantum obligationem patiuntur.

3. Itaque aliae sunt leges *physicae,* quibus natura irrationalis gubernatur; aliae, longe diversae, leges *morales,* quae rationali creaturae praescribuntur, ut per ipsas convenienter dirigatur in finem.

4. Perperam igitur utrasque confundit permiscetque *Spinoza*, «nullam agnoscens differentiam inter homines et reliqua naturae individua, neque inter homines ratione praeditos et inter alios qui veram rationem ignorant»[2]. Ad id vero rejiciendum sufficit considerare modum quo, tum homo, tum res inanimae, brutaque irrationalia suas exercent operationes. Cum enim homo sit propriarum actionum dominus, per rationem et liberum arbitrium libere eas in finem intentum et a se cognitum dirigit; aliae autem res necessario aguntur in finem nec est in earum potestate sic vel aliter operari[3]. Praesens quaestio ad leges morales contrahitur.

5. **Realis definitio.** Erroneae prorsus aut incompletae reperiuntur innumerae pene legis definitiones a philosophis antischolasticis nuper compositae. Sic, qui regalismum vel tyrannidem quomodolibet patrocinantur, legem a voluntate omnino dependentem faciunt, ut, voluntate autonoma existente, independens quoque sit legis constitutivum et forma. Hinc, juxta *Rousseau*, lex nihil est aliud quam *expressio seu summa voluntatum;* unusquisque enim partem cedit suae voluntatis, et omnes, libera electione, paucis committunt ut ministerialiter et nomine populi propriam potestatem legislativam exerceant; en *potentatus populi,* seu *suprematia popularis.* Huic affinis est definitio *Scholae liberalis* reponentis legem *in collectione rationum individualium,* ad quam collectionem seu summam rationum habendam inductum est *Suffragium universale.* Praeiverat *Hobbesius* distinctionem intrinsecam boni et mali interdicens et legis efficaciam a princi-

1 Rom. VII. 23.
2 *Tract. Theolog. polit.*, c. XVI. Cfr. D'Hust, *Conferences de N.-D.* 1891, Conf. 4.
3 S. Th., IV *Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. I.

pum voluntate repetens: *Reges* enim, ajebat, *quae imperant, justa faciunt imperando, quae vetant, injusta prohibendo.* Longius ire gloriantur *Rationalistae,* qui nullam aliam, praeter suam rationem, legem agnoscunt, et *Materialistae* quibus lex nihil aliud esse potest quam *materialium virium summa,* seu potentia fortioris. Item, ut incompleta et falsa carpitur definitio cl. de *Maistre,* licet mens praeclarissimi auctoris longe distet ab illis doctrinis a quibus, tanquam a fonte rivuli, promanant immoralitas, revolutiones et anarchia Statuum acatholicorum. Etenim lex, juxta ipsum, est *voluntas legislatoris subditis manifestata, ut vitam suam ipsi in omnibus conformari curent.* Denique a vero quoque deviat *Montesquieu* docens legem consistere *in necessariis relationibus, quae ex natura humana proficiscuntur*[1].

6. Optima autem legis definitio, longa saeculorum experientia et omnium philosophorum calculo probata, hisce aureis Aquinatensis verbis exprimitur: *Quaedam rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata*[2]. Nihil brevius nihil clarius. In hac magistrali definitione, utpote recta et adaequata, omnes legis causas designatas reperies. Nam causa *formalis intrinseca* illis verbis *ordinatio rationis* exprimitur: *finalis* vero designatur per illa *ad bonum commune: efficiens* per particulas *ab eo qui curam habet communitatis:* causa *materialis subjectiva* est *ipsamet ratio seu intellectus,* cujus lex est actus: *materialis objectiva* res circa quas leges feruntur: *formalis extrinseca* sunt verba vel signa quibus rationis imperium manifestatur. Denique, *τό promulgata* vel est conditio sine qua non, ut nonnulli censent, vel ipsam causam formalem ingreditur, ut aliis placet.

Hanc definitionem, inter alias tradi solitas facile principem, libenter nunc evolvendam suscipimus. Nam etsi plures aliae apud Jurisperitos passim circumferantur, quarum quaedam ut absolute perfectae merito laudantur, v. gr. egregia illa ***Suarezii:*** *Commune praeceptum justum ac stabile, sufficienter promulgatum*[3], et ipsemet ***Angelicus*** legem definierit: *regula et mensura secundum quam aliquis inducitur ad agendum vel ab agendo retrahitur*[4], et, *dictamen practicae rationis in principe qui gubernat aliquam communitatem perfectam*[5], nulla tamen plenior hactenus

1 Plures alias minus rectas definitiones passim invenies.

2 I-II, q. XC, a. 4.

3 *De leg.* lib. I, c. XII.

4 q. XC, a. I.

5 q. XCI, a. I; sex definitiones exhibet Valentia loc. cit. Punct. II. «Est enim lex ratio omni perturbatione vacua a mente divina hausta, honesta et salutaria praescribens prohibensque contraria». Joan. de Mariana, Hispan. S. J. *De Rege et Regis Institutione,* lib. III, ad *Philippum III Hispan. Regem. Cathol.* (Toleti, 1599), c. II. Taparelli sequentem definitionem praebet: «Una justa dirección comunicada a inteligencias dependientes por otra razón superior para conducirlas a su fin, o sea, al bien del todo» loc. cit. c. V, n. 115.

inventa est et ad legis naturam explicandam aptius accommodata. «In hac enim oratione et genus legis exprimitur, et finis, et causa, et positionis forma», inquit *Dominicus Soto, O. P.*[1]

A)

Expenditur illud definitionis verbum

RATIONIS ORDINATIO.

Summa rerum. 1. *Quo sensu lex dicitur rationis ordinatio.* 2. *Praejactae assertiones breviter probantur.* 3. *Ordinatio activa et passiva—directiva et impulsiva seu obligatoria.—Ex his, quae ad rationem legis sit necessaria.* 4. *Consectaria: a)* per praedictum legis conceptum exsibilantur despotismus et absolutismus; *b)* Materialismus; *c)* placita scholae pseudopoliticae Liberalium. 5. *A conceptu legis nullatenus excluditur voluntas—expenditur et probatur.* 6. *Quam partem habeat voluntas in ratione legis—triplex sententia.—Thomistica praeeligitur.*

1. Lex dicitur imprimis *rationis ordinatio* ut indicetur *a)* ejusdem origo, *b)* proprium et principale subjectum, *c)* primumque elementum. Etenim lex 1) a ratione procedit tanquam a causa efficiente; 2) est in ipsa primo et principaliter ut in subjecto; et 3) est aliquid per rationem constitutum.

2. **Probantur breviter praecedentes assertiones.** 1) Lex, secundum communem conceptum, est «quaedam regula et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur; dicitur enim lex a ligando quia obligat ad agendum. Regula autem et mensura humanorum actuum est ratio, quae est principium primum actuum humanorum». «Unde relinquitur quod lex sit aliquid pertinens

---

1 *De justitia et jure*, llb. I, q. I, a. 1. (Salmanticae, 1568). Hanc definitionem expendens Jac. Balmes sequentia pereleganter scribit in laudem S. Thomae: «El gran tipo de las escuelas teológicas, el modelo de donde no han apartado sus ojos durante muchos siglos son las obras de Santo Tomás de Aquino; y con entera confianza podemos retar a nuestros adversarios, a que nos presenten un jurista ni un filósofo, donde se hallen expuestos con más lucidez, con más cordura, con más noble independencia y generosa elevación, los principios a que debe atenerse el poder civil. Su tratado de las leyes es un trabajo inmortal; y a quien le haya comprendido a fondo, nada le queda que saber con respecto a los grandes principios que deben guiar al legislador...

Como la indicada definición es un resumen de toda su doctrina, y es además la norma que ha dirigido a todos los teólogos, puede ser mirada como un compendio de las doctrinas teológicas en sus relaciones con las facultades del poder civil y presenta de un golpe cuáles eran, bajo este aspecto, los principios dominantes entre los católicos». *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, c. 53.

ad rationem» [1]. 2) «Cum lex sit regula quaedam et mensura, dicitur *dupliciter* esse in aliquo: uno modo sicut in *mensurante et regulante;* et quia hoc est proprium rationis, ideo per hunc modum lex est in *ratione sola;* alio modo sicut in *regulato et mensurato;* et sic lex est in omnibus quae inclinantur in aliquid ex aliqua lege; ita quod quaelibet inclinatio proveniens ex aliqua lege potest dici lex, non tamen essentialiter, sed quasi *participative*» [2]. 3) Legis est ordinare actus humanos in finem debitum; atqui ordinare rationis est, non voluntatis nec alterius potentiae; ergo lex est opus rationis [3].

3. Verum ordinatio potest sumi *active* et *passive,* quatenus inducit ordinem vel accipitur pro ipso ordine in actibus humanis constituto. Lex autem est ordinatio *activa* imperans aliquid exequendum. Unde praedictum rationis opus non est simplicis dumtaxat considerationis sed est *verum dictamen rationis practicae* [4]. Apposite ***D. Th.:*** «Sicut in actibus exterioribus est considerare *operationem* et *operatum,* puta aedificationem et aedificatum, ita in operibus rationis est considerare *ipsum actum rationis,* qui est intelligere et ratiocinari, et *aliquid per hujusmodi actum constitutum.* Id autem in speculativis est definitio, propositio etc. Ergo in ratione practica est etiam invenire aliquid quod ita se habeat ad operationes sicut se habet propositio in ratione speculativa ad conclusiones: et *hujusmodi propositiones universales rationis practicae ordinatae ad actiones habent rationem legis*».

Ordinatio autem quae spectat ad rationem legis non tantum est *directiva,* sed etiam *obligatoria;* in hoc enim distinguitur a simplici regula, quod haec dirigit solummodo operantem, illa vero dirigit et imperat ad agendum [5].

Hinc lex non est ipsa potentia rationalis, nec pura ejusdem manifestatio, sed est ordinatio seu praescriptio auctoritativa (una ordenanza) indicans et denuntians subditis aliquid agendum vel omittendum. Vel, ut paucis comprehendit Philosophus: *lex est sermo ab aliqua mente profectus qui vim habet cogentem:* *Ὁ δὲ νόμος ἀναγκαστικὴν ἔχει δυναμιν, λόγος ὢν ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ* [6].

---

1 D. Th. I-II, q. XC, a. 1. 2 ib. ad 1.

3 «Secundum Philosophum, ordinare sapientis est; ordinatio enim aliquorum fieri non potest nisi per cognitionem habitudinis et proportionis ordinatorum ad invicem et ad aliquid altius quod est finis eorum: ordo enim aliquorum ad invicem est propter ordinem eorum ad finem; cognoscere autem habitudines et proportiones aliquorum ad invicem est solius habentis intellectum: judicare autem de aliquibus per causam altissimam, sapientiae est; et sic oportet quod omnis ordinatio per sapientiam alicujus intelligentis fiat». *Contra Gent.* lib. II, c. 24. 4 q. XCI, a. 3.

5 Cfr. D. Th., I-II, q. XVII, a. 1; ib. q. XCVII, a. 3; II-II, q. LXXXVIII, a. 1; Brevius autem I-II, q. XC, a. 3, ad 1.

6 X *Ethic.,* c. IX (ed. Didon).

4. **Inde consequitur:** *a)* Hoc formali essentialique legis charactere constituto, ultra non esse locum *despotismo* decreta pro libito ferenti, nec *tyrannidi* condenti leges secundum effrenatarum passionum libidinem, falsumque omnino proditur illud poetae:

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas;

imo, via intercluditur *regalismo exaggerato;* princeps enim, etsi supremus, rationis praescripto alligatur, nec potest aliter operari, nisi velit injustas, adeoque nullas, condere leges. Corrigenda ergo est celebris illa sententia: *Quod principi placuit, legis habet vigorem;*

b) cum natura legis minime componi nec ejusdem definitionem ingredi posse vim quamlibet materialem; ideoque recte proscribi in *Syllabo* propositionem LX: *Auctoritas nihil aliud est nisi numerus et materialium virium summa.* Si bene consideratur, inquit *Balmes*[1], despotismus, arbitrarietas et tyrannica dominatio non sunt nisi defectus rationis in potestate, sunt dominium voluntatis. Cum enim ratio imperat adest legalitas, adest libertas; cum sola voluntas praecipit adest ilegalitas, injustitia, despotismus. Quamobrem essentiale est omni legi quod sit conformis rationi, ejusdem emanatio, rectaque ad societatem gubernandam applicatio.

c) Per hanc primam particulam definitionis *Aquinatensis* exsibilari placita scholae pseudopoliticae *Rousseau* et *Liberalium* provectiorum, juxta quam, lex, ut diximus, non est nisi summa voluntatum vel rationum individualium. Hanc autem doctrinam ansam praebere vel anarchiae in democratia vel tyrannidi in monarchia lugenda experientia comprobatur; ipsa quoque in summis principibus imperante, omnes fere leges injustas et egoismo deservientes fore nemo est qui ambigat. «Si populorum jussis, si principium decretis, si sententiis judicum, ajebat *Cicero,* jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur[2]. Imo, ex hac exitiali doctrina exitialius consectarium sequeretur; omnia scilicet facta humana, sive justa, sive injusta et prorsus immania, publica auctoritate sancita, legis vim habere. Quod pariter proscriptum reperimus in *Syllabo* (prop. LIX), *Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.*

5. Ceterum, per praedictam particulam *nullatenus excluditur voluntas a ratione legis.* Nam in doctrina *S. Thomae,* quamvis imperium sit essentialiter actus rationis, praesupponit tamen actum voluntatis, unde ipsemet litteraliter docet quod *omnis lex proficiscitur a ratione et voluntate legislatoris*[3]. Idque probari potest verbis ipsius *Aquinatensis.* «Ratio, inquit, habet vim movendi a voluntate. Ex hoc enim quod aliquis vult finem, ratio imperat de his quae sunt ad finem. Sed

1 loc. cit.
2 *De Legib.*, lib. I, 16.
3 I-II, q. XCVII, a. 3.

voluntas de his quae imperantur, ad hoc quod legis rationem habeat, oportet quod sit aliqua ratione regulata. Et hoc modo intelligitur quod «voluntas principis habet vigorem legis, alioquin voluntas principis magis esset iniquitas quam lex» [1]. Voluntas ergo sola non est causa formalis aut constitutiva legis, alioquin lex cito degeneraret in tyrannidem, nec esset lex. Nam, ut recte animadvertit ***S. Doctor,*** *lex tyrannica, cum non sit secundum rationem, non est simpliciter lex, sed magis est quaedam perversitas legis* [2]. E contra, posita ratione tanquam elementum constitutivum legis, hujus executio redditur admodum suavis: tunc enim non humanae voluntati, sed rationi, prout participat auctoritatem divinam et legi aeternae consonat, obedientiam praestamus [3].

6. Sed non est una philosophorum catholicorum sententia circa ***partem quam voluntas habet in ratione legis.***

S. Bonaventura, Scotus, Suarez [4] aliique rentur legem esse *formaliter actum voluntatis;* ***Beccanus*** et ***Castropal.*** esse *ex aequo rationis et voluntatis:* Thomistae et plures extranei cum ***Angelico Praeceptore*** tenent esse *essentialiter actum rationis, praesupposita voluntate.* Et quidem hanc ultimam censemus veriorem et communiorem sententiam. Nam lex formaliter inspecta nihil est aliud quam enuntiabile quoddam actu legislatoris expressum. Id autem ad rationem spectat, licet praerequiratur actus voluntatis moventis in finem, ne sit mera enuntiatio speculativa. Hinc saepius docet *S. Th.* legem esse *dictamen rationis practicae,* vel aliquid per actum rationis constitutum [5].

Insuper, ut egregie argumentatur noster *Lezana,* «nullus est actus voluntatis in quo lex possit formaliter consistere; solum ergo consistet formaliter in actu intellectus. Consequentia patet, et antecedens probatur discurrendo per omnes actus voluntatis qui in legislatore possunt reperiri. *Primus* est quo vult legem ferre; *secundus* quo vult fieri id quod sancitur; *tertius* quo vult obligare subditos ad aliquid faciendum. Non enim po-

---

1 ib. q. XC, a. 1 ad 3.

2 ib. q. XCII, a. 1 ad 4. «Claro es, dice Balmes, que sin acto de voluntad no hay ley porque los actos de la pura razón sin el concurso de la voluntad son pensamiento, no mando, iluminan, no impulsan». loc. cit.

3 «Por donde se ve que, según S. Tomas, la ley justa se deriva, no precisamente de la razón humana, sino de la ley eterna y que ésta recibe la fuerza de obligar en el fuero de la conciencia. Esto es sin duda más filosófico que el buscar la fuerza obligatoria de las leyes en la razón privada, en los pactos, en la voluntad general». Balmes, loc. cit.

4 *De Leg.* lib. I, c. V. n. 24, postquam in n. 22, judicium ferens de tota controversia, tres expositas sententias *probabiles* reputat et in n. 23 infert «neutrum modi loquendi illarum opinionum posse efficaciter probari», subjecit: «addo tertio spectando ad rem ipsam melius intelligi et facilius defendi legem mentalem (ut sic dicam) in ipso legislatore esse actum voluntatis justae et rectae quo superior vult inferiorem obligare ad hoc vel illud faciendum».

5 I-II, q. XC, a. 1 ad 2.

test lex consistere in primo actu, quia ille est causa legis habens ipsam pro objecto, non ergo est ipsa lex; nec in secundo, quia lex posset subsistere etiamsi legislator ex sua malignitate nollet fieri id quod lege sancitur; multo minus si propter aliquam justam rationem id nollet...; neque in tertio, quia velle obligare subditos non est ipsum vinculum, aut obligatio subditorum, sed supponitur ad illud tanquam causa et applicatio ipsius et includitur in ipso; sicut velle aliquid ligare non est ipsum ligamen aut vinculum, sed causa vel applicatio ipsius, quae in ipso ligamine *in executione posito* includitur. Cum ergo lex sit tale vinculum seu obligatio, non consistit formaliter in eo actu voluntatis.

Adde, quod lex injusta supponit voluntatem iniquam legislatoris obligandi ad illam, et tamen ipsa vel non est vera lex, vel non habet effectus legis verae; lex ergo non potest consistere essentialiter in hoc actu voluntatis qui est velle obligare»[1], sed in actu rationis connotante tamen indispensabiliter actum voluntatis; «primum enim movens in viribus animae, inquit *D. Thomas,* ad exercitium actus est voluntas. Cum ergo secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur quod hoc ipsum quod ratio movet imperando fit ei ex virtute voluntatis»[2]. Hinc egregie scribit *Soto: Legislator ordinando praecipit et praecipiendo ordinat*[3].

B)

Ad bonum commune

Summa rerum.—1. *Duplex sensus quem praesefert adjecta particula in definitione* S. Thomae. 2. *Momentum hujus posterioris significationis in ordine ad gubernationem reipublicae. Doctrina* S. Thomae *et* Balmes.—*Triplex bonum commune.* 3. *Primarius effectus legis;—secundarius;—impugnatur quorumdam recentiorum politica Machiavelica.—Intentio legislatoris in lege condenda ex* D. Thoma.

1. Apponitur secundo in memorata definitione particula *ad bonum commune,* quae quidem duo inter alia exprimit, nempe, et quod lex dari debeat *pro communitate,* et quod ordinetur *ad bonum commune.* Porro, communitas, pro qua leges ferri possunt, debet esse *perfecta,* id est, quae per modum unius sub aliquo capite coadunetur, et media in se

1 *De Leg.*, Disp. I, q. I. Cfr. Valentia, Disp. VII, q. I, Punct. II. «Etsi lex, inquit, actio sit praecipue et essentialiter intellectus habet tamen adjunctum voluntatis actum antecedentem, quatenus id scilicet legislator praecipit quod fieri vult». Monet autem «quaestionem hanc non esse nisi de nomine. De re enim inter omnes convenit utriusque potentiae actum, scilicet intellectus et voluntatis, ad ferendam legem concurrere. Controversia autem solum est verbi, utrum scilicet actum potius legis vocabulum primario significet intellectus ne an voluntatis». ib. pag. 567.

2 I-II, q. XVII, a. 1.

3 *De just. et jure,* q. I, a. 1.

habeat sufficientia ad finem consequendum; quod si alterutrum deficiat, societas vocatur *imperfecta*. Leges autem possunt ferri in communitatem dupliciter: *collective*, quando scilicet primo et per se diriguntur ad communitatem, ut communitas est; et *distributive*, si nempe ab omnibus et singulis membris observari mandantur.

Alterum autem quod adjectum verbum significat, et quidem propriissime, est quod lex lata dirigatur *ad bonum multitudinis*, vel ut dicit ***Angelicus*** cum ***S. Isidoro,*** *ut religioni congruat et saluti seu publicae utilitati proficiat*. Nam lex est regula et mensura actuum humanorum; oportet autem regulam accipere per ordinem ad finem, sicut viam per ordinem ad terminum. Finis autem humanae vitae est beatitudo aeterna, bonum scilicet commune omnium hominum; insuper homo est pars societatis perfectae; omnis vero pars ordinatur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum; ergo lex quae datur pro communitate debet primario respicere bonum commune ipsius communitatis [1].

2. Si hanc conditionem praeseferant leges longe aberit a regno omnis species tyrannidis, quia legislatoribus imponitur non proprium commodum sed populorum felicitatem quaerere. *Audiant Angelicum: Regnum non est propter regem, sed rex propter regnum, quia ad hoc Deus providit de eis, ut regnum regant et gubernent, et unumquemque in suo jure conservent; et hic est finis regiminis; quod si aliud faciunt, in seipsos commodum retorquendo, non sunt reges sed tyranni* [2]. Igitur Reges et gubernantes sunt in bonum commune positi; quod si ad hoc non confert potestas ipsis collata, regimen reipublicae est nocivum et superfluum. Bonum autem est triplex: *religionis, reipublicae* et *animae:* triplex hoc igitur bonum respiciant necesse est legislatores, dum leges condunt.

3. Huic obligationi legislatoris ferendi in bonum multitudinis leges honestas respondet ex parte subditorum obligatio leges justas adimplendi. Unde *effectus primarius* legis, et certe necessarius, est *obligatio*, sine qua nulla concipitur lex; secundarius vero facere *homines bonos simpliciter*, id est, secundum bonum virtutis et non tantum utile et delectabile [3].

---

1 D. Th., ib. q. XC, a. 2.

2 *De Reg. Princip.* lib. I, c. 11. Apposite Balmesius loc. cit.: «Los reyes no son los esclavos de los pueblos como lo ha pretendido una filosofía absurda que ha querido reunir monstruosamente las cosas más contradictorias: el poder no es tampoco un simple mandatario que ejerce una autoridad ficticia y dependiente a cada instante del capricho de aquellos á quienes manda; pero tampoco son los pueblos propiedad de los reyes, tampoco pueden estos mirar a sus súbditos como esclavos de quienes les sea lícito disponer conforme a su libre voluntad; tampoco son los gobiernos árbitros absolutos de las vidas y de las haciendas de sus gobernados; y están obligados a mirar por ellos no como el dueño por el esclavo de quien se utiliza, sino como el padre por el hijo, a quien ama y cuya felicidad procura».

3 Estas leyes son establecimientos porque los homes sepan vivir bien é ordenada-

Id autem attente meditare et frequenter mente revolvere deberent recentiores gubernantes qui, ***Machiaveli*** politicam sectantes, et proprio civiumque bono temporali duntaxat consulentes, mandata jussaque pro republica edunt, nulla prorsus habita ratione ad Deum legesque divinas. Equidem non negamus bonum temporale, pacem et tranquillitatem reipublicae, esse finem *proximum* legis, sed hic finis debet fini ulteriori subordinari, qui finis est honesta vita.

«Finem quippe civitatis esse bene vivere et honestatem aliquam participare» [1] vel ipsemet *Aristoteles* agnovit. «Impossibile autem est quod bonum commune civitatis bene se habeat nisi cives sint virtuosi ad minus illi quibus convenit principari» [2]. Ergo principis intentio in lege ferenda, ut consequatur effectus proprius legis, debet ordinari ad inducendos subjectos ad propriam ipsorum virtutem. «Si enim intentio ferentis legem, iterum *Angelicus,* tendat in verum bonum, quod est bonum commune secundum justitiam divinam regulatum, sequitur quod per legem homines fiant *boni simpliciter,* (non ex omni parte et in omni genere, sed secundum aliquam veram rationem boni honesti). Si vero intentio legislatoris feratur ad id quod non est bonum simpliciter, sed utile, vel delectabile sibi, vel repugnans justitiae divinae, tunc lex non bonos facit homines simpliciter, sed *secundum quid,* scilicet in ordine ad tale regimen. Sic autem bonum invenitur etiam in per se malis, sicut aliquis dicitur bonus latro, quia operatur accommode ad finem» [3].

C)

Ab eo qui curam communitatis habet

Summa rerum. 1. *His verbis auctor legis designatur.—An ratio individualis sit factiva legis.—Rationalistarum theoria profligatur; —duplex potestas, oeconomica et politica.* 2. *Pseudopoliticorum placitum de obedientia legi debita.—Doctrina* S. Thomae.

1. Sequuntur illa verba: *ab eo qui curam habet communitatis,* quibus designatur *auctor* legis et rejicitur recentiorum *Pseudopoliticorum* et *Rationalistarum* opinio, juxta quam, ratio uniuscujusque est *factiva legis.* Nam ad leges ferendas requiritur abs dubio aliqua potestas quae possit subditos obligare ad legem servandam, alioquin lex inutilis esset; sed individuum, ut individuum est, nullam habet potestatem supra alios

---

mente segun el placer de Dios é otrosí segun conviene á la buena vida de este mnndo». *Alfonso el Sabio,* Partida I, ley I.

1 III *Polit.*, c. IV.

2 I-II, q. XCII, a. 1 ad 3.

3 ib. in corp.

homines, omnes enim sunt natura aequales; ergo ratio privata non est factiva legis.

Porro potestas alia est *jurisdictionis seu politica,* alia *dominativa* seu *oeconomica;* prima respicit communitatem perfectam, altera societatem imperfectam seu privatas personas. Atqui potestas politica requiritur ad leges ferendas «quia persona privata, ut verbis utamur ***Angelici Doctoris,*** non potest inducere efficaciter ad virtutem, potest enim solum movere; sed, si sua monitio non recipiatur, non habet vim coactivam, quam debet habere lex ad hoc quod efficaciter inducat ad virtutem; hanc autem virtutem coactivam habet multitudo (in regimine scilicet democratico), vel persona publica ad quam pertinet poenas infligere, et ideo solius ejus est leges facere» [1].

Confirmatur alio *Sti. Doctoris* argumento Lex proprie respicit primo et principaliter ordinem ad bonum commune. Ergo illius tantum est legem ferre cujus est curam gerere de bono multitudinis. Ordinare autem in bonum commune est vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vices totius multitudinis. Ergo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel ad personam publicam, *quia et in omnibus aliis,* subjicit *Angelicus, ordinare in finem est ejus cujus est proprius ille finis* [2].

2. In hanc iterum particulam praestantissimae definitionis oculos injiciant *Pseudopolitici,* qui Deum e medio societatis pellentes, ***absolutam*** exigunt in subditis *obedientiam,* sciantque hominem, qua individuum, non habere in alterum potestatem, sed unice, si quam exercet, habere ratione auctoritatis quae a Domino Deo est, et idcirco regimen humanum moderari debent ad similitudinem regiminis divini, quod cuncta fortiter et suaviter tuetur atque gubernat. Hinc *Angelicus Praeceptor* consulto adhibet verbum *curam,* ut excludat a lege omne dominium, potestatem arbitrariam, vim omnem, aut cujusque generis violentiam. Vis enim obligandi, quam lex necessario inducit, non est physica sed *moralis,* quae non privat hominem libertate, sed dirigit ne in licentiam degeneret. Igitur lex non infert violentiam aut necessitatem ullam absolutam, sed tantum supponit in imperante jus vel legitimam facultatem quo subditi obligentur ad obediendum, quae obligatio seu necessitas est tantum *conditionata,* id est, *ex finis suppositione.*

---

1 loc. cit. q. XC, a. 3 ad 2.

2 ib. in corp. Varias differentias inter potestatem dominativam et jurisdictionem vide apud Suarez, lib. I, c. VIII, n. 5.

D)

De legis promulgatione.

Summa rerum. 1. *Promulgationis et divulgationis notio.* 2. *Necessitas promulgationis ostenditur.* 3. *Quaestio.—Unde proveniat Philosophorum dissensio.*—Thesis. *Promulgatio de essentia legis est, non autem divulgatio.* Prob. 4. *Qualis requiratur legis divulgatio ut habeat vim obligandi passive.* 5. *An legislator teneatur suis quoque parere legibus.—Tria notanda.* 6. Thesis. *Legislator singularis et absolutus non tenetur suis subjici legibus quoad vim coactivam, bene vero quoad vim directivam saltem indirecte; princeps autem non singularis nec absolutus subjicitur coactive legibus a se latis.* Prob. thesis quoad singulas partes. 7. *Actus legis.—Obligationis notio.* 8. *Notanda a)* circa praecepta affirmativa et negativa, *b)* circa permissionem quae est actus legis, *c)* circa punitionem, et praemiandi actum. 9. *Corollaria: 1)* Rectam esse definitionem *Angelici Doctoris.*—Thomasii ignorantiam, *2)* Legis a praecepto distinctionem, *3)* item a consilio.

1. Clauditur denique toties laudata definitio per hanc particulam *promulgata. Promulgatio,* ut distincta a divulgatione, est *actus legislatoris condentis legem et exprimentis illam,* ita ut *active vim habeat obligandi,* licet tunc solum sortiatur effectum, id est, passive obliget, cum in cognitionem subditorum devenit; vel ut aliis placet: Signum quo voluntas superioris qui obligat cognoscibilis redditur subditis qui obligantur[1]. *Divulgatio* vero est *deductio legis in cognitionem eorum quibus lex imponitur.*

2. **Necessitas promulgationis** satis est manifesta. «Lex namque, scribit *S. Doctor,* imponitur aliis per modum regulae et mensurae. Regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem»[2]. Haec generice dicta sint, large accepta promulgatione.

3. Sed apud philosophos movetur quaestio an ***promulgatio sit***

---

1 Eam definit Bouquillon: Ordinationis intimatio et notificatio facta subditis. *Theolog. Mor. Fund.*, c. V. n. 70; Cfr. Suarez, lib. I, c. XI.

2 ib. n. 4. Cfr. González, *Estudios sobre la Filosofía* de S. Tomás, lib. VI, c. XIII.

de essentia legis, vel tantum conditio indispensabiliter requisita ut vim obligandi habeat.

In hac solvenda quaestione non est una omnium doctorum sententia. Verum, ut mihi videtur, diversitas opinandi ex confusione promulgationis cum divulgatione provenit, qua confusione remota per definitiones superius allatas, clare, ni fallor, perspicitur veritas subjectae assertionis.

Thesis. **Promulgatio est de essentia legis, non autem divulgatio.**

Prob.

In confesso est apud omnes, eo ipso legem existere ac legislator verbis exprimit modo imperativo, id est, cum voluntate obligandi subditos, mentis judicium; adest enim ordinatio rationis, adest et vis obligandi saltem active et in actu primo, licet, ob defectum divulgationis, non pariat obligationem passivam et in actu secundo; adsunt igitur omnia necessaria ad legis constitutionem; atqui haec per solam promulgationem, qualiter a nobis definita est, habentur, nec absque illa concipitur imperium efficax, actus nempe rationis et voluntatis subditos obligans ad obediendum; ergo promulgatio est de essentia legis. Hinc recte dicitur: *Leges instituuntur cum promulgantur.* Quod adhuc luculentius apparet si duplex status legis distinguatur, quorum «unus est mere interior, prout lex consideratur in mente legislatoris, alius est exterior prout lex existit extra legislatorem, vel in ipsis subditis, vel in aliquo signo manifestante voluntatem legislatoris. Promulgatio ergo, ut ex vi ipsius vocis constat, dicitur respectu legis externae, nam dicit publicationem legis per quam possit a subditis cognosci» [1].

Nec valet objicere legem non obligare absque applicatione; applicari autem per cognitionem, quae nullatenus concipitur sine divulgatione; hanc ergo pariter esse de essentia legis. Non valet, inquam, argumentum. Nam lex, ut pote regula et mensura, vim habet active et in actu primo, quamvis passive non applicetur; potentia namque seu aptitudo ad mensurandum concipitur in regula et mensura priusquam de facto mensuret et regulet; essentia autem cujuslibet rei salvatur in aptitudine ejus ad actum, nec actus secundus est essentialis alicui rei creatae; ergo salvatur essentia legis cum sola obligatione activa et in actu primo. Imo, consentientibus philosophis, lex vere existit, quamvis aliqui homines non sint adstricti ad illam servandam ratione ignorantiae inculpabilis, hoc est, defectu sufficientis divulgationis.

1 Suarez, *De Legib.*, lib. I, c. XI, n. 2. Patet ergo promulgationem de essentia legis esse. Cfr. Suarez. *De Leg.* lib. II, c. 1, n. 5; Bautain, *Philos. des lois*, chap. XIII.

4. Quod si ulterius inquiras ***qualis esse debeat legis divulgatio ut vim habeat obligandi passive et in actu secundo;*** dicendum videtur quod, cum lex respiciat communitatem, pro ipsa quippe fertur, debet lex ita divulgari ut, moraliter loquendo, sive immediate sive mediate veniat vel venire possit in cognitionem totius communitatis, seu omnium civium moraliter sumptorum, ut loquitur ***Card. Zigliara;*** et tunc sufficiens videtur divulgatio pro communitate ipsamque actualiter obligat. At vero universalitas moralis exceptiones admittit; lex nempe ita pro communitate divulgata potest ignorari ab uno vel altero individuo. Si igitur haec ignorantia sit culpabilis, non eximit individuum a legis observatione; si autem sit inculpabilis, obligatio legis, concludit praeclarus auctor, non habetur [1].

5. Hic, ad pleniorem legis explicationem, opportune quaerimus: ***an legislator teneatur suis quoque parere legibus.*** Ad cujus solutionem duo sunt imprimis notanda: 1) dupliciter posse aliquem legibus subjici: *directive* nempe et *coactive;* quia duo sunt officia legis, dirigere scilicet actiones humanas, et poenis cogere invitos ad sui observantiam [2]: 2) legislatorem posse esse principem *singularem et absolutum,* uti Imperator, Rex, aut quivis Monarcha, vel *communem et non absolutum,* ut multitudo seu optimates, respublica et Senatus. Item, prae oculis habendum oportet leges posse ex aequo spectare principem et subditos, ut sunt leges indicentes festa, taxantes valorem rerum etc., vel posse diversae rationis esse in principe et subditis, v. gr. leges indumentariae etc.

6. Quibus praemissis, facile probatur cum ***D. Thoma*** sequens

Thesis. Legislator singularis et absolutus non tenetur suis subjici legibus quoad vim coactivam, bene vero quoad vim directivam, saltem indirecte, si leges ex aequo ipsum et subditos respiciant: princeps autem non singularis nec absolutus subjicitur tum coactive tum directive legibus a se latis [3].

Et re quidem vera, cum nemo sit sibi ipsi inferior aut superior, nemo cogitur a seipso; lex autem non habet vim coactivam nisi ex principis potestate [4]; ergo princeps singularis et absolutus, qui non habet superiorem, solutus est a lege quantum ad vim coactivam: non tamen idipsum potest concludi de legislatore habente superiorem, ut patet, neque de optimatibus aut republica ferentibus legem insimul;

---

1 *Ethic.* lib. II, c. III, a. 1, Nota.
2 D. Th., ib. q. XCVI, a. 5.
3 ib. ad 3.
4 D. Th., ib.

nam, licet collective sumpti sint superiores, distributive tamen sunt senatu aut republica inferiores, idcirco cogi et ipsi possunt per poenas ad legis observantiam.

Quoad vim autem directivam, res est per se manifesta; quoniam, ut ajebat ***Augustinus,*** *turpis omnis pars est suo universo non congruens*[1]; imo, legislator debet suo quoque modo concurrere ad bonum commune quod primo et per se respicit lex; ipse ergo, ut ceteris exemplum praebeat, debet legem a se latam servare; magis quippe movent exempla quam verba, et, *regis ad exemplum totus componitur orbis.* Haec tamen obligatio non oritur ex ipsa lege positiva a principe condita, sed ex aequitate et convenientia naturali, propterea diximus obligationem submittendi se legibus suis esse indirectam, unde et potest, justa interveniente causa, seipsum, sicut et ceteros, dispensare a legis adimplemento[2].

7 **Actus legis** vocantur non quia ab ipsa eliciantur, cum non sit habitus nec potentia, sed quia ex eis quasi integratur lex. Sunt autem duo: *adaequatus,* scilicet, et *inadaequatus.* Adaequatus, qui reperitur in omni lege, est *obligatio active sumpta,* cui respondet in subdito obligatio *passiva* seu *debitum.* Est autem *obligatio vinculum morale adstringens hominem ad aliquid faciendum vel omittendum*[3]. Actus vero inadaequati quatuor numerantur: *praecipere, prohibere, permittere* et *punire.* Hujus numeri ratio egregie exponitur ab ***Angelico:*** «Praecepta legis, inquit, sunt de actibus humanis in quibus lex dirigit. Sunt autem tres differentiae humanorum actuum; nam quidam actus sunt *boni* ex genere, qui sunt actus virtutum; et respectu horum ponitur legis actus *praecipere* vel *imperare,* praecipit enim lex omnes actus virtutum. Quidam vero sunt actus *mali* ex genere, sicut actus vitiosi; et respectu horum lex habet *prohibere.* Quidam vero ex genere suo sunt actus *indifferentes;* et respectu horum lex habet *permittere;* et possunt etiam indifferentes dici omnes illi actus qui sunt vel parum boni, vel parum mali. Id autem per quod inducit lex ad hoc quod sibi obediatur est *timor poenae,* et quantum ad hoc ponitur legis effectus *punire*[4].

8. Circa quae, haec tantum notanda sunt: *a)* Tum actus legis qui versatur circa actus bonos ex genere, tum qui versatur circa malos, communi

---

1 *Confes.*, lib. III, c. 8.

2 Praejudicatae quaestioni praeclaram solutionem praebet Taparelli, *Ensayo Teórico de Derecho Natural,* lib. IV, c. V, § 2, n. 1087. Obliga la ley al legislador. Cfr. Mariana, *De Rege et Reg. Institut.* lib. I, c. IX.

3 Taparelli la define «un deber conforme a razón proveniente de una necesidad final, esto es, de la connexión necesaria de los medios con el fin necesario». loc. cit. c. IV, n. 98.

4 q. XCII, a. 2.

nomine vocantur legis praecepta. Verum praecepta legis alia sunt *affirmativa*, quae scilicet *inducunt ad actus virtutum*, alia *negativa*, quae *prohibent actus peccatorum*. Maxima autem inter haec differentia reponitur a Scholasticis in hoc quod praecepta affirmativa dicuntur obligare *semper, sed non ad semper: semper*, id est, ponendum esse actum virtutis quoties advenit tempus adimplendi praeceptum, attentis circumstantiis loci, personae etc.; sed *non ad semper*, id est, non omnibus instantibus, omni tempore et omni circumstantia. E contrario, praecepta negativa obligant *semper et ad semper*, nullum scilicet datur instans temporis in quo possimus ponere quod lege prohibetur.—Ratio est quia «praecepto affirmativo praecipitur actus virtutis», «per praecepta vero negativa prohibentur actus vitiorum»[1].

b) Quoad permissionem notandum eam esse duplicis generis, nempe, *juris* et *facti*. Permissio facti habetur quando aliquid fieri sinitur, ut cum Deus de facto permittit peccata, potestque cum tolerantia illa confundi qua malum aliquod non punitur, ne impediantur plura bona, aut malum in deterius vertatur. Sed talis permissio non adnumeratur actibus legis. *Juris* habetur quando ad facti liceitatem attenditur; et haec iterum est duplex, *negativa* quae est pura negatio praecepti aut prohibitionis; quo sensu plura, de quibus lex humana nihil decernit, dicuntur esse permissa, quaeque inter actus legis computari non potest, ut per se patet. Altera permissio juris est *positiva*, quae scilicet jure decernitur et stabilitur, ut cum aliquid v. gr. indifferens ex sese, vel antea prohibitum, nunc posse fieri determinatur; et haec est actus proprius legis. Non ergo consistit tantum, ut quidam censent, in hoc quod lex aliquid non praecipiat aut vetet, quoniam si non decernit aliquid fieri posse, aut non obliget alios ne impediant aut puniant actum alicui a lege permissum neve ejus obsint libertati, nec permissio positiva, nec idcirco actus legis dicenda est.

b) Denique, licet homines inducantur ad bonum per praemia, sicut incitantur ad legem servandam per poenas, tamen quia praemiare potest ad quemlibet pertinere, punire vero nonnisi ad ministrum legis, cujus auctoritate poena infertur, recte *punire*, non autem *praemiare*, ponitur inter legis actus. Ita *D. Thomas*[2]. Idem dicendum de *consilio*.

9. **Corollaria.** Ex dictis in hoc art. consequitur: 1.° Rectam esse ac veritati maxime consentaneam legis definitionem ab *Angelico Doctore* primo traditam et ab omnibus Scholasticis mutuatam,

---

1 S. Th., *De virtut.* q. III, a. 2. Et alibi: «Praecepta negativa sunt magis universalia et quantum ad tempora et quantum ad personas. Quantum ad tempora quidem, quia praecepta negativa obligant semper et ad semper. Nullo enim tempore est furandum et adulterandum. Praecepta autem affirmativa obligant quidem semper, sed non ad semper, sed pro loco et tempore: non enim tenetur homo ut omni tempore honoret parentes, sed pro loco et tempore. Quantum ad personas autem quia nulli hominum est nocendum; non autem sufficientes sumus, ut unus homo possit omnibus servire». *Ep. ad Rom.* I, 3, lect. 2.

2 q. XCII, a. 2 ad 3. Cfr. Cajet., in hunc art, et Suarez, lib. I, c. XV.

hisque brevibus, aureis tamen verbis, expressam: *Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata:* proindeque magnam prodere invidiam, malam fidem, aut non levem ignorantiam ***Christ. Thomasium*** blaterantem *Scholasticos mire et inepte insudasse in lege generatim definienda* [1].

2.° Legem satis superque a praecepto distingui, *a)* ratione *finis,* lex namque bonum commune, praeceptum vero primo et per se bonum privatum respicit. Potest quidem contingere quod aliquae leges bonum privatum quandoque respicere videantur tanquam materiam circa quam versentur, nunquam vero tanquam rationem formalem et motivum, proindeque non per se, sed ratione boni communis, ad quod bonum particulare debet ordinari: *b)* ratione *auctoris* quia lex personam publicam et jurisdictione pollentem exigit, praeceptum autem a quolibet dominativam potestatem habente dari potest: *c)* ratione *subjecti;* legis enim est tota communitas pro qua fertur, praecepti persona privata: *d) stabilitatis* quia lex per se perpetua est negative, id est, non expirat morte praecipientis; et ex parte legislatoris quia intendit stabiliter vel perpetuo obligare; ex parte vero subditorum quatenus respicit quoque futuros; secus vero praeceptum: et denique, *e)* ratione *extensionis,* quia lex, ut dicitur, territorium afficit, praeceptum vero ossibus haeret; si tamen communitas non sit realis seu localis, uti civitas vel regnum, sed personalis, ut Ordo Religiosus, Confraternitates etc., tunc lex afficit membra, dum in praedicta communitate permaneant, desinit vero pro illis, semel derelicta confraternitate seu associatione.

3.° Item, legem a consilio distingui; tum quia consilium vim obligandi non habet, est enim «persuasio vel inductio ad aliquid agendum non habens vim coactivam» [2] ut loquitur ***Angelicus,*** vel dicitur consilium, ut alibi tradit, «in quantum suadetur homini ut, propter meliora, minus bona praetermittat» [3]; tum quia consulere potest etiam pertinere ad personam privatam, cujus non est condere legem [4].

---

1 *Jur. Nat.*, lib. I, c. I. «Compárese esta definición dada por Santo Tomás y adoptada por todos los teólogos, con la señalada por Rousseau. En la de aquel la ley es la expresión de la razón, en la de éste, la expresión de la voluntad: en la de aquel es una aplicación de la ley eterna, en la de éste el producto de la voluntad general; de qué parte están la sabiduría, el buen sentido? Con haberse entendido entre los pueblos europeos la ley tal como la explica Santo Tomás y todas las escuelas católicas, se desterró de Europa la tiranía, se hizo imposible el despotismo asiático, se creó la admirable institución de la monarquía europea; con haberse entendido tal como la explica Rousseau se creó la convención con sus cadalsos y horrores». Balmes, *El Protest.*, loc. cit.

2 *De Verit.*, q. XVII, a. 3 ad 2.

3 *Contra Gent.*, lib. III, c. 130.

4 q. XCII, a. 2 ad 2. Cfr. Suarez, lib. I, c. I, n. 8.

Articulus II

De proprietatibus legis moralis in genere[1].

Summa rerum.—1. *Notio proprietatum legis.* 2. *Harum numerus et radix.* 3. *Singulae simul expenduntur et breviter probantur.* 4. *Corollarium.* 5. *Utrum sit necessarium ponere aliquas leges.* 6. *Diversitas legum seu earumdem divisio.* 7. *Undenam oriantur diversae legum species.*

1. Nomine proprietatum legis impraesentiarum intelligimus *attributa sive conditiones, quibus ornari debet, ut vim obligandi accipiat.* Diversae leges diversis potiuntur attributis. Verum hic non de omnibus, sed de iis tantum, quae omni legi conveniunt et ex communi ipsius notitia dimanant, brevi oratione loquemur.

2. **Radix harum proprietatum.** In lege, prout universe et generaliter definitur ab ***Angelico,*** tria considerari possunt: 1) esse ordinatam ad bonum commune; 2) a superiore habente in communitate supremam auctoritatem proficisci; et 3) subditis ratione et corpore praeditis imponi.

Clarius: cum lex sit ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata, triplicem relationem importat, scilicet: ad *finem,* ad *legislatorem* et ad *subditos,* atque ex hoc triplici legis aspectu diversi prodeunt characteres seu proprietates generales omni legi convenientes. Nam a) ratione finis debet esse justa seu *honesta, utilis* et *conveniens;* b) ratione auctoris, *suprema* et *competens;* c) in ordine ad subditos quibus imponitur, *clara, possibilis, publica* et *efficax*[2].

3. **Legis honestas** inde deducitur quod debet ordinari ad bonum commune eorum ad quos dirigitur; bonum autem rationalis creaturae est bonum honestum, quod est secundum rationem; imo, ipse ordo ad bonum commune societatis particularis idem sonat ac utile; ergo omnis lex justa sit oportet atque honesta, secus obligandi vi non polleret, cum non esset rationi conformis moveretque homines contra inclinationem rationalis naturae.

Utilitas quoque omnem legem debet comitari, quia lex non datur in destructionem, sed in bonum seu aedificationem societatis, ut scilicet finem, cujus intuitu socii coadunantur, facilius consequi valeat. Sed est cuique utile suam perfectionem per finis consecutionem adipisci; ergo

---

1 Cfr. Suarez, *De Leg.*, lib. I, c. IX et X; Corsini, *Ethica*, Disp. II, c. IX; Gratacós, *Etica*, n. 77.

2 Taparelli, *Ensayo Teórico de Derecho Natural*, lib. IV, c. V.

lex, quae natura sua ad hunc finem ordinatur, utilis esse debet, alioquin leges non solum haud bonae dici, sed ut positive noxiae haberi possunt; frustra enim multiplicantur subditosque sine causa indebitis premunt oneribus.

Dein: cum, ajente ***Angelico Magistro,*** «uniuscujusque rei, quae est propter finem, necesse est quod forma determinetur secundum proportionem ad finem, sicut forma serrae talis est qualis convenit sectioni», quaelibet ordinatio rationis ad bonum commune debet esse proportionata huic bono communi; seu aliis verbis: finis obtineri nequit absque mediis proportionatis et convenientibus. Igitur, ratione finis seu boni communis, lex debet esse justa seu honesta, utilis et conveniens, ut medium ad finem.

Suprema et competens. Lex est opus legislatoris; atqui legislator supereminentia potitur, ut talis, in communitate; ergo et lex, quae nihil est aliud quam mentis voluntatisque legislatoris expressio, *suprema* merito dici debet, et ob eamdem rationem ex se *constans* et *immutabilis,* cum non habeat superiorem qui possit eam irritam seu nullam reddere. Non tamen omnes subditorum actus queunt lege regulari, sed illi tantum qui ordinantur ad bonum commune, idcirco lex importat etiam *competentiam,* id est, nonnisi propriis subditis et ad regulandos actus sociales imponi potest; quod si hos limites praetergrediatur, nullam parit obligationem, ratione incompetentiae.

Ex qua parte lex subditos respicit, cum ii sint rationis compotes, debet esse omnibus accessibilis, proindeque *clara* in sua expressione, ne aliquid propter obscuritatem in captionem contineat; *possibilis* in executione, non solum physice sed etiam moraliter, secus non esset conveniens, imo nullatenus ligaret, nam ad impossibile nemo tenetur; *publica* seu sufficienter promulgata, quia debet movere subditos; et denique *efficax* mediante debita sanctione, qua protervi et vitiosi metu poenae a peccando desistant, et justi ad virtutis exercitium efficaciter promoveantur.

4. **Corollarium.** Merito ergo ***S. Isidorus,*** qualitatem *legis positivae* describens, inquit: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriae consuetudinem, loco temporique conveniens necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem incautum contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate scripta*[1].

5. **Necessitas legum.** Deus, cum sit suum esse, sibi ipsi est lex nec indiget regula, sed ipse est omnium regula; homines vero, quia non sunt suum esse, sed ex nihilo creati proindeque deficientes, strictissimo

1 *Etymolog.*, lib. V, c. XXI.

officio tenentur secundum rectam regulam semper agere, ne deficiant in operando, sicut artifex, qui non est sua regula, tenetur regulae extrinsecae conformari ut bene operetur. Leges ergo morales sunt hominibus necessariae ut finem proprium adispiscantur. Siquidem, ut egregie argumentatur ***Angelicus,*** «homini naturaliter inest quaedam aptitudo ad virtutem, sed ipsa virtutis perfectio necesse est quod homini adveniat per aliquam disciplinam.....; ad hanc autem disciplinam non de facili invenitur homo sibi sufficiens; quia perfectio virtutis praecipue consistit in retrahendo homine ab indebitis delectationibus, ad quas praecipue homines sunt proni et maxime juvenes, circa quos est efficacior disciplina. Et ideo oportet quod hujusmodi disciplinam, per quam ad virtutem pervenitur, homines ab alio sortiantur. Et quidem quantum ad illos juvenes qui sunt proni ad actus virtutum ex bona dispositione naturae, vel consuetudine, vel magis divino munere, sufficit disciplina paterna, quae est per monitiones. Sed quia inveniuntur quidam protervi et ad vitia proni, qui verbis de facili moveri non possunt, *necessarium fuit quod per vim vel metum cohiberentur a malo; ut saltem sic malefacere desistentes, et aliis quietam vitam redderent, et ipsi tandem per hujusmodi assuetudinem ad hoc perducerentur quod voluntarie facerent quae prius metu implebant, et sic fierent virtuosi.* Hujusmodi autem disciplina cogens metu poenae est *disciplina legum.* Unde necessarium fuit ad pacem hominum et ad virtutem quod leges ponerentur, quia, sicut Philosophus dicit [1], *sicut homo, si sit perfectus virtute, est optimum animalium, sic, si sit separatus a lege et justitia, est pessimum omnium* [2].

Brevius *S.* ***Isidorus:*** «*Factae sunt leges ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis, formidato supplicio, refrenetur nocendi facultas*» [3].

6. **Divisio legis.** Quam nunc damus cunctis aliis rationabilior videtur, lex nempe dividitur: 1.° in *non-positivam,* quae ita in rerum natura fundatur ut non possit non existere neque pendet ab aliqua libera voluntate, supposita illa rei essentia, et *positivam* quae non ita dependet a natura rei intrinseca sed magis ab aliquo extrinseco principio illam decernente. 2.° *Non-positiva* subdividitur in *aeternam* et *naturalem.* Prior, ab aeterno existens in Deo, est directiva omnium actuum et motionum; altera ab initio creaturae rationalis est ipsi impressa ab auctore naturae. 3.° Lex positiva in *divinam* et *humanam,* prout Deum vel hominem habet auctorem. 4.° Lex positivo-divina

---

1 Ὥσπερ γὰρ καὶ τελεωθὲν βελτιστον τῶν ζῴων ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθέν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων. 1 *Polit.*, c. I, (ed. Didon).

2 I-II, q. XCV, a. 1. 3 V, *Etymol.* c. XX.

in *Veterem* et *Novam,* quae scilicet data est vel populo Israelitico usque ad Christum, vel post ipsum populo Christiano. 5.° Lex humana subdividitur *a)* ratione auctoris in *Ecclesiasticam, Civilem particularem* et *Civilem generalem* seu Jus gentium; *b)* ratione modi quo fertur, in *scriptam* et *usu servatam: c)* ratione modi quo obligat, in *praeceptivam, poenalem* et *mixtam;* et *d)* ratione modi quo circa actum versatur, in *praecipientem, prohibentem, permittentem* et *irritantem*[1].

En traditae divisionis schema:

- Lex...
  - Ratione auctoris...
    - Non-positiva.
      - Aeterna.
      - Naturalis.
    - Positiva ....
      - Divina ....
        - Vetus.
        - Nova.
      - Humana...
        - Ecclesiastica.
        - Civilis..
          - Particul.
          - General.
  - Ratione modi quo fertur.....
    - Scripta.
    - Usu servata.
  - Rationi modi quo obligat.....
    - Praeceptiva.
    - Poenalis.
    - Mixta.
  - Ratione modi quo circa actum versatur .....
    - Praecipiens.
    - Prohibens.
    - Permittens.
    - Irritans.

7. Optime notat nuperus scriptor O. N. alias saepe laudatus, «summas illas legis divisiones oriri e diverso genere Communitatum quarum homo est membrum, nempe: *a)* Lex naturalis eum attingit qua est membrum generis humani seu communitatis naturalis, etiamsi extra omnem positivam societatem existat. *b)* Lex positiva divina eum regit quatenus membrum communitatis supernaturalis specialis, nempe Synagogae vel Ecclesiae ut congregatae sub legislatore divino. *c)* Lex ecclesiastica respicit eum ut membrum ejusdem communitatis ut congregatae sub legislatore humano: *d)* Lex civilis eum gubernat ut membrum societatis alicujus temporalis et particularis alicubi confoederatae. *e)* Demum jus gentium eum attingit qua membrum est totius communitatis humanae sociali vinculo ubique terrarum colligatae»[2].

1 Cfr. P. N. Raphael a S. Joseph., *De Legibus in genere,* c. unic. q. IV, n. 14.
2 loc. cit.

QUAESTIO II

DE

DIVERSIS LEGUM SPECIEBUS.

Articulus I

De lege aeterna, summo omnium legum fonte [1]

Summa rerum. 1. Thesis I. *Existit in mente divina ratio rerum gubernandarum, quae non immerito lex aeterna nuncupatur.* Prob. 2. *An veram rationem legis participet.—Duplex sententia.* 3. *Legi aeternae non deest sufficiens promulgatio.—Suarezii placitum.* 4. *Objectum, extensio seu universalitas hujus legis.—Diversa eidem creaturarum subjectio.—An creatura rationalis, nolens obedire legis aeternae mandatis, ei aliquo modo subjiciatur.* 5. *Exceptio*—(quae ad essentiam divinam spectant legi aeternae non subjacent). 6. *Duplex modus quo lex aeterna participatur in creaturis.* 7. *An lex aeterna in se ipsa immediate cognoscatur.—Ontologistae.*—Thesis II. *Etsi lex aeterna secundum quod est in mente divina immediate non cognoscatur, nobis tamen aliqualiter innotescit.* Prob. 8. *Proprietates legis aeternae* (una, indefectibilis, necessaria, indispensabilis). 9. *An leges omnes ab aeterna procedant.*—Thesis III. *Omnes leges, si justae sint, a lege aeterna tanquam a fonte derivantur.* Prob. 10. *Thesis restrictio.* 11. *Praeoccupatur quaedam objectio.* 12. *Triplex modus quo leges ab aeterna promanant.* 13. *Utrum lex aeterna distinguatur ab ideis divinis, a providentia et lege naturali—assignantur differentiae.* 14. *Quatuor corollaria:* (Recta legis aeternae definitio—reprehenduntur Ahrens,—Thomasius,—F. G. Stahl).

1. A lege aeterna incipimus tanquam a fonte unde ceterae dimanant et a qua vim obligandi accipiunt omnia jussa et mandata principum. Nam *in temporali lege, inquit* **S. August.,** *nihil est justum ac legitimum, quod non ex lege aeterna homines sibi derivaverint* [2].

---

1 Cfr. Tullius, *De Leg.*, lib. II, 4; S. Augustinus, *de Vera Relig.*, c. XXXI; *Contra Faust.*, lib. XXII, 27; D. Thomas, I-II, q. XCI, a. 1; q. XCIII, a. 1-6; IV *Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1; *Contra Gent.*, lib. III, c. 115; Suarez, *De Leg.*, lib. II, c. I-IV; Valentia, q. III, Punct. I-VI; Gonet, *Tract.* VI, *Disp.* II, a. 1 et 2; Orsini, *Ethica*, *Disp.* II, c. VI; Pacetti, loc. cit. c. IV; Bautain, *Philos. des lois*, chap. II; Meyer, lib. III, c. II; Orti y Lara, *Introducción al estudio del Derecho*, secc. II, c. II; Farges, *La liberté et le devoir*, pag. 262.

2 *De lib. arb.*, lib. I, c. 6.

Thesis I. Existit in mente divina ratio rerum gubernandarum, quae lex aeterna merito nuncupatur.

Probatur.

Legem aeternam existere res est adeo clara et comperta ut vel ipsi pagani sapientes summique philosophi non solum agnoverint, sed ejus quoque characteres mirum in modum descripserint. Audiatur Ciceronis testimonium: «Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, *legem neque hominis ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia.* Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei, ex quo illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. Erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans, quae non tunc denique incipit lex esse cum scripta est, sed cum orta est. Orta autem simul est cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps apta ad jubendum et ad vetandum ratio est recta summi Jovis [1].

Confirmatur. Deus est creator et gubernator mundi; ergo oportet quod in ipso praeexistat ratio eorum quae agenda sunt per eos qui gubernationi subduntur; atqui dictamen practicae rationis in principe qui gubernat communitatem existens dicitur et est vera lex; hoc item dictamen in Deo est aeternum, cum nihil de novo concipiat ex tempore; ergo existit lex aeterna [2].

Insuper. Quaevis lex humana defectuosa est et mutabilis; atqui omne mutabile et defectuosum praeexigit perfectum quiddam et immutabile, quo firmetur et perficiatur; id autem nonnisi in Deo reperiri potest; ergo existit in Deo lex aeterna.

2. **Declaratur natura hujus legis.** Omnes quidem libenter admittunt, supposita divina providentia, existere in Deo rationem rerum omnium gubernandarum, eamque aeternam esse non inficiantur. Verum plures extranei cum *Thomasio,* et inter catholicos *Beccanus* et *Tanner,* negant illud dictamen rationis aeternae veram et rigorosam obtinere legis rationem. Sed immerito.

Nam ratio generica legis in hoc consistit quod sit nempe ordinatio

---

1 *De Leg.*, lib. II, 4.

2 Cfr. apud S. Thomam duo argumenta ad existentiam legis aeternae probandam ex conceptu generico legis et ex ratione Dei creatoris et gubernatoris mundi, I-II, q. XCI, a. 1, et q. XCIII, a. 1.

rationis aliquorum in finem, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata. Jam vero, divinam mentem esse regulam omnia ordinantem in finem communem, in suam scilicet gloriam et in bonum ipsius universi, nemo, nisi qui finem creationis negaverit, inficiari potest. Dictamen item aeternum est regula et mensura, fons et origo aliarum legum; in omnibus enim moventibus devenire est ad aliquod primum immobile, ut modo dicebamus; sed primum in unoquoque genere debet esse vere et proprie tale, ut possit aliorum ejusdem generis esse mensuram. Ergo legi aeternae maxime convenit proprius legis conceptus.

3. **Nec ipsi deest sufficiens promulgatio,** id nempe quod, juxta adversarios, in lege aeterna desideratur. Etenim promulgatio non est una pro omnibus legibus, sed pro diversitate legum diversus est promulgationis modus et tempus. Jam, lex aeterna, cum sit aeternus divinae mentis conceptus, quatenus directivus omnium actionum creaturarum in finem, aeternaliter est in Deo, obligationem activam ex se inducens, licet effectum ab aeterno minime sortiatur, quod est proprium divulgationis. Unde, quamvis non incongrue dici possit cum *Suarez* hoc singulare esse in hac lege, quod censeatur consummata et perfecta eo ipso quod in mente Legislatoris stabilita est, alias vero non consummari donec actu promulgentur [1], opinor tamen non esse necessarium aliquam exceptionem admittere pro lege aeterna, sed verius et conformius ad ea quae de promulgatione legis in genere explicavimus, dicendum puto legem aeternam ab aeterno proprie esse promulgatam ideoque propriam et completam obtinere communem legis rationem. Hinc *S. Thomas,* cum sibi objecisset: «Promulgatio est de ratione legis. Sed promulgatio non potuit esse ab aeterno; quia non erat ab aeterno cui promulgaretur. Ergo nulla lex potest esse aeterna», respondet: «dicendum quod promulgatio fit et verbo et scripto; et utroque modo lex aeterna habet promulgationem ex *parte Dei promulgantis;* quia et Verbum divinum est aeternum, et scriptura libri vitae est aeterna. Sed ex *parte creaturae audientis et inspicientis* non potest esse promulgatio aeterna» [2]. Ubi vides *Angelicum Doctorem* non negare promulgationem esse de ratione legis, sed affirmare hanc promulgationem inveniri sufficienter ab aeterno in lege aeterna ex parte Dei, quamvis non ex parte *creaturae audientis et inspicientis,* ut ipse loquitur. Sed hoc posterius minime necessarium est ad completam et communen legis promulgationem. Nam sicut ratio creatoris

1 *De Leg.*, lib. II, c. I, n. 11.

2 Q. XCI, a. 1 ad 2. Suarez ergo distinguens in lege duplicem statum, unum, «quem habet in interna dispositione legislatoris, quatenus in mente ejus jam illa lex descripta est et ejus absoluto decreto ac firma voluntate stabilita», alium, «quem habet lex exterius constituta et subditis proposita», docet manifestum esse priori modo dari in Deo legem aeternam, posteriori autem modo aeque certum esse legem Dei non habuisse hunc secundum statum ab aeterno. ib. n. 5. Unde ulterius asserit, ut jam indicarat lib. I, c. XI, n. 2, rationem communem promulgationis non posse ad legem aeternam applicari.

vere Deo competit ab aeterno, licet tunc creaturae nondum fuerint passive immutatae, ita etiam nihil obstat quominus ratio propria Legislatoris aeterna et completa sit in Deo, quamvis ab aeterno nullae essent creaturae quibus lex aeterna imponeretur.

Verbo: distinguamus promulgationem proprie dictam a divulgatione obligationem activam ab ejus effectu, et, ni fallor, lis omnino cessabit.

4. **Universalis efficacia sive objectum hujus legis.** Objectum legis aeternae sunt omnes motus et actus rerum omnium creatarum. Patet: quia lex est directiva actuum qui conveniunt subjectis gubernationis alicujus; sed omnes actus et motus cujuslibet creaturae subduntur divino regimini, nam, nullo modo, inquit ***August.,*** *aliquid a legibus summi Creatoris Ordinatorisque subtrahitur, a quo pax universitatis administratur*[1]. Ergo «legi aeternae subduntur omnia quae sunt in rebus a Deo creatis, sive sint contingentia sive sint necessaria», ut loquitur ***Angelicus***[2].

Diversimode tamen: nam creaturae irrationales physice et necessitate naturam consequente, rationales vero moraliter. Ad rem ***S. Thomas:*** «Duplex est modus quo aliquid subditur legi aeternae. *Uno modo* in quantum participatur lex aeterna *per modum cognitionis; alio modo per modum actionis et passionis, in quantum participatur per modum interioris principii motivi.* Et hoc secundo modo subduntur legi aeternae irrationales creaturae. Sed quia rationalis natura, cum eo quod est commune omnibus creaturis, habet aliquid sibi proprium, in quantum est rationalis, ideo secundum utrumque modum legi aeternae subditur; quia et notionem legis aeternae aliquo modo habet, et iterum unicuique rationali creaturae inest naturalis inclinatio ad id quod est consonum legi aeternae»[3].

Ex quo sequitur creaturam rationalem, etsi nolit se libenter submittere legi aeternae *agendo,* invitam subjici *patiendo.* «Boni, inquit ***Angelicus,*** perfecte subsunt legi aeternae, tanquam semper secundum eam agentes; mali autem subsunt quidem legi aeternae, imperfecte quidem quantum ad actiones ipsorum, prout imperfecte cognoscunt, et imperfecte inclinantur ad bonum; sed *quantum deficit ex parte actionis, suppletur ex parte passionis, prout scilicet in tantum patiuntur quod lex aeterna dictat de eis, in quantum deficiunt facere quod legi aeternae convenit*»[4].

5. **Exceptio.** Consulto diximus legem aeternam sese extendere ad omnes actus et motus *rerum creatarum,* quoniam *ea quae pertinent ad naturam vel essentiam divinam, legi aeternae non subduntur, sed sunt*

---

1 *De Civit. Dei*, lib. XIX, c. 12.
2 q. XCIII a. 4.
3 ib. a. 6.
4 ib.

realiter ipsa lex aeterna [1]. Cujus rationem reddit ipsemet *S. Thomas* his verbis: «Lex aeterna est ratio divinae gubernationis. Quaecumque ergo divinae gubernationi subduntur, subjiciuntur etiam legi aeternae; quae vero gubernationi divinae non subduntur, neque legi aeternae subduntur. Horum autem distinctio attendi potest ex his quae circa nos sunt. Humanae enim gubernationi subduntur ea quae per homines fieri possunt; quae vero ad naturam hominis pertinent non subduntur gubernationi humanae, scilicet quod homo habeat animam, vel manum aut pedem» [2].

6. **Duplex modus quo lex aeterna participatur in creaturis.** Quia diversa ratione subduntur divinae providentiae creaturae rationales et irrationales, diversimode quoque participant legem aeternam [3]. Nam irrationales creaturae, *quae non agunt seipsas, sed ab aliis aguntur,* legem aeternam participant *physice* tantum, in quantum Deus imprimit eis principia intrinseca propriorum actuum ad unum determinata; quamobrem vinculo moralis obligationis seu lege proprie dicta non adstringuntur. Nam, ajente ***S. Thoma,*** «cum lex nihil aliud sit quam quaedam ratio et regula operandi, illis solum convenit dari legem, qui sui operis rationem cognoscunt. Hoc autem convenit solum rationali creaturae. Soli igitur rationali creaturae fuit conveniens dari legem» [4].

Creaturae vero rationales, utpote capaces cognitionis moralisque obligationis, participant legem aeternam per *intellectum divini praecepti,* ut scribit ***Angelicus,*** seu media cognitione intellectuali, quia per *legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum,* ratio videlicet naturalis ostendens hominibus quid faciendum, quid vitandum sit, ut se divino regimini conforment.

7. **Quaestio.** His positis, perspicuum est creaturam rationalem legem aeternam aliqualiter cognoscere posse. Sed *Ontologistae* contendunt legem aeternam *in se videri* atque objectum primarium esse cognitionis nostrae. *Verius tamen dicendum* quod, licet penitus ignorari non possit, saltem materialiter, cum lex naturalis sit clara ipsius legis aeternae expressio sive irradiatio, lex vero naturalis, saltem quoad primaria praecepta, ignorantiam invincibilem haud patiatur, potest nihilominus ignorari formaliter, hoc est, sub specifica ratione legis aeternae, nunquam vero in hac vita in se ipsa videri aut immediate cognosci.

Nec alia est *S. Thomae* et omnium Scholasticorum sententia. «Dupliciter aliquid cognosci potest, inquit *Angelicus:* uno modo *in se ipso;* alio modo in *suo effectu,* in quo aliqua similitudo ejus invenitur; sicut aliquis

---

1 ib. a. 4.
2 ib.
3 q. XCI, a. 2.
4 *Contra Gent.*, lib. III, c. 114, n. 3. Cfr. aliae rationes ibidem adductae.

non videns solem in sua substantia, cognoscit ipsum in sua irradiatione». Quo posito, sequentem statuit conclusionem:

Thesis II. Legem aeternam nullus potest cognoscere secundum quod in seipsa est, nisi solum beati qui Deum per essentiam vident, sed omnis creatura rationalis ipsam cognoscit secundum aliquam ejus irradiationem vel majorem vel minorem [1].

Ratio pro utraque parte breviter conficitur ex ipso *D. Thoma:* Lex aeterna non est aliud ab ipso Deo. Sed, ut ostenditur in Theodicea, Deus in se ipso videri aut immediate cognosci non potest; potest vero in suis effectibus manifestari et ex ipsis aliqualis cognitio haberi; ergo recte concluditur legem aeternam in se minime cognosci, bene vero in alio sive mediate, ut loquuntur Philosophi.

8. **Proprietates legis aeternae.** Lex aeterna est *una, indefectibilis, necessaria* et *indispensabilis omnino.*

Una, quoniam «lex est directiva actuum in ordine ad bonum commune. Ea autem, quae sunt in seipsis diversa, considerantur ut unum, secundum quod ordinantur ad aliquod commune, et ideo lex aeterna est una, quae est ratio hujus ordinis» [2].

Indefectibilis: deficere namque a rectitudine est imperfectio, proindeque alienissimum a Deo; igitur lex aeterna, quae non est aliud ab ipso, omnimodam exigit indefectibilitatem, tum in se, tum in regulando et mensurando.

Necessaria. Opinatus est *Puffendorf* Deum liberum fuisse in legis aeternae institutione: libere, inquit, hominem creavit; ergo potuit illi quam sibi magis placuerit conferre naturam; ergo et eadem ratione libere instituere legem naturae. Verum negatur utrumque consequens et consequentia. Posita quippe natura rationali, non potuit eam vel independentem facere, vel a legibus huic naturae consentaneis omnino eximere, vel aliam non congruentem instituere; id enim non solum contradictionem, sed Dei quoque negationem implicat.

Indispensabilis. Cum lex aeterna ordinem universalem naturae, horum scilicet omnium quae per divinam providentiam fiunt, complectatur, quaelibet in ea dispensatio necessario arguit imperfectam et limitatam cognitionem in dirigendo aut saltem impotentiam in guber-

1 q. XCIII, a. 2. «Omnis enim cognitio veritatis est quaedam irradiatio et participatio legis aeternae, quae est veritas incommutabilis, ut August. dicit: veritatem autem omnes aliqualiter cognoscunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis; in aliis vero quidam plus et quidam minus participant de cognitione veritatis; et secundum hoc etiam plus vel minus cognoscunt legem aeternam».

2 ib. a. 1 ad 1.

nando; quod Deo prorsus repugnat. Hinc ipsa quoque miracula, quae contra consuetum cursum naturae eveniunt, ordinem universalem divinae providentiae neutiquam subterfugiunt, sed sunt aeternaliter a Deo praevisa et lege aeterna regulata et ad suae gloriae virtutisque manifestationem patrata[1].

9. **Quaestio altera.** ***An et quomodo leges omnes ab aeterna lege procedant.***

Thesis III. Omnes leges ab aeterna tanquam a fonte derivantur.

Propositio haec facile probatur ex dictis. Lex namque aeterna primatum tenet in ratione legis; primum autem in unoquoque genere est causa ceterorum illius generis. Recte ergo Sapientia divina: *Per me reges regnant et legum conditores justa decernunt*[2]. Quam conclusionem vel ipse Cicero approbat, inquiens: «*Lex nihil aliud est nisi recta et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta prohibensque contraria*[3].

Pulcherrimam vero philosophicamque rationem tradit *Angelicus* hisce verbis: «Lex importat rationem quamdam directivam actuum ad finem. In omnibus autem moventibus ordinatis oportet quod virtus secundi moventis derivetur a virtute moventis primi; quia movens secundum non movet nisi in quantum movetur a primo. Unde in omnibus gubernantibus idem videmus quod ratio gubernationis a primo gubernante ad secundos derivatur, sicut ratio eorum quae sunt agenda in civitate derivatur a rege per praeceptum in inferiores administratores..... Cum ergo lex aeterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est quod omnes rationes gubernationis, quae sunt in inferioribus gubernantibus, a lege aeterna deriventur. Hujusmodi autem rationes inferiorum gubernantium sunt quaecumque aliae leges praeter legem aeternam. Unde *omnes leges, in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege aeterna*[4].

10. **Thesis restrictio.** Dextere signavit ***Angelicus*** in praecedenti conclusione *omnes leges,* proindeque et legem ipsam naturalem et positivo-divinam, ab aeterna lege procedere, *in quantum participant de ratione recta,* quoniam leges humanae jussaque principum, quae non sunt justa, nequeunt ab aeterna dimanare neque vim obligandi accipere.

Quod iterum oculatius animadvertens ***D. Thomas,*** sapientissimam et notatu dignam tradit sententiam: *Lex humana,* inquit, *in tantum*

1 Cfr. *Contra Gent.*, lib. III, c. 99 et S. Aug. *Contra Faust.*, lib. XXVI, c. 3.
2 Prov. VIII, 15.
3 *Philipp.* 2.
4 q. XCIII, a. 3.

habet rationem legis in quantum est secundum rationem rectam; et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua; et sic non habet rationem legis, sed magis violentiae cujusdam. Et tamen in ipsa lege iniqua in quantum servatur aliquid de similitudine legis, propter ordinem potestatis ejus qui legem fecit, secundum hoc etiam derivatur a lege aeterna: *Omnis enim potestas a Domino Deo est,* ut dicitur Rom. XIII, 1 [1].

11. **Praevenitur quaedam objectio.** Ex his tamen nemo inferat leges omnes obligare *jure divino,* ut nonnulli opinati sunt, duce *Gerson.* Etenim lex naturalis et positivo-divina obligant quidem jure divino, quia Deus ipse est immediatus et praecipuus auctor; aliarum vero legum humanarum ipse non est immediatus auctor, sed procedunt a potestate humana, non solum ut a promulgante, sed ut ab instituente formaliter legem, quamvis illa potestas non sit nisi a Deo accepta, et ideo obligatio sit etiam radicaliter ab ipso. Sed res per proximiora et propria principia specificatur; ergo lex humana non obligat jure divino, sed humano.

12. **Triplici autem modo** leges omnes ab aeterna promanant, scilicet: 1) tanquam *ab exemplari,* quia omnes leges, ut sint justae, debent esse legi aeternae conformes; 2) tanquam a causa *efficiente,* quia omnis potestas legislativa inferior a Deo est; 3) denique quatenus lex aeterna, mediante lumine rationis vel fidei, *dictat et approbat* quae et quando leges sunt instituendae pro diversitate circumstantiarum, personarum, locorum et temporum. Ita ***Sylvius, Billuart,*** aliique ***Scholastici.***

13. **Ultimo quaeritur** ***utrum lex aeterna distinguatur a providentia, ab ideis divinis et a lege naturali,*** quibuscum, prima fronte, confundi videtur.

Si haec penitus introspiciantur sequentes praestabunt differentias. a) *Ideae divinae* sunt exemplar rerum creandarum; sunt plures, ut conceptae, non realiter; idea nullam importat obligationem nec formaliter respicit subditum, qua talem; *lex aeterna* versatur circa rerum creatarum gubernationem; est una; importat obligationem et ideo respicit formaliter subditos, qua tales. b) *Providentia* in Deo, ajente ***S. Thoma,*** proprie non nominat legem aeternam, sed aliquid ad legem aeternam consequens [2]. Est ergo providentia quasi executio vel applicatio legis, quia lex, inquit ***Suarez,*** «constituit veluti generales regulas secundum quas res omnes moveri debent et operari: provi-

1 q. XCIII, ad 2. 2 *De Verit.*, q. V, a. 1 ad 6.

dentia vero de singulis rebus et actibus in particulari disponit»[1]. Et hoc, subdit cl. Theologus *S. J.*, videtur consentaneum proprietati ipsarum vocum; nam lex dicit jus in commune constitutum; providentia vero dicit curam, quae de singulis actibus haberi debet. c) Exhibet quoque diversum conceptum ac lex naturalis, a qua distinguitur ratione subjecti: lex enim naturalis subjectatur in creatura rationali; aeterna vero in solo Deo; ratione extensionis, quia legi aeternae omnia subjiciuntur quae sunt in rebus creatis sive necessaria sive contingentia; lex vero naturalis est limitata; distinguuntur item sicut essentiale et participatum, ideoque lex aeterna nec omitti, nec confundi potest cum aliis legibus.

14. Ex dictis facile intelliguntur sequentia: 1) pulcherrime verissimeque *S. Augustinum* legem aeternam definiisse: *Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*[2]; vel, *summa ratio cui semper obtemperandum est*[3]; et non incongrue *S. Thomam*: *Ratio gubernationis rerum in Deo sicut in principe universitatis existens*[4]; vel: *Ratio divinae sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum* et *cui subduntur omnia quae sunt in rebus a Deo creatis, sive sint contingentia, sive sint necessaria*[5].

2) Recte *Scholasticos* posuisse legem aeternam tanquam totius ordinis moralis et juridici primarium et essentiale fundamentum, ob idque minime reprehensionis dignos aestimari, quidquid in contrarium blateret *Ahrens*.

3) *Christianum Thomasium*, absolutam opinandi libertatem in his quae mores et religionem spectant tanquam primum principium politicum proclamantem, stulte nimis legem aeternam ut eorumdem *Scholasticorum* figmentum habuisse.

4) Iisdem *Scholasticis* nonnisi per calumniam attribui posse, quemadmodum leviter et inconsulto fecit *F. J. Stahl*[6], Profesor *Berolinensis*, quod legem aeternam supra ipsum Deum constituerint, bonique et mali discrimen, Deo etiam non existente, pro ratione humana subsistere docuerint, id, inquam, *Scholasticis* in vitium verti non potest, cum talis aeternae legis conceptus eorumdem animo nunquam subierit.

---

1 *De Legibus*, lib. I, c. 3.

2 *Contra Faust.*, lib. XXII, c. 27.

3 *De liber. arbitr.*, c. 6. Ibidem hanc alteram subjicit: *Lex aeterna est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima.*

4 q. XCI, a. 1.

5 q. XCIII, a. 1 et 4.

6 *Hist. de la filos. del Der.* t. 1, pag. 123.

Articulus II

De Lege Naturali[1].

Plurimum juvabit praesentem gravissimam quaestionem in quinque paragraphos distribuere, ne plurium in unum coacervatio claritudini, modo valde necessariae, obsit. Igitur, expensa *primo* notione legis naturae, investigabimus *secundo* principium et fundamentum obligationis moralis, *tertio* ejusdem legis proprietates, *dein* penitiorem instituemus disquisitionem circa legis naturalis essentiam, *ultimo* vero, coronidis instar, demostrabimus existentiam et necessitatem moralis sanctionis.

§ 1.

NOTIO LEGIS NATURAE

Summa rerum. 1. *Legis naturalis definitio.* 2. *Ejusdem legis osores.* 3. Thesis: *Agnoscenda est in homine lex naturalis* (ab aliquibus recentioribus *lex moralis* simpliciter dicta)—*Multiplici argumentorum genere probatur.* 4. *Communis conceptus legis naturae in propatulo ponitur.* 5. *Quo sensu principia operabilia dicantur nobis naturaliter indita.* 6. *Legis naturalis discrimen a synderesi, conscientia et lege aeterna.* 7. *Objectum hujus legis —an ad ipsam spectent nedum principia sed etiam conclusiones;—an actus virtutum, et quo sensu.* Thesis: *Proprium legis naturalis objectum sunt omnes illae actiones humanae quae intrinsecam et essentialem bonitatem vel malitiam praeseferunt.* 8. *Lex naturalis irritans quid et quando.* 9. *Legis naturalis subjectum.*—D. Thomae *sententia.*

1. Quandoquidem Philosophi minime conveniunt in specifica legis naturalis definitione, eam generatim describimus cum Scholasticis, praeeunte ***Angelico Doctore,*** dicentes esse *participationem legis aeternae in rationali creatura*[2]. Vocatur *naturalis,* tum quia simul orta est cum

---

1 Cfr. Tullius, *De leg.*, lib. VI, 14, 15, 16; lib. II, 4, 5; *Pro T. An. Milone*, 4; Seneca, *Epist.* LXV; D. Thomas, I-II, q. XCI, a. 2; q. XCIV, a. 1-6; IV *Sent. Dist.*, XXXIII, q. II, a. 1; Dom. Soto, *De Justitia et Jure*, lib. I, q. IV. a. 1-5; Schmier, Tract. XIII, Diss. I, q. I-III; Suarez, lib. II, c. V-XVI; Valentia, Disp. VII, q. IV, Punct. I-VI; Schmalzgrueber, Diss. *Prooem.*, § 2; Bouix, *De Principiis Jur. Can.*, p. I, sect. I, c. III; Pacetti, *Instit. Philos. Mor.*, t. I. p. I, sect. III, c. 2; Gulielmus Audisio, *Juris Naturae et Gentium privati et publici Fundamenta* (Benev. 1854) lib. I, Tit. III; Ortí y Lara, loc. cit. c. III, ceterique philosophi alias citati.

2 Eam definit Cicero, lib. I, *de leg.*: *ratio summa insita in natura, quae jubet ea*

natura, tum quia versatur circa ea quae sunt ipsi naturae rationali ex principiis ejus intrinsecis convenientia vel disconvenientia. Per hoc autem quod dicitur in definitione *in rationali creatura* satis ostenditur hanc participationem legis aeternae non esse illam generalem, quae reperitur in omnibus rebus divinae gubernationi subjectis, sed specialem et excellentiorem, quoniam modus participandi attemperatur subjecto participanti[1].

2. Existentiam legis naturalis pessumdant, praeter *Atheistas*, *Materialistas*, *Positivistas* et *Darwinistas*, *Rationalistae* omnes et quotquot rationis humanae *autonomiam* in ordine sive morali sive politico propugnant hominemque *exlegem* constituunt. Contra quos militat sequens indubia

3. **Thesis. Agnoscenda est in homine lex naturalis**[2].

Prob.

Ex praejactis in superiori articulo. Dictum est supra omnes omnino creaturas suo modo legem aeternam participare, quoniam, cum omnes suo pariter modo divinae subjaceant Providentiae, ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus et fines. *Inter cetera autem, rationalis creatura excellentiori quodam modo divinae Providentiae subjacet, in quantum et ipsa fit providentiae particeps, sibi ipsi et aliis providens. Unde et in ipsa participatur ratio aeterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum et finem: et talis participatio legis aeternae in rationali creatura lex naturalis dicitur*[3].

Confirmatur a) *ratione divinae providentiae.* Deus satis providit creaturis irrationalibus, cum ex impressione a lege aeterna participata, necessario et per instinctum impelluntur ad suos actus et fines; atqui non satis providisset hominibus, si nulla lege moralique obligatione eos devinxisset, aut nullum intrinsecum principium ipsis indiderit, quo sine errore et declinatione dirigentur in finem; ergo vel neganda est Dei in homines providentia, aut adstruenda est legis naturalis existentia.

b) *ex socialitate humana.* Etenim homo est animal naturaliter politicum et sociale; ergo a natura habere debet ea omnia sine quibus societas

---

quae facienda sunt prohibetque contraria; D. Th., IV *Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. I: *Naturalis conceptio omni homini indita, qua dirigitur ad operandum convenienter, lex naturalis seu jus naturae dicitur.*

1 Cfr. D. Thomas, q. XCI, a. 2 ad 3.

2 Cfr. Hooke (Lucius Joseph) *De Vera Religione*, (p. I) *De lege naturali.* Opus egregium insertum in Curso Completo Theolog. Migne, vol. 2.

3 D. Th., q. XCI, a. 2.

existere et conservari non potest; atqui ad vitae socialis subsistentiam requiritur principium aliquod regulativum praeexistens ante omnem sociorum voluntatem, eos devinciens communi vinculo; atqui id profecto praestare nequeunt leges humanae, quae, ut sint justae, utpote defectibiles, alteri, et quidem superiori, sese conformare tenentur; ergo necessario est admittenda lex naturalis, regulans ipsam naturam socialem fundansque naturalem obedientiam et aequitatem.

c) *a posteriori, ex sensu intimo.* Propria et aliorum experientia testante, adsunt plures actiones humanae, quas naturaliter statimque approbamus ut bonas, alias vero reprobamus ut malas; constanter enim et ab omnibus, semper et ubique haec judicia: *parentes sunt honorandi; Deus est colendus; bonum est faciendum malumque vitandum: quod tibi non vis fieri alteri ne facias, et similia,* habita sunt tanquam universalia et immutabilia legis praecepta; sed haec constantia, universalitas et immutabilitas demonstrant hujus generis judicia nonnisi naturam Deumve auctorem habere; aliunde, efficaciter impellunt hominem ad operandum secundum illa, cumque ea transgreditur remorsus conscientiae de facili non extinguit; ergo haec dictamina a ratione naturaliter profluentia legis naturalis vigorem habent, obligant quippe hominem ad operandum. Haec clare ostendit *Apostolus,* loquens de gentibus legem positivo-revelatam scriptam non habentibus: *Gentes,* inquit, *quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum* [1].

Hinc legem naturalem abjudicant, quotquot essentiale discrimen inter bonum et malum rejiciunt; ergo e contra, admisso antecedenter ad omnem consuetudinem, conventionem, aut legem positivam populorum, differentia essentiali et intrinseca inter bonum et malum, necessario inducitur legis naturalis existentia.

Roboratur thesis luculentissimo *Ciceronis* testimonio. «Est quidem vera lex recta ratio naturae congruens, diffusa per omnes, constans, sempiterna; quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat. Huic igitur legi nec obrogari fas est, neque derogari aliquid licet, nec tota abrogari potest. Nec vero per senatum, aut per populum, solvi hac lege possumus; nec est quaerendus explanator aut interpres alius. Nec est alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, sempiterna et immutabilis continebit: unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, tutor: cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugeret» [2]. Pulchrius et divinius nec philosophus Christianus.

---

1 *Ad Rom.*, II, 34.

2 *De Repub.*, lib. III, apud *Lactant.*, lib. VI, c. 8, *De vero Cultu;* Cfr. *Orat. pro*

4. **Natura legis hujus adumbratur.** In quo proprie et formaliter reponenda sit legis naturalis essentia dicetur infra; nunc communem conceptum exhibemus.

Uti jam cum ***Angelico*** notavimus, lex sumi potest dupliciter, *active*, quatenus est in principe legislatore, et *passive*, in subdito regulato. Sed lex aeterna omnia in finem dirigit prout uniuscujusque naturae congruit, res quidem inanimas et belluas physice per impressionem naturae ad unum determinatae; rationales vero per liberum arbitrium et rationem. Siquidem homo non tantum movetur, sed seipsum in finem dirigit per apprehensionem rationis. Nonnulla vero judicia practica sic naturaliter apprehendit ut videantur ipsi naturae rationali congenita seu ab initio creationis indita. Porro haec dictamina rationis practicae de his quae homini conveniunt secundum suam naturam legem naturalem constituunt. Praeclare ***S. Thomas:*** *Lex naturalis nihil aliud est quam conceptio homini naturaliter indita qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis, sive competant ei ex natura generis, ut generare, comedere et hujusmodi, sive ex natura speciei, ut ratiocinari et hujusmodi. Omne autem illud quod actionem inconvenientem reddit fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur*[1].

5. **Nota.** Necessarium ducimus hic animadvertere, ne errandi et ad Ontologistas et Cartesianos declinandi occasionem praebeamus, ***principia operabilium sic dici nobis naturaliter esse indita, sicut principia speculabilium***[2], id est, non esse, quantum ad cognitionem actualem eorumdem, vere et stricte innata sive congenita, aut concreata, ita ut, nulla praeveniente specie a sensibus orta, sint homini ab initio creationis a Deo indita; sed hoc modo intelligi, aptitudinem ad haec principia statim et sine rationis investigatione cognoscenda, cognitis terminis, esse nobis naturaliter inditam[3].

Milone; De la Luzerne, *Dissert. sur la loi naturelle*; Bautain, loc. cit., chap. III-VI; Vallet, *Dios, principio de la ley moral*; Farges et Barbedette, *Ethica Gen.*, p. I, c. II, a. 3; Rosset, *Moralis*, p. III, c. 1; antiquorum testimonia in favorem legis naturalis videri possunt apud Farges, *La liberté et le devoir*, pag. 267.

1 IV *Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1.

2 S. Th., I p., q. LXXIX, a. 12.

3 Audiamus D. Bonaventuram, ad quem pro sua tuenda sententia passim recurrunt Ontologistae. «Quemadmodum igitur cognitio primorum principiorum ratione illius luminis (intellectus scilicet) dicitur esse nobis innata, quia lumen illud sufficit ad illa cognoscenda post receptionem specierum, sine aliqua persuasione superaddita, propter sui evidentiam, sic et primorum principiorum moralium cognitio nobis innata est, pro eo quod judicatorium illud sufficit ad illa cognoscenda... Naturale enim habeo lumen, quod sufficit ad cognoscendum, quod parentes sunt honorandi, quod proximi non sunt laedendi; non tamen habeo mihi impressam speciem patris, vel speciem proximi». II Dist. XXXIX, a. 1, q. 2. Eadem ratione dicitur legem naturalem esse nobis naturaliter inditam.

6. **Legis naturalis discrimen a synderesi, conscientia et lege aeterna.** Differt a *synderesi,* quia haec *est habitus continens praecepta legis naturalis, quae sunt prima principia operum humanorum*[1]; sicut autem «principia indemonstrabilia in speculativis non sunt ipsi habitus principiorum, sed sunt principia, quorum est habitus»[2], ita lex naturalis non est habitus, sed aliquid constitutum per rationem, seu ipsa praecepta, quorum est habitus. Distinguitur autem *a conscientia,* quoniam proprium conscientiae est applicare praecepta ipsa legis naturae ad hic et nunc agendum.

Et denique, quamvis nonnulli legem naturalem indistinctam a lege aeterna proclament, siquidem rentur esse ipsam legem aeternam homini per rationem applicitam, seu aeternam dici prout est in Deo, naturalem vero prout a ratione humana cognoscitur[3], triplici saltem ratione a *lege aeterna* discriminatur. Nam 1.° lex aeterna active in solo Deo est veluti in subjecto, lex naturalis in rationali creatura: 2.° illa ad omnes omnino creaturas, tum intellectuales, tum ratione carentes, se porrigit; haec autem solum regulat actus naturae rationali convenientes eique proportionatos: 3.° lex naturalis seipsa innotescit, lex vero aeterna, ut supra diximus, immediate cognosci non potest; lex igitur naturalis distinguitur a lege aeterna ratione *subjecti, extensionis* et *cognoscibilitatis.* His tamen non obstantibus differentiis, lex naturalis *divina* merito dici debet, quoniam a Deo, auctore naturae, proxime et immediate constituta est.

7. **Objectum sive materia hujus legis.** Cum primum principium in re morali, quod a lumine intellectus, nulla interveniente ratiocinatione, dictatur, sit *bonum faciendum malumque vitandum,* recte concludit ***Angelicus*** omnia illa facienda vel vitanda pertinere ad praecepta legis naturae, quae ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana. Quia vero bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarii, inde est quod omnia illa ad quae homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit ut bona, et per consequens opere complenda et contraria eorum ut mala et vitanda[4]. Ergo ad haec se extendit lex naturalis.

Age vero. Licet principium generalissimum legis naturae, quo designatur ejusdem legis objectum, sit *bonum faciendum malumque vitandum,* vel, ut aliis placet, *serva rectum naturae ordinem tanquam divinitus*

1 D. Th., q. XCIV, a. 1 ad 2.
2 ib. in corp.
3 Ita inter alios P. G. Casanova, *Ethica Gener.,* c. II, a. 2.
4 Q. XCIV, a. 2. Cfr. Joan. Lottini, *Comp. Philos. Schol., Philos. Mor.,* (Romae 1912) n. 375.

sanctum, plura tamen principia sive praecepta sub eo continentur, quae ad triplicem classim reducit *S. Thomas*. Nam «*secundum ordinem inclinationum naturalium est ordo praeceptorum legis naturae*. Inest autem *primo* inclinatio homini ad bonum secundum naturam in qua *communicat cum omnibus substantiis*, prout scilicet quaelibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam; et secundum hanc inclinationem, pertinent ad legem naturalem ea per quae vita hominis conservatur et contrarium impeditur. *Secundo* inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam *in qua communicat cum ceteris animalibus;* et secundum hoc, dicuntur ea esse de lege naturali quae natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris et feminae, et educatio liberorum, et similia. *Tertio* inest homini inclinatio ad bonum secundum *naturam rationis, quae est sibi propria;* sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc quod in societate vivat; et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea quae ad hujusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat cum quibus debet conversari, et cetera hujusmodi quae ad hoc spectant» [1].

Ad legem proinde naturalem, quidquid in contrarium opinatus sit ***Durandus,*** non solum pertinent prima praecepta, sed etiam conclusiones eorumdem principiorum quae per legitimam, evidentem et necessariam deductionem ex his inferuntur, *ut reddere debitum creditori, alios non laedere, omnia denique Decalogi praecepta;* quia lex naturalis versatur circa ea quae intrinsece conveniunt vel repugnant naturae rationali; ergo quaecumque ad hunc ordinem pertinent sunt legis naturalis objectum. Omnia autem sunt in duplici differentia, scilicet, quatenus movent ad operandum, et dicuntur praecepta *positiva*, vel prohibent operari, et vocantur *negativa*.

Hinc et *actus virtutum* sunt etiam de lege naturae *in quantum sunt virtuosi;* «dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio ut virtuose agat. Sed si loquamur de actibus virtuosis *secundum se ipsos, prout scilicet in propriis speciebus considerantur*, sic non omnes actus virtuosi sunt de lege naturae. Multa enim secundum virtutem fiunt ad quae natura non primo inclinat» [2]. Ex dictis liquido infertur, nec ulteriorem exposcit demonstrationem, veritas sequentis theseos: *Proprium legis naturalis objectum sunt omnes illae actiones humanae quae intrinsecam et essentialem bonitatem aut malitiam praeseferunt, et ob eam rem, praecipiuntur quia bonae, prohibentur quia malae.*

8. **Lex naturalis irritans.** Quandoque lex naturalis non solum

1 q. XCIV, a. 2.

2 ib. a. 3. Hinc non immerito quidam legem naturae, attento ejusdem objecto, definiunt: «Complexio obligationum ex rerum essentia homini incumbentium». **Bouix**, *De Princip. Juris Canon.*, p. I, sect. I, c. III, § 1, n. 5.

prohibet simpliciter aliquem actum tanquam illicitum, sed reddit quoque nullam efficaciam actus illius qui lege prohibetur; unde non tantum est illicitus seu immoralis sed etiam nullus; quo in casu lex dicitur *irritans*. Quandonam vero id in lege naturali contingat ex sequentibus regulis dignosci valet. I.ª *quando actus jure naturali prohibetur ob potestatis defectum vel materiae incapacitatem*, v. gr. secundum matrimonium, vivente prima uxore, donatio ejusdem rei post priorem donationem jure factam, tunc actus est nullus et natura sua irritus. II.ª *Quando actus vetatur ob intrinsecam turpitudinem, si haec duret in effectu*, seu, ut loquuntur Juristae, si turpitudo actus *causam habet perpetuam, non solum in ipsa actione, sed in ipso effectu*, v. gr. matrimonium inter patrem et filiam, actus est etiam irritus [1].

9. **Legis naturalis subjectum.** Consequenter ad ea quae praemisimus de natura legis naturalis deque ejusdem objecto, dicendum videtur *omnes omnino homines, etiam infantes et perpetuo amentes*, huic legi, stricte sumptae, subjectos esse. Omnes enim participant eamdem naturam rationalem quam necessario consequitur inclinatio ad operandum secundum virtutem; ergo omnes legi naturali subjiciuntur. Et hoc quidem, quoad homines ratione utentes, nemini dubium esse potest. Quoad pueros autem et amentes, si quae sit difficultas, statim evanescet dummodo notetur legem naturalem pro ipsis quoque promulgatam esse *active;* nam haec, ut supra diximus, est signum quo voluntas superioris qui obligat cognoscibilis redditur subditis qui obligantur, ad differentiam promulgationis *passivae*, quae est ipsa legis divulgatio et notitia. Promulgatio autem activa fit sufficienter, et non tantum fundamentaliter seu habitualiter, ut quidam censent, sed proprie et formaliter in actu secundo per hoc quod Deus creando ipsam naturam rationalem illi hanc legem sive inclinationem impressit ut agat secundum rationem, id est, prout naturae rationali convenit. «Promulgatio legis naturae, inquit ***D. Thomas,*** est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam» [2]. Ex hac promulgatione activa et formali oritur obligatio activa in ipsa lege existens, ex qua procedit quod pueri et amentes agentes contra legem naturae peccent, quamvis materialiter tantum, defectu cognitionis ejusdem legis, formaliter vero omnes qui eos inducunt ad peccatum contra naturam [3].

Dices. Sententia *S. Thomae* est legem naturalem esse in parvulis

1 Suarez, *De Leg.*, lib. II, c. 12, n. 4 et 5.
2 q. XC, a. 4, ad 1.
3 Cfr. José Morán, O. P. *Teologia Moral*, t. I, lib. II, Trat. único, a. 2.

habitualiter tantum; ergo improprie dicuntur pueri subjecta legis naturalis; ait enim *S. Doctor:* «eo quod habitualiter inest quandoque aliquis uti non potest propter aliquod impedimentum; sicut homo non potest uti habitu intellectus principiorum, vel etiam lege naturali, quae ei habitualiter inest, propter defectum aetatis» [1].

Respondeo in hoc textu *D. Th. habitualiter* non idem esse ac *fundamentaliter* et *improprie,* nihilque probare hanc esse mentem *Angelici Doctoris;* quis enim dicet in sententia tanti Magistri non esse in homine habitum scientiae, somno durante, nisi improprie et fundamentaliter? Et tamen comparat modum existendi legis naturalis in pueris cum modo quo existit habitus scientiae in dormiente. Ergo τὸ *habitualiter* in casu nostro minime opponitur τὸ *formaliter,* sed tantum significat puerum non cognoscere actu praecepta legis naturalis propter impedimentum aetatis, quamvis illa praecepta velut semina quaedam teneat habitu. Lex ergo naturae, quae non est habitus, ut ibidem tradit *Angelicus,* proprie est in pueris et amentibus tanquam in subjecto, cum pro ipsis ab initio creationis animae rationalis sit vere et proprie promulgata ideoque obligationem activam pariens, licet non sortiatur effectum propter defectum cognitionis actualis.

§ 2

DE PRINCIPIO OBLIGATIONIS LEGIS NATURALIS [2].

Summa rerum. 1. *Obligationis notio.* 2. *Sententia catholica.—Rationalismi placitum.* 3. Thesis. *Obligatio legis naturalis oriri non potest ex dictamine rationis practicae autonomae,* vel, ut dicit Angelicus: *Nullus proprie loquendo suis actibus legem imponit.* Prob. 4. *Utilitaristae, Solidarii, Positivistae.* 5. *Juris moralisque saecularizatio.—Ethica independens.—Varii gradus.* 6. *Rationalistarum intentum conatusque.—Confutatur praecedens theoria.* 7. *Corollaria* (Machiavelli, Thomasii, Fleischerii opinamenta.—Peccatum philosophicum et theologicum; Angelici Praeceptoris doctrina.—Qua ratione omne peccatum veram contineat Dei offensam). 8. *Scholion* (Supposita divina legis moralis obligatione, referuntur variae Catholicorum sententiae circa ultimum formale ejusdem fundamentum).

1. Generalis effectus simul et actus hujus legis, sicut et cujuslibet alterius, est obligatio, quo nomine designamus *quamdam necessitatem obligativam et practicam, qua moraliter, id est, media cognitione, voluntas*

1 q. XCIV, a. 1 ad 3.

2 Muller, loc. cit. sect. II, a. 2, § 33; Bautain, loc. cit. chap. III. De Bie, loc. cit. a. 3, § 2; Martel, *Elem. de Filos. Moral,* c. I, X-XI; Meyer, lib. III, c. II, a. 3; Ferretti, c. IV, a. 3, n. 151 et seqq.; Arendt, c. III, § 3. *La ley moral,* n. 41-44.

adstringitur ad servandum ordinem indictum a Deo[1]. Obligatio siquidem, utpote a *ligando* dicta, ideam cujusdam ligaminis sive necessitatis praesefert. Haec autem necessitas non potest esse physica, quae homini, quatenus libero, minime convenit, sed moralis, ideoque, duce cognitione et intacta libertate, voluntatem adigit seu efficaciter movet ad prosequenda bona, vel retrahit a malis, quae rectum naturae ordinem laedant Deoque displiceant[2].

2. **Originem vere et formaliter divinam** legis naturalis luculenter demonstrarunt per plura saecula philosophi catholici qui, libenti animo et absque ulla dubitatione, subscripserunt sequentem legis naturalis definitionem a praeclaro veritatis magistro traditam: *participatio legis aeternae in rationali creatura*. Ergo nec de *origine divina obligationis* promanantis a lege naturali majores nostri unquam dubitare potuerunt. Verum, exeunte saeculo XVIII, apparuit cum *Kantio* celebris illa morum philosophia quae autonomiam rationis humanae proclamare, omnem interventum divinum in actionibus liberis, vim omnem cujuslibet altioris legis, interdicere in deliciis habuit. Etenim recentioris Rationalismi patriarcha aperte negat legem naturalem esse altioris legis participationem hominemque vinculo aliquo, praeter quam quod sibi imposuerit, posse ligari aut a Deo quoad auctoritatem legiferam dependere; sed e contra docet legem naturalem unice repetendam esse ex rationis autonomae dictamine, excluso quolibet extrinseco auctoritatis principio: ideoque rationem humanam esse sibi ipsi legislatricem, voluntatisque autonomiam principium omnium legum moralium; imo addidit hominem nullum praeceptum amplecti posse quod a propria ratione non promanet, si vult libertatem illaesam conservare. In tantum enim, juxta ipsum, ratio manet libera obediendo, cum sibi imperat sibique obedit. Lex autem sic a ratione constituta, est *absoluta reverentia digna,* adeo ut «ad ejus vocem audacissimus malefactor contremiscere et ab ea quasi se abscondere cogatur». Felix efficaxque sanctio! homines audacissimos, quos timor gehennae justique judicis supremi vindicta non terret, commovet, et a crimine perpetrando retrahit lex quaedam propria ratione constituta sibique ipsi imposita! Admirabile sane Philosophiae *Kantianae* inventum!

Hinc plane sequitur obligationem legis naturalis *a Deo minime procedere,* sed, juxta Rationalistas, *unicum et adaequatum principium obligationis repetendum esse ex ipsa hominis ratione autonoma et independenti,* seu ex *imperativo categorico*, quod his verbis exprimitur: *Sic age ut regula quam praestituis voluntati tuae deservire possit pro norma generali operandi;* ex qua formula totam vim obligandi lex unice haurit, et ad cujus conformitatem voluntas debet semper operari et exclusive propter

1 Cfr. P. Raphael a S. Joseph, *Tract. de Conscientia*, n. 188.

2 Cfr. A. Arendt. c. III, *El orden moral*, § 1.°-7.°; Vallet, *Dios, principio de la ley moral*, c. II.

illam, ut sit perfecta. Eumdem aut similem fontem cujuscumque moralis obligationis designant assentatores *moralis independentis, laicae, naturalis, sociologicae* et *pessimistae*. Contra hanc pestiferam morum doctrinam sit

3. **Thesis. Obligatio legis naturalis oriri non potest ex dictamine rationis practicae autonomae:** vel, ut dicit ***Angelicus:*** **Nullus proprie loquendo suis actibus legem imponit** [1].

Prob.

1) *Ex conceptu obligationis,* cui doctrina kantiana repugnat. Nam obligatio importat vim coactivam, sive ligamen quoddam inducens necessitatem ponendi vel omittendi actum a lege praeceptum; nemo autem sibi ipsi vim inducere potest, id enim implicat superioritatem in eo qui legem fert et inferioritatem in eo qui legi subjicitur; ergo, sicut repugnat rationem humanam esse seipsa superiorem simul et inferiorem, ita pariter repugnat esse sibi ipsi legislatricem.

2) *Aperte negat causalitatem causae primae.* Velle quippe rationem humanam autonomam in legibus ferendis est illam ipsam constituere primam, essentialem et indeficientem regulam morum; exulat ergo quaevis causalitas causae primae in ordinis moralis institutione; ipsa namque ratio, nullo habito respectu ad Deum, est fons unicus auctoritatis atque ex proprio *fundo* eruit dictamina illa generalia quae legem constituunt quaeque, propter formam absolutam sub qua proponuntur, *imperativum categoricum* a ***Kantio*** vocantur.

3) *Falsitatis arguitur hoc principium,* cui theoria rationis autonomae tota innititur: *Homo, qua ens rationale liberum, est sibi ipsi finis absolute;* nam esse sibi finem absolute seu in se est proprium entis increati, illimitati et absoluti; ergo, vel negatur Dei realis existentia, vel ponimus hominem Deum, et sic quoque negamus Deum.

Unde 4) theoria kantiana *ducit ad pantheismum* et *ad humanae rationis divinizationem.* Sustineri ergo non potest intra limites veritatis philosophicae.

4. Hanc theoriam Rationalisticam innovarunt, praeter *Renouvier,* qui inter *Gallos Kantismum* propagavit, nuperi scriptores *Lipps, Hartmann* aliique.

Utilitaristae, ut *Jer. Bentham, Stuart Mill* et *Spencer,* unicum fontem obligationis inveniunt in necessitate ponendi vel omittendi actiones propriae felicitati proficuas vel nocentes.

1 I-II, q. XCIII, a. 5. Cfr. Lottini, n. 381-384.

Solidarii, inter quos eminent *Payot, Bourgeois, Secretan* et *Marion*, eam oriri faciunt ex quodam pacto sociali implicito, quo cuncti tenentur aliis societatique reddere quod ab eis, aut saltem a majoribus, acceperunt. In hac ergo mutua et necessaria praestatione fundatur obligatio moralis. *Tolstoi* et *P. Dejardins* obligationi morali substituunt *amoris, pietatis et sympathiae* affectiones; *Ravaisson* et *Ruskin amorem pulchri* (moralis aesthetica); *A. de Vigny* et *Prevost-Paradol honoris cultum.*

Positivistae obligationem moralem plane rejiciunt conanturque novam Ethicam creare absque obligatione et sanctione. Ita *Durkhein, Levy-Bruhl Landry, Guyau* multique alii.

Ab iis refutandis, post dicta cum de norma moralitatis, supersedemus.

5. **Juris moralisque saecularizatio.** Gravissima sane sunt quae in theoriam rationalisticam modo expositam animadvertimus; sed id parum esset, si inde sponte non flueret, velut exitiale consectarium, illa corrupta morum doctrina, quae universam devastat societatem quaeque Deum a legibus, scientiis, hominumque conscientia pellit, religioni christianae penitus valedicit et sub nomine *moralis independentis seu laicae* longe lateque diffunditur [1].

Hujus doctrinae patroni alii aliis rigidiores inveniuntur. Nam *a)* quidam nomine moralis independentis intelligunt complexum praeceptorum moralium a solo rationis lumine proficiscentium, passim loquuntur de officiis, exoptant cives bonitate et justitia naturali ornatos, praeditos virtutibus *civicis*, philanthropia, patriotismo, oeconomia, etc., extollunt usque ad coelum antiquorum philosophorum mores, praeceptaque tradunt naturalia quibus consocios inducant ad tuendam sectandamque justitiam [2]. *b)* Alii sub rigidiori forma laicam moralitatem exponentes, non tantum a Deo praescindere tentant, sed ex cathedra affirmant rationem humanam esse unicum et fontale principium totius moralitatis. *c)* Alii denique publice praedicare non verentur passionum libertatem, carnis licentiam, legis moralisque absolutam negationem. Prima expositio est *antiquorum philosophorum* et *rationalistarum mitiorum;* secunda *atheorum;* tertia *epicureorum.* Triplicem hanc formam expositam et proscriptam habes in propositionibus 3, 56, 57, 58, Syllabi Pii Pp. IX.

6. Ceterum, pessimum hoc kantianae philosophiae consectarium,

1 Cfr. Disp. *Prooem.*, a. 1; B. Andrade, *La moral universal;* George Fonsegrive, *L'argumentation «laique» de M. Ferdinand Buisson.* En *La Revue practique d'Apologétique,* 15 Jan. 1913.

2 «Esto justus, quia aequitas est fundamentum generis humani», ajebat De Ragon; et Rebold: «Esto bonus, quia bonitas ligat omnium hominum corda». Et Buisson «les conditions requises de toute morale pour être une discipline normative sont au nombre de deux: *imperative* et *persuasive*». Sed juxta ipsum, «il y a des impératifs «laiques», des impératifs que la conscience ne rapporte pas à Dieu» loc. cit.

ad hoc praesertim inventum, ut citius efficaciusque possit societatem humanam a religione divellere, tessera enim ejus et dogma praecipuum est *moralitatem nihil habere cum religione commune, societates posse et debere a divina revelatione omnino praescindere,* ex dictis facile exploditur. Etenim, probavimus primam regulam et mensuram actuum humanorum, basim et fundamentum totius ordinis moralis, esse legem aeternam, a qua vim omnem et efficaciam haurit lex naturalis; insuper rationem humanam non esse veri et boni justi et injusti arbitram judicemque supremum, sed dependere a Deo, non tantum quoad esse, sed etiam quoad auctoritatem legiferam; ergo theoria moralis independentis sustineri nequit quin simul atheismus profiteatur[1]. His adde justitiam, humilitatem, obedientiam ceterasque civicas virtutes tam publicas quam privatas omni efficacitate ad pacem et unitatem conservandam destitui, vita quippe moralis hominum, quae externis solummodo relationibus devincitur, hypocrisi, dolo, fraudibus et fallaciis plena est. «*Bene morata civitas esse,* ait Leo XIII, *sublata religione, non potest, jamque plus fortasse quam oporteret est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia quam civilem nominant. Vera magistra virtutum et morum custos Ecclesia Christi*»[2]. Iisdem argumentis ostenditur originem obligationis legem naturalem servandi non esse *ipsam societatem,* nec *mutuae praestationis pactum,* nec *utilitatem* inde capessendam, nec *naturam humanam,* sed *legem aeternam,* cujus lex naturalis est participatio.

7. **Corollarium I.** Inde facile intelliges quam absona sint tum Machiavelli sententia, quae supremos imperantes a legis naturalis observantia eximit, tum ***Thomasii*** et ***Fleischerii*** opinamenta, quibus legis naturalis dictamina, non praecepta, sed *consilia* sunt, et eorum qui cum ***Schmansio*** arbitrantur Deum hominem *exlegem* nullisque mandatis subjectum creasse.

Corollarium alterum. Id etiam consequitur ex dictis quod, etsi accurate dixerit ***Angelicus*** *a theologis considerari peccatum praecipue secundum quod est offensa contra Deum; a philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi*[3], nihilominus omne malum dictamini morali rationis humanae contrarium, eo ipso est etiam peccatum sive offensa contra Deum, haec enim duo sunt invicem inseparabilia, idcirco *admitti nequit peccatum pure philosophicum.*

Ratio autem corollarii egregie exponitur a *D. Thoma:* «Dicendum, inquit, quod quidquid est contra rationem artificiati est etiam contra natu-

1 Cfr. Farges, *La La liberté et le devoir*, pag. 462 et ss.
2 *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.
3 I-II, q. LXXI, a. 6 ad 4

ram artis, qua artificiatum producitur. Lex autem aeterna comparatur ad ordinem rationis humanae sicut ars ad artificiatum. Unde, ejusdem rationis est quod vitium et peccatum sit contra ordinem rationis humanae et quod sit contra rationem aeternam» [1].

Quod si quaeras ***qua ratione omne peccatum veram contineat Dei offensam,*** breviter respondeo cum cl. *P. S. Schiffini* «non posse quidpiam scienter agi contra dictamen rectae rationis quin Deus offendatur triplici titulo. Primo quidem, quia talis actio deturpat naturam rationalem in eo quod ei proprium est, h. e. secundum rationem, quae non est vestigium tantum, sed vera et viva imago supremi Artificis. Secundo, quia est vera transgressio divinae legis, saltem naturalis, ut antea ostensum est. Ergo offendit ejus auctorem, juxta vulgatum illud proloquium: *Qui offendit legem, offendit regem.* Tertio demum quia est vera aberratio a fine ultimo actionum humanarum, qui est ipse Deus, cui propterea demitur honor ei debitus ut ultimo fini» [2].

8. **Scholion.** Quemadmodum paulo supra dicebamus, catholici scriptores nunquam dubitarunt de *divina legis naturalis obligatione*. Verum in quo ultimo consistat formale ejusdem fundamentum minime consentiunt. *Quidam* cum *Vazquez* praedictam obligationem oriri faciunt ex ipsa *natura rationali per se spectata,* eo solo titulo, quod nonnullae actiones antecedenter ad divinam ordinationem voluntatemque ei conveniant, aliae vero repugnent; unde ordinatio divinae sapientiae non est legis naturalis factiva, quamvis eam approbet et sanctionem adjiciat. In hac tamen sententia, etsi non negetur creaturarum dependentia a Deo doceaturque voluntatem Dei velle eam legem servare poenasque transgredientibus infligere, haud facile explicatur *origo divina* praedictae obligationis, quae ab omnibus labem rationalisticam respuentibus sarta tectaque servari debet. *Alii* ex recentioribus cum *Taparelli* [3] opinantur legis naturalis obligationem formaliter consistere *in necessario nexu naturaliter cognito actionis ponendae vel omittendae cum fine ultimo, formali,* juxta aliquos, vel *objectivo,* ut aliis placet. Fatentibus autem hujus sententiae patronis, haec obligatio moralis sequitur voluntatem Dei decernentis beatitudinem vel comminantis ipsius amissionem, qua voluntate supposita, cognitoque insu-

1 I-II, q. LXXI, a. 2 ad 4. 2 *Ethic. Gen.*, Disp. III, n. 139.

3 «El deber moral se resuelve en una *necesidad* final que puede combinarse con una causa subjetivamente libre. Luego para formar aquel juicio –*el bien debe hacerse*– conviene que el entendimiento perciba uua *necesidad final,* ó sea una conexión necesaria del medio con el fin». *Ensayo Teor. de Derecho Natural,* n. 94. Et alibi: Fuente de toda obligación es el último fin y por consiguiente el Criador que lo ha determinado». *Curso Elemental de Derecho Natural para uso de las Escuelas,* n. 37, (traducido de la 6.ª ed. por G. Tejado, Madrid 1871). Bouix, *De Principiis,* p. I, sect. I, c. II, § 4, sequentem statuit et defendit prop.; «Obligatio tendendi ad Deum tamquam finem ultimum est omnium obligationum et juris cujuscumque fundamentum». Cfr. J. de Bie, c. V, a. 3, § 2; Castelein, pag 90.

per necessario nexu actionum humanarum cum praedicta beatitudine, efficaciter movetur animus ad actiones ponendas vel omittendas. *Nonnulli* vero, ut *Cathrein, Willems* et *Castelein,* repetunt praedictam obligationem ex *solo actu divinae voluntatis. Alii* demum, quibuscum sentimus, mordicus tenent legis naturalis obligationem concipi et esse *formaliter constitutam ante voluntatem Dei decernentis beatitudinem aut hujus privationem;* id enim *sanctionem* constituit, non legis *obligationem;* hujus ergo radix et principium effectivum, formaliter loquendo est ordinatio divina, quae veram obtinet rationem legis aeternae, ac proinde imperium divinum, quod est actus rationis, praesupposita voluntate, juxta unanimem Thomistarum sententiam.

§ 3.

DE PROPRIETATIBUS LEGIS NATURAE [1]

Summa rerum. 1. *Praecipuae legis naturae proprietates.* 2. *Quotuplici ratione lex naturalis una dicitur.* 3. *Immutabilitas.—Angelici Praeceptoris solutio.* 4. *Praenotanda* (jus essentiale et accidentale; - duplex mutatio, propria et impropria,—item ab intrinseco et ab extrinseco). 5. Theses: *a) b) c).* Prob. 6. *Dispensationis notio et species.* 7. *Variae auctorum sententiae.* Theses: *a) b).* 8. *Plura notanda ad difficultates contra immutabilitatem legis naturalis enodandas.* 9. *Interpretatio quid sit—item epikeia.—An locum habeant in lege naturae.* 10. *Perspicuitas. —Traditionalistae. —Theologi Lovanienses saeculi XVIII.— Scotistae.* 11. *Thomistarum sententia exponitur et probatur.* 12. *Perpenduntur verba quibus thesis nostra exprimitur.* 13. *An lex naturalis possit de cordibus humanis aboleri.* 14. *Tria inferenda ex praejacta S. Thomae doctrina.*

1. Ex declarata legis naturalis ratione plures emergunt proprietates quae ipsam notiorem reddunt suntque veluti accidentia ejus. Inter alias tres potissimum recensentur, scilicet: *unitas seu universalitas,* ratione cujus omnes omnino homines huic legi subjiciuntur; *immutabilitas* qua, locorum temporumque varietate non obstante, jugiter eadem

---

1 Cfr. Soto, lib. I, q. IV, a. 4 et 5; Suarez, lib. II, c. VIII-XVI; Franc. Sylvius, in I-II Divi Th., q. XCIV; Valentia, loc. cit. q. IV, Punct, IV-VI; Wirceburgenses, Trat. *De Legibus.* c. I, a. 5; Raphael a S. Joseph, p. II, sect. I, a. 2; Bouix, *De Principiis Juris Can.*, p. I, sect. I, c. III, § 3; Muller, loc. cit. § 34; Roselli, *Ethica,* q. IV. a. 3 et 4; Castelló, *Filos. Moral,* p. I, c. VI, a. 2; S. Schiffini, Disp. III, sect. VII; Audisio, loc. cit.; Bautain, *Philosophie des lois,* chap. IV et V; Willems, *Philos. Mor.*, lib. III, sect. III; De Bie, c.V, a. 3, § 3; Fernández Concha, *Filos. del Derecho,* lib. I, c, 1, a. 5, IV.

perseverat quin unquam obsolescat vel obligare desinat; et *perspicuitas*, qua ejusdem notio vel ipsi rudium menti affulget. Pauca de singulis.

2. **Unitas.** Una est lex naturae ratione *finis*, quoniam omnes omnino homines adigit ad rectum naturae ordinem servandum; una *ratione naturae* humanae cui imponitur, quae una eademque specifice reperitur in cunctis hominibus; et denique ratione *praeceptorum* unitatem reclamat lex naturae, quia omnia praecepta ejus, in quantum referuntur ad unum primum praeceptum, habent rationem unius legis naturalis [1]. Huic unitati, quam sibi vindicat lex naturae, non opponitur quod ut in paucioribus deficiat, quantum ad aliquas conclusiones rationis practicae, et secundum *rectitudinem* et secundum *notitiam* [2].

3. **Immutabilitas.** Quaeritur nunc an lex naturalis hac proprietate ditetur. Porro quaestionem sic solvit *S. Thomas:* «Dicendum quod lex naturalis potest intelligi mutari dupliciter: *uno modo* per hoc quod aliquid ei addatur; et sic nihil prohibet legem naturalem mutari; multa enim supra legem naturalem superaddita sunt ad humanam vitam utilia, tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas.

Alio modo potest intelligi mutatio legis naturalis per modum substractionis, ut scilicet aliquid desinat esse de lege naturali quod prius fuit secundum legem naturalem; et sic quantum ad prima principia lex naturae est omnino immutabilis; quantum autem ad secunda praecepta, quae diximus esse quasi quasdam proprias conclusiones propinquas primis principiis, sic lex naturalis non immutatur, quin ut in pluribus sit rectum semper quod lex naturalis habet; potest tamen mutari in aliquo particulari et in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes observantiam talium praeceptorum» [3].

4. Ut autem haec *S. Thomae* solutio clarior evadat sequentia nota: *a)* Lex sive jus naturale est duplex, *essentiale* et *accidentale*. Primum est quod immediate fundatur in essentiis rerum, quae immutabiliter et absque ulla alicujus conditionis dependentia existunt ita ut nunquam aliter esse queant, v. gr. odium Dei, blasphemia. Alterum

---

1 q. XCIV, a. 2 ad 1.

2 Audi Aquinatem: «Lex naturae, inquit, *quantum ad prima principia communia*, est eadem apud omnes et secundum rectitudinem et secundum notitiam. Sed quantum *ad quaedam propria*, quae sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes ut in pluribus, et secundum rectitudinem et secundum notitiam; sed ut in paucioribus potest deficere, et *quantum ad rectitudinem*, propter aliqua particularia impedimenta; sicut etiam naturae generabiles et corruptibiles deficiunt ut in paucioribus propter impedimenta, et etiam *quantum ad notitiam*; et hoc propter hoc quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturae; sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturae, ut refert Julius Caesar in lib. VI de bello Gallico». ib. a. 4.

3 ib. a. 5.

est quod mediate tantum fundatur in essentiis rerum et quibusdam in casibus maxime dependet ab aliqua conditione, uti accidit in materia septimi Decalogi praecepti, nam, annuente vel praecipiente domino, licitum est rem alterius auferre.

b) Mutatio duplex quoque distinguitur, *propria* scilicet et *impropria*, et utraque contingit fieri tum ab *intrinseco* tum ab *extrinseco*[1].

Proprie et ab *intrinseco* mutatur lex quando desinit esse per seipsam, vel quia voluntas legislatoris irrationabilis evadit et lex ex honesta fit noxia aut injusta, vel quia pro determinato tempore fertur, quo finito, non amplius obligat. *Improprie* vero sed *ab intrinseco* pariter mutatur quando subtrahitur materia legis et ideo disinit esse lex, deficiente materia circa quam versatur, v. gr. cum negantur arma domino furioso. Ab *extrinseco* vero fit mutatio legis vel per additionem novi praecepti, ut modo diximus cum ***D. Thoma,*** vel quia simpliciter abrogatur, aut in ea dispensatur ab habente potestatem, quo in casu is exercet dominium in materia, non vero munus legislatoris, ut cum Dominus praecepit Hebraeis spoliare Aegyptios. *Vere ergo et proprie tunc solum contingit legem mutari cum, manente eadem materia, lex desinit ex toto vel ex parte obligare.*

5. Age vero. *a) Ius tum essentiale tum accidentale nec ab intrinseco nec ab extrinseco propriam mutationem patitur,* quia utrumque fundatur in essentiis rerum quae aliter esse non possunt; fieri ergo nequit ut quod erat intrinsece malum, v. gr. mendacium, evadat bonum vel e contra, nec pro tempore determinato latum est, sed ut habeat, quemadmodum essentiae rerum ex quibus fluit, perpetuam durationem.

b) Ius essentiale pati potest mutationem improprie dictam et ab extrinseco tantum, scilicet per additionem, nam de facto multa per legem sive humanam sive divinam legi naturali adduntur ad ipsius praesidium et tutelam; alia quoque indeterminata per legem positivam determinantur, aut decernitur etiam quid faciendum in iis quae, non positive, sed negative pertinent ad legem naturae, quando de iis nihil praescribit nec inducit contrarium, ut docet ***S. Thomas***[2].

c) Ius accidentale pati posse mutationem improprie dictam, tum ab intrinseco, tum ab extrinseco, ex definitionibus supra datis colligitur; pendet enim a conditione, qua posita, subtrahitur materia legis, consequenter desinit esse. Apposite ***S. Thomas:*** «*Quaedam leges sunt, quae secundum id quod sunt, habent rationem ut observari debeant, quamvis, aliquibus concurrentibus, earum observatio impediatur, sicut quod depositum reddatur deponenti impeditur quando gladius furioso deponenti reddendum esset*»[3].

1 De his cfr. P. Raphael a S. Joseph, *De Leg.*, p. II, q. VIII, n. 43.
2 ib. ad 3. 3 III Dist. XXXVII, q. I, a. 3.

Sed apprime notandum est his et in similibus casibus legem ipsam non mutari proprie aut relaxari, sed immutabilem in se permanere, unde ipsemet *S. Thomas* docet Deum, cum Abrahae praecepit occidere filium innocentem, Hebraeis vasa Aegyptiorum subripere, et Oseae uxorem fornicariam assumere, legi naturali minime derogasse [1].

6. **De dispensatione.** Supra innuimus legem aliquam posse improprie et ab extrinseco quoque mutari, cum superior, manente lege, eximit aliquem a legis obligatione. Si igitur agatur de legis naturalis dispensatione eadem ferme dici valent ac de mutatione. Verum in re tanti momenti placet pauca subjicere.

Dispensatio ex mente et littera *S. Thomae,* tunc habetur cum ille, qui habet regere multitudinem licentiam tribuit ut non servetur praeceptum legis, quod datur quidem ad commodum multitudinis, ut in pluribus, non tamen est conveniens huic personae, vel in hoc casu, quia per hoc impediretur aliquid melius vel etiam induceretur aliquod malum [2].

Dispensatio autem sumi potest *proprie,* et est relaxatio obligationis pro aliquo particulari facta a superiore, materia legis eadem manente, et *improprie* quando ita nempe mutatur materia ut desinat comprehendi sub lege; primo modo respicit legislatorem ut talem, secundo modo sumpta dispensatio respicit dominum materiae, sive sit legislator, sive non. Quibus positis statim elucet:

7. *a) Nullam humanam potestatem posse proprie dispensare in lege naturae,* quia dispensatio, si quae datur, spectat ad solum legislatorem; sed nullus homo auctor est nec esse potest legis naturae; ergo. Insuper: «Naturalis lex, inquit *Angelicus,* est participatio quaedam legis aeternae, et ideo immobilis perseverat; quod habet ex immobilitate et perfectione divinae rationis instituentis naturam» [3]. Est ergo immutabilis; sed dispensatio mutationem importat; nulla ergo humana potestas proprie dispensare potest; imo,

b) Neque Deum propria dispensatione relaxari posse legis naturalis obligationem. Ockamus, Petrus de Aliaco, Gerson aliique, tenent in omnibus legis naturae praeceptis posse Deum proprie dispensare. *Scotus* docet posse in praeceptis secundae tabulae. *Alii* demum opinantur Deum posse dispensare in praeceptis extra Decalogum. Sed verior et communior sententia cum *D. Thoma* affirmat nulla praecepta legis naturae esse proprie dispensabilia sed improprie solummodo. Quam sententiam sequenti ratione probat *Angelicus.* «Tunc in praeceptis debet fieri dispensatio,

1 q. XCIV, a. 5 ad 2.
2 I-II, q. XCVIII, a. 4.
3 ib. q. XCVII, a. 1 ad 1.

quando occurrit aliquis particularis casus, in quo si verbum legis observetur, contrariatur intentio legislatoris. Intentio autem legislatoris cujuslibet ordinatur primo quidem et principaliter ad bonum commune; secundo autem ad ordinem justitiae et virtutis, secundum quem bonum commune conservatur et ad ipsum pervenitur. Si qua ergo praecepta dentur quae contineant ipsam conservationem boni communis vel ipsum ordinem justitiae et vitutis, hujusmodi praecepta continent intentionem legislatoris et ideo indispensabilia sunt..... Praecepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei: nam praecepta primae tabulae quae ordinant ad Deum continent ipsum ordinem ad bonum commune et finale, quod Deus est. Praecepta autem secundae tabulae continent ordinem justitiae inter homines observandae, ut scilicet nulli fiat indebitum et cuilibet reddatur debitum; secundum hanc enim rationem sunt intelligenda praecepta Decalogi. Et ideo praecepta Decalogi sunt omnino indispensabilia»[1].

Brevius. Praecepta legis naturae sunt de his quae antecedenter ad divinam voluntatem intrinsecam continent bonitatem vel malitiam, ideoque semper manent immutabilia. Ergo, stante eadem materia, nec pro particulari casu Deus dispensare potest.

8. **Scholion.** Ad enodandas difficultates, quae adversus legis naturalis immutabilitatem oggeri solent, juvat observare: a) *jus nullum esse a legum physicarum mutabilitate ad leges morales transferre argumentum;* deficit enim paritas. Nam leges physicae quibus hic adspectabilis mundus regitur fluunt quidem ex essentiis rerum hypothetice tantum necessariis, absolute vero contingentibus, praesertim prout divinae subsunt ordinationi nec pugnat earumdem mutatio sive suspensio cum sapientia et sanctitate Dei, quemadmodum late ostenditur in Cosmologia. Sed quae spectant ad jus naturae adeo sunt immutabilia ut aliter esse nequeant, nec ullo modo a divina voluntate pendent earum bonitas aut deordinatio.

b) *Longe aliud esse pertinere ad jus naturae positive et negative.* Sunt enim quaedam actiones de jure naturae praecipiente aut prohibente, ut *amor Dei, blasphemia;* et in his nulla datur propria mutatio aut dispensatio; aliae vero sunt de jure naturae permittente tantum v. gr. potestas adquirendi, ad quas ponendas vel omittendas homo nullatenus adstringitur, sed, justa interveniente causa, quin jus naturae deficiat, limitari possunt aut interdici[2].

---

1 I-II, q. C, a. 8. Cfr. resp. ad 3.

2 Audi D. Thomam: «dicendum quod aliquid dicitur esse de jure naturali dupliciter: uno modo, quia ad hoc natura inclinat: sicut non esse injuriam alteri faciendam: alio modo, quia natura non inducit contrarium: sicut possemus dicere, quod hominem esse nudum est de jure naturali, quia natura non dedit ei vestitum, sed ars adinvenit: et hoc modo *communis omnium possessio*, et *una libertas* dicitur esse de jure naturali; quia scilicet distinctio possessionum et servitus non sunt inductae a natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanae vitae, et sic etiam in hoc lex naturae non est mutata nisi per additionem» I-II, q. XCIV, a. 5 ad 3.

c) *Quaedam esse praecepta legis naturae in quibus substrahi non potest materia*, proindeque nec ulla unquam mutatio evenire, v. gr. praeceptum non blasphemandi, non mentiendi et similia, quorum turpido non pendet ab aliqua conditione vel jure creato, cui renuntiare quandoque licitum sit.

d) *Errorem invincibilem excusare transgressionem praecepti naturalis;* sic, qui invincibiliter putaret licitum mendacium ad salvandam vitam patris non esset adstrictus ad servandam legem naturalem mendacium prohibentem, nec tamen proprie mutaretur lex, sed haec mutatio plane contingeret in materia legis solummodo defectu cognitionis debitae [1].

e) Denique observandum est quod *obligatio quorumdam praeceptorum ad jus naturae pertinentium*, quae communiter dicitur relaxari aut dispensari in quibusdam casibus, *proprie minime relaxatur aut dispensatur, sed tantum interpretatur aut declaratur privatim, vel etiam authentice, obligationem non amplius existere, vel ad talem casum non se extendere.* Ita cessat v. gr. obligatio jure naturae inducta servandi votum Deo factum [2].

9. **Interpretatio** vero ad quam non requiritur auctoritas, sed tantum prudentia et scientia, quaeque definiri potest: *explicatio legis conformiter ad mentem quam habuit legislator actu quando legem condidit, et qua declaratur hic et nunc haud obligare vel ligare,* locum habere potest in lege naturali, quia aliquandŏ nonnulla praecepta, praesertim secundaria, non sunt adeo clara ut liquido pateat hic et nunc esse ab omnibus sequenda. Interpretatio vero quae non est de mente legislatoris in actu legisferendae, sed de mente quam habuisset si ad hunc casum particularem attendisset, et quae ad distinctionem simplicis interpretationis vocatur ***Epikeia,*** locum non habet in lege naturali, quia haec tantum datur cum legislator non habuit praesentem casum qui hic et nunc occurrit, hoc est, quando lex est universalis nec ad particularia descendit. ***Epikeia*** namque definitur ab ***Aristotele:*** *Legis emendatio ubi deficit propter universale:* ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλεπίει διὰ τὸ καθόλου [3]. Sed lex naturalis non tantum praecipit in universali sed etiam in particulari ideoque emendationi locus minime relinquitur.

10. **Perspicuitas.** Haec est alia legis naturalis proprietas, qua ita omnibus ratione utentibus obvia fit, ut in dubium verti aut penitus ignorari nequeat: tanta est evidentia qua fulgent praecipua legis naturae praecepta.

Verum Traditionalistae, praesertim rigidiores, contenderunt rationem

1 II *Sent.*, Dist. XXXIX, q. III, a. 3 ad 1.
2 Cfr. D. Th., I-II, q. LXXXVIII, a. 10 ad 2.
3 V *Eth.*, c. X. Cfr. Billuart, *De Leg.*, Diss. II, a. IV, *Petes*, circa finem.

humanam sibi relictam, seu magisterio humano divinoque destitutam, non posse legem naturalem cognoscere, cum ex rebus creatis, revelatione orbata, nequeat ad naturae legislatorem cognoscendum assurgere. Ex adverso plures theologi Lovanienses saeculi XVIII propugnarunt non posse dari in homine adulto ignorantiam invincibilem praeceptorum legis naturae. Quidam Scotistae inter quos *P. Casanova,* «sine haesitatione admittunt possibilitatem ut detur ignorantia invincibilis in illis hominibus qui propter ingenii hebetudinem, instructionis defectum, aliasque causas, sibi persuadeant licitudinem vel saltem indifferentiam actionum pravarum quae sub praecepta *secundaria* cadunt»[1]. Imo cum hujusmodi causae adjunctaque «per longum tempus continuare queant, in ignorantia invincibili per totam vel fere totam vitam versari posse aliquot, satis credibile mihi est. Sic explicantur teterrima facta a multis fidedignis historicis narrata de populis divina revelatione destitutis»[2].

11. Nostra vero et communis ***Thomistarum*** sententia sequentibus exprimitur: a) *In homine expeditum rationis usum habente non potest dari ignorantia invincibilis quoad praecepta tum primaria tum secundaria in se spectata;* b) *principia remotiora ignorari possunt vel ab ipsis sapientibus,* imo c) *ipsa praecepta secundaria, si per accidens considerentur, ignorari pariter queunt invincibiliter, saltem per aliquod tempus*[3].

Probatur breviter nostra sententia. Et primo quidem, planum est generaliora legis naturalis praecepta, item et secundaria in se ipsis inspecta, invincibiliter ignorari non posse ab homine ratione utente; nam praecepta legis naturae hoc modo se habent, ajente ***Angelico Praeceptore,*** ad rationem practicam sicut principia prima demonstrationum se habent ad rationem speculativam; ergo sicut omnibus nota sunt principia speculativa quae fundantur supra rationem entis, ut, *impossibile est aliquid simul esse et non esse;* ita ignorari nequeunt quae fundantur supra rationem boni, ut, *bonum est faciendum,* sunt enim prima elementa sine quibus ratio tum speculativa tum practica evolvi non potest; horum ergo cognitio necessario supponitur. Item, sicut sciens totum esse majus sua parte statim cognoscit totum corpus v. gr. ***Petri*** majus esse brachio vel capite ejusdem, est enim conclusio in enuntiato principio clare contenta, eodem pariter modo protinus cognoscit *Deum* v. gr. *esse diligendum, suicidium esse vitandum,* cognito primo

---

1 *Ethica,* c. II, a. 2, n. 93.

2 idem Pater Casanova, loc. cit.

3 «Lex naturae, quam Deus singulorum infudit pectoribus, non scribitur sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur et humanis ingeniis hauritur». S. Ambrosius, Epist. 71 ad Irenaeum. «Lex, quae in corde scribitur omnes continet rationes et nullus hominum est qui hanc legem nesciat». S. Hieronymus, Epist. ad Algasiam, quaest. VIII. Cfr. Farges, *La liberté et le devoir,* pag. 270.

ethicae praecepto *fac bonum et diverte a malo.* Vehementer ergo falluntur Traditionalistae illi rigidiores qui inveniri posse putant homines a societate socialique magisterio distractos atrocia crimina contra legem naturae perpetrantes, quin subinde alicujus culpae rei traduci queant. «Quaedam enim sunt, inquit ***Angelicus,*** quae statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda vel non facienda; sicut: *Honora patrem tuum et matrem;* et, *Non occides: Non furtum facies*» [1].

12. Consulto diximus *secundaria in se ipsis inspecta;* nam si considerentur in praxi prout vestita apparent pluribus circumstantiis, quae saepe saepius videntur mutare naturam actionum, tunc in casu possibilis est ignorantia praesertim in rudibus et per aliquod tempus, cum ipsimet theologi disputare soleant an haec illave actio cum his vel illis circumstantiis sit necne peccatum contra naturam; a fortiori ergo rudes et illitterati ignorare possunt mendacium v. gr. illicitum esse ad propriam famam vitamque alterius salvandam. Praecepta igitur *secundaria* per accidens considerata possunt diu vel etiam toto vitae cursu a quibusdam ignorari. Quoniam ut rationem tradens peregregie docet *S. Thomas,* «quaedam (praecepta) sunt ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet sed sapientum» [2]. Cum vero haec ignorantia non proveniat ex impotentia rationis sed ex causis extrinsecis praesertim ex passionibus, ex pravis consuetudinibus etc., patet vincibilem esse nec inexcusabilem.

Denique ignorari posse principia quae *remote deducuntur ex primariis,* constat vel ex ipsis disputationibus theologorum qui plerumque ancipites haerent toto vitae suae tempore circa illa, quaeque, ut apposite notat ***Angelicus,*** «subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda; et ista sic sunt de lege naturae ut tamen indigeant disciplina qua minores a sapientibus instruantur» [3].

13. Huc facit doctrina *D. Th.* asserentis legem naturalem nullo modo posse deleri de cordibus hominum in universali quantum ad principia communia, deleri tamen in particulari operabili secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam vel aliquam aliam passionem: quantum vero ad alia praecepta secundaria posse deleri de cordibus hominum vel propter malas persuasiones, vel habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit, Rom. I» [4].

1 q. C, a. 1. Cfr. *De Veritate*, q. XVII, a. 2. 3 Loc. cit.
2 Ib.
4 q. XCIV, a. 6. Hanc veritatem sua scientia et auctoritate confirmat nuperus scriptor Petrus Vallet difficultates quas oggerunt adversarii dextere enodando. Se objeta. dice,

14. Ex qua ***Angelici*** doctrina facile deducitur *a)* horrenda illa crimina gravissimaque peccata, uti furtum, adulterium, infantium expositionem, suipsius parentumque occisionem, contra legem naturae, quae gentes sine rubore perpetrabant, provenire ex naturae corruptione, non autem ex intrinseca natura rationis, aut ex legis naturalis obscuritate; *b)* populos gentilicos errasse, non quidem circa praecepta primaria in universali ita ut penitus ipsa ignorarent, aut totaliter corruperint, sed in applicatione illorum principiorum ad particulare operabile, quae plurimum dependet ex circumstantiis personarum et temporum; *c)* praedictam ignorantiam non esse omnino invincibilem.

§ 4.

PENITIOR ESSENTIAE LEGIS NATURALIS INVESTIGATIO [1]

Summa rerum. 1. *Aperitur quaestio.* 2. *Variae auctorum sententiae. —Judicium ferendum de singulis.* 3. *Ad veram sententiam stabiliendam nonnulla praenotamina—lex naturalis* 1) *est aliquid per rationem constitutum,* 2) *est vere divina,* 3) *est activa,* 4) *innata et universalis,* 5) *eidem convenire debent quaecumque ad veram rationis legis desiderantur.* 4. *Definitio – Veritas definitionis ostenditur—confirmatur.* 5. Breviloquium.

1. Hucusque de lege naturae quantum ad ea quae utiliora visa sunt, quibusque notio communis ejusdem legis declaratur. Nunc autem placet *quaestionem scholasticam* de legis naturalis essentia breviter perstringere. Dictum est enim, et ab omnibus admittitur scholasticis, legem naturalem, interprete ***D. Thoma,*** esse participationem legis aeternae in rationali creatura. Quaeritur vero ***in quo praecise consistat talis participatio.***

2. Qua in re plures dantur sententiae.

I.ª tenet cum ***Alensi*** legem naturalem *essentialiter consistere in ipsa vi discernendi bona et mala moralia,* seu esse *formaliter habitum.*

---

que ciertas costumbres de varios pueblos antiguos (los Lacedemonios entre los cuales se permitía á los jóvenes robar, los Masagetas cuyos hijos mataban á sus propios Padres y creían con ello cumplir un deber) parece que están en desacuerdo con los preceptos del Derecho Natural. No se sigue que los ignoraran. ¿No sucede todos los días que la práctica desmiente la creencia? Puede haber una interpretación poco segura de los principios en ciertos casos, pero no ignorancia de los principios en sí mismos. *Dios principio de la ley moral.* Cfr. Ferraz, *Philosophie du Devoir,* III, chap. V.

1 Cfr. Gonet, Tract. VI, Disp. III, a. 1; Suarez, loc. cit., c. V; Billuart, Tract. I, *De Legibus,* Diss. II, a. 2; Raphael a S. Joseph, n. 30 et sqq.; Bouquillon, c. II, n. 62 et sqq.; Wirceburgenses, c. I, a. 3, n. 12 et sqq.; Ferretti, a. 3, § 2.

Nihilominus, quaerens *D. Thomas*: *Utrum lex naturalis sit habitus*, respondet: «dicendum quod aliquid potest dici esse habitus dupliciter. *Uno modo* proprie et essentialiter; et sic lex naturalis non est habitus. Dictum est enim supra (q. XC, a. 1 ad 2.) quod lex naturalis est aliquid per rationem constitutum: sicut etiam propositio est quoddam opus rationis: non est autem idem, *quod* quis agit, et *quo* quis agit; aliquis enim per habitum grammaticae agit orationem congruam. Cum igitur habitus sit *quo quis agit*, non potest esse quod lex aliqua sit habitus proprie et essentialiter. *Alio modo* potest dici habitus id, quod habitu tenetur: sicut dicitur fides id quod fide tenetur: et hoc modo, quia praecepta legis naturalis quandoque considerantur in actu a ratione, quandoque autem sunt in ea habitualiter tantum, secundum hunc modum potest dici quod lex naturalis sit habitus»[1].

2.ª sententia docet legem naturalem esse *dictamen rectae rationis praecise ostendentis quid agendum vel cavendum sit*, quid naturae rationali intrinsece conveniat vel repugnet. Ita *Gregorius Arimin.*, *Gabriel Biel* aliique asserentes legem naturalem *non esse proprie praeceptivam, sed tantum judicantem.*

Verum lex, si vera sit, non tantum indicat aut discernit bonum et malum morale, sed praecipit et prohibet; nec enim lex sine imperio concipitur. Reperitur insuper in pueris et amentibus; ergo formaliter non est actus judicantis vel ostendentis quid natura sua intrinsece bonum vel malum sit.

3.ª sententia, quam defendit *G. Vazquez*, asserit *naturam rationalem secundum se, quatenus aliqui actus ipsi intrinsece conveniunt, alii vero repugnant*, esse legem naturalem.

Sed «natura ipsa rationis praecise spectata, ut talis essentia est, nec praecipit nec ostendit honestatem aut malitiam, nec dirigit, aut illuminat, nec alium proprium effectum legis habet»[2]; ipsa quoque rationalis natura legi subjicitur et lege regulatur; ergo non potest dici lex.

4.ª *Ockamus, Petrus Aliacensis* pluresque *Nominales*, opinati sunt legem naturalem formaliter consistere *in praeceptis divinae voluntatis, a qua bonitas vel malitia actuum humanorum unice pendet.* Ea igitur quae subsunt legi naturae, possunt, Deo sic disponente, aliter esse, malum scilicet esse bonum bonumque malum, cum nullam honestatem vel turpitudinem ipsis actibus intrinsecam et necessariam supponant ante divinam voluntatem aliquid vetantem vel praecipientem; idcirco opinio haec ipsam legis naturalis existentiam omnino negat. Etenim naturalis dici non potest, sed positiva, lex illa cujus praecepta sunt extrinsece a voluntate posita; imo destruit essentiale discrimen inter bonum et malum et falsum reddit illud theologorum effatum: *Quaedam sunt praecepta, quia bona; quaedam vero prohibita, quia mala.*

5.ª sententia est eorum qui, metaphorice loquentes, legem naturalem dicunt *lucem divinam simul illustrantem et imperantem quid agendum*

1 Q. XCIV, a. 1.

2 **Suarez**, *De Leg.*, lib. II, c. V, n. 5.

quidve omittendum; vel *vocem Dei sonantem in corde hominum;* vel *praeconem legis aeternae* etc.[1]. Verumtamen per haec et similia minime declaratur ratio philosophica legis naturae.

6.[a] Juxta plures Thomistas, lex naturalis nihil aliud est quam *lumen ipsum naturale,* seu, *naturalis ratio a Deo homini simul cum natura rationali indita praescribens et imperans quae humanae naturae intrinsece et essentialiter conveniunt vel repugnant*[2]. Alii vero Thomistae censent praedictam legem non esse lumen naturale in actu primo sed esse *actum secundum rationis,* quia lex formaliter est imperium quod in actu consistit.

7.[a] *Suarez* judicium proferens circa sententias modo expositas suamque proponens: «mihi sane videtur, inquit, quaestio de modo loquendi et non dubito quin *in actuali judicio mentis propriissime existat lex naturalis.* Addo vero etiam lumen naturale intellectus expeditum de se ad dictandum de agendis posse vocari naturalem legem: quia quamvis homines nihil actu cogitent, aut judicent, naturalem legem retinent in cordibus suis»[3].

Quamvis praeclarissimum eximii theologi miremur ingenium, nihilominus eidem asserenti legem naturalem reponendam esse *propriissime in actuali judicio mentis,* minime assentimus, siquidem lex naturalis viget in pueris et amentibus, licet nullum actuale mentis judicium, pueri et amentes, ut supponitur, efformare possint. Id autem, stante sententia *Suaresii,* intelligi nequit, quamvis cum altero sensu minus proprio ab eo explicato optime cohaereat.

3. Porro ad rectum judicium de nostra sententia proferendum sequentia notare juvabit:

1) legem naturalem esse *aliquid per rationem constitutum.* Hoc enim ad essentialem rationem legis spectat. Nam, ajente ***Angelico Praeceptore,*** non actus ipse rationis qui est intelligere et ratiocinari, sed «*propositiones universales rationis practicae ordinatae ad actiones habent rationem legis:* quae quidem propositiones aliquando actualiter considerantur, aliquando vero habitualiter a ratione tenentur»[4].—Ergo lex naturalis primo consistit proxime et formaliter in *ipsomet actu objectivo* intellectus ut possit habere rationem legis, quae secundum communem conceptum est praescriptio auctoritativa sive imperium; imperium autem est elicitive et essentialiter rationis[5].

2) Legem naturalem *non esse humanam, sed vere divinam,* cum immediate constituatur a Deo naturam rationalem creante eique aeterna sua

---

1 P. Raphael a S. Joseph, sic inter alios, legem naturalem definit: Vox Dei ut auctoris naturae et natura expressa, praescribens quid creaturae rationali, qua tali, conveniat vel disconveniat. Tract. *De Leg.,* p. II, sect. I, c. I, a. 2, n. 30, 7.°

2 Billuart, Tract., *De Leg.,* Dissert. II, a. 8.

3 *De Leg.,* lib. II, c. V, n. 14.

4 q. XC, a. I ad 2.

5 q. XCI, a. 2 ad 3.

dictamina imprimente et intimante; lex enim naturalis nihil aliud est quam *impressio divini luminis in nobis*[1], ut docet ***Angelicus.*** Est autem *divina,* non *entitative* cum sit quid creatum et naturae rationali inhaerens, sed *causaliter* et *promulgative,* ipse enim Deus eam menti humanae indidit et promulgavit; idcirco ejusdem obligatio *divina* quoque dicenda est[2]. Veritas hujus praenotaminis luculenter patet ex aliis ***Sti. Thomae*** verbis. Cum enim ***S. Doctor*** sibi objecisset non esse homini necessariam aliquam legem naturalem, quia «*sufficienter homo gubernatur per legem aeternam*» respondet «*quod ratio illa procederet, si lex naturalis esset aliquid diversum a lege aeterna: non autem est nisi quaedam participatio ejus*»[3]. Ergo ipsamet dictamina divinae sapientiae a rationali creatura participata eique a Deo indita habent rationem legis naturalis.

3) legem naturalem *non esse mere passivam,* ut in creaturis irrationalibus, sed *activam,* ita ut accepta per impressionem divinam et intellectu cognita, homo suas operationes secundum ejusdem praecepta dirigere valeat[4].

4) *esse homini innatam, seu cum natura rationali ortam.* Ponenda ergo est in pueris etiam et amentibus, et non tantum in homine dum ratione utitur. Loquatur ***D. Thomas:*** *dicendum quod eo quod habitualiter inest, quandoque aliquis uti non potest propter aliquod impedimentum, sicut homo non potest uti habitu scientiae propter somnum:* et similiter *puer non potest uti habitu intellectus principiorum, vel etiam lege naturali, quae ei habitualiter inest, propter defectum aetatis*[5]. Sensum legitimum horum verborum supra tradidimus[6].

5) Demum expedit notare quod, cum lex naturae, cujus essentiam quaerimus, sit quaedam legis aeternae participatio, ut omnes concordi praeconio declarant, haec autem veram legis rationem habeat, abs dubio legi naturali ea omnia quoque convenire debent, quae sunt de natura legis in communi et suo modo propria legis aeternae. Quamobrem, cum lex aeterna possit recte definiri: *Ratio essentialis in Deo ad bonum commune et promulgata,* lex naturalis haec omnia participare debet.

6) Quibus positis, judicamus eam sic posse probabiliter definiri: *Ordinatio rationis divinae cuilibet homini ab instanti creationis simul cum*

---

1 Q. XCI, a. 2.

2 Suarez, loc. cit. n. 13, declarandas assumit has duas propos.: Lex naturalis est vera ac propria lex: Deus autem est verus legislator illius.

3 Ib. ad 1.

4 Cfr. D. Th., q. XC. a. 1 ad 1; q. XCI. a. 2 in corp. et ad 3; Salmantic., Tract. XI, c. I, n. 24.

5 q. XCIV, a. 1, ad id quod in contrarium objicitur. Cfr. resp. ad 3.

6 § 1 hujus art. n. 9.

natura indita, earum actionum directiva et imperativa quae ei conveniunt vel disconveniunt secundum propriam et intrinsecam naturam.

Probatur definitio ex conditionibus requisitis ad legem in communi et ex propriis characteribus legis naturae ab omnibus admissis. Ad rationem legis primo requiritur quod sit *aliquid rationis;* lex autem naturalis quid rationis humanae aut per ipsam constitutum esse nequit, cum humana ratio regulari indigeat, nec possit ab ea effici quod ipsi praesupponitur; est ergo *ordinatio rationis divinae.* Ex quo sequitur hanc ordinationem impressam fuisse in rationali creatura quae, sub ea ratione, passive se habet ad illam, et promulgatam ab instanti creationis animae [1].

Per hoc tamen notiones innatas non admittimus. Etenim ideae innatae sunt comprincipium intellectionis et quasi forma intellectus, qua, objecto singulari exhibito, intellectus intelligit. Praedicta vero ordinatio recipitur in natura rationali quae per illam modificata, habet inclinationem ad operandum secundum quod ei convenit. Possumus namque considerare naturam humanam 1) *in se,* quoad principia nempe intrinseca, sed absque ordine ad operationem, quo in casu natura humana concipitur ut participatio divini intellectus; 2) ut *subjectam legi aeternae,* per quam subjectionem constituitur quasi apta proxime ad suam operationem convenientem, recipiens scilicet ipsam Dei legem aeternam directivam operationum humanarum in finem. Haec ergo exigentia naturae humanae ad operandum secundum suam naturam est effectus legis aeternae in nobis receptae et quasi primus actus legis naturalis. Lex tamen *naturalis* nec est ipsa natura, nec inclinatio, nec exigentia aut modalitas ejus, quia haec ad legem naturae pertinent, sunt enim regulanda secundum principia intrinseca ipsius naturae, unde ipsemet *D. Thomas* docet «quod omnes inclinationes quarumcumque partium naturae humanae, puta concupiscibilis et irascibilis, secundum quod regulantur ratione, pertinent ad legem naturalem» [2].

Dicitur *earum actionum directiva etc.;* quia lex naturalis proprie versatur circa intrinsece bona vel mala, seu est de his quae conveniunt vel disconveniunt homini secundum suam naturam, nec solum dirigit ostendendo, illustrando, sed imperando auctoritative. Obligatio autem legis naturalis et aeternae non sunt duae obligationes, sed una et eadem; lex tamen naturalis *temporalis* dicenda est, quia importat habitudinem ad terminum temporalem per quem completur, eo simili modo

1 «Lex naturalis non est aliud quam lumen intellectus insitum nobis a Deo, per quod cognoscimus quid agendum et quid vitandum. Hoc lumen et hanc legem dedit Deus homini *in creatione*». Opusc. III in duo praecepta charitatis.

2 Q. XCIV, a. 2 ad 2.

quo creatio dicitur temporanea, quia connotat effectum temporalem, etsi principium creationis sit aeternum.

Confirmatur. Sicut lex aeterna nihil est aliud quam hic divinae mentis conceptus imperativus, haec dispositio terminorum per modum ordinationis generalis (ordenanza divina y universal) cunctis creaturis intimata: *Operamini secundum naturam, quam dedi vobis ad agendum,* et hoc dictamine praeceptivo omnia etiam irrationalia sese movent in finem conformiter ad voluntatem Dei; et sicut humana lex nihil est aliud quam ordinatio conceptuum sive orationis per modum imperativi in mente et a mente legislatoris, ita lex naturalis nihil aliud videtur quam ordinatio divini conceptus, naturae humanae intimata, dicens: *age secundum rectam rationem,* vel, *fac bonum et diverte a malo.* Apposite *S. Thomas:* «Ratio humana secundum se non est regula rerum, sed principia ei naturaliter indita sunt regulae quaedam generales et mensurae omnium quae sunt per hominem agenda»[1]. Horum autem principiorum practicorum cognitio est regula proxima operationum, non vero eorumdem promulgatio, unde rejicienda est sententia *Rosset* ajentis: «Promulgatio legis naturalis fit communiter ope educationis, eodem pacto quo illius occasione innascuntur multae ideae in intellectu discipuli»[2]. Neque hunc sensum praeseferunt sequentia *S. Thomae* verba: «Promulgatio legis naturae est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam»[3], sed sensus est, Deum promulgasse legem naturalem simul cum natura, ut progressu temporis possint illam homines cognoscere, cognoscendo nempe ipsam Dei ordinationem, cujus primum pronuntiatum est illud: *serva ordinem,* vel, *fac secundum quod tuae naturae convenit,* vel *bonum est faciendum et malum vitandum,* in quo cetera legis naturae praecepta continentur. Et de hac quaestione satis. Qui plura cupiat, vel aliam velit probare sententiam, adeat *Scholasticos Doctores*[4].

5. **Breviloquium.** Ex dictis facile perspicitur legem naturalem esse *vere divinam,* quia Deum immediatum auctorem habet. «Quis enim, inquit *Aug.,* legem naturalem in cordibus hominum scribit nisi Deus?[5] Nihilominus *naturalem* dici, quia 1) a *nativitate* homini insidet, 2) ea solummodo praecepta complectitur quae *in ipsa rerum essentia seu natura* fundantur, et 3) *naturali rationis lumine,* sibi soli relicto, cognoscitur; —idcirco rationem practicam esse hujus legis *praeconem* eam voluntati proclamantem per judicia illa *constantia, uniformia* et *universalia* natura-

1 I-II, q. XCI, a. 3 ad 2; q. XC, a. 1 ad 2.

2 *Instit. Philos. Cathol.*, (Prima Princip. scient.) *Moralis*, p. III, c. IV.

3 Ib. a. 4.

4 Cfr. Billuart, loc. cit.; Wirceburgenses, *De Leg.*, a. 3; Raphael a S. Joseph, loc. cit., a. 2, n. 30, et Salmantic., *Moral.*, Tract. XI, c. I.

5 Lib. II, *De serm. Dom. in monte.* Cfr. Ciceronis testimonium supra cit.

liter percepta et ab omnibus ratione utentibus admissa;—eam esse *entium rationalium propriam,* quia in eis recipitur divinae mentis ordinatio, non mere passive, sed ut *cognoscenda;*—ob eam rationem esse *temporalem;*—item, *universalem,* id est, omnes homines, nullo excepto, etiam pueros et amentes ex se afficientem;—eas actiones comprehendere quae *suapte natura,* et non dispositione aliqua positiva, *turpes vel honestas* existunt, et fini ultimo necessario congruentia aut repugnantia;—ab aeterna plane *distingui,* quia haec est *prima* et *imparticipa* lex, *in Deo* residet ut in subjecto, est *omnium actionum* cujuscumque creaturae directiva; lex autem naturalis est legis aeternae participatio, et ideo *derivata, secunda, minus universalis,* et *naturam rationalem* tantum afficiens, eas imperans actiones quae praedictae naturae rationali intrinsece et essentialiter conveniunt vel repugnant;—differre pariter a lege *positiva,* quia lex naturalis est *necessaria, immutabilis* et *indispensabilis;* nam «boni verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est quam ipsa rerum natura incommutabilis», lex autem positiva a divina vel humana voluntate in sua institutione et existentia pendet, lex naturalis solummodo praecipit vel prohibet actiones *de se* bonas vel malas, dum lex positiva extenditur quoque ad ea quae non sunt intrinsece bona vel mala. Utramque tamen in bonum hominis ordinatam voluit Deus. *Μετά πολλῆς οὖν τε σπουδῆς,* concludimus cum S. Joan. Chrysostomo, *καὶ ὥσπερ εἰς δικαστήριον ἀπαντήσεσθαι μέλλοντες φοβερόν, τὰ καθ' ἑαυτοὺς οἰκονομήσωμεν, εἰδότες ὡς οὐδεμᾶς ἀπολαύσομεν συγγνώμης, εἰ μετά φυσικὸν καὶ γραπτὸν νόμον, καὶ διδασκαλίαν τοσαύτην καὶ συνεχῆ παραίνεσιν, της ἡμετέρας ἀμελήσαιμεν σωτηρίας*[1].

---

1 «Multo igitur studio, tanquam ad tremendum conventuri judicium, actiones nostras componamus, scientes, quod nullam assequemur veniam, si post naturalem et scriptam legem, et doctrinam tantam et admonitionem continuam, salutem negligamus». Homil. ad pop. Antioch. XII de Statuis. Opera omnia Graece et Latine, t. 2.

§ 5.

DE LEGIS NATURALIS SANCTIONE [1].

Summa rerum. 1. *Duplex sanctio, activa nempe et passiva.* 2. *Sanctionis species.* 3. *Quotuplex finis sanctionis.* 4. *Sanctio estne de essentia legis.* 5. *Triplex sanctio respondens triplici ordini.* 6. Thesis I. *Lex naturalis necessario praesefert divinam sanctionem.* 7. Thesis II. *Lex naturalis non accipit perfectam et sufficientem sanctionem nisi in altera vita.* 8. Thesis III. *Praedicta sanctio in amissione vel consecutione beatitudinis potissimum sita est.* 9. *Scholion—Undenam petantur objectiones adversus legis naturalis sanctionem.* 10. Thesis IV. *Aeternitas poenarum rectae rationi non adversatur.—Tria praenotanda.—Probatur thesis.* 11. *Difficultatibus satisfit.* 12. *Utilitas poenarum inferni.* 13 *Impugnationum causa.*

1. Explicata legis naturalis essentia consequens est ut ejusdem attributum generale, quod *sanctio* dicitur, exponamus. Sancire autem legem tantum valet ac ipsam *inviolabilem* sive *sanctam* quodammodo efficere et consecrare. Duplex distinguitur sanctio, *activa* et *passiva.* Prima *est actus legislatoris decernentis poenas vel praemia transgredientibus vel observantibus legem.* Altera vero est *ipsa poena vel praemium legis transgressioni vel observantiae a legislatore imposita.*

2. Item sanctio dividitur: 1.° in *internam,* quae scilicet ab homine cognoscitur sensu interno, v. gr. testimonio et remorsu conscientiae, et *externam,* quae aliunde homini innotescit: 2.° in *essentialem,* quae fundatur in ipsa natura legis et creaturae cui imponitur, et *accidentalem,* ab arbitrio legislatoris pendentem: 3.° in *sufficientem* et *insufficientem,* prout valeat necne inducere homines efficaciter ad observantiam legis. Prima vocari solet *efficax* et *perfecta,* altera vero *inefficax* et *imperfecta.* Sufficiens vero potest esse *absoluta* vel *relativa,* in quantum quit voluntatem impellere ad virtutis exercitium legisque adimplementum pro omnibus vel aliquibus tantum casibus et adjunctis: 4.° denique dividitur in *proportionatam* et *improportionatam,* quorum notiones nemo est qui ignoret.

---

1 Cfr. D. Th., *Contra Gent.*, lib. III, c. 140, et sqq.; *Philosophi* alias cit. Minteguiaga, *La moral independiente*, c. XIV-XX; Francisco Javier Feller, *Catecismo Filosófico*, lib. IV, c. 7; Vicente Manterola, *Afirmaciones católicas*; Monsabré, Conf. 92, 93, 94, 95. *La vida futura*; Balmes, *Filos. Elem., Etica*, c. 27; Gualtero Devivier, *Curso de Apologética crist.*, t. I, c. I, a. 1. 2.ª prueba (vers. castellana de la 19 ed. francesa por el P. Francisco Martin, Barcelona 1909).

3. Duplex est autem finis quem legislator intendit in legis sanctione. *Primus,* ut ordo justitiae servetur respectu meriti et demeriti in ipsa legis observantia vel transgressione necessario impliciti. *Alter,* ut homines, propter retributionis spem vel metu poenae, ad legis custodiam incitentur vel a transgressione deterreantur. Ut patet hic finis est notioni poenae et praemii extrinsecus, ille vero intrinsecus: ex priori, poena habet quod sit essentialiter *vindicativa,* id est, ordinata ad redintegrandum ordinem laesum per peccatum, ex altero, quod sit *exemplaris* et *medicinalis,* in remedium scilicet delinquentis, qui per poenam a reincidentia praeservatur, et in exemplum aliorum, qui magis obfirmantur in observantia legum, dum vident criminosos poena plecti.

4. Ex hoc autem duplici fine resolvi potest, ni fallor, illa quaestio inter philosophos agitata *utrum sanctio sit de essentia legis, vel ejusdem tantum attributum.* Dicimus ergo, salvo meliori, quod si loquamur de sanctione prout est objectum legis, vel ex priori illo fine considerata, cum praemium et poena in hoc consistant quod ordo servetur aut pervertatur, nam praemium ultimo reducitur in consecutionem finis, poena in ejusdem finis amissionem, sanctio ita legi intrinseca videtur ut probabiliter dici possit essentialis; si vero accipiatur, ut communiter accipi solet, pro adjectione praemii vel poenae a legislatore proposita ut lex lata sancte et inviolabiliter custodiatur, tunc non videtur de essentia legis, sed ejusdem tantum attributum. Quam sententiam, praesertim quoad posteriorem partem, esse *S. Thomae,* quamvis expresso ejusdem testimonio non constet, optime deducitur ex iis omnibus quae de lege castigate et pereleganter scripsit [1].

5. Quaestio vero principalis modo solvenda est ***utrum lex naturalis necessario praeseferat divinam sanctionem,*** et ***quae sit sufficiens.***

Ad cujus solutionem praenotare juvat quod, cum lex quae injusta non fuerit ordinetur ad bonum universale sub quo continentur bonum sociale et individui, pro hoc triplici bono vel ordine adest quoque triplex sanctio. Ordini individuali, quo homo subjicitur rectae rationi, respondet *sanctio humana* consistens potissimum in pace vel remorsu conscientiae, in bonis vel malis particularibus tum animae tum corporis, uti salus vel infirmitas, quae fere semper comitantur exercitium virtutis aut inobservantiam

1 «Es de notar, escribe Balmes, que en esta definición de la ley (dada por S. Tomás) no entra para nada la idea de fuerza ni siquiera como pena. Su profundo autor creyó y con razón que *la sanción penal no era esencial a la ley;* la pena es el escudo, o si se quiere, la espada de la ley, mas no pertenece a su esencia. Por el contrario la pena es una triste necesidad a que apela el legislador para suplir lo que falta a la influencia puramente moral. *Filosofía Elem., Etica,* c. XXV.

legis [1]. Ordini sociali, quo recte disponuntur societates ad invicem vel homines in societate, respondet *sanctio communis*, qua rependuntur tanquam praemia, bona fama, laus, gloria, pax, tranquillitas, cultura, progressus socialis, ut poenae vero infamia, vituperium, rebelliones, bella et ruina imperii. Demum ad ordinem universalem, quo cuncta ad Dei gloriam referuntur, pertinet *sanctio divina*, qua Deus bona aeterna promisit observantibus legem vel redditurus est mala item aeterna contra legem operantibus [2]. De hac posteriori sanctione hic litem movemus.

6. Thesis I. Lex naturalis necessario expostulat divinam sanctionem [3].

Probatur sequentibus *S. Thomae* rationibus. a) *Ex natura actuum humanorum.* «Ubicumque est aliquis debitus ordo ad finem, oportet quod ordo ille ad finem ducat, recessus autem ab ordine finem excludat... Deus autem imposuit actibus hominum ordinem aliquem in respectu ad finem boni. Oportet igitur quod, si ordo ille recte positus est, incedentes per illum ordinem finem boni consequantur, quod est praemiari; recedentes autem ab illo ordine per peccatum a fine boni excludi, quod est puniri» [4].

Item. Certum est hominem actibus suis posse mereri vel demereri apud Deum; atqui merito respondet praemium, demerito poena; servando autem legem meretur apud legislatorem, eam violando demeretur; ergo lex naturalis, quae Deum habet auctorem, praesefert divinam sanctionem.

b) *Ex divina efficacia.* Leges conduntur ut observentur; id enim necessario intendit sapiens legislator; ergo debet eas debita et efficaci sanctione munire, ut scilicet, boni spe retributionis inducantur ad legis observantiam, mali vero a peccando poenis retrahantur, secus sontes irriderent legislatorem et leges inutiles redderent.

Praeterea. «Ordo exigit ut quicumque contra ordinem agit a principe ordinis deprimatur» [5]. Homo autem transgrediendo legem naturalem insurgit contra ordinem a Deo stabilitum; ergo a Deo deprimatur oportet per poenas transgressioni proportionatas.

---

1 Hinc illud S. Aug. dictum: *Jussisti enim, Domine, et sic est, ut poena sua sibi sit omnis inordinatus animus. Confes.*, lib. I, c. XII.

2 Cfr. S. Thom., I-II, q. LXXXVII, a. 1.

3 Cfr. Hooke, loc. cit. a. 3; Rosset, *Moralis*, p. III, c. III; Hermann Vosen, *El Cristianismo y las impugnaciones de sus adversarios*, (5.ª ed. alemana corregida por S. Weber; versión castellana del P. Juan Abadal, Madrid, 1911), lib. IV, c. V; Farges, *La liberté et le devoir*, pag. 274.

4 *Contra Gent.*, lib. III, c. 140.

5 I-II, q. LXXXVIII, a. 1.

c) *Ex divina bonitate.* «Ad perfectam Dei bonitatem pertinet quod nihil inordinatum in rebus relinquat... Cum igitur actus humani divinae Providentiae subdantur, sicut et res naturales, oportet malum quod accidit in humanis actibus sub ordine alicujus boni concludi. Hoc autem convenientissime fit per hoc quod peccata puniuntur; sic enim sub ordine justitiae, quae ad aequalitatem reducit, comprehenduntur ea quae debitam quantitatem excedunt. Excedit antem homo debitum suae quantitatis gradum, dum voluntatem suam divinae voluntati praefert satisfaciendo ei contra ordinem Dei; quae quidem inaequalitas tollitur, dum contra voluntatem suam homo aliquid pati cogitur secundum ordinationem divinam. Oportet igitur qnod peccata humana puniantur divinitus, et eadem ratione bona facta remunerationem accipiant»[1].

d) Id quoque sequitur ex *divina justitia et sanctitate.* Aequum enim est ut discrimen bonorum et malorum servetur in retributione operis, sicut in observatione legis ab invicem discriminantur; sed, sanctione divina non existente, nullum discrimen intercederet, sed maxima inaequalitas et injustitia, melior enim esset malorum conditio; ergo divina justitia exigit ut lex naturalis praeseferat debitam sanctionem.

e) Denique, «*divina Providentia* hoc modo res ordinavit quod una alteri prosit. Convenientissime autem homo proficit ad finem boni, tam ex bono alterius hominis quam ex malo, dum excitatur ad bene agendum per hoc quod videt bene operantes praemiari, et dum revocatur a malo agendo per hoc quod videt male agentes punire. Ad divinam igitur Providentiam pertinet quod mali puniantur et boni praemientur»[2].

7. Thesis II. Lex naturalis non accipit plenam et sufficientem sanctionem nisi in altera vita.

Probatur.

Deus, utpote sapiens legislator, ideo legem naturalem condidit ut ab hominibus sancte inviolateque servetur; ergo eidem apposuit debitam et efficacem sanctionem; nam insufficientem adhibere idem esset ac legem relinquere absque debito munimine et medio uti ad finem inepto; atqui plenam perfectamque sanctionem non accipit in hac vita; ergo sanctio legis naturalis respicit potissimum vitam futuram.

Minor patet: experientiae namque testimonio constat *a)* gloriam vel vituperium, opes vel miseriam, pacem animi et incolumitatem corporis,

1 *Contra Gent.* loc. cit.
2 ib.

et si quae alia bona vitium et virtutem comitantur, non esse, ut plurimum, motivum sufficiens ad efficaciter inducendos homines ad legis custodiam: *b)* vitia suam quoque habere voluptatem, virtutem vero saepius maximis difficultatibus circumdari, et sub humana tantum consideratione fructus amarissimos nonnunquam parturire: *c)* bonos et malos indiscriminatim hujus vitae malis et aerumnis publicisque calamitatibus affligi, imo *d)* malos feliciorem quandoque vitam degere, et inter ipsos improbos quosdam scelerum poenas luere, alios vero hominum obsequia sibi conciliare;

> . . . . . multi
> Committunt eadem diverso crimina fato:
> Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema[1].

Ergo sanctio hujus vitae manca et imperfecta dicenda est; igitur complementum accipit in altera vita. Et re quidem vera.

1) Lege humana non prohibentur omnia vitia a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora et quae cedunt in nocumentum societatis, nec justitia hominum punit vel praemiat nisi actus externos, et tamen actibus internis, sicut justi Deo placent, ita mali eum offendunt; ergo si lex non acciperet plenam et sufficientem sanctionem in altera vita, cum in hoc mundo justi debitam mercedem minime recipiant nec improbi poenam, multa bona manerent sine retributione multaque mala impunita; quod dedecet divinam justitiam. 2) Poenae quae in hac vita infliguntur non semper respondent gravitati culpae. Ergo defectus humanae justitiae suppleri debet per sanctionem futuram. 3) Ut supra innuebamus, justitia Dei postulat ut ordo per peccatum laesus poenis restituatur; sed multi decedunt absque debita cum Deo reconciliatione; ergo in altera vita redigantur oportet sub ordinem. 4) Nisi detur perfecta plenaque sanctio in altera vita, commodius et utilius est hominibus indulgere vitiis et concupiscentiis quam animum a corruptione immunem praeservare. Nam cuncta bona sive spiritualia sive sensibilia, quae virtutis exercitium comitantur aut sequuntur, uti sunt delectatio operationis, pax et tranquillitas, amicorum gratitudo et laus, et mala quae ex vitiis derivantur, ut infamia, aegritudo, despectus, concientiae remorsus, minime respondent meritis aut demeritis nec debito strictae justitiae; saepe namque scelestiores pace, salute, gloria, imo et relativa animi tranquillitate, ex consuetudine peccandi orta, fruuntur, dum boni anxietatibus animi, languoribus corporis vexantur, injuriis et calumniis afficiuntur. Ergo nonnisi in altera vita recipiet unusquisque quae gessit in corpore.

Errant igitur Rationalistae nullam admittentes sanctionem praeter *conscientiae plausum* aut *remorsum*, vel aestimantes unicum efficaxque

1 Juv., *Sat.*, 13.

motivum ad legem implendam esse *utilitatem* ex legis observantia capiendam, aut propriae personalitatis officiique *decorem* [1].

8. **Thesis III. Haec autem sufficiens perfectaque sanctio in ipsa consecutione vel amissione ultimi finis, nempe Dei, potissimum consistit** [2].

Nota verbum *potissimum,* nam etsi multa bona vel mala consequantur, tum in hac, tum in altera vita, observantiam vel transgressionem legis, praecipua vero merces vel poena sita est in adeptione aut privatione aeternae beatitudinis.

Naturale siquidem et debitum praemium ejus qui incedit per viam rectam est consecutio termini ad quem tendit, justa vero poena qui a recto tramite discedit privatio termini a quo voluntarie se avertit. Atqui homo actibus a lege regulatis per rectam viam dirigitur ad terminum nempe ad Deum, sicut ab eo deviat quicumque legem spernit; ergo aequum est ut justi voluntas in Deo conquiescat, improbi autem ejus visione priventur. Cfr. thes. I. *a).*

Si mali aeque ac boni beatitudinem consequerentur, non esset aequa distinctio meritorum, nec sufficiens et adaequata sanctio, ut praehabitum est. Praemium autem virtutis est felicitas objectiva, ad quam justus per legis custodiam tendit, poena vero condigna ejus, qui Deum contempsit in transgressione legis, est ab eo finaliter excludi seu beatitudine privari. Potissima ergo sanctio legis in consecutione vel amissione beatitudinis sita est.

9. **Scholion.** Difficultates quas turmatim oggerunt osores alicujus sanctionis aeternae communiter procedunt *a)* vel ex negatione immortalitatis animi divinaeque Providentiae; vel *b)* ex eo quod, falsa existimatione, putent actiones nostras nihil Deo accrescere nihil minuere ideoque nec praemio nec poena dignas esse; vel *c)* quia arbitrantur Deum amore vindictae aut oblectationis causa reos crudeliter in altera vita torquere; aut denique *d)* sanctionem legis naturalis rejiciunt quia inficiantur aeternitatem poenarum tanquam dogma rectae rationi repugnans.

---

1 Guyau, omni officio morali posthabito, inducit tanquam motiva efficacia, quibus voluntas adigitur ad operandum, quinque rationes quas ipse vocat *equivalents du devoir*: «1.° La conscience de notre *pouvoir* intérieur et supérieur, a laquelle nous verrons se réduire practiquement le devoir; 2.° L'influence exercée par les idées sur les actions; 3.° La fusión croissante des sensibilités et le caractére toujours plus social de nos plaisirs et de nos douleurs; 4.° L'amour du *risque* dans l'action. 5.° L'amor de l'hypothése metaphysique qui est une sorte de *risque dans la pensée*». *Esquise d'une morale sans obligation ni sanction*, pag. 6. Sanctionem autem consistere docet in ipsamet operatione, quia operando delectatur, et intensius operando intensiori fruitur gaudio. Ib. pag. 248.

2 Cfr. A. D. Sertillanges, *Revue des Sciences Philos. et Theolog.* Abril 1912.

Verum objectiones ex tribus primis capitibus petitae facile enodantur. Legatur *D. Thomas* praesertim locis infra cit[1]. Circa ultimum vero sit

10. Thesis IV. Aeternitas poenarum non adversatur, sed apprime congruit rectae rationi[2].

In antecessum tria sunt cum *Angelico* praenotanda. *Primum* est, *magnam differentiam adesse in ordine poenarum.* Nam «sicut de ratione praemii est quod sit bonum et voluntati consonum, ita de ratione poenae est quod sit malum et contrarium voluntati. Malum autem est privatio boni; unde oportet quod secundum differentiam et ordinem bonorum sit etiam ordo et differentia poenarum. Est autem summum bonum hominis felicitas, quae est ultimus finis ejus; quanto ergo aliquid est huic fini propinquius tanto praeeminet magis inter hominis bona. Huic autem propinquissimum est virtus, et si quid aliud est quod ad bonam operationem hominum proficiat, qua pervenitur ad beatitudinem; consequitur autem et debita dispositio rationis et virium ei subjectarum; post hoc autem, et corporis incolumitas quae necessaria est ad expeditam operationem: demum autem, ea quae exterius sunt, quibus quasi adminiculis utimur ad virtutem. Erit igitur *maxima* poena hominem a beatitudine excludi; *post hanc* autem virtute privari et perfectione quacumque naturalium virtutum animae ad bene agendum; *dehinc* naturalium potentiarum animae deordinatio; *post hoc* autem, corporis nocumentum; *demum* autem, exteriorum bonorum sublatio»[3].

Alterum est, *nec omnes poenas nec omnia praemia esse aequalia.* Nam, ajente ipsomet *Angelico,* «cum divina justitia id exigat quod ad aequalitatem in rebus servandam, pro culpis poenae reddantur et pro bonis actibus praemia, oportet, si est gradus in virtuosis actibus et in peccatis, quod sit etiam gradus praemiorum et poenarum. Aliter enim non servatur aequalitas, si non plus peccanti major poena, aut melius agenti majus praemium redderetur. Ejusdem enim rationis esse videtur quod differenter retribuatur secundum differentiam boni et melioris, vel mali et pejoris»[4].

Tertium quod a nobis erat praenotandum in propatulo quoque ponitur ab *Angelico.* «Non solum, inquit, qui contra Deum peccant puniendi sunt per hoc quod *a beatitudine perpetuo excludantur, sed etiam per experi-*

---

1 I-II, q. XXI, a. 4 ad 1; ib. q. XLVII, a. 1 ad 1; ib. q. LXXXVII, a. 3 ad 3; II *Sent.*, Dist. XLII, q. II, a. 2 ad 1; *Contra Gent.*, lib. III, c. 144.

2 Cfr. P. Albertus a Bulsano, *Instit. Theologiae Theoreticae seu Dogmatico-Polemicae*, p. V, *De Deo omnium Consummatore*, sect. III, c. III, a. I, § 851-859; Castro Alonso, *Instit. Theolog. Schol. Dogm.*, Tract. *de Novissimis*, sect. I, c. IV; Mintequiaga, *La moral independiente*, c. XIX, *El infierno ante la filosofía y ante la historia*, a. 2-4; Augusto Nicolás, *Estudios filosóficos*, p. II, c. 8; Hettinger, *Apolog. del Cristianismo* (traducida de la 5.ª ed. alemana por D. Nicolás M.ª Serrano), Confer. XXXIII; Fernández Concha, *El hombre en el orden psicol.*, etc. t. I, Trat. V, c. 7; Jaugey, *Dicc. apolog. de la fe católica*, v. *Infierno*, vol. 2, col. 1694 y sig.

3 *Contra Gent.* lib. III, c. 141

4 ib. c. 142, Cfr. duas alias rationes ibidem traditas.

mentum alicujus nocivi», quod dilucide breviter ac nervose probat *S. Doctor* quadruplici ratione. Priorem tantum damus. «Poena debet proportionaliter culpae respondere. In culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum»[1].

Duplex est ergo poena, sive duplex pars integralis unius ejusdemque poenae impiis in aeternum reservatae: una, quae in ipsa beatitudinis amissione, alia vero quae in positiva afflictione seu dolore consistit; prima vocatur poena *damni*, altera poena *sensus*. Utriusque vero aeternitas sive perpetuitas rationi non adversatur, sed ei, ut diximus, apprime convenit.

Probatur thesis. «Naturalis aequitas hoc habere videtur quod unusquisque privetur bono contra quod agit; ex hoc enim reddit se tali bono indignum: et inde est quod, secundum civilem justitiam, qui contra rempublicam peccat societate reipublicae privatur omnino vel per mortem vel per exilium perpetuum; nec attenditur quanta mora temporis in peccando, sed quid sit contra quod peccavit. Eadem autem est comparatio totius vitae praesentis ad rempublicam terrenam et totius aeternitatis ad societatem beatorum qui ultimo fini aeternaliter potiuntur. Qui ergo contra ultimum finem peccat et contra charitatem, per quam est societas beatorum et tendentium in beatitudinem, in aeternum debet puniri, quamvis aliqua temporis mora peccaverit».

Confirmatur. 1) «Apud divinum judicium voluntas pro facto computatur, quia sicut homines vident ea quae exterius aguntur, ita Deus inspicit hominum corda. Qui autem propter aliquod temporale bonum aversus est ab ultimo fine, qui in aeternum posidetur, praeposuit fruitionem temporalem illius boni temporalis aeternae fruitioni ultimi finis; unde patet quod multo magis voluisset in aeternum illo bono temporali frui. Ergo secundum divinum judicium ita puniri debet ac si aeternaliter peccasset. Nulli autem dubium est quin pro aeterno peccato aeterna poena debeatur. Debetur igitur ei qui ab ultimo fine avertitur poena aeterna.

2) Eadem justitiae ratione poena peccatis redditur et bonis actibus praemium. Praemium autem virtutis est beatitudo, quae quidem est aeterna. Ergo et poena, qua quis a beatitudine excluditur, debet esse aeterna»[2].

Hae rationes apodictice quidem aeternitatem poenarum minime probant, quippe altum est mysterium soli Deo cognitum, eam tamen aequissimam esse convenienter ostendunt.

---

1 ib. c. 145, Cfr. Perrone, *De Deo Creat.*, p. III, c. VI.

2 ib. c. 144, Vide alias rationes, loc. cit.

11. Difficultatibus satisfit.

Praecipuae rationes, ob quas Sociniani et Rationalistae aeternitatem poenarum inficiantur, duae sunt. Repugnare ajunt justitiae et sapientiae Dei reprobos, ob culpas in hac mortali vita commissas, atrocibus et aeternis deputari cruciatibus. Quod sic probant:

1.° Ad justitiam divinam pertinet ut inter poenam et culpam adsit debita proportio; atqui inter poenam aeternam et peccatum brevissimo temporis spatio commissum non datur aequa proportio; ergo aeternitas poenarum repugnat justitiae Dei, humanaeque rationi adversatur

Resp. disting. major., proportio *meriti,* conc., *durationis,* nego. In nullo quippe judicio poena proportionatur tempori, sed quantitati seu gravitati culpae; sic qui ob homicidium in instanti commissum morte vel exilio perpetuo mulctantur, poenam patiuntur durationi actus minime respondentem, aequa tamen et proportionata ab humano judice reputatur [1].

Ad minorem multipliciter responderi potest. *In primis* animadvertimus Rationalistas et Socinianos poenas aeternas refugere, cum tamen praemia aeterna laeto animo suscipiant. Verum ut egregie argumentatur *S. Thomas:* «Sicut se habet praemium ad meritum ita poena ad culpam. Sed secundum divinam justitiam merito temporali debetur praemium aeternum. Ergo et culpae temporali secundum divinam justitiam debetur poena aeterna» [2]. *Dein*, neganda est minor. Non enim vident isti quod justitia humana pro crimine brevi temporis spatio commiso poenas infligit quae, ut loquitur *S. Augustinus* «pro hujus vitae modo similes poenis videntur aeternis; ideo quippe aeternae esse non possunt, quia nec ipsa vita quae his plectitur, porrigitur in aeternum. Et tamen peccata, quae vindicantur longissimi temporis poenis, brevissimo tempore perpetrantur» [3]. *Tertio.* Tandiu debet durare poena quandiu durat culpa; sed reproborum culpa manet in aeternum; ergo. Ad rem *S. Thomas*: «Peccatum ex hoc inducit reatum poenae quod pervertit aliquem ordinem. Manente autem causa, manet effectus. Unde quandiu perversitas ordinis permanet, necesse est quod remaneat reatus poenae» [4]. *Demum,* peccatum contra Deum commisssum continet malitiam quodammodo infinitam; ergo et poena debet esse infinita; sed non potest esse in intensione, cujus homo non est capax; ergo debet esse infinita in duratione hoc est aeterna.

2.° Repugnat infinitae sapientiae Dei inferre damnatis poenas ex quibus nulla provenit utilitas; sed hujusmodi sunt poenae aeternae improbis inflictae; ergo.

Resp. Repugnat infligere poenas ex quibus nulla provenit utilitas tum *reo,* tum *aliis,* concedo; sapientis enim est omnia in finem ordinare; ex quibus nulla provenit utilitas reo, bene vero aliis, nego. Poena siquidem non

1 Cfr. S. Th., I-II, q. LXXXVII, a. 3 ad 1.
2 *Supplem.*, q. XCIX, a. 1.
3 *De Civit. Dei*, lib. XXI, c. XI.
4 I-II, q. LXXXVII, a. 3.

tantum ordinatur ac vindicandum et medendum, sed ut sit aliis in exemplum. imo, etiamsi altero effectu privaretur, non idcirco dicenda foret inutilis. «Poena enim quae etiam secundum leges humanas infligitur, inquit *Aquinas*, non semper est medicinalis ei qui punitur, sed solum aliis; sicut cum latro suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu poenae peccare desistant»[1]. Insuper, cum poena considerari possit ut *comminata*, et ut *inflicta*, supplicia aeterna valde prodesse possunt ea consideratibus in hac vita[2].

12. Praeter haec, impiorum poenae in perpetuum duraturae, inquit ***D. Thomas,*** sunt utiles ad duo: primo ad hoc quod in eis divina justitia conservetur, quae est Deo accepta propter seipsam..... secundo ad hoc sunt utiles ut de his electi gaudeant, cum in his Dei justitiam contemplantur, et dum se evasisse eas cognoscunt»[3].

13. **Causam impugnationum** e parte Rationalistarum adversus doctrinam catholicam de aeternitate poenarum acute simul et pie suggillavit ***Augustinus*** inquiens: *Poena aeterna ideo dura et injusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimae purissimaeque sapientiae, quo sentiri possit quantum nefas in illa prima praevaricatione commissum sit. Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto majori impietate dereliquit Deum,* ***et factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset aeternum***[4].

Articulus III

De lege positiva[5]

Lex positiva ea generatim dicitur quae in sua institutione et accepta exsistentia a voluntate legislatoris dependet et in rerum natura necessario et immediate minime fundatur.

1 I-II, loc. cit. ad 2.

2 D. Th., IV *Sent.*, Dist. XLVI, q. 1, a. 5 ad 3.

3 *Supplem.*, q. XCIX, a. 1 ad 4.

4 *De Civit. Dei*, lib. XXI, c. XXII.

5 Cfr. D. Thomas, I-II, q. XCV-VI; Viguerius, *Inst. ad natur. et christ. Philos.*, c. XV; Dom. Soto, lib. I, q. V-VII; Valentia. Disp. VII, q. V, Punct. I-IX; Suarez, lib. III-VI; Gotti, Tract. V, q. VI; Gonet, Tract. VI, Disp. IV-X; Wirceburgenses, c. III-V, Billuart. Diss. III-IV; Anton. a S. Joseph, *Compend.* Tract. III, Punct. IV-V; Salmantic., Tract. XI, c. I-V; Bouquillon, n. 95-232; Aertnys, Tract. III, c. I-IX; Muller, § 48-70; Haine, *De legibus*, p. II-III; Cfr. etiam Canonistae Anacletus Reiffenstuel, *Jus canon. univ.*, lib. I, Tit. II; Schmalzgrueber, Tit. II. § I-VIII; Philippus Can. de Angelis, lib. I, Tit. II; Maschat (Remig.), *Cursus Juris Can.*, denuo in lucem editus atque accuratissime adnotatus a Presb. Dr. D. Josepho M.ª Muñoz et Fernandez, (Matriti 1888), lib. I,

Tria potissimum occurrunt in hoc articulo declaranda 1) natura, 2) fundamentum obligationis, 3) proprietates legis positivae. Tribus ergo paragraphis tota quaestio apte comprehenditur.

§ 1

NATURA LEGIS POSITIVAE DECLARATUR

Summa rerum.—1. *Legis positivae divisio.* 2. *Duplex necessitas* (absoluta et relativa). 3. Thesis. *Praeter legem naturalem necessaria est ad rectam humanae vitae directionem aliqua positiva legislatio.—Prob. thesis a)* generatim; *b)* praecisa hominis elevatione ad ordinem supernaturalem, ostenditur necessitas pro homine individuo, *c)* ut est membrum societatis.—*Legis positivae definitio.* 4. *Objectum hujus legis—An possit praecipere omnes actus omnium virtutum eisque opposita vitia prohibere.* 5. *Explicatur assertio.* 6. *An actus interiores sint et quomodo materia legis positivae.*

1. Lex positiva dispescitur ratione auctoris in *divinam* et *humanam*[1]; illa iterum in *Veterem* et *Novam;* haec autem in *civilem* et *ecclesiasticam.* Modo ad positivo-humanam sermonem contrahimus.

2. **Porro legem aliquam positivam esse quadantenus necessariam,** abunde constat ex traditis, quaest. I hujus Disput. Verum necessitas haec non potest esse *absoluta,* quomodo dicitur Deum existere necessarium esse; nam lex positiva, cum sit propter creaturam, nequit majorem necessitatem praeseferre quam habet creatura rationalis; creatura autem non habet absolutam necessitatem essendi. Igitur lex positiva est necessaria tantum *relative,* hoc est, ad consecutionem finis vel simpliciter vel ad melius esse.

Tit. II; Francisco Gómez Salazar, *Instit. de Derecho Can.*, lib. I, Tit. I, c. III, (Madrid 1883(; Sept. M. Vechiotti, *Instit. Canon.*, (ed. 19.ª 1886), vol. I, lib. I, prolegomena c. I et II; ex philosophis omnes alias laudati, praesertim Balmes, *Ethic.*; c. XXV, et ejusdem auctoris egregium opus *El Protest. comparado con el Catol.*, loc. cit.; Pacetti, p. I, sect. III, c. 3; Ferretti, c. IV, a. IV; Farges et D. Barbedette, lib. I, c. II, a. 4.

1 In quo lex humana et divina differant nitide exponit Franciscus Victoria, O. P. inquiens: «Lex divina sicut a solo Deo fertur, ita a nullo alio aut tolli aut abrogari potest. Lex autem humana sicut per hominem constituitur, ita ab homine tolli aut annullari potest. Differunt etiam quia in lege divina ad hoc quod justa sit et per hoc obligatoria, sufficit voluntas legislatoris, cum sit pro ratione voluntas. Ut autem lex humana sit justa et possit obligare, non sufficit voluntas legislatoris, sed oportet quod sit utilis Reipublicae et moderata cum caeteris. Item etiam differunt, quia divina firmius et intensius obligat. In multis enim casibus obligat lex divina ubi non obligat humana. Nec ego, subdit, aliam differentiam satis videre possem». *Relectiones Theologicae* (Matriti 1765) *Relect. de Potestate civili*, n. 16.

3. Quo praesupposito, nullo negotio probatur veritas sequentis theseos directe feriens *Naturalismum moralem*, omnem legem, praeter naturalem, uti superfluam rejicientem.

Thesis: Praeter legem naturalem necessaria est ad rectam humanae vitae directionem aliqua positiva legislatio.

a) Lex quippe naturalis propter pravas consuetudines et habitus corruptos facillime deletur in particulari de cordibus hominum; ii ergo opus habent aliqua norma proximiori actus humanos regulante in ordine ad illa praecepta magis remota a lege naturae, circa quae contingit errare in particulari operabili. Imo etiamsi lex naturalis intacta et a corruptione immunis conservaretur in homine, cum ejus praecepta sint maxime indeterminata et communia, cumque rudes nequeant illa practice determinare, neque conclusiones particulares inferre, necessarium plane fit aliquam legislationem positivam institui, qua, pro loco et tempore, praecepta universalia determinentur, ac hominum inconstantia cupiditatesque corrigantur.

b) Supposita elevatione hominis ad ordinem supernaturalem, *simpliciter necessaria* est praedicta positiva legislatio. Ipsa etiam non supposita, sistendo scilicet in lege positiva humana, egregie nostram conclusionem ostendit *D. Th.* Lex namque aeterna et naturalis non sufficit ad vitam socialem accommodate regendam. «Etenim sicut in ratione speculativa ex principiis indemonstrabilibus naturaliter cognitis producuntur conclusiones diversarum scientiarum, quarum cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriam rationis inventa; ita etiam ex praeceptis legis naturalis, quasi ex quibusdam principiis communibus et indemonstrabilibus, necesse est quod ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter disponenda, et istae particulares dispositiones adinventae secundum rationem humanam, dicuntur leges humanae, observatis aliis conditionibus quae pertinent ad rationem legis» [1]. Sic ergo lex positiva humana est quasi complementum legis naturalis quaeque definiri valet ex dictis: *Ordinatio rationis, determinans indeterminata a lege naturae eique consona, ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata.*

c) Quod si lex est necessaria homini *individuo*, ea potiori jure indiget in quantum ad *societatem* ordinatur. Membrum enim societatis debet procurare bonum commune; sed bonum commune ab unoquoque, non arbitrarie, sed ordinate persequendum est; quod fit legibus pa-

1 I-II, q. XCI, a. 3; Cfr. Lottini, *Philos. Mor. Gen.*, n. 401-403.

rendo. «Necesse est, inquit ***Tullius,*** leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant, nam, si absque his vixerint, nihil a feris atrocissimis discreparint» [1].

4. **Objectum legis positivo-humanae,** (de qua impraesentiarum loquimur), est quidquid ordinatur ad bonum societatis pro qua fertur et intra cujus ambitum continetur potestas legifera superioris ejusdem communitatis; quare, lex humana potest imperare actus virtutum qui maxime conferunt ad bonum societatis, sed *ratione tantum justitiae, non tamen praecipere de omnibus actibus omnium virtutum,* ut apposite docet ***Angelicus,*** «sed solum de illis qui ordinabiles sunt ad bonum commune, vel immediate, sicut cum aliqua directe propter bonum commune fiunt, vel mediate, sicut cum aliqua ordinantur a legislatore pertinentia ad bonam disciplinam per quam cives informantur, ut commune bonum justitiae pacis conservent» [2]. *Sed neque prohibere omnia potest.* Nam lex humana ponitur multitudini hominum, in qua major pars est hominum non perfectorum virtute, ut recte animadvertit ***D. Thomas,*** et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia a quibus virtuosi abstinent, sed solum graviora a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere, et praecipue quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset, sicut prohibentur lege humana homicidia, furta et hujusmodi [3].

5. Signanter diximus legem humanam esse de actibus virtutum prout induunt *rationem justitiae.* Rationem praebet ipsemet *S. Doctor.* «Lex humana, inquit, ordinatur ad communitatem civilem quae est hominum ad invicem. Homines autem ordinantur ad invicem per exteriores actus, quibus homines se invicem communicant. Hujusmodi autem communicatio pertinet ad rationem justitiae, quae est proprie directiva communitatis humanae. Et ideo lex humana non proponit praecepta nisi de actibus justitiae, et si praecipiat actus aliarum virtutum, hoc non est nisi in quantum assumunt rationem justitiae» [4].

6. Materia ergo legis humanae contrahitur *ad actus exteriores* in bonum commune societatis ordinatos; neque enim actus interiores cadere possunt *directe et secundum se* sub objecto legis humanae. Nam de his homo potest legem ferre de quibus potest judicare. Iudicium

---

1 *De Legibus,* lib. I, 9.

2 q. XCVI, a. 3.

3 ib. a. 2. Lex ista, inquit ad rem August., quae regendis civitatibus fertur, multa concedit atque impunita relinquit quae per divinam tamen providentiam vindicantur; et recte. Neque enim quia omnia non facit, ideo quae facit improbanda sunt. *De libero arb.,* lib. I, c. 3.

4 q. C, a. 2.

autem hominum esse non potest de motibus interioribus; solus quippe Deus intuetur corda, homines vero ea tantum vident quae exterius apparent. Ergo lex humana non se extendit *directe et per se* nisi ad actus exteriores dirigendos.

§ 2.

DE OBLIGATIONE LEGIS POSITIVAE [1].

Summa rerum. 1. *Recentiorum pseudopoliticorum error.—Positivismus moralis.* 2. Thesis. *Lex positivo-humana vera esse nequit nec ullam obligationem inducere nisi in lege naturali et aeterna saltem mediate et ultimo fundetur.* Prob. 3. *Mechanismus legalis.—Statolatriae sectatores.* 4. *Essentiales conditiones legis positivo humanae.—Egregia S. Thomae doctrina.* 5. Thesis altera. *Lex positivo humana non obligat jure divino.—Declaratur thesis;—absolutismus.*—Probatur thesis.

1. **Recentiorum pseudopoliticorum error.** Currit hisce nostris diebus, tanquam dogma politicum omnium ferme Statuum, legislationem civilem independentem esse a quolibet religionis vinculo, minimeque oportere ut leges humanae ad naturae jus conformentur. Hinc *Status* constituitur suprema aequitatis norma, unicus boni et mali arbiter.

2. Verum contra hanc pestiferam doctrinam sit.

Thesis. Lex positivo-humana vera esse nequit, nec ullam obligationem inducere nisi in lege naturali et aeterna saltem mediate et ultimo fundetur.

Veritas hujus thesis liquido patet. Cum enim obligatio sit vinculum quoddam, quo voluntas adstringitur ad operandum secundum regulam, homines vero, qua tales, alios ligare non possint, siquidem sunt natura pares, tunc solum hac vi leges potiuntur cum ex potestate divinitus accepta aliquid praecipiunt. Nam soli Deo proprie et per se competit creaturas rationales obligare, qui omnibus dominio essentiali et jure imparticipato praeest.

Egregie, ut solet, *Angelicus*. «Sicut dicit *Aug.*, non videtur esse lex quae justa non fuerit, unde in quantum habet de justitia in tantum habet de virtute legis. In rebus autem humanis dicitur aliquid esse justum ex eo quod est rectum secundum regulam rationis. Rationis autem prima regula est lex

1 Cfr. Farges, *La liberté et le devoir*, pag. 279.

naturae. Unde omnis lex humanitus posita in tantum habet de ratione legis in quantum a lege naturae derivatur. Si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio» [1].

En cur in definitione ponitur *eique* (legi naturae) *consona*. Lex enim humana totam vim obligandi ex lege naturali haurit; non enim obeditur legibus humanis nisi in virtute praecepti naturalis clamantis: *Parendum est justis principum decretis*. Recte ergo proscribitur in Syllabo sequens propositio (LVI): *Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant.*

3. Nulli dubium quin hanc et similes propositiones audacter defendentes absolutismi et anarchiae scienter vel ignoranter fundamenta jaciant, uti fecerunt saeculis elapsis *Machiavellus, Hobbesius, Spinoza, Rousseau, Hegel,* et nostri hisce diebus quotquot *liberales* vocari amant, qui leges, juri naturali et divino aperte repugnantes, vim obligandi habere autumant ex quo conditae vel stabilitae sunt. Verum mordicus sustinemus praedictas leges nullam in conscientia obligationem parere, nec veram legislationem aut corpus juridicum constituere, sed purum *mechanismum legalem*. Deficiente autem conscientia publica, necessario succedit vis fortioris, ut oculate animadvertit *Balmes*, imo, *conscientia* seu *lex sine Deo est tribunal sine judice.*

4. Ut autem leges humanae sint juri naturae conformes, quatuor sequentes conditiones praeseferant necesse est: I.ª *ex parte legislatoris,* ut gaudeat legitima potestate, id est, ut legem condat pro iis qui ejus curae subjiciuntur, et sub illo respectu quo subjiciuntur: unde iniquae sunt leges latae a potestate civili pro subditis quatenus sunt membra societatis ecclesiasticae, hoc enim in casu suam excedit potestatem. II.ª *ex parte formae* qua fertur lex, ut sit nempe sufficienter promulgata et publica auctoritate sancita, non obscura, nec incautum quid contineat. III.ª *ex parte finis,* quod cedat, non in perniciem, sed in bonum societatis; et IV.ª *ex parte materiae,* quod sit honesta, religioni et publicae saluti congrua.

Paulo aliter *S. Thomas:* «Dicuntur autem leges justae, *et ex fine,* quando scilicet ordinantur ad bonum commune; *et ex auctore,* quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis; *et ex forma,* quando scilicet secundum aequalitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune.....» [2].

---

1 q. XCV, a. 2. 2 q. XCVI, a. 4.

»*Injustae* autem sunt leges dupliciter: uno modo *per contrarietatem ad bonum humanum* e contrario praedictis: vel *ex fine*, sicut cum aliquis praesidens leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam; vel etiam *ex auctore*, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem; vel etiam *ex forma*, puta, cum inaequaliter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et hujusmodi *magis sunt violentiae quam leges*, quia, sicut *Aug.*, dicit, «lex esse non videtur, quae justa non fuerit». Unde tales leges non obligant in foro conscientiae, nisi forte propter vitandum scandalum vel turbationem.

«Alio modo leges possunt esse injustae *per contrarietatem ad bonum divinum*, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud quod sit contra legem divinam; et tales leges nullo modo licet observare, quia sicut dicitur Act., V, 29, *obedire oportet Deo magis quam hominibus*»[1].

Ergo omnis lex positiva, ut vim obligandi habeat, indiget a lege aeterna procedere eique nullo modo adversari. Inde sequitur

Deum, cujusque moralis obligationis principium et fontem, esse *universalem legislatorem*, a quo, sive *immediatione supposiii*, vel saltem *virtutis* omnia jussa promanare debent ut in conscientia ligare queant.

5. His non obstantibus, sit altera

Thesis. Lex positivo-humana non obligat jure divino.

Declaratur conclusio. Quae modo explicata sunt de origine legis humanae nemini facultatem conferunt inferendi legem humanam obligare *jure divino et naturali*, nisi forte praecipiat directe quae alias a lege naturae praecepta sunt; tunc enim lex positiva legem naturalem munit temporali sanctione, et duplici quasi integrali obligatione, naturali nempe et humana, obligat. Generice autem loquendo, cum causa proxima legis humanae proprie dictae sit temporalis potestas, nonnisi jure temporali obligationem inducere quit. Lege *D. Thomam*[2].

Probatur thesis ex his quae *S. Doctor* tradit loc. cit. Conclusio sequitur naturam praemissarum ex quibus infertur: si ergo praemissae sunt legis naturae, conclusio nequit ad legem positivam pertinere; ergo lex positiva humana non potest derivari a lege naturae ut conclusio ex principiis; alias non esset simpliciter humana, sed naturalis. Sed supra diximus legem positivam oriri a lege naturae;

---

1 ib.

2 q. XCV, a. 2.

igitur derivatur ab ea ut quaedam determinationes statutae a superiore, quae ut tales nequeunt jure divino aut naturali obligare.

Confirmatur. Certum quidem est legem humanam habere vim obligandi in foro conscientiae «quatenus participat legem aeternam et naturalem, id est, quatenus in voluntate Dei et in dictamine rationis naturalis nititur; hoc enim principium, *obediendum est justis principum decretis*, naturale est. Nec vero inde sequitur, ait *Suarez*, vel culpam illam esse proprie contra legem naturae, vel obligationem ad actum praeceptum lege humana esse naturalem quia, ut in superioribus tetigi, lex humana se habet ut causa proxima et secunda quae nititur in lege aeterna tanquam in causa prima; effectus autem qui proxime est a causa secunda ita ut a prima non fieret nisi per illam, secundae simpliciter tribuitur, et ideo obligatio haec, etiamsi sit in conscientia, simpliciter est a lege humana»[1].

Ruit ergo *Absolutistarum* doctrina circa *jus divinum*, quo se putant imperare, proindeque in conflictu legum humanarum cum praeceptis divinis standum est praecepto divino et respondendum cum ***Mathathia*** ad ministrum Antiochi. *Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum et consentiat mandatis ejus, ego et filii et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem et justitias Dei. Non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostrae mandata, ut eamus altera via*[2].

§ 3.

DE HUMANARUM LEGUM MUTATIONE.

Summa rerum. 1. *Proprietates legis positivae.* 2. *An leges humanae mutari possint expediatque eas saepe mutari.*—Thesis;—*probatur quoad utramque partem.* 3. *Quotupliciter mutari possint leges positivo-humanae.* 4. *Per abrogationem legis.* 5. *Per cessationem finis.* 6. *Per consuetudinem contrariam.* 7. *Quid possit consuetudo in ordine ad legem* (novam inducere, existentem abrogare, vel eam interpretari)—*Conditiones ut consuetudo praedictos effectus producere valeat.* 8. *An dispensatio locum habeat in legibus humanis.* 9. *An idem dicendum sit de epikeia.* 10. *Sapiens D. Th. observatio.*

1. Characteres et proprietates legis positivae vix explicatione

1 *De Leg.*, lib. III, c. XXI, n. 7. 2 1 *Machab.* II, 19-22.

indigent, post dicta de attributis legis naturae. Interest tamen mutabilitatem legis humanae aliquantulum mox enucleare.

2. **Thesis. Lex humana, quamvis justa sit, commutari tamen per tempora juste potest, ut loquitur *S. Augst.*[1], non tamen convenit persaepe leges mutare.**

Utrumque constat. Primum, quia cum lex humana sit quoddam dictamen rationis, quo diriguntur humani actus, potest mutari tum *ex parte rationis,* cui naturale esse videtur ut gradatim ab imperfecto ad perfectum perveniat, et ita factum est, ut primi, qui intenderunt invenire aliquid utile communitati hominum, non valentes omnia ex seipsis considerare, instituerunt quaedam imperfecta in multis deficientia, quae posteriores mutaverunt instituentes aliqua quae in paucioribus deficere possunt a communi utilitate: et mutari etiam potest *ex parte hominum,* quorum actus lege regulantur, propter mutationem conditionum hominum, quibus secundum diversas eorum conditiones diversa expediunt[2].

Alterum quoque patet, quoniam lex humana in tantum recte mutatur in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo. Et ideo mutari nunquam debet nisi vel ex eo quod aliqua maxima et evidentissima utilitas ex novo statuto provenit; vel ex eo quod est maxima necessitas; vel ex eo quod lex consueta aut manifestam iniquitatem continet, aut ejus observatio est plurimum nociva. Ita ***Angelicus Doctor***[3].

3. Multipliciter autem lex humana mutari potest: scilicet *a)* per abrogationem, si tollatur in toto; *b)* per derogationem, si in parte; *c)* per cessationem finis; *d)* per consuetudinem; *e)* per dispensationem, et *f)* per interpretationem.

4. **Pauca de singulis.** Certum est **legislatorem posse legem a se latam abrogare in toto, vel in parte,** sive per expressam revocationem, sive per aliam legem contrariam. *Idipsum posse successores* pari gaudentes auctoritate nulli dubium. Eadem enim auctoritate, qua possunt leges ferre, possunt et ipsas tollere.

5. Constat etiam **legem cessare, cessante fine adaequate et in communi;** quia lex, quae non est utilis bono communi, aut eidem nocet, non est

1 *De lib. arbitr.*, lib. I, c. 6.
2 D. Th., q. XCVII, a. 1.
3 Ib. a. 2.

lex. Cessante vero pro aliquo particulari *inadaequate* et *negative* non cessat lex, quoniam, etsi nullam ipsi utilitatem afferat, ex se tamen nata est conducere ad bonum commune, et de facto ut plurimum conducit; ut esset v. gr. prohibitio lectionis librorum prohibitorum propter periculum perversionis, quo etiam periculo non existente pro aliquo particulari, non ideo cessaret lex pro ipso. Si vero finis cessaret *contrarie*, hoc est, si esset etiam alicui particulari nociva lex, abs dubio cessat, quippe malum privati redundat contra bonum commune.

6. **Lex humana mutationem praecipue subit per consuetudinem contrariam.**

Rationem praeclaram exhibet *S. Thomas* inquiens: «Omnis lex proficiscitur a ratione et voluntate legislatoris; lex quidem divina et naturalis a rationabili Dei voluntate; lex autem humana a voluntate hominis ratione regulata. Sicut autem ratio et voluntas hominis manifestantur verbo in rebus agendis, ita etiam manifestantur facto; hoc enim unusquisque eligere videtur ut bonum, quod opere implet. Manifestum est autem quod verbo humano potest et mutari lex, et etiam exponi, in quantum manifestat interiorem motum et conceptum rationis humanae; unde etiam et per actus maxime multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt mutari potest lex, et exponi, et etiam aliquid causari quod legis virtutem obtineat; in quantum scilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus et rationis conceptus efficacissime declaratur. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis judicio provenire. Et secundum hoc consuetudo et habet vim legis, et legem abolet, et est legum interpretatrix»[1].

7. Ergo ex ***S. Thoma*** consuetudo tria potest efficere: 1) legem inducere, cum nullam supponit; 2) abrogare legem latam; et 3) eam interpretari. Legem inducere potest via *conniventiae*, quando scilicet superior personaliter tacite vel expresse consentit consuetudini; vel via *praescriptionis*, quando nempe certo tempore invaluit consuetudo, concurrente saltem consensu juridico seu legali superioris. Utroque etiam modo potest legem humanam abrogare aut eidem derogare. Ut autem legem inducat tria praesertim requiruntur: *a)* ut sit honesta et bono communi utilis; *b)* consensus saltem legalis superioris; et *c)* intentio communitatis se obligandi.

Consuetudo interpretatur etiam legem humanam, tum *doctrinaliter*, id est, secundum mentem et sensum legislatoris, tum *authentice*, inducendo novum aliquem sensum, licet forte non conveniat cum prima inten-

1 q. XCVII, a. 3. Cfr. Salmantic., *Moral*, tract. XI, c. VI; Gonet, loc. cit., Disp. VII; Suarez, lib. VII; Lehmkuhl, *Compend.* Tract. II, c. IV, a. 3, § 2; Muller, § 67; Bouix, *De Princip.*, p. II, sect. VI; Noldin, *De Principiis*, lib. III, q. X; Bautain, *Philosophie des lois*, chap. XV; González, *Estudios sobre la Filos. de S. Tomás*, lib. VI, c. XIV.

tione legislatoris; hinc consuetudo dicitur *optima legum interpres.* Verum consuetudo est duplex: *facti,* quae definiri potest: *Frequentia operandi libere eodem modo* [1]; et *juris,* quae ab ***Isidoro*** describitur: *Jus quoddam moribus institutum quod pro lege suscipitur, cum deficit lex* [2]. Haec ergo ex priori sequitur.

8. **Dispensatio,** quae est relaxatio obligationis legis, manente lege integra et immutata, locum pariter habet in legibus humanis; tanta enim est varietas in actibus humanis quoad locum, tempus, personas etc., ut quae sapiens legislator in bonum commune praescripsit, aliquando in nocumentum particularium cedant, quo in casu prudenter est dispensatio concedenda seu obligatio relaxanda.

A fortiori **lex humana suscipit interpretationem,** et quidem duplicem: una, quae dicitur simpliciter talis, et est explicatio verborum ad mentem legislatoris cum legem condidit; et alia, quae vocatur *epikeia,* et est explicatio mentis quam legislator habuisset si ad praesentem casum attendisset, vel quam hic et nunc haberet si consuleretur. Prior locum habere potest semper ac lex obscura videtur: et iterum triplex distinguitur: *authentica,* quae fit nempe ab ipso legislatore; *usualis,* mediante consuetudine, et *doctrinalis,* quam praebent viri prudentia et sapientia praestantes, dum abest legislator et tacet consuetudo.

9. Altera, id est, *epikeia,* locum obtinet quando observantia litteralis legis est quomodolibet nociva bono communi, aut legi superiori contraria, aut ex circumstantiis redditur iniqua vel nimis dura. Rationem praebet *S. Th.* «Contingit, inquit, multoties quod aliquid observari communi saluti est utile ut in pluribus, tamen in aliquibus casibus est maxime nocivum. Quia igitur legislator non potest omnes singulares casus intueri, proponit legem secundum ea quae in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem utilitatem. Unde, si emergat casus in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda» [3].

10. Verum sapienter animadvertit ibidem *Angelicus,* «quod si observatio legis secundum verba *non habet subitum periculum,* cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet ut interpretetur quid sit utile civitati, et quid inutile civitati; sed hoc solum pertinet ad principes, qui propter hujusmodi casus habent auctoritatem in legibus dispensandi. Si vero *sit subitum periculum,* non patiens tantam moram ut ad superiorem recurri

1 S. Thom., III, Disp. XXIII q. I, a. 14.

2 *Etymol.*, lib. V, c. 3. Cfr. Claudius Frassen, *Scotus Academicus* seu *universa Doctoris subtilis Theologica Dogmata* (ed. nova Romae 1901), t. 6, *De Legibus,* Disp. VI, q. I, a. 3.

3 q. XCVI, a. 6.

possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi». Et de his plusquam satis. Alia ad Theologos et Canonistas.

Articulus IV

De Jure Gentium [1]

Summa rerum.. 1. *Ratio articuli et quaestionis momentum.* 2. *Juris significatio.* 3. *Auctorum sententiae* (Jurisp. Rom., Protestantes, Finettus, Soto, Vazquez, alii Scholast., Suarez, Liberatore et Audisio). 4. Thesis: *Jus gentium proprie dictum tum a jure naturae tum a lege pure positiva differt, utrumque tamen participat, licet non ex aequo, cum sit legi naturae magis propinquum.* 5. *Cur apponatur in thesi particula restrictiva «jus gentium proprie dictum»—Juris internationalis definitio.* 6. *S. Thomae sententia.* 7. *Probatur enuntiata conclusio.* 8. *Corollarium* (in quo conveniant et in quo differant jus gentium, naturale et positivum). 9. *Quaestio—Utrum jus gentium sit mutabile—hujus quaestionis gravitas extrinseca.* 10. *Suarezii doctrina.* 11. *Resolvitur quaestio.*—Thesis: *Jus gentium proprie dictum non est simpliciter mutabile.*—Prob. 12. *Falsa quorumdam scholasticorum aestimatio.* 13. *Confirmatur nostra sententia auctoritate Rob. Bellarmini.*

1. **Ratio hujus art.** Post dicta de lege naturali et humana, opportunum judicamus quaestiones de *Jure Gentium* inter philosophos agitatas heic breviter perstringere. Et imprimis declaranda venit ejus natura. Versamur enim in re maximi momenti, praesertim ob adversam praesentium temporum conditionem. Cum enim plura, quae ad jus gentium pertinere uno ore proclamant omnes philosophi, ut divisio v. gr. stabilium proprietatum, a recentiori *Collectivismo* audacter impetantur, necessitas cogit serio et dilucide pertractare cujus naturae sit lex sive jus, quo ea regulantur; ex hoc namque, ut plurimum, dependet recta solutio plurium gravissimarum quaestionum, quae hac nostra misera aetate agitantur in populis.

2. **Sententiae.** Age vero, jus quandoque sumitur pro *facultate morali* ad aliquid agendum vel omittendum; quandoque autem pro *ipsa lege,* qua praedicta facultas regulatur. In hoc posteriori sensu vocem

---

1 Cfr. Praeter auctores, a. 3, cit., Pichler, *Jus Canon.*, Prolegom. n. 17; Roselli, *Ethica*, q. VI; González, *Ethic. Gen.*, sect. I, c. IV, a. 3; Orti y Lara, *Introducción al estudio del Derecho*, sec. II, c. V; Zigliara, lib. II, c. III, a. 5; Schiffini, *Ethic. Gen.*, Disp. IV, sect. VII; Mancini, *Ethica*, q. X, a. 4; Lottini, *Philos. Mor. Gen.*, n. 404-411.

jus nunc usurpamus. Verum, sic etiam accepto jure, non concordant sapientes in determinanda natura *Juris Gentium.*

3. Nam, 1) Jurisperiti Romani communiter distinguunt jus naturae a jure gentium in hoc, quod jus naturae est etiam commune brutis animantibus; jus autem gentium est proprium hominum. Unde jus naturae est *quod natura omnia animalia docuit,* ut, maris et feminae conjunctio, procreatio et educatio filiorum; jus vero gentium, quod *naturalis ratio inter omnes homines constituit et apud omnes peraeque custoditur,* ut, obedientia ad parentes et patriam, hominem homini non insidiari, rerumque divisio. Differentia ergo inter jus gentium et naturale est ipsis accidentalis; re nempe jus gentium est etiam naturale.

2) Protestantes non pauci, post *Puffendorf,* reprobant distinctionem juris naturae et gentium et tenent *eadem ipsa praecepta juris naturalis applicata hominibus in particulari vocari legem naturalem; applicata vero diversis nationibus jus gentium*[1].

Finettus duo in jure gentium distinguit; materiam et formam: *quoad materiam,* inquit, seu quoad rem praeceptam, *idem omnino sunt jus naturae et gentium; quoad formam* vero, seu causam obligationis, *discrepant,* quoniam jus gentium est humanum et positivum.

3) Aliqui Thomistae, inter quos *Soto,* censent jus naturale solum differre a jure gentium, quia *jus naturale sine ratiocinatione, vel saltem facillimo discursu, innotescit, jus autem gentium per plures et difficiliores illationes colligitur.*

4) *Vazquez* cum aliis docet jus naturale *esse de praeceptis et promissionibus;* jus vero gentium de *concessionibus tantum seu permissivis* in natura convivente in societate.

5) Alii *Scholastici* affirmant jus naturale comprehendere *conclusiones ita necessarias ut, nulla facta suppositione societatis humanae, vel dependentiae a voluntate hominis, sequantur evidenter ex principiis naturae;* jus vero gentium complecti *conclusiones quae sequuntur quidem ex principiis naturae, non tamen absolute, sed supposita humana societate, vel quibusdam factis contingentibus.*

6) *Suarez* concludendum censet «jus gentium non praecipere aliquid tanquam ex se necessarium ad honestatem, nec prohibere aliquid quod per se et intrinsece malum est vel absolute, vel supposito tali statu et conditione rerum; sed haec omnia pertinere ad jus naturale»[2]. Unde, juxta ipsum, jus gentium proprie dictum est jus *simpliciter positivum humanum, non scriptum, sed introductum moribus omnium gentium et omnes obligans;* quod proinde differt a naturali quia, *non naturae, sed moribus innititur*[3].

7) Denique *Liberatore* cum *Vadel, Audisio* aliisque recentioribus, de-

1 Cfr. Hobbes, *De Cive,* c. XIV, § 4.
2 *De leg.,* lib. II c. XVII, n. 1.
3 ib. c. XIX, n. 3.

fendere videtur *jus gentium in sua origine nihil aliud esse quam jus naturae nationibus applicatum.*

4. Ut patet ex ipsa varietate sententiarum difficile admodum est determinare quaenam sit propria et formalis juris gentium natura et extensio. Nihilominus, praeeunte ***D. Thoma,*** putamus id pro certo stabiliri posse:

(Thesis). Jus gentium proprie dictum, tum a jure naturae, tum a lege pure positiva, differre, utrumque tamen participare, licet non ex aequo, cum sit legi naturae magis propinquum.

5. Diximus *jus gentium proprie dictum,* nam hodie, communi usu, nomine juris gentium veniunt relationes populorum independentium, seu nationum, ad invicem, sive sint juris naturae, sive non, ut extraditiones, bella, commercia, pacta etc., quae constituunt *jus internationale* stricte dictum et definiri potest: *Complexus jurium et officiorum quibus nationes ad invicem adstringuntur, sive haec proveniant ex consuetudine, sive ex jure naturae, vel ex pactis.*

6. Jam vero, *enuntiata propositio est* D. Thomae *ajentis:* «Est enim primo de ratione legis humanae quod sit derivata a lege naturae; et secundum hoc dividitur jus positivum in jus gentium et jus civile, secundum duos modos quibus aliquid derivatur a lege naturae. Nam ad jus gentium pertinent ea quae derivantur ex lege naturae sicut conclusiones ex principiis, ut justae emptiones, venditiones, et alia hujusmodi, sine quibus homines ad invicem convivere non possunt, quod est de lege naturae, quia homo est naturaliter animal sociabile. Quae vero derivantur a lege naturae per modum particularis determinationis pertinent ad jus civile, secundum quod quaelibet civitas aliquid sibi accommodate determinat»[1].

Ergo ex mente *D. Th.,* ea quae sunt juris gentium neque sunt juris naturae tantum, neque legis pure positivae seu civilis. Quia ad jus naturae pertinent ea quae absolute conveniunt vel repugnant naturae humanae generice vel specifice consideratae, quae vero sunt juris gentium conveniunt homini, non absolute, sed hypothetice, supposito aliquo facto contingenti quamvis universali.

Expressius alibi: «dicendum, inquit, quod *jus* sive justum naturale est quod ex sui natura est adaequatum vel commensuratum alteri. Hoc autem potest contingere dupliciter. Uno modo *secundum absolutam sui considerationem;* sicut masculus ex sui ratione habet commensurationem ad feminam, ut ex ea generet, et parens ad filium, ut eum nutriat. Alio modo aliquid est *naturaliter alteri commensuratum,* non secundum absolutam

1 I-II, q. XCV, a. 4.

sui considerationem, sed *secundum aliquid quod ex ipso sequitur*, puta proprietas possessionum: si enim consideretur iste ager absolute, non habet unde magis sit hujus vel illius; sed si consideretur per respectum ad utilitatem colendi, et ad pacificum usum agri, secundum hoc habet quamdam commensurationem ad hoc quod sit unius et non alterius» [1].

7. **Ex quibus sic argumentamur.** Quae pertinent ad jus naturae sunt homini adaequata ex ipsa natura rei eique intrinsece commensurata, id est, convenientia aut repugnantia secundum absolutam considerationem; sed ea quae ad jus gentium spectant, licet a lege naturae deriventur ut conclusio ex principiis, tamen non sunt homini adaequata ex ipsa natura rei, ut sedium occupatio, bella, captivitates, servitutes, induciae, legatorum non violandorum religio etc., sed potius sunt, ajente ***S. Thoma,*** secundum aliquam utilitatem consequentem. Ergo jus gentium differt a jure naturae.

Nullo pariter negotio probatur *jus gentium longe aliud esse a jure mere positivo humano*. Nam jus gentium procedit a lege naturae sicut conclusio ex principiis; jus vero positivum ut determinatio aliquorum communium; duplex autem processus realiter diversus differentiam realem in conclusionibus inducit: ergo. Quoniam vero conclusio sequitur semper pejorem partem; conclusio autem juris gentium procedit ex una praemissa juris naturae et ex altera quae continet, non quidem praeceptum naturae, sed factum quoddam universale, inde inferre licet jus gentium esse jus humanum et posse ex hac parte cum Instit. ***Justiniani*** definiri: *Jus humanum voluntarium quod, usu exigente et necessitatibus humanis, gentes inter se constituerunt.* Non tamen est jus *simpliciter* humanum, sed magis appropinquat juri naturae, «quia ea quae sunt juris gentium, inquit ***D. Thomas,*** naturalis ratio dictat, puta ex propinquo habentia aequitatem; inde est quod non indigent aliqua speciali institutione, sed ipsa naturalis ratio ea instituit» [2]. Unde ad originem Juris Gentium explicandam opus non est *pactum* aliquod supponere; nec, ut vim obligandi habeat, requiritur ut quae ad ipsum spectant publici juris fiant per edictum principum aut legalem promulgationem.

8. **Corollarium.** Ex dictis facile est determinare in quo jus gentium cum naturali conveniat et in quo differat. Conveniunt quidem quia *a)* utrumque est apud omnes populos receptum; *b)* neutrum plane oportet esse scriptum, et *c)* utrumque extenditur ad praecepta, prohibitiones et concessiones. Distinguuntur vero 1) quia ea quae sunt de jure gentium deducuntur ex praeceptis naturae non necessitate

1 I-II, q LVII, a. 3. 2 loc. cit.

absoluta et ut aliquid intrinsece bonum vel malum, tunc enim esset ipsum jus naturale, sed supposito aliquo facto universali ex necessitatibus et conditionibus humanis deducto. Sit exemplum a *S. Th.* propositum. De jure naturae est quod homines pacifice convivant; factum universale experientia omnium saeculorum probatum: homines pacifice convivere in societate non posse absque divisione possessionum; ergo divisio proprietatum est necessaria; en conclusio juris gentium; jus nempe *simul positivum et quadantenus naturale;* 2) quia jus naturae inductum est Dei impressione, jus autem gentium exigente necessitate humana; hinc 3) jus naturae independens est a qualibet circumstantia loci, temporis et ab ipsa humana societate, non item jus gentium.

Differt quoque jus gentium a jure mere positivo seu civili, quia hoc *a)* est scriptum, *b)* non est receptum apud omnes populos, *c)* de facili mutari potest, *d)* ex lege naturae, ut determinatio aliquorum communium, deducitur [1].

9. **Quaestio. Utrum jus gentium sit necne mutabile.** Hanc in specie proponimus quaestionem propter gravissima quae ex falsa ejusdem solutione oriri possunt mala. Ut enim refert *P. Liberatore* [2], quidam nuperus scriptor hibernus, cum statuisset jus gentium esse jus positivum, jus autem positivum esse mutabile, atque inter ea quae *Scholastici* et *Juristae* ad jus gentium pertinere dixerunt praecipuum locum occupare videret divisionem stabilium proprietatum, concludit legitime, ut arbitror, posse legislatorem vel conventum populorum actualem proprietatum distributionem abolere novamque efficere, vel communalem introducere. En *Socialismus* sive *Communismus* armis scholasticorum vindicatus. Interest ergo maxime quaestionem hanc definire.

10. **Suarezii doctrina.** Imprimis eximius Doctor praesupponit «duobus modis dici aliquid de jure gentium; uno modo quia est jus quod omnes populi et gentes varie *inter se* servare debent; alio modo quia est jus quod singulae civitates vel regna *intra se* observant; per similitudinem autem et convenientiam jus gentium appellatur. Prior modus videtur mihi *proprissime* continere jus gentium reipsa distinctum a jure civili». «Posterior modus juris gentium continet quaedam praecepta, vel ritus, aut modos vivendi, qui per se et directe non referuntur ad universos homines, neque habent veluti pro fine proximo convenientem societatem et communicationem omnium nationum inter se; sed in unaquaque republica foro suo conveniente regimine constituuntur» [3].

1 Cfr. Suarez, *De leg.*, lib. II, c. XIX. Utrum jus gentium distinguatur a naturali tanquam simpliciter positivum humanum, n. 1 et 2.

2 *Principios de economia politica*, p. II, c. 2, a. 1, n. 23 (vers. hispana, Madrid 1890).

3 lib. II, c. XI X, nn. 8 et 10.

Quibus positis, infert «*jus gentium esse mutabile*, quatenus ex hominum consensu pendet....; ratio autem est quia res prohibitae jure gentium simpliciter non sunt malae de se et intrinsece; tum quia illa praecepta non inferuntur per necessariam et evidentem illationem ex principiis naturalibus; tum quia obligatio juris gentium non oritur ex sola ratione sine aliquo modo obligationis humanae, saltem per generalem consuetudinem introductae; ergo ex *parte materiae talis juris non repugnat simpliciter mutationem in illo fieri, dummodo sufficienti auctoritate fiat*».

Advertit tamen praeclarus auctor «mutationem aliter posse contingere in jure gentium, quod solum est commune propter convenientiam plurium nationum in tali vel tali lege, aliter vero in illo quod est commune ex usu et more gentium, quatenus inter se habent societatem aliquam seu communicationem. Nam *prius jus* potest immutari a particulari regno vel republica, quantum ad ipsam, quia ut est in illa revera est tantum civile intrinsece (ut sic dicam), solumque appellatur jus gentium per relationem et concomitantiam aliorum, vel quia est tam propinquum juri naturali, ut inde oriatur illa universalitas talis juris in omnibus vel fere in omnibus gentibus. Per se autem, ut est in unaquaque republica, pendet ex peculiari determinatione et potestate vel consuetudine illius reipublicae in se ipsa et sine respectu ad alias; ergo potest ab una in se mutari, licet aliae non consentiant. *In alio autem jure gentium longe difficilior est mutatio*, quia respicit jus commune omnium nationum et omnium auctoritate videtur introductum, et ideo non sine omnium consensione tolli potest. Nihilominus tamen non repugnat mutatio *ex vi materiae*, si nationes omnes consentirent, vel si paulatim introduceretur consuetudo contraria et praevaleret; *sed hoc, licet cogitari possit ut non repugnans, moraliter non videtur possibile*»[1]. Hucusque clarissimus auctor.

11. **Resolvitur quaestio.** Et primo quidem non dubitamus praejactam *Suarezii* sententiam, quam quidam recentiores graviter reprehendunt[2], cum restrictione ultimo loco posita, libenter acceptare; aptam quippe judicamus ad solvendas difficultates quas ex mutabilitate juris gentium congerunt *Communistae*. Nonnulla tamen addemus quibus mens nostra aperitur.

Thesis. Jus gentium proprie dictum non est simpliciter mutabile.

Constat ex dictis. Non est simpliciter jus positivum humanum, procedit enim ex lege naturae et ex facto quodam universali independenti

---

1 c. XX, nn. 6, 7 et 8. Ibidem subdit: «Potest aliqua communitas praecipere ut inter partes et membra sua tale jus gentium non servetur; et hic modus est posibilis et moralis.

2 Inter quos S. Schiffini, *Ethica Gener.* Disp. IV, sect. VII, addit nihilominus, ut suam temperet reprehensionem, quod «auctor (Suarez) pluribus ex causis veniam mereatur».

ab hominum voluntate et ab ipso genere humano, nam etiamsi contrarium statuere vellet non esset in sua potestate: fieri quippe non potest ut omnes paciscantur in societate amice convivere, v. gr. absque bonorum partitione, quin servetur religio erga legatos aliaque hujusmodi; ergo non est simpliciter mutabile; quia licet non sit de intrinsece bonis vel malis absolute, quae a jure gentium proprie dicto praecipiuntur vel prohibentur sunt immutabiliter talia, quamvis ex suppositione tantum, qua tamen stante, mutari nequit juris gentium materia. Igitur nec princeps communitatis, nec ipsa respublica, potest praecipere ut inter sua membra tale jus gentium non servetur.

12. Ergo parum castigate loquuntur auctores qui docent jus gentium sola humana voluntate fuisse introductum. Inductum quidem est necessitudinibus humanis, quae ab humana voluntate mutari non possunt nec ab ea dependent. Quod si admittatur jus gentium constitutum esse usu exigente, et cum consensu saltem implicito populorum, addendum est praefatum consensum necessitatem quamdam importare.

Inde illud pariter consequitur jus gentium non tantum ab humana voluntate vim obligandi accipere, sed habere etiam *aliquid vigoris ex lege naturali,* ut loquitur ***S. Thomas***[1].

13. Hanc nostram sententiam paucis illustrat ***Card. Bellarminus*** inquiens: «Jus gentium partim est naturale, partim positivum, quia pendet quidem ab humana constitutione, id est, a consensu omnium gentium, sed non pendet ex auctoritate principis, vel magistratus particularis. Ex quo sequitur, quod ea quae sunt juris gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, ideo prohibentur quia sunt mala; contra autem, quae sunt de jure civili, quia sunt pure positiva, ideo sunt mala quia prohibentur. Rursus sequitur quod quae sunt juris gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, *non possint a principibus abrogari vel immutari;* contra autem, quae sunt de jure civili, quia sunt pure positiva, sicut a principe vel magistratu constituuntur, ita posse a magistratu vel principe abrogari»[2].

Igitur retineri potest sequens definitio: *Jus gentium est quod usu exigente et necessitatibus humanis, naturalis ratio inter omnes homines constituit et apud omnes peraeque custoditur.*

---

1 I-II, q. XCV, a. 2.

2 *De Controversiis Christianae Fidei*, t. 2. Secunda Controversia Generalis, *de membris Ecclesiae militantis*, lib. I. *De Clericis*, c. XXIX, (Venetiis, 1721); Cfr. Gabriel a S. Vincentio, *De justitia et jure*, Disp. I, q. I, § 3, (Romae 1663).

DISPUTATIO V

DE CONSCIENTIA [1]

Disputationis ratio. Cum ad prudentem operationem moralem, quam Ethica dirigit, necessarium omnino sit, non solum leges stabilire tanquam universalia principia operandi, sed eas apprime cognoscere iisque in particulari duci, Tractatum de Conscientia logice subjicimus, post acta in superiori Disputatione de Lege. Omnibus siquidem compertum est regulam actuum humanorum esse duplicem, unam extrinsecam et remotam, *legem* scilicet *moralem,* alteram intrinsecam et immediatam qua, leges *objective* seu *materialiter* et in *actu primo* obligantes, *subjective* et *in actu secundo* vim suam exerunt. Hujusmodi regula proxima et subjectiva est mens humana quae pro diversis officiis quibus fungitur diversimode vocitatur. Et prout judicat de bonitate vel malitia actus hic et nunc ponendi recte dicitur *conscientia,* ad quam in operando semper est attendendum quia «actus humanus, ait ***D. Thomas,*** judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum in quod voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus» [2].

Porro omnia quae de Conscientia morali in Philosophia pertractanda occurrunt sub una quaestione apte comprehenduntur.

---

1 Cfr. prae aliis Brocardus a S. Nicolao, C. D., *Tractat. de Conscientia,* permagni pretii apud omnes, teste Migne, *(Theolog. Curs. Complet.,* t. XI); Andreas Lao (alias a Cruce), in I-II, D. Th., *De Conscientia,* t. IV, per totum; Cassianus a S. Elia, C. D., *Arbor omnium opinionum moralium,* (Bononiae 1693), t. 2, v. *Conscientia;* Christophorus a S. Joseph, C. D., *Tract. de regulis morum,* (Romae 1711), p. I, q. II; Sebaldus a S. Christophoro, C. D., *Theolog. Mor.,* (Wirceburgi 1740) t. I, c. II; Joan. a S. Thoma, loc. cit., Disp. XII; ex recentioribus Raphael a S. Joseph, *Instit. Fundamentales Theolog. Moralis, Tract. de Conscientia;* Muller, Tract. III, c. II; Tanquerey, *Synopsis Theolog. Moral, De Conscientia,* n. 349-427; Bouquillon, *Theolog. Moral. Fundam.,* p. II, n. 247 et sqq.; Bautain, *Philos. Morale,* part. theoretique, chap. II; Lottini, n. 295-304.

2 *Quodlib.* III. a. 27. Cfr. In c. XIV *ad Rom.*

QUAESTIO UNICA [1]

DE CONSCIENTIA

Articulus I

Generales conscientiae notiones

Summa rerum.—1. *Hujus vocis «Conscientia» etymologia.* 2. *Diversae ejusdem acceptiones.* 3. *Realis conscientiae definitio explicatur; —triplex judicium—in quo a sensu intimo et a synderesi conscientia moralis distinguatur.* 4. *Nonnulla ex praejacta definitione inferuntur* (esse dictamen discursivum, non vero habitum vel potentiam). 5. *An et qua ratione differat a ratione, scientia morali et prudentia.* 6. *Quomodo transacto actu adhuc in homine remaneat.* 7. *Tria munera conscientiae recensentur.—Ratio* D. Thomae. 8. *Quatuor ejusdem actus.*

1. *Conscientia* etymologice idem est ac *cordis scientia,* juxta ***Hugonem a S. Victore;*** aliis vero idem sonat ac *comes scientia,* quia, ut loquitur ***D. Bernardus,*** quocumque vado conscientia mea mecum est; a ***S. Antonino*** dicitur *concludens scientia,* quia est conclusio syllogismi practici. ***Angelicus*** autem ***Doctor*** scribit: «Conscientia, secundum proprietatem vocabuli, importat ordinem scientiae ad aliquid, nam conscientia dicitur *cum alio scientia*» [2].

2. **Diversae hujus vocis acceptiones.** Conscientia quandoque sumitur 1) pro ipsa hominis anima; 2) pro sensu intimo; 3) pro principio ipsius conscientiae seu pro synderesi; 4) pro judicio practico de moralitate actionum humanarum sive futurarum sive praesentium aut praeteritarum. Judicium respectu actionum futurarum vocatur conscientia *antecedens,* respectu vero praesentium aut praeteritarum dicitur *consequens.* In ordine ad illas fungitur officio *ducis,* ad has vero exercet munus sive officium *judicis;* 5) denique sumitur proprie pro conscientia morali.

3. Juxta ***D. Thomam,*** realiter definiri valet: *dictamen rationis applicatum ad opus;* vel paulo amplius: *Dictamen intellectus practici de honestate vel inhonestate actus hic et nunc a nobis ponendi.* Dicitur *a) dictamen,* hoc est, judicium seu actus rationis, et quidem auctoritativum

---

1 Cfr. A. Noget-Lacoudre, *Ethic.*, p. II, c. II; Castelló, loc. cit., c. VII.
2 I, p. q. LXXIX, a. 13.

seu cum potestate edicens et denuntians quid agendum sit, est enim conscientia praeco legis aeternae; *b) intellectus,* quia solius intellectus est judicare de liceitate vel illiceitate actuum humanorum; supra namque rejecimus Materialistarum sententiam asserentium cum ***Robinet*** facultatem cognoscitivam moralitatis esse sextum quemdam sensum vel aliam potentiam ab intellectu distinctam; est enim moralitas aliquid immateriale et spirituale quod attingi non valet nisi a potentia intellectivo-cognoscitiva, et ideo conscientia non est actus alicujus sensus nec voluntatis, dicitur quippe conscientia a *conscire;* unde nec dicitur bona *bonitate formali,* sed tantum *regulative* et *directive.* Ex quo minime sequitur habentes pleniorem scientiam habere meliorem conscientiam, quia subditur *c) practici.* Porro triplex judicium hac in re oportet distinguere: *speculativum, speculativo-practicum* et *practico-practicum.* Primum est de veritate contemplanda in suo esse vel qualitate physica, ut, *Deus est Trinus: Homo constat anima et corpore.* Alterum efformatur de objecto prout subjacet regulis morum, v. gr.: *Sacramenta cum hac vel illa materia sunt valida; suicidium est contra legem naturae.* Tertium judicium est de liceitate actus in singulari hic et nunc a nobis ponendi. Conscientia autem nec est judicium pure speculativum, nec speculativo-practicum, sed practico-practicum. *d)* Ponitur in definitione de *honestate vel inhonestate actus,* quia conscientia moralis non judicat de utilitate, convenientia, facilitate actionis, sed de ejus moralitate, per quod differt tum a *sensu intimo seu conscientia psychologica,* quae unice renuntiat actum ut est affectio subjecti, tum ab *ultimo judicio practico,* quoniam hoc dictat quidem aliquid hic et nunc agendum, sed nihil dicit de liceitate actus; *e) hic et nunc,* id est, conscientia judicat de actione in concreto cum omnibus circumstantiis; in quo distinguitur a *Synderesi,* quae est de principiis generalibus in quibus non fallitur, conscientia vero applicat principia illa ad casus particulares in quibus errare contingit; *f)* denique clauditur definitio his verbis *a nobis ponendi;* a *nobis,* quia respicit proprios actus non alienos; *ponendi,* ut distinguatur conscientia *antecedens,* quae est proprie conscientia, a *consequenti,* quae subsequitur factum [1].

4. Ex hac conscientiae moralis explicatione clare infertur: 1) *eam esse dictamen discursivum, nitens, non quidem semper formali, sed virtuali et implicito syllogismo,* cujus major ponitur a *synderesi,* minorem subsumit *ratio,* conclusionem universalem infert *scientia moralis,* particularem vero *conscientia.* Itaque ad efformandam conscientiam semper, saltem implicite, syllogismum facimus. *Major* enuntiat legem; *minor* comparat

[1] P. Raphael a S. Joseph., loc. supra cit.

actionem ponendam cum lege; et *conclusio,* visa conformitate vel difformitate ejusdem actionis cum lege, pronuntiat hanc actionem esse a me hic et nunc ponendam vel omittendam: 2) *non esse habitum nec potentiam aliquam naturalem,* tum quia conscientia potest deponi, tum quia ex ratione nominis, et etiam ex his, quae secundum communem usum loquendi conscientiae attribuuntur, patet contrarium. Conscientia enim, inquit ***Angelicus,*** secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiae ad aliquid, nam conscientia dicitur «cum alio scientia». Applicatio autem scientiae ad aliquid fit per aliquem actum. Unde ex ista ratione nominis patet quod conscientia sit actus» [1].

5. Ex quibus ulterius colligitur *ipsam differre,* prout jam innuimus, *a recta ratione* et *synderesi,* quae potentiam aut habitum naturalem nominant, tum ab *scientia morali,* quae notionem habitualem acquisitam designat, tum *a prudentia,* quae, utpote virtus, est etiam habitus de veris practicis et bonis. «Patet, scribit ***Angelicus,*** qualiter differant synderesis, lex naturalis et conscientia, quia lex naturalis nominat ipsa principia universalia juris; synderesis nominat habitum eorum seu potentiam cum habitu; conscientia vero nominat applicationem quamdam legis naturalis ad aliquid faciendum per modum conclusionis cujusdam» [2].

6. Verum diligenter notandum est quod, licet conscientia sit *actus,* et ideo non possit *formaliter* manere, manet tamen *virtualiter* in suis causis, quae sunt potentia et habitus, praesertim synderesis, quae aliquando conscientia quoque late nominatur. «Consuetum est, inquit ***D. Th.,*** quod causae et effectus per invicem nominentur» [3].

7. **Munia conscientiae.** Tria sunt munera quae communiter conscientiae tribuuntur, scilicet: *testificari, ligare* vel *instigare, excusare* vel *accusare* seu *remordere.*

Rationem exhibet *S. Thomas.* Haec omnia, inquit, consequuntur applicationem alicujus nostrae cognitionis vel scientiae ad ea quae agimus. Quae quidem applicatio fit tripliciter. Uno modo, secundum quod recognoscimus aliquid nos fecisse vel non fecisse....; et secundum hoc conscientia dicitur *testificari.* Alio modo applicatur secundum quod per nostram conscientiam judicamus aliquid esse faciendum vel non faciendum; et secundum hoc dicitur conscientia *instigare* vel *ligare.* Tertio modo applicatur secundum quod per conscientiam judicamus quod aliquid, quod est factum, sit bene factum vel non bene factum; et secundum hoc conscientia dicitur *excusare* vel *accusare* seu *remordere*» [4]. Patet autem absumptionem esse completam: si enim conscientiae examen instituimus circa aliquod

1 I p. q. LXXIX, a. 13.
2 II *Sent.,* Dist. XXIV, q. II, a. 4.
3 ib. I p.
4 I p. loc. cit.

operabile in particulari, cum conscientia, ut praejactum relinquimus, sit applicatio scientiae ad ea quae agimus, quoties agimus, tria de eo operabili quaeri possunt: 1.° an sit necne faciendum; 2.° an sit factum vel non; 3.° an sit bene vel male factum. Primum respicit futurum, secundum et tertium praesens vel praeteritum.

8. **Actus** autem conscientiae antecedentis, quae est proprie conscientia dirigens voluntatem ad operandum, sunt quatuor, scilicet: a) *ligare instigando per praeceptum;* b) *ligare vetando per prohibitionem;* c) *suadere per consilium* et d) *permittere judicando actionem esse licitam;* quia opus a voluntate ponendum potest esse bonum vel malum lege praeceptum vel prohibitum, vel potest etiam esse indifferens nulla lege regulatum, et tunc ejusdem operis positio potest judicari a conscientia melior quam ipsius omissio, vel utrumque arbitrio voluntatis relinquere.

Articulus II

Conscientiae divisiones [1]

Summa rerum.—1. *Exhibentur variae conscientiae divisiones.* 2. *Definitur conscientia vera seu recta et falsa seu erronea.* 3. *Doctorum discrepantia quoad hujusmodi definitionem* (Salmantic., Zigliara, P. Raphael *aliique).* 4. *Notio conscientiae vincibiliter et invincibiliter erroneae.* 5. *Quid est conscientia perplexa, scrupulosa et laxa;--conscientiae laxae species definiuntur.* 6. *Quando dicitur conscientia certa et dubia;—dubia positive et negative;—conscientia opinativa.* 7. *Conscientia obligans, consulens et permittens.* 8. *Antecedens et consequens.*

1. **Conscientiae divisiones.** Conscientia dividitur 1) *ratione objecti circa quod versatur,* seu ratione conformitatis cum lege applicanda, in *veram,* quae et *recta* promiscue dicitur, et *falsam* seu *erroneam,* et haec subdividitur in *vincibilem* et *invincibilem.* Item erronea vincibiliter distribuitur *a)* ratione *motivi in errorem inducentis,* in *perplexam, scrupulosam* et *laxam;* haec posterior iterum dispescitur in *simpliciter laxam, pharisaicam* et *cauteriatam, b)* ratione autem *vincibilitatis,* seu gradus culpabilitatis erronea vincibiliter dividitur in *pure vincibilem, crassam* seu *supinam* et *affectatam.* Divisio conscientiae in perplexam, scrupulosam et laxam est etiam divisio ratione *status habitualis;* 2) ratione *modi quo dictat,* lex dividitur in *obligantem, permittentem et consulentem;* 3) ratione *assensus seu*

1 Cfr. Dalmau y Gratacós, *Etica Gen.*, secc. II, c. II.

firmitatis et adhaesionis ad objectum, in *certam, dubiam* et *opinativam,* et opinativa in *probabilem* et *improbabilem;* 4) ratione *temporis* in *antecedentem* et *consequentem.*

2. **Conscientia recta** seu **vera** dicitur illa cujus dictamen seu judicium practicum revera consonat legi morali seu regulae extrinsecae et objectivae morum. *Falsa* vero *et erronea* cujus idem judicium practicum revera dissonat a lege morali seu a praedicta regula morum.

3. Sunt auctores opinantes cum *Salmantic.*[1] et *Zigliara*[2] conscientiam *rectam* cum *vera,* et *erroneam* cum *falsa* non posse confundi, sed omnino distingui debere, quia illa divisio in rectam et non rectam, inquiunt, est *subjectiva,* altera autem *objectiva;* verum enim et falsum dicitur juxta quod est in se, rectum autem vel erroneum juxta quod apprehenditur a mente. «Actio enim moralis, inquit *Card. Zigliara,* elicitur a voluntate, at fertur in objectum ut cognitum a ratione, quae est regula *proxima* ipsius voluntatis. Rectus igitur moraliter erit actus voluntatis quoties fertur in objectum quod ratio prudenter judicat ut moraliter rectum; quia hoc in casu suae regulae immediatae conformatur. Et tamen judicium potest esse falsum, consideratum absolute ex parte objecti. Sed consideratum ex parte subjecti, judicium est rectum hoc sensu quod *secundum elementa cognita* ratio *judicat,* quia *positis illis elementis* non potest aliter judicium ferrri. At propterea conscientia hoc in casu recta erit, sed erit erronea. Sit exemplum. Aliquis tenet rem A esse suam, quae tamen est alterius, et ideo de ipsa disponit. Conscientia *recta* est, quia judicium est secundum elementa quae subjective cognoscuntur et cognosci a conscientia possunt: tamen *falsa* est, quia res, ut supponitur, est alterius». In hac ergo sententia conscientia potest esse simul *recta* et *falsa, vera* et *erronea.*

Aliis autem hic modus loquendi non placet, et *veram* cum *recta, falsam* cum *erronea* confundunt. Vide rationes expositas apud cl. *P. Raphael a S. Joseph*[3].

4. **Invincibiliter erronea** est dictamen practicum quod ex elementis habitis ut veris ita efformatur, ut mediis adhibitis, reputari nequit falsum. *Vincibiliter erronea* est dictamen practice falsum quod, adhibita sufficienti diligentia, reformari potest. Dupliciter conscientia erronea formari potest: vel assumendo pro principio vero praemissas falsas, vel male applicando principium verum.

5. **Perplexa** est qua quis eo in statu se conjicit ut nesciat quam partem contradictionis eligat, quia utramque illicitam deprehendit, ut mater quae judicat malum puerum infirmum relinquere et simul judicat

1 Tract. XX, c. III, n. 9.
2 *Ethica,* lib. II, c. I, a. V.
3 *De actibus humanis,* tract. II, c. II, a. 1.

malum omittere Sacrum. *Scrupulosa* definitur quae ex levibus rationibus et inani apprehensione opinatur, vel dubitat, vel timet, ne actio mala sit, vel fuerit, vel futura sit. Estque duplex, scilicet: scrupulis *agitata* seu *cruciata,* dum scilicet quis judicat aliquid esse licitum, levibus tamen de causis timet et anxiatur ne sit illicitum, quae non est proprie conscientia: altera *ex scrupulis formata,* et est dictamen rationis practicae quo quis, propter leves et inanes rationes, judicat id quod agit esse illicitum, vel de eo dubitat. *Laxa* vocatur quae ex leviori ratione id quod illicitum est licere judicat, vel reperit dumtaxat veniale peccatum ubi adest mortale. *Simpliciter laxa* quae tendit ad libertatem plus aequo extendendam. *Pharisaica* quae magna parvi, et vicissim, parva magnifacit, sic dicta a phariseis culicem excolantibus, camelum autem deglutientibus. *Cauteriata,* a verbo graeco καίω, uro, quae a diuturno peccandi habitu peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit.

6. **Certa** est dictamen practicum suo objecto firmiter adhaerens absque errandi formidine. *Dubia* est quae de liceitate actionis ponendae anceps haeret; unde, ut patet, non est proprie conscientia, cum nullum dictamen practicum includat, sed est status mentis quaerentis conscientiam. Dividitur in *negative* et *positive dubiam. Negative dubia* est quae propter defectum hinc inde rationum anceps haeret. *Positive dubia* propter rationes hinc inde efficaces, sive ut efficaces habitas, assensum suspendit inter utramque contradictionis partem. *Opinativa* dicitur quae non anceps manet, sed uni parti contradictionis adhaeret cum formidine moraliter aestimabili de opposito, quod si ad unam partem se inclinat ob motivum grave, licet cum formidine oppositi, erit opinativa probabilis: si autem motivum illud non valet assensum prudentis a se trahere vocatur *improbabilis.* Ita clar. ***Auctor O. N.*** quem fere ad litteram exscripsimus.

7. **Conscientia obligans** dictat aliquid esse faciendum vel omittendum de praecepto, ut Sacrum audire die festo, in eodem non laborare serviliter. *Consulens* dictat aliquid esse melius, licet ad illud ponendum vel omittendum praecepto non teneamur, ut ingredi Religionem. *Permittens* est dictamen rationis practicae relinquentis arbitrio voluntatis aliquid facere vel non facere, ut pecuniam mutuo tradere cum lucro.

8. Denique, **conscientia antecedens** est dictamen seu judicium practicum factum praecedens; *consequens* vero quae factum sequitur. Haec pro modulo nostro de conscientiae natura et speciebus satis sint; fusiori calamo hanc materiam prosequuntur Theologi Moralistae.

Articulus III

De obligatione sequendi conscientiam [1].

Summa rerum. *In. nn.* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, *enuntiantur et probantur theses.* 9. *Breviter exponuntur systemata.* 10. *Probatur probabilismus.*

Quae hac de re in Ethica disputari solent sequentibus propositionibus apte continentur.

1. I.ª *Conscientia legitime praecipiens aut prohibens vim obligandi habet.*

Propositio est communis et cuique obvia. Conscientia namque, ut saepe diximus, est applicatio legis aeternae quae certe non obligat nisi per conscientiam manifestetur; «sicut in corporalibus, inquit ***D. Th.,*** agens corporale non agit nisi per contactum ita et in spiritualibus praeceptum non ligat nisi per scientiam. Ita eadem virtus est qua praeceptum ligat et qua conscientia ligat, cum praeceptum non liget nisi per virtutem scientiae, nec scientia nisi per virtutem praecepti. Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiae ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi praecepti divini» [2]. Ex quo sequitur unam eamdemque et indivisam esse obligationem conscientiae et legis aeternae, eamque praevalere omni praecepto humano ipsi opposito. Ad rem ***S. Th.*** «Comparare, inquit, ligamen conscientiae ad ligamen quod est ex praecepto praelati non est aliud quam comparare ligamen praecepti divini ad ligamen praecepti praelati: unde cum praeceptum divinum obligat contra praeceptum praelati, conscientiae ligamen erit majus quam ligamen praecepti praelati» [3]. Hanc vim obligatoriam conscientiae negat ***Renouvier*** asserens in praesenti rerum statu, eo quod plures homines non adimplent officia moralia, alios non teneri ad exequenda conscientiae dictamina.

2. II.ª *Homo semper debet agere cum conscientia certa de honestate actionis.*

Etenim homo, quoties deliberate agit, debet prudenter agere; atqui

---

1 Cfr. Raphael a S. Joseph, loc. cit.; Christianus Pesch, *Praelect. Dogmat., De Deo fine ultimo*, Tract. II, sect. III, a. 3; Jan. Bucceroni, *Institut. Theolog. Mor., vol.* I, n. 99, et sqq.; Muller, lib. I, Tract. III, c. II, § 71 et sqq.; Lehmkuhl, *Theologia Mor.*, vol. I, n. 41 et seqq.; Ejusdem Auct. Opusc. *Probabilismus vindicatus;* Meyer, lib. IV, c. I. a. 1 et 2; Bouquillon, p. II, sect. III, c. I et II; Wirceburg., Tract. de act. hum. c. IV; Bautain, *La conscience ou la règle des actions humaines* (Paris 1869); Cipriano Arribas, O. S. A. *Estudio crítico sobre el probabilismo moderado* (Barcelona 1909).

2 *De Verit.*, q. XVII, a. 3.

3 ib. a. 4.

imprudenter operaretur qui non esset certus de honestate actionis ponendae, sese quippe exponeret periculo formaliter peccandi, cum dubius sit an operatio illa avertat necne ipsum ab ultimo fine, sicut prudens non esset qui rationabiliter dubitans an talis cibus venenum necne contineat absque necessitate et sufficienti examine cibum sumeret. Ergo homo, quoties ut homo agit, agere debet cum conscientia certa de honestate actionis. Et ideo

3. III.ª *Dictamen conscientiae certe aliquid ut prohibitum vel praeceptum denuntians sequi unusquisque tenetur;* quia conscientia certa est ipsa lex certo nobis cognita et ad casus particulares applicata; sed voluntas est potentia caeca; ergo tenetur sequi hanc legem cognitam ut certam, quae ipsam devincit. Hinc *S. Thomas* absolute pronuntiat «quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione sive recta sive errante semper est mala»[1]. Hoc non obstat quominus quis ad efformandam conscientiam alios consulat, nec ob id propriam abdicat conscientiam, ut quidam *rationalistae* insipienter inferunt.

4. IV.ª *Conscientia invincibiliter errans, si praecipiat aut prohibeat, obstringit ut sibi obediatur, si permittat, eximit a peccato.*

Ratio est eadem. Judicium enim ultimum conscientiae invincibiliter errantis habetur ut verum et inconcussum et conforme regulae immediatae operationis humanae; ergo judicium hoc, utpote ultimum, a voluntate recusari nequit; ipsi ergo, licet erronee praecipienti aut prohibenti, obediendum est. Accipitur enim ab homine ut ipsa lex Dei; et ideo ab ipso recedere est recedere a lege Dei aeterna. Apposite *S. Th.* *Si aliquis crederet quod praeceptum proconsulis esset praeceptum imperatoris, contemnendo praeceptum proconsulis, contemneret praeceptum imperatoris*[2].

5. V.ª *Nec contra nec secundum conscientiam vincibiliter errantem operari licet. Non contra;* quia omne quod non est *ex fide* peccatum est; conscientia enim licet errans est regula et dux voluntatis, in cujus potestate non est recedere a dictamine rationis practicae, sed tenetur eum amplecti: *non licet operari secundum illam,* quia error est voluntarius et ipsum sequens voluntarie deviat a lege; ergo «agens ex conscientia vincibiliter erronea nunquam excusatur», ait *D. Th.* Nec ob id necessario perplexus haeret homo: nam haec necessitas est hypothetica, ipsi indirecte voluntaria, quia potest ab errore recedere[3].

6. VI.ª Item, *qui agit cum conscientia vincibiliter perplexa peccat utramvis contradictionis partem seligat:* ergo debet illam, antequam ope-

1 I-II, q. XIX, a. 5.
2 ib. ad 2.
3 ib. a. 6 ad 3.

retur, deponere, quod si deponere nequeat eligat quod minus malum apparet. Si *vero conscientia sit invincibiliter perplexa non peccat eligendo quamcumque contradictionis partem:* «quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem? Caveri igitur potest», ait ***Augustinus***[1].

7. VII.ª *Nunquam licet operari cum conscientia practice dubia.* Patet ex II.ª prop. Insuper, ultimum judicium practicum seu dictamen conscientiae est regula et mensura actuum humanorum; mensura autem et regula debet esse certa, alioquin per aliud certum foret mensuranda et regulanda.

8. VIII.ª *Licet tamen operari cum conscientia speculative dubia, dummodo certa practice evadat ope alicujus principii reflexi,* quo dubium deponatur. Hujusmodi principia plura afferri solent. Inter alia: *Lex dubia non obligat.—In dubio melior est conditio possidentis.—In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.—In dubio standum est pro valore actus.—In dubio favendum est reo* et alia permulta. His autem adjutus potest quis dubium negativum deponere et certam efformare conscientiam, hoc modo v. gr.: Lex dubia non obligat; atqui nunc in praesenti casu habemus legem dubiam; ergo non obligat; in quo quidem syllogismo indirecto conclusio est certa, quia praemissae ex quibus eruitur sunt etiam certae.

9. Contingere tamen potest quod, adhibita sufficienti diligentia et non exiguo labore, dubium removeri nequeat, sed sententia, tam affirmans legis existentiam quam negans, sit probabilis, quia pro utraque militant rationes validae et probabiles ¿quid in casu?

a) *Tutiorismus absolutus seu Rigorismus* docet tutiorem opinionem, id est, faventem legi, semper esse amplectendam, quandiu opposita seu favens libertati non sit *moraliter certa* certitudine *directa* et *absoluta*, nullamque certitudinem ex principiis reflexis ortam admittit ut sufficientem ad recte operandum.

b) *Tutiorismus mitigatus* tenet non licere sequi opinionem stantem pro libertate contra aliam legi faventem, nisi prior illa sit *probabilissima*, seu *certa* certitudine *lata* et *imperfecta*.

c) *Probabiliorismus* existimat non licere sequi sententiam minus tutam in conflictu cum tutiori, nisi illa sit *manifeste probabilior* altera.

d) *Aequiprobabilismus* putat, in concursu duarum opinionum aeque vel fere aeque probabilium, in dubio de *legis existentia*, posse eligi sententiam faventem libertati: stante vero dubio de *legis certae cessatione*, eligendam esse opinionem legi faventem; nunquam autem licere sequi opinionem *minus probabilem* pro libertate, stante certo *probabiliori* pro lege.

1 *De liber. arbitr.*, Lib. III, c. XVIII.

e) *Probabilismus simplex* seu *moderatus* docet posse eligi sententiam faventem libertati, dummodo *vere* ac *solide probabilis* sit, tum in casu de *legis existentia*, tum de *legis certae cessatione*.

f) Denique *Laxismus* permittit sequi opinionem libertati faventem contra aliam legi faventem, etiamsi illa prior sit tantum *tenuiter* et *dubie probabilis*[1].

10. In hac sententiarum varietate *probabilismum*, uti veriorem et communiorem, defendimus. Sententiae primo et ultimo loco recensitae ab Ecclesia proscriptae sunt.

Probari potest nostra sententia omni argumentorum genere; verum hic ratione tantum est procedendum. Et quidem argumentum rationis certum atque inconcussum erit, inquit clar. ***Auctor C. N.*** saepius laudatus, si haec, quae ineluctabilem syllogismum conficiunt, manifeste probentur: 1.°) Obligationem objective incertam non posse certam obligationem subjectivam seu formalem inducere. 2.°) Obligationem subjective incertam pro nulla haberi posse. 3.°) Obligationem revera esse objective (adeoque etiam subjective) incertam, contra quam militat opinio vere ac solide probabilis. 4.°) Veram illam probabilitatem majori probabilitate non elidi, sed posse opinionem manere vere ac solide probabilem, etiam in conspectu opinionis vere ac certe probabilioris, adeoque liceitati actionis certum fundamentum ex ea praeberi; atqui haec ita sunt, ut late demonstrat laudatus Carmelita. Videat diligens lector, nobis enim limes huic disputationi praefixus ea prosequi non sinit. Esto tamen in confirmationem nostrae sententiae brevissimum hoc argumentum.

Ad honeste operandum sufficit judicium ultimum practice certum per principia reflexa; atqui semper ac probabiliter militant pro alterutra sententia tum auctores tum rationes, contraria remanet dubia seu non certa; atqui hoc in casu conclusio redditur certa per principium ab omnibus admittendum: *Lex dubia non obligat;* vel ut dicit ***Angelicus:*** *Nemo ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti*[2]; nam, si hoc principium non est certum, tunc non licet sequi nec sententiam aeque probabilem, nec probabiliorem, quia concurrentibus opinionibus aeque probabilibus, vel etiam probabilioribus, contraria remaneret dubia seu non certa; ergo teneremur sequi tutiorismum saltem mitigatum; ergo semper ac *agitur de honestate actionis*, non de *valore* actus, licet sequi opinionem vere probabilem speculative, practice autem certam, faventem libertati.

---

1 Cfr. Farges, *La liberté et le devoir*, pag. 308.

2 *De verit.*, q. XVII, a. 3.

DISPUTATIO VI

DE

HIS QUAE CONSEQUUNTUR ACTUS HUMANOS RATIONE BONITATIS VEL MALITIAE.

Disputationis objectum. Praesens Disputatio eo tendit ut attributa, quae actum humanum in esse moris jam constitutum consequuntur, pro Ethicae coronide paucis expendantur. Et quia ex actuum humanorum repetitione virtutes et vitia generantur, nonnulla de his breviter perstringere perutile judicamus ad moralem hominis institutionem. Bipartita igitur erit haec ultima Disputatio.

QUAESTIO I

DE ATTRIBUTIS ACTUS MORALIS.

Quaestionis materia. Ajente *Angelico Praeceptore,* «actus bonus vel malus habet rationem *laudabilis* vel *culpabilis* secundum quod est in potestate voluntatis; rationem *rectitudinis* vel *peccati* secundum ordinem ad finem [1]; rationem vero *meriti* et *demeriti* secundum retributionem justitiae ad alterum» [2]. Ergo tres sunt affectiones seu attributa generalia actus humani, secundum triplicem ipsius considerationem seu ordinem, scilicet: ad finem in quem dirigitur, ad liberum arbitrium a quo efficienter producitur, et ad aliam personam in cujus gratiam vel injuriam vergit. Primus ergo articulus erit de *rectitudine et peccato,* alter de *imputabilitate,* et tertius de *merito* et *demerito.*

---

1 Cfr. Salmantic., Tract. XIII, ad q. XXI, a. I D. Th., Philippus a SS. Trinitate, in I-II D. Thomae, Tract. II, Disp. V, et sqq.; Zigliara, *Ethica,* lib. II, c. II, a. 3; Taparelli, *Ensayo de Derecho Nat.,* lib. I, c. VI.

2 I-II, q. XXI, a. 3.

Articulus I

Utrum actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habeat rationem rectitudinis vel peccati.

Summa rerum. 1. *Relatio inter malum, peccatum et culpam.—Quotuplex est malum.* 2. *Peccati natura.* 3. *Notandum.—Repugnat peccatum pure philosophicum.* 4. *Peccatum mortale et veniale.* 5. Thesis. *Actus humanus ex eo quod est bonus vel malus habet rationem rectitudinis vel peccati.* Prob.

1. **Malum, peccatum et culpa.** Tria haec ad invicem distinguuntur sicut magis et minus universale. Nam malum latius patet quam peccatum; peccatum vero latius quam culpa. Quaelibet enim privatio boni constituit rationem mali; sed peccatum proprie consistit in actu qui agitur propter finem aliquem cum non habet debitum ordinem ad finem illum [1]. Culpabilis vero dicitur actus devians a recta ratione ex eo quod imputatur agenti. Sicut ergo bonum in plus est quam rectum, ajente *S. Thoma,* malum in plus est quam peccatum. Malum enim dividitur in *malum naturae,* seu malum *physicum,* et malum *morale* seu *culpae;* illud est privatio entitatis debitae, sicut malum est homini carere oculo, manu etc.; malum vero morale consistit in discrepantia alicujus actionis humanae a recta ratione, seu in privatione ordinis ad praescriptas regulas morum, et a Theologis vocatur *peccatum.*

2. Peccatum ergo, quod proprie nominat actum, implicat deordinationem a fine. Verum actus humanus non privaretur debito ordine ad finem si esset recta ratione et lege aeterna regulatus; artifex enim qui secundum regulam operatur non deviat ab arte nec a fine; et idcirco Deus, qui est sua ipsamet regula, deficere in operando nunquam potest, et ita nec peccare. Cum igitur homo deviat a regula separatur a fine et operatio ejus debita rectitudine privatur; et quia ultimus finis hominis Deus est, peccatum continet aliquam deordinationem vel aversionem a Deo. Est igitur *peccatum,* juxta ***Augustini*** definitionem, *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam Dei* [2].

Alibi hanc alteram definitionem praebet ***Augustinus:*** *Peccatum est, spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhaerere.* Juxta alios, est *actio*

---

1 D. Th., I-II, q. XXI, a. 1.

2 *Contra Faust.*, c. XXVII; Cfr. S. Thomas egregie exponens August. definitionem loc. cit. q. LXXI, a. 6.

vel *omissio voluntaria contra legem divinam;* vel, *libera legis aeternae transgressio.*

3. **Notandum.** Ex quibus et similibus definitionibus constat peccatum primo et principaliter desumi per formalem oppositionem ad legem aeternam, quae est prima regula, seu per deviationem a fine ultimo, quia, etsi quaelibet actio vel omissio contra legem humanam rectamque rationem dicatur peccatum, peccati tamen rationem non induit nisi quatenus involvit in se transgressionem legis aeternae; et ideo omne peccatum natura sua secum fert inobedientiam in omnibus Deo debitam et virtualem saltem contemptum auctoritatis divinae ob transgressionem praedictam legis aeternae et aversionem ab ultimo fine. Repugnat ergo peccatum pure philosophicum.

4. Si peccatum simpliciter avertit hominem ab ultimo fine, vocatur *mortale;* si vero non dissolvit amicitiam cum Deo nec ab eo simpliciter avertit, *veniale,* quia non tollit ordinem ad ultimum finem, nec simpliciter praefert objectum quod divinae legi repugnat [1]. Unde sapienter advertit ***Angelicus*** «quod divisio peccati in veniale et mortale non est divisio generis in species, quae aequaliter participant rationem generis, sed analogi in ea de quibus praedicatur secundum prius et posterius, et ideo *perfecta ratio peccati,* quam ***Augustinus*** ponit, *convenit peccato mortali.* Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale» [2].

5. **Thesis. Actus humanus, ex eo quod est bonus vel malus, habet rationem rectitudinis vel peccati.**

Probatur

Quandocumque enim, scribit ***Angelicus,*** actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis et legis aeternae, tunc actus est rectus; quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Manifestum est autem ex praemissis, quod omnis actus voluntarius est malus per hoc quod recedit ab ordine rationis et legis aeternae: et omnis actus bonus concordat rationi et legi aeternae. Unde sequitur quod actus humanus, ex hoc quod est bonus vel malus, habeat rationem rectitudinis vel peccati» [3].

---

1 D. Th. ib. q. LXXXVIII a. 2.
2 ib. a. 1 ad 1.
3 ib. q. XXI a. 1.

Articulus II.

De imputabilitate actus humani[1].

Summa rerum. 1. *Communis ratio imputabilitatis.* 2. *Duplex imputabilitas.* 3. *Quae imputari possunt.—Propria definitio imputabilitatis.* 4. *Quid requiritur ad malitiam et bonitatem actus imputandam.* 5. *Nomina quibus designatur judicium elicitum de actionibus imputatis.* 6. Thesis. *Actiones morales homini, cujus sunt, imputantur.*—Prob. *ratione S. Thomae.* 7. *Deterministae.—Schola psychiatra et anthropologica.*

1. **Natura imputabilitatis.** Plura de his demonstrata dedimus cum de voluntario et involuntario: ab hac igitur quaestione nos breviter expediemus.

Imputare aliquid alicui idem est ac illud eidem adscribere. Unde imputabilitas est *proprietas actionis (objective), vel judicium mentis (subjective), quo aliquid alicui tanquam auctori tribuitur.* Ex hac communi ratione colligitur eam differe a *moralitate,* quia licet utraque consistat in relatione quadam intrinseca, tamen moralitas dicit relationem ad finem, imputabilitas vero ad principium internum, idcirco exhibent diversos conceptus. Hinc libertas est tantum conditio requisita ad moralitatem, dum formalis ratio imputabilitatis consistit in ipsa actionis libertate. *Tunc enim actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius ita quod habeat dominium sui actus,* inquit ***D. Thomas***[2]. Unde qui probat se necessitate fecisse aliquid vel actionem omisisse liber a culpa et reatu pronuntiatur.

2. Imputabilitas est duplex; *naturalis* scilicet, ad quam sufficit libertas ipsa physica, et *moralis,* quae, praeter libertatem, supponit vel exigit obligationem agendi vel omittendi: quare in naturali solum imputatur actio, in altera vero etiam bonitas et malitia actus vel omissionis: *Non enim omnis qui causa alienae mortis est, reus est,* dicit ***Augustinus,*** neque *navis submersio, quae per absentiam gubernatoris con-*

---

1 Cfr. D. Thomas I-II, q. cit.; Salmantic. in art. 2 ejusdem quaest.; Liberatore, *Ethica,* c. II, a. 5; Meyer, *Jus Nat.,* lib. II, c. II, a. 1, § 1 et 2; Costa Rossetti, p. I, c. IV, § 2; P. Vallet, *Praelectiones Philosophicae* (Paris. 1880) *Ethica Gener.* c. IV, a. 1; Bautain, *Philos. morale,* chap. III; T. Cámara, *Determinismo. La antropologia criminal juridica y la libertad;* Dalmau y Gratacós, *Etica,* n. 32 y ss.; Fernández Concha, *El Hombre en el orden psicológ.,* I, p. Trat. III, c. II, § 7.; Farges, *Ethic. Gen.,* lib. II; c. IV, a. 1; J. de Bie, *Ethica Gen.,* c. III, a 5, § 1.

2 q. XXI. a. 2.

tingeret, imputaretur ei ad culpam, si non esset ei commissa gubernatio navis, addit ***Angelicus***[1].

3. **Quae imputari possunt.** Imputabilitas respicit tum actionem omissionemve, tum causam et effectus inde sequuturos: verbo, id omne quod ab agente libero procedit. Ab agente vero dupliciter aliquid procedit: vel in *quantum est agens,* sicut calefactio a calore, vel *ex hoc ipso quod non agit,* sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore in quantum desistit a gubernando. Presse ergo imputabilitas definiri potest ex dictis: *Proprietas, attributum, seu relatio, vi cujus actio vel omissio ejus, vel effectus inde sequuturi alicui tribuuntur tanquam proprio auctori et domino.* Est autem dominus suarum operationum per libertatem; igitur quidquid tollit, minuit, vel auget in actu liberum, tollit, minuit, vel auget illius imputabilitatem. Hanc imputabilitatis notionem consequitur *responsabilitas* (detur venia verbo), quae, praeter imputabilitatem, quam supponit, implicat ordinem ad alterum auctoritatem habentem actiones nostras judicandi imponendique pro eis praemium vel poenam.

4. **Diversa ratio imputabilitatis in bonis et malis actibus.** Uti jam alibi insinuavimus, ut imputetur *malitia* actus, sufficit ut quis ad eam advertat, quoniam si malum advertat, cum illud respuere teneatur, censetur velle dum ab eo non declinat. Ad *bonitatem* vero actus imputandam requiritur quod eam aliquo modo intendat, nec sufficit ut ad eam advertat, quia non censetur *positive* volita quin ponatur actus voluntatis circa illam.

5. Judicium quod efformatur de bonitate alicujus actionis imputatae vocatur *aestimatio, laus, honor vel gloria,* judicium vero de malitia alicui imputata, *reprobatio, contemptus, vituperium, dedecus* vel *infamia* dicitur. Haec imputabilitatem consequuntur.

6. **Thesis.** **Actiones morales homini, cujus sunt, imputantur:** vel, ut dicit *S. Thomas:* **Actus humanus, ex hoc quod est bonus vel malus, habet rationem culpabilis vel laudabilis.**

Probatur uno S. Doctoris articulo. Dicendum quod sicut malum est in plus quam peccatum, ita peccatum est in plus quam culpa; ex hoc enim dicitur actus culpabilis vel laudabilis, quod imputatur agenti; nihil enim est aliud laudari vel culpari quam imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actus. Tunc autem actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui

1 q. VI, a. 3.

actus. Hoc autem est in omnibus actibus voluntariis, quia per voluntatem homo dominium sui actus habet, ut ex supradictis patet. Unde relinquitur quod bonum vel malum in solis actibus voluntariis constituit rationem laudis vel culpae, in *quibus idem est malum, peccatum et culpa* [1].

7. **Scholion.** Haec conclusio directe agit contra novissimam scholam *anthropologicam* et *psychiatram* identificantes delicta humana cum statibus anormalibus physico-organicis delinquentis [2]; generatim vero contra antiquos et recentes *deterministas* absolventes omnes criminales a reatu culpae et poenae, utpote fatali quadam et ineluctabili propensione adacti ad crimina patranda [3], ut ipsi ajunt. Sed imputabilitas est *naturalis sequela* libertatis; ergo aut imputandae sunt actiones homini, cujus sunt, aut, sensu intimo et universo genere humano reclamante, neganda est libertas, quam tamen, ajente *S. Aug., cantant in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis, et in orbe terrarum genus humanum* [4].

Articulus III

De merito et demerito [5].

Summa rerum. 1. *Diversae meriti acceptiones.* 2. *Meriti natura.* 3. *Qua ratione ab aliis duobus attributis differat.* 4. *Fundamentum meriti.* 5. *Divisiones.* 6. *Cui proprie conveniat ratio meriti.* 7. *Conditiones ad meritum.* 8. *Relationes meriti et praemii—quae meritum augeant.* 9. Thesis I. *Homo actibus suis meretur vel demeretur apud alios homines.* Prob. 10. Thesis II. *Actus humanus in quantum est bonus vel malus habet rationem meriti vel demeriti apud Deum.—Praenotanda.* 11. *Ostenditur thesis duplici ratione.* 12. *Corollaria.* 13. *Dices.* 14. *Cujus generis sit praemium vel poena merito vel demerito debita.*

1. **Nomen meriti** in servitiis et in operibus laboriosis est inventum: est enim mereri quasi ad mercedem ire, unde et dicuntur mercenarii qui sti-

1 ib. a. 2.

2 Cfr. A. Gemelli, *Psicopatia et moralità*, *Rivista di Filos. Neo-Scolastica*, Junio 1912.

3 «Es una utopia la responsabilidad moral; porque los hombres delinquen ó por fatalismo orgánico, ó por fatalismo del medio, ó por una desdichada conjunción de ambos». Ricardo Mella, *De la responsabilidad*, en el Almanaque de la *Revista Blanca* de Madrid (publicación anarquista).

4 *De duab. anim.*, c. II.

5 Cfr. D. Thomas, I-II, q. XXI, a. 3 et 4; II *Sent. Dist.* XL, a. 5; I-II, q. CXIV; *Theologi communiter* in hanc q. D. Th., ut Salmantic., Tract. XVI, Disp. I-II; Paulus a

pendii gratia operas suas aliis praestant. Translatum tamen est ad significandum 1) quamlibet consecutionem rei, uti canit Ecclesia cum *S. Aug.*: *Felix culpa quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem;* 2) dispositionem ad aliquid admittendum aut recipiendum, ita dicitur: haec pictura meretur videri [1]; 3) idoneitatem ad aliquod officium; dicitur v. gr.: Hic meretur Episcopatum accipere; 4) opus cui debetur retributio ex justitia, quo modo comprehendit opus bonum, cui debetur praemium, et malum, quod meretur supplicium; 5) denique nomen meriti proprie significat *opus bonum praemio seu retributione dignum* [2].

2. **Explicatur meriti natura.** Meritum et demeritum sunt altera proprietas actus humani enascens ex ejusdem ordine sive relatione ad alteram personam; possumus enim agere in nocumentum vel utilitatem alterius; ex quo profluit ordo sive exigentia operis ad retributionem quae fit secundum justitiam. «*Meritum* enim et *merces,* inquit ***Angelicus,*** ad idem referuntur. Id enim *merces* dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius. Unde, sicut reddere justum pretium pro re recepta ab aliquo est actus justitiae, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus justitiae» [3]. Meritum ergo vel demeritum proprie dictum non est *opus bonum vel malum,* prout communiter solet definiri, sed est *jus aliquod ad retributionem enascens ex opere bono vel malo libere facto in commodum vel nocumentum alterius.* Meritum quippe considerari potest in *actu primo,* cum spectatur scilicet valor intrinsecus seu dignitas actionis ad obtinendam mercedem; et in *actu secundo,* id est, exigentia actualis praemii; illud ad essentiam meriti pertinet, posterior consideratio subsequitur essentiam constitutam.

3. Ex quibus clare constat meritum differre ab aliis duabus affectionibus actus humani 1.°, *per proprium relationis terminum,* qui est altera persona etiam in illis actibus qui ad seipsum referri videntur; nam, ajente *S. Thoma,* quandoque actus hominis boni vel mali, licet non ordinentur ad bonum vel malum *alterius singularis personae,* tamen ordinantur ad

---

Concept., Tract. XIV, Disp. II; Gabriel a S. Vincent., *Tractatus de gratia, justificatione et merito,* (Romae 1658) Tract. III; Suarez, *De Gratia,* lib. XII. c. 1 et sqq.; Bellarminus, *de Justificatione,* lib. V. c. I et sqq.; Inter philosophos, Meyer, loc. cit. a. 2; Mendive, *Ethic. Gen.* c. 3, a. 2, § 1-2; González, *Ethica Gener.* c. II, a. 2; Signoriello, *Ethica,* c. III, a. 7; Zigliara, loc. cit.; Arendt, *Filos. Mor.,* c. III, § 7, n. 58-59; Taparelli, *Curso Elem.,* n. 72; P. Vallet, loc. cit. a. 2; Dalmau y Gratacós, *Etica.* n. 52-54.

1 «Mereri, inquit D. Th., dupliciter accipitur. Uno modo *proprie,* et sic nihil aliud est quam facere aliquam actionem unde aliquis sibi juste acquirat mercedem. Alio modo *improprie;* et sic quaelibet conditio quae facit hominem aliquo modo dignum, meritum dicitur» *De virtut.* q. I, a. 1 ad 2.

2 Salmantic., loc. cit.. *Praeloquium;* P. Raphael a S. Joseph, loc cit.

3 I-II, q. CXIV, a. 1.

bonum vel malum *alterius* quod est *ipsa communitas*; 2.° *per suam habitudinem ad libertatem; moralitas* namque, seu rectitudo actus, ordinem dicit ad libertatem ut ad conditionem necessariam; *imputabilitas* eam respicit ut proprium terminum, et ex ea oritur tanquam a causa adaequata et formali; meritum vero et demeritum ex ea nascitur velut a concausa formali.

4. **Fundamentum meriti.** Meritum fundatur in quadam proportione vel aequalitate inter entia rationalia servanda; justitiae enim ordo petit aequalitatem; quamobrem quoties aliquis actiones suas ordinat in alterius emolumentum, cum minus habeat quam debet habere, necesse est ut inaequalitas inde resultans per *legem compensationis* reparetur, sicut ordo naturae proportionem quantitativam rerum expostulans, semper tendit ad illam reparandam per compensationem materiae; nam in perpetuo rerum fluxu ad ordinem dynamicum conservandum lex v. gr. aequilibrii, ad ordinem aestheticum lex symmetriae ordinatur; utraque enim ad efficiendam conservandamque in hoc adspectabili mundo proportionem partium ad invicem et ad totum spectant. Pari ergo modo, in continuo motu libertatis vitaeque humanae commercio necesse est ut unum per aliud compensetur, quod fit per mercedem merito debitam [1].

5. **Meriti divisiones.** Meritum est duplex: aliud nempe de *condigno*, aliud de *congruo*. Meritum de condigno est *exigentia operis cujus valor aequat valorem praemii et cui debetur praemium ex justitia*. Dividitur in meritum de condigno ex *toto rigore justitiae*, quod alii *essentiale* seu *excellentiae* vocant, et est ordo operis ad praemium ex justitia excludens omnem gratiam factam personae merenti a praemiante, et in meritum de condigno *ex condignitate* seu *participatum*, quod importat quidem valorem praemio aequalem, sed *supponit aliquam gratiam in merente ipsi a praemiante concessam*.

Meritum de *congruo*, quod etiam *secundum quid* appellatur, est *illud quod non habet aequalitatem ad id quod ejus intuitu datur*, et cui proinde non debetur praemium ex justitia, sed ex liberalitate, decentia vel amicitia praemiantis. Hoc item est *fallibile* vel *infallibile*, prout supponat necne infallibilem dantis promissionem. Quidam autem meritum cui debetur praemium ex *fidelitate*, quando adest nempe infallibilis promissio ex parte praemiantis, revocant ad meritum de *condigno;* meritum vero de *congruo* dicunt cui debetur praemium ex *mera decentia*, non ex justitia aut fidelitate.

---

1 Cfr. Dalmau y Gratacós, *Etica*, n. 53.

6. Naturam meriti de congruo et de condigno breviter pandit *S. Thomas,* inquiens: «Dicitur aliquis mereri ex condigno quando invenitur aequalitas inter praemium et meritum secundum rectam aestimationem: ex congruo autem tantum quando talis aequalitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem donantis munus tribuitur quod dantem decet»[1]. Patet igitur meritum de condigno esse meritum *simpliciter,* quia fundatur in ratione justitiae; meritum autem de congruo, fundatum solummodo in liberalitate donantis, esse meritum *secundum quid;* ergo non ex aequo participant rationem meriti.

7. **Conditiones ad meritum requisitae.** Quinque communiter recensentur: 1.ª ut *actio sit libera;* id patet ex conceptu moralitatis et imputabilitatis, quem meritum praesupponit. Ad demeritum autem minor requiritur voluntarietas quam ad meritum; plus enim requiritur, juxta dicta, ut opus bonum imputetur agenti quam malum, ergo plus exigitur ad meritum quam ad demeritum. 2.ª ut *actio sit bona* et non indifferens tantum; praemium enim non rependitur nisi pro bono opere exigentiam habente ad retributionem. Opus autem malum non praemium sed poenam meretur: actio vero indifferens in individuo non datur. 3.ª *ut fiat in obsequium alterius,* vel cedat in emolumentum ipsius; nam meritum, sicut justitia, non est ad seipsum, sed ad alterum; nec merces posset a praemiante repeti quin actio vergeret in commodum ipsius. 4.ª quod *actio meritoria non sit debita ex peculiari contractu:* quia si poneretur vi alicujus contractus specialis, seu titulo aliquo particulari, justitia seu aequalitas, ad cujus conservationem inducitur meritum in actionibus ultroneis, ipsa actione poneretur, nec daretur locus ulteriori retributioni. Haud tamen requiritur quod actio careat omni officio aut obligatione; nam etsi officium aliquod generale, commune, quo homo adstringatur ad actionem ponendam, existat, dummodo non sit speciale, actione sua mereri potest. Ita v. gr. omnes amore, gratitudine, patriae devincimur; qui tamen voluntarie servitio militari pro patriae defensione in incursione hostili mancipantur mercedem merentur. Imo etiamsi actio ponatur ex peculiari titulo jam debito, si fiat accurate, solerter, modo ultra ordinario, potest esse meritoria, non quoad substantiam, sed ratione modi: et in hoc fundantur munera supererogatoria. 5.ª *quod actio a praemiante acceptetur ad praemium sive implicite sive explicite,* saltem ad hoc ut detur meritum in actu secundo, seu ut praemium ex justitia repeti possit: vel, ut alii dicunt, requiritur ordinatio seu promissio et pactum sive tacitum sive expressum praemiantis referentis bonum opus ad praemium; nullus enim ex justitia obligari potest ad dandam

1 II *Sent.,* Dist. XXVII. q. I. a. 3.

mercedem, si ipse nullatenus promisit opus acceptare et mercedem rependere, nec qui actionem ponit jus habet praemium exigendi dummodo pactum aliquod non praecesserit inter ipsum et praemiantem, eo modo quo, operarius sponte in agro alieno laborans, quin a domino conductus esset, strictum jus ad stipendium nullatenus haberet; opus quidem sive labor intrinsecum valorem et proportionem servat cum praemio, sed hoc actu exigi non potest, defectu hujus postremae conditionis.

8. Ex dictis facile intelligitur *a) quae sit habitudo inter praemium et meritum,* quam paucis exprimit *D. Th.* «Meritum, inquit, est causa praemii, non quidem per modum finalis causae; sic enim magis praemium est causa meriti, sed magis secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit dignum praemio et per hoc ad praemium disponit»[1]: *b) quae meritum augeant.* Et 1) quidem *operis excellentia;* quo enim praestantius invenitur opus in obsequium alterius praestitum, major est operis valor. Praestantia autem operis desumi potest ex *objecto formali* et ex circumstantiis, v. gr. ex *quantitate,* ut in eleemosyna largienda, ex *difficultate,* uti in tentationibus superandis, *ex loco* quemadmodum in publica precum recitatione etc.: 2) *operis libertas,* quo enim libentius et majori voluntate hilarique animo fiat, augetur bonitas moralis actus aestimatioque in praemiante: 3) *major operis intensitas,* quia supponit majorem affectum et voluntatem: 4) *diuturnitas ejusdem,* nam, ceteris paribus, majus est obsequium ejus qui in commodum praemiantis laborat per integrum diem quam qui per horam solummodo: 5) *dignitas personae merentis;* a subjecto namque mensuratur valor satisfactionis et meriti, sicut e contra gravitas culpae a persona offensa; et 6) *finis operantis,* motivum enim maxime influit in opus; ergo et in augmentum meriti.

9. **Thesis I. Homo actibus suis bonis vel malis vere meretur aut demeretur apud alios homines.**

Prob.

«Meritum et demeritum dicuntur, inquit ***Aquinas,*** in ordine ad retributionem, quae fit secundum justitiam; retributio autem secundum justitiam fit alicui, ex eo quod agit in profectum vel nocumentum alterius». Atqui homo in omnibus suis actibus bonis vel malis, qui ex speciali contractu non ponuntur, agit in profectum vel nocumentum alterius, ergo homo actibus suis bonis vel malis meretur aut demeretur apud alios homines.

Minor probatur. Actiones humanae sunt duplicis generis, quaedam

1 *De Verit.* q. XXIX, a. 6.

scilicet omnino privatae; aliae quae directe vergunt in bonum vel malum societatis; sed in his omnibus homo agit in damnum vel commodum alterius; diversimode tamen, prout egregie explicat *Angelicus.* Ergo...

En tanti *Doctoris* verba. «Unusquisque in aliqua societate vivens est aliquo modo pars et membrum totius societatis. Quicumque ergo agit in bonum vel malum alicujus in societate existentis hoc redundat in totam societatem, sicut qui laedit manum per consequens laedit hominem. Cum ergo aliquis agit in bonum vel malum alterius singularis personae, cadit ibi dupliciter ratio meriti vel demeriti: *uno modo,* secundum quod debetur ei retributio a singulari persona, quam juvat vel offendit; *alio modo,* secundum quod debetur ei retributio a toto collegio.

Quando vero aliquis ordinat actum suum directe in bonum vel malum totius collegii, debetur ei retributio primo quidem et principaliter a toto collegio, secundario vero ab omnibus collegii partibus.

Cum vero aliquis agit quod in bonum proprium vel malum vergit etiam debetur ei retributio, in quantum etiam hoc vergit in commune, secundum quod ipse est pars collegii: licet non debeatur ei retributio in quantum est bonum vel malum singularis personae, quae est eadem agenti, nisi forte a seipso, secundum quamdam similitudinem, prout est justitia hominis ad seipsum»[1].

10. Thesis II. Actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habet rationem meriti vel demeriti apud Deum.

Ante probationem notandum venit *a)* hanc nostram conclusionem esse contra Protestantes praesertim, qui meritum non concipiunt si opus non est totaliter *indebitum,* omnino *proprium,* ita ut persona suum vocare possit, et praemio *aequale,* adeo ut merces ex justitia, non vero ex promissione, detur; sed, inquiunt, homo nihil habet quod non accipiat, quidquid Deo praestare potest Deo debitum est pluribus titulis, et opus nullatenus praemio respondet, quia nulla est inter ea proportio aequalitatis; ergo repugnat meritum hominis apud Deum: *b)* justitiam aliam esse *stricte* talem, quae non existit nisi inter duas personas invicem independentes, et haec certe non datur inter Deum et hominem: aliam *latam* dictam, quaeque abstrahit ab aequalitate personarum et jurium, et tunc datur cum aliqua persona sponte acceptat ut retributione dignum id quod ab altera offertur, licet aliquo titulo ipsi debitum sit[2]: *c)* meritum hominis apud Deum non esse ex stricta justitia, sed ex promissione divina, vel, ut loquitur *S. Thomas,* secundum *praesuppositionem divinae ordinationis* elevantis opera hominis ad praemium: *d)* hoc supposito, non requiri quod opus sit omnino indebitum et totaliter

1 q. XXI, a. 3. Cfr. ib. ad 2.

2 Lege S. Thomam, ib. q. CXIV, a. 1 rem perspicue declarantem.

proprium; nam, praeter quam quod sufficit quod opus non ponatur ex contractu speciali, ut supra cum de conditionibus ad meritum dictum est, nihil obstat quominus homo mereatur etiam in operibus debitis: *Homo, in quantum propria voluntate facit illud quod debet, meretur, alioquin actus justitiae, quo quis reddit debitum, non esset meritorius* [1]; ergo etiam in opere de praecepto meritum inveniri potest, quia per divinam promissionem praeceptum vel prohibitum est sub meriti conditione: *e)* id quod homo Deo pro acceptis beneficiis reddere tenetur et libere reddit non ita esse Dei ut non sit etiam hominis et suum vocare possit: *f)* ex promissione divina praemiandi opera nostra oriri obligationem justitiae latae dictae vel fidelitatis in Deo, qua tenetur mercedem pro merito reddere. Hisce praenotatis,

11. **Probatur thesis.** Actus alicujus hominis habet rationem meriti vel demeriti secundum quod ordinantur ad alterum, vel ratione ejus, vel ratione communitatis; atqui utroque modo operationes humanae ordinantur ad Deum; ergo actus nostri boni vel mali habent rationem meriti vel demeriti apud Deum.

Ratione ipsius. Deus est ultimus finis actionum humanarum; atqui debitum est ut ad finem ultimum omnes actus referantur; ergo qui facit actum malum non referibilem in Deum non servat honorem qui ultimo fini debetur, et ideo demeretur; qui autem refert actum suum in gloriam Dei apud ipsum meretur.

Ratione totius communitatis universi. Deus est rector et gubernator totius universi et specialiter rationalium creaturarum; sed in qualibet communitate ille qui regit communitatem praecipue habet curam boni communis; ergo ad eum pertinet retribuere pro his quae bene vel male fiunt in communitate [2].

12. **Corollarium primum.** Meritum autem nostrum apud Deum, ut ex supradictis constat, est de *congruo,* vel de *condigno ex condignitate,* non autem de condigno ex *toto rigore justitiae,* quoniam inter Deum et hominem non datur justitia stricte dicta, quae solum existit inter aequales. Ergo Deus non obligatur ad reddendam mercedem ex justitia stricte dicta, sed ex *fidelitate.*

Corollarium alterum. Non homini, sed *sibi adstringitur,* cum promissa adimplere tenetur. «Quia actio nostra, inquit *S. Th.,* non habet rationem meriti nisi ex praesuppositione divinae ordinationis, non sequitur quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur» [3], vel, ut tradit *S. Augustinus, debitor factus est, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo* [4].

1 ib. ad 1.
2 q. XXI, a. 4.
3 q. CXIV, a. 1 ad 2.
4 *Serm.* 158.

13. **Dices.** Meritum oritur ex eo quod homo agit in profectum vel damnum alterius; sed actus bonus vel malus hominis non cedit in aliquem profectum vel damnum Dei, quoniam ipsi nihil boni aut mali creatura addere potest; ergo non datur meritum apud Deum.

Resp. dist. minor., quatenus est ex parte Dei, concedo; ex parte ipsius hominis, nego. *Effective* namque nullum bonum divinum intrinsece laeditur per actionem pravam, vel ei additur per actionem bonam; laeditur autem vel perficitur bonum divinum extrinsecum, nempe gloria Dei, quam Deus quaerit ex operibus suis; imo *affective*, et quantum est ex parte hominis, si fieri posset, destrueretur bonum divinum [1].

14. **Cujus generis sit praemium vel poena merito vel demerito debita.** Planum est ideali exigentiae meriti respondere praemium, demeriti vero poenam. Praemium autem vel poena diversa erunt pro diversitate personarum in quarum gratiam vel nocumentum operamur. Tum persona singularis, tum societas humana, cujus homo est membrum, nonnisi praemia et poenas temporales rependere potest pro bonis vel malis operibus. Deus autem, praeter bona et mala quibus in hac vita solet et bonis et malis promiscue retribuere, reddet in altera unicuique secundum opera sua ¿quae autem? non est hujus loci determinare. Id tamen abs dubio oritur ex ipsa justitiae notione, secundum quam poena debet esse culpae proportionata, sicut et merito corona. Verum *atheismus socialis* hanc justitiae exigentiam pervertit cum poenas pro libito imponit aut remittit, easque ab institutione tantum humana pendere affirmat. Aliter *S. Thomas*. «In hominibus, inquit, hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum qui contra ipsum insurgit. Manifestum est autem, quod quaecumque continentur sub aliquo ordine, sunt quodammodo unum in ordine ad principium ordinis; unde quidquid contra ordinem aliquem insurgit, consequens est, ut ab ipso ordine et a principe ordinis deprimatur.

Cum autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est quod quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit: et ideo ab ipso ordine consequens est quod deprimatur; quae quidem depressio poena est. Unde, secundum *tres ordines* quibus subditur humana voluntas, triplici poena potest homo puniri: *primo* quidem subditur humana natura ordini propriae rationis; *secundo* ordini exterioris hominis gubernantis, vel spiritualiter vel temporaliter, politice seu oeconomice; *tertio* subditur universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille, qui peccat, agit et contra rationem et contra legem humanam et contra legem divinam. Unde triplicem poenam incurrit; *unam quidem a seipso, quae est conscientiae remorsus; aliam vero ab homine; tertiam vero a Deo*» [2].

---

1 Cfr. D. Th., q. XXI, a. 4 ad 1; q. CXIV, a. 1 ad 2.

2 I-II, q. LXXXVII, a. 1.

QUAESTIO ALTERA

DE

VIRTUTIBUS ET VITIIS

Articulus I

De habitibus in genere [1]

Summa rerum. 1. *Natura habitus per definitionem explicatur.* 2. *Necessitas habituum.* 3. *Subjectum habitus.* 4. *Quomodo generantur.* 5. *An per unum actum possint aliquando generari.* 6. *Utrum et quando augeantur.* 7. *An et quomodo decrescere et perire possint.* 8. *Prima habituum divisio.*

1. **Habitus natura.** Quoniam virtus et vitium sub genere habituum continentur, nonnulla revocare juvabit ex Ontologiae fonte circa habitus operativos.

Habitus definitur a Philosopho: *Dispositio secundum quam bene vel male disponitur subjectum aut secundum se aut ad aliud;* vel potest etiam describi prout contradistinguitur ab altera specie qualitatis, quae proprie *dispositio* vocatur: *Qualitas difficile mobilis disponens subjectum ad prompte, faciliter et delectabiliter agendum.* Est ergo quid potentiae supperadditum tribuens ipsi facilitatem operandi, non enim dat *simpliciter posse,* quippe qui non est primum principium activum, sed tantum *facilius posse,* quia habitus inducitur ad reddendum agentem magis expeditum ad operandum.

2. **Sunt necessarii.** Cum enim potentiae rationales quandoque se habeant ad multa, eadem siquidem potentia se habet ad bonum et ad malum, oportet quod aliquo alio determinentur; fit autem per habitus [2]. Et ideo

3. **Possunt esse subjecta habituum** omnes potentiae quae indifferenter se habent ad plura. Nam habitus ordinantur ad perficiendas poten-

---

1 Cfr. S. Thomas, *De Verit.*, q. XX, a. 2; II *Sent.*, Dist. XXII, q. I, a. 1 et 2; I-II, q. XLIX-LV; Suarez, *Disput. Metaph.*, Disp. XLIV; Valentia, Disp. IV, q. I-VI; Joan. a S. Th., Disp. XIII; Sylvius, in I-II D. Th., q. XLIX; Satolli, *Praelectiones* in I-II, q. XLIX-LXX; Complut., in *Arist. Dialect.*, Disp. XV, q. III; Cosm. Alam., q. XIV; Hugon, *Metaph. Ontol.*, Tract. III, q. IV, a. 2.

2 ib. a. 4.

tias, ipsa autem anima secundum substantiam suam solum ordinatur ad *esse,* et ideo non est perfectibilis in sua natura nec per habitus, nec per ipsas operationes, quia ipsa anima *est forma completiva naturae humanae,* ut loquitur *S. Th.*[1], proindeque solum potentiae ordinatae ad operationem possunt esse subjectum habitus; subjectatur tamen in ipsa essentia animae gratia santificans prout ei confert *esse* supernaturale, quamvis non sit habitus operativus. Itaque habitus subjectari possunt *in potentiis sensitivis,* cum operantur ex imperio rationis et sub influxu voluntatis, quia sic ad diversa ordinari queunt. Item *in intellectu possibili,* quoniam, ut dictum est, illi competit esse subjectum habituum quod est in potentia ad multa. Et etiam *in voluntate,* ad quam habitus dicit quemdam principalem ordinem, prout habitus est *quo quis utitur cum voluerit*[2].

4. **Generantur habitus** ex repetitione actuum similium, ex eo quod actus aliquid sui relinquit in potentia per quod redditur facilior ad operandum, eo modo quo principium activum, uniformiter operando in principio passivo, derivat in eo quamdam impressionem seu sigillationem fixam et permanentem sui, cujus virtute disponitur ad similes actus producendos. Inveniuntur enim quaedam agentia in quibus, ajente ***Angelico Praeceptore,*** simul est principium activum et passivum sui actus, sicut patet in actibus humanis. Unde ex talibus actibus possunt in agentibus aliqui habitus causari, non quidem quantum ad primum activum principium, sed quantum ad principium actus quod movet motum. Nam omne quod patitur et movetur ab alio, disponitur per actum agentis. Unde ex multiplicatis actibus generatur quaedam qualitas in potentia passiva et mota, quae nominatur habitus[3].

5. **Non tamen generantur habitus communiter per unum actum** saltem *perfecte,* bene vero *inchoative.* Quoniam, ut dictum est, habitus per actum generatur in quantum potentia passiva movetur ab aliquo principio activo. Ad hoc autem quod aliqua qualitas causetur in passivo, oportet quod activum totaliter vincat passivum. Unde videmus quod quia ignis non potest totaliter vincere suum combustibile, non statim inflammat ipsum, sed paulatim adjicit contrarias dispositiones, ut sic totaliter vincens ipsum, similitudinem suam ipsi imprimat. Sed potentiae quae diversimode se habent ad multa vinci non possunt ab uno actu ut feratur in idem, ut in pluribus, per modum naturae; ergo communiter habitus non generantur per unum actum[4].

6. Sicut ex *multiplicatis actibus* generantur habitus, ita etiam *au-*

---

1 I-II, q. L. a. 2.
2 ib. a. 4.
3 ib. q. LI, a. 2.
4 ib. a. 3.

gentur, quia quo frequentius, diutius et intensius repetuntur actus, eo major facilitas causatur in potentia ad producendos similes actus. Qua in ratione augeantur breviter docet ***Angelicus.*** «Si intensio actus, inquit, proportionaliter aequetur intensioni habitus, vel etiam superexcedat, quilibet actus vel auget habitum, vel disponit ad augmentum ipsius. Si vero intensio actus proportionaliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius» [1].

Dupliciter autem crescere possunt habitus, *extensive* seu per *additionem,* quando objecta augentur et amplificantur, ut quando scientia ad plura se extendit: et *intensive,* per majorem scilicet radicationem in anima, quatenus subjectum perfectius participat formam praeexistentem, qua potest magis vel minus expedite aut prompte agere.

7. Quemadmodum generari et augeri, ita possunt ***decrescere*** et penitus *perire* habitus acquisiti. Id autem contingit dupliciter: vel *per se,* vel *per accidens.* Secundum *se* per contrarium suum; per *accidens* per corruptionem subjecti, si hoc corruptibile sit. Ita primo modo decrescunt et pereunt virtutes morales, per accidens autem scientia, non quidem ex parte intellectus, sed ex parte inferiorum virium sensitivarum, uti solet perire memoria, alteratis vel laesis organis corporis.

Praeter has causas, diminuuntur et pereunt etiam habitus per diuturnam *cessationem ab actu,* non quidem *directe* et *per se,* sed *indirecte* et *per accidens,* in quantum scilicet removetur actus qui prohibebat causas corrumpentes vel diminuentes habitum. Manifestum est enim quod habitus virtutis moralis facit hominem promptum ad eligendum medium in operationibus et passionibus. Cum autem aliquis non utitur habitu virtutis ad moderandas passiones vel operationes proprias, necesse est quod proveniant multae passiones et operationes praeter modum virtutis, ex inclinatione appetitus sensitivi et aliorum quae exterius movent. Unde corrumpitur virtus vel diminuitur per cessationem ab actu [2].

8. **Prima divisio habitus operativi,** ut patet ex definitione ***Aristotelis,*** est in bonos vel malos; boni dicuntur *virtutes,* mali autem *vitia.*

---

1 I-II, q. LII, a. 3.
2 D. Th., q. LIII, a. 3.

Articulus II

De virtutibus [1].

Quae de virtutibus *Doctores* nostri cum *Angelico Praeceptore* nos edocent, liceat lectori sub duplici paragrapho brevius proponere; de iis namque agere ad Philosophiam moralem plene spectat.

§ 1.

DE ESSENTIA, SUBJECTO ET DIVISIONE VIRTUTUM.

Summa rerum. 1. *Definitio etymologica virtutis.* 2. *Definitio realis.* 3. *Hujus definitionis rectitudo probatur.—Dantur ne virtutes passivae.* 4. *Virtutis subjectum.* 5. *Ejusdem causa;—sententiae.* 6. *Necessitas virtutum ostenditur.* 7. *Species virtutum* (infusa, acquisita, theologica, intellectualis, moralis);—*singularum descriptio. Socratis, Platonis, Kantii, Cousin, Lapie et Rensi opinio circa virtutes morales.* 8. *Virtutes cardinales;—ratio numeri quaternarii.* 9. *Definiuntur partes integrales, subjectivae et potentiales.* 10. *Describitur prudentia et assignantur partes integrales, subjectivae et potentiales.* 11. *Justitiae ejusque specierum et partium notio.* 12. *Fortitudinis natura, objectum, actus et partes.* 13. *Eadem investigantur de temperantia.* 14. *Arbor virtutum.*

1. Si fidem damus Oratori Romano, *virtus* a *viro* dicta, primum quidem *fortitudinem* designavit; translato deinceps vocabulo ad *quamlibet dotem* significandam, modo *qualitatem* denotat, qua juvamur ad recte operandum [2].

Paulo aliter *S. Thomas:* Virtus, inquit, secundum sui nominis

---

1 Cfr. D. Thomas, I-II, q. LV-LXVIII; Quaest. Disput. *De Virtut. in communi*, q. I, a. 1-13; *De virtut. cardinal.*, q. unic., a. 1-4; Viguerius, *Institut. ad Philos.*, c. V et sqq.; Valentia, Disp. V, q. VII, Punct. I-IV; Contenson, *Theolog. mentis et cordis*, lib. VIII, Diss. I, *De virtutibus generatim et singulatim;* Salmantic., Tract. XII, Disp. I-IV; Camillus Mazzella, S. J., *Praelect. Scholastico-Dogmaticae, De Virtutibus infusis* (ed. 3.ª Romae 1884) Disp. I, a. 1, § 1 et 2; Castro Alonso, *Instit. Theolog. Schol.-Dogm.* t. 4, *Tract. de Virtut.*, p. I; Goudin, *Ethica*, q. V; Joseph Saenz de Aguirre, *Disp. Ethic.*, Disp. IV; Antonius a Sp. Sancto, *Directorium Myst.*, Tract. III, Disp. II, sect. III, a. 4; Muller, Tract. IV, c. II, sect. II, § 107 et sqq.; praeterea omnes ascetae et mystici scriptores; Mich. Rosset, p. II, a. 3. § 1, sect. 1-4; F. Amat, *Ethica*, lib. III, p. I; A. Noget-Lacoudre, *Ethica*, p. III, c. I; Lottini, *Ethic. Gen.*, c. XIV.

2 «Appellata est enim a viro virtus: viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio». Tuscul., lib. II, 18.

rationem, *potentiae complementum* designat: unde et *vis* dicitur secundum quod res aliqua per potestatem completam, quam habet, potest sequi suum impetum vel motum, virtus enim secundum suum nomen potestatis perfectionem demonstrat [1].

2. Communior virtutis definitio, quam ***S. Thomas*** et post ipsum ***Scholastici*** omnes, venerandam antiquitatem reverentes, scripto tradiderunt et in Academiis explicarunt, desumitur ex ***Magno Augustino:*** *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur* [2]. Quae quidem definitio, sublata ultima particula «quam Deus in nobis sine nobis operatur», omnibus virtutibus convenit; haec enim postrema verba ad virtutem infusam definiendam pertinent.

3. **Explicatur et simul probatur definitio *S. Augusti.*** Perfecte complectitur totam rationem virtutis; ergo est recta definitio. «Perfecta ratio uniuscujusque rei, inquit *S. Th.* colligitur ex omnibus causis ejus. Comprehendit autem praedicta definitio omnes causas virtutis. Causa namque *formalis* virtutis, sicut et cujuslibet rei, accipitur ex ejus genere et differentia cum dicitur *bona qualitas;* genus enim virtutis qualitas est, differentia autem bonum. Esset tamen convenientior definitio, si, loco qualitatis, *habitus* poneretur, qui est genus propinquum. Virtus autem non habet materiam ex qua, sicut nec alia accidentia, sed habet materiam circa quam et *materiam in qua,* scilicet subjectum, (ideo ponitur *mens,* hoc est, potentiae animae, sive rationales, sive appetitivae prout subsunt rationi). Materia autem circa quam est objectum virtutis, quod non potuit in praedicta definitione poni, eo quod per objectum determinatur virtus ad speciem; hic autem assignatur definitio virtutis in communi; unde ponitur subjectum loco causae materialis, cum dicitur quod est bona qualitas *mentis. Finis* autem virtutis cum sit habitus operativus est ipsa operatio. Sed notandum quod habituum operativorum aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi: aliqui vero quandoque ad bonum et quandoque ad malum, sicut opinio se habet ad verum et falsum. Virtus autem est *habitus semper se habens ad bonum.* Et ideo, ut discernatur virtus ab his quae semper se habent ad malum, dicitur *qua recte vivitur;* ut autem discernatur ab his quae se habent quandoque ad bonum quandoque ad malum, dicitur *qua nullus male utitur.* Causa autem *efficiens* virtutis infusae, de qua definitio

---

1 Quaest. Disput. *de Virtut.*, q. I, a. 1.

2 *De lib. arbitrio*, lib. II, c. XIX, et *Contra Julian.*, lib. IV, c. III. Philosophi quatuor virtutis definitiones a Stagirita concinnatas exponere solent: quarum 1.ª his verbis exprimitur: Habitus electivus in mediocritate consistens, definita ratione quoad nos, ut sapiens determinaverit. II *Ethic.* c. VI. 2.ª sic se habet: Virtus est habitus qui bonum facit habentem et opus ejus reddit bonum. ib. 3.ª his particulis comprehenditur: Virtus est dispositio perfecti ad optimum. VII *Metaphys.* et III *Phys.* c. III. 4.ª Virtus est ultimum in re de potentia. I *de Coelo*, c. XI. Cfr. Salmantic. Tract. XII, Disp. I, § 3.

datur, Deus est, propter quod dicitur *quam Deus in nobis sine nobis operatur*»[1].

Notandum est cum ipsomet *Angelico* quod aliquis potest male uti virtute tanquam *objecto*, puta cum male sentit de virtute, cum odit eam, vel superbit de ea, non autem tanquam *principio* usus, ita scilicet quod malus sit actus virtutis[2].

Ex hac definitione virtutis sufficienter exploditur falsa illa distinctio virtutum in *activas* et *passivas* inductam ab ***Hecker*** et approbatam ab ***Americanistis.*** *Virtus, quae vere passiva sit, nec est, nec esse potest,* ait ***Leo XIII***[3].

4. **Subjectum virtutis** simpliciter non potest esse nisi voluntas, vel aliqua potentia secundum quod est mota a voluntate. Cujus ratio est, inquit ***Angelicus,*** quia voluntas movet omnes alias potentias, quae aliqualiter sunt rationales, ad suos actus. Et ideo, quod homo actu bene agat, contingit ex hoc quod homo habet bonam voluntatem. Unde virtus quae bene facit agere in actu, non solum in facultate, oportet quod vel sit in ipsa voluntate, vel in aliqua potentia, secundum quod est a voluntate mota»[4]. Et quoniam tum intellectus, tum appetitus sensitivus moveri possunt a voluntate, triplex in homine est subjectum virtutis, scilicet intellectus, voluntas et appetitus inferior qui in concupiscibilem et irascibilem dividitur.

5. Nonnulli, inter quos *Plato,* dixerunt quod «scientiae et virtutes insunt nobis a natura et quod per studium solummodo tolluntur impedimenta scientiae et virtutis. Alii vero dixerunt quod scientiae et virtutes sunt in nobis ex influxu intelligentiae agentis, ad cujus influentiam recipiendam homo disponitur per studium et exercitium. Tertia est opinio media, quod *scientiae et virtutes secundum aptitudinem insunt nobis a natura; sed earum perfectio non est nobis a natura*[5], sed causatur ex actibus, prout de habitibus supra dictum est.

6. **Necessitas virtutum** patet; «his enim ad tria indigemus. Primo, ut sit *uniformitas* in sua operatione; ea enim quae ex sola operatione dependent facile immutantur nisi secundum aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita. Secundo, ut operatio perfecta *in promptu* habeatur; nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad unum, oportebit semper, cum necesse fuerit operari, praecedere inquisitionem de operatione..... Tertio, ut *delectabiliter* perfecta

1 I-II, q. LV, a. 4.
2 ib. ad 5.
3 Encycl. *Testem benevolentiae*, 1899.
4 I-II, q. LVI, a. 3.
5 *De Virtut.*, q. I, a. 8.

operatio compleatur; quod quidem fit per habitum, qui cum sit per modum cujusdam naturae, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, et per consequens delectabilem. Nam convenientia est delectationis causa»[1]. Ita ***D. Thomas.***

7. **Divisio virtutum.** Non omnes, sed praecipuas divisiones virtutum dabimus, ne opus nostrum nimis excrescat[2].

Et 1.° quidem virtus dividitur in *naturalem* seu *acquisitam* et *supernaturalem* seu *infusam*. Prior ea est quae nostris actibus producitur et quasi a natura dimanat; altera quam Deus in nobis sine nobis operatur.

2.° in *theologicam, intellectualem* et *moralem*. *Theologicae* vocantur virtutes quae Deum habent pro objecto perficiuntque potentias immediate circa ipsum. Et sunt tres: Fides, Spes, Caritas. *Intellectualis* est quae perficit intellectum in ordine ad verum sive speculativum sive practicum tribuitque solum facultatem recti operis, non autem rectum usum. *Moralis* est illa quae perficit appetitum sive sensitivum sive rationalem in ordine ad bonum honestum; vel ut eam definit ***Aristoteles:*** *Est habitus qui bonum facit habentem et opus ejus reddit bonum*[3]. Ex qua definitione colligitur praecipuam inter intellectuales et morales distinctionem in hoc stare quod intellectuales inclinant potentiam ad bonum potentiae tantum, morales vero ad bonum honestum, idcirco tribuunt, praeter facultatem bene operandi, rectum usum et actu bene agere. Moralis est virtus *simpliciter*, intellectualis vero tantum *secundum quid*. Haec non se extendit ad rectificandam voluntatem; illa habentem reddit bonum simpliciter in ordine morali.

Ex quo aperte deducitur virtutem moralem non posse cum scientia confundi, uti posuerunt antiquitus ***Socrates*** et ***Plato,*** novissime vero ***Lapie, G. Rensi*** aliique, nec unice consistere in quodam nisu quo ratio cum passionibus colluctatur, ut perperam docet ***Cousin*** cum ***Kantio.*** Nam virtus moralis non tantum versatur circa passiones, sed materia virtutum moralium, ut scite tradit ***Angelicus,*** sunt passiones et operationes humanae[4].

---

1 *De Virtut.*, q. I, a. 1.

2 Cfr. D. Th., II-II, per tot.; Contenson, loc. cit. c. II. Divisio et pictura virtutum; Mazzella, loc. cit. § 2; Muller, § 194; Goudin, q. VI; Ferretti, c. VII; J. de Bie, c. IV, a. 1.

3 Ῥητέον οὖν ὅτι πᾶσα ἀρετή, οὗ ἂν ᾖ ἀρτή, αὐτό τε εὖ ἔχον ἀποτελεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ εὖ ἀποδίδωσιν. II *Ethic.* c. VI (ed. Didon.)

4 I-II, q. LIX, a. 4; *De Virtut.*, q. I, a. 13.

La virtud moral es exclusivo resultado de cualidades intelectuales. El entendimiento y la voluntad no son dos fuerzas mentales irreductibles, sino que, como decía Spinoza, intellectus et voluntas unum et idem sunt. P. Lapie, *La logique de la volonté*. G. Rensi (modernista), defiende que el conocimiento es virtud y viceversa. *L'intellectualismo etico*, Coenobium. Oct. y Nov. 1912.

Virtutes intellectuales sunt quinque: *Intelligentia, sapientia, scientia, prudentia* et *ars*. Notae sunt in tota pene Philosophia earum definitiones.

3.° Moralium virtutum quaedam dicuntur *cardinales*, aliae retinent nomen commune et simpliciter *morales* vocantur. Cardinales dicuntur, sumpta etymologia a cardine supra quem ostium domus vertitur et fundatur, quae inter reliquas morales habent quamdam excellentiam et necessitatem ex parte materiae, et ideo sunt fundamentum humanae vitae et quasi ostium per cujus motum homines ad statum perfectionis introducuntur et caeterae virtutes in illis firmantur. «Virtutes cardinales, inquit ***D. Th.*** dicuntur in quibus quodammodo vertitur et fundatur vita moralis, sicut in quibusdam principiis talis vitae; propter quod et hujusmodi virtutes *principales* dicuntur» [1].

8. Quatuor numerantur virtutes cardinales scilicet: *prudentia, justitia, temperantia* et *fortitudo*.

Hujus numeri rationem duplicem praebet *S. Thomas*. 1.ª desumitur *ex parte objecti* seu *principii formalis* virtutis, quod est rationis bonum. Nam primum est considerare ordinem rationis ipsumque veluti normam voluntati proponere; et circa hoc versatur *prudentia*, quae definitur: *Recta ratio agibilium*. Dein requiritur ut voluntas hunc ordinem recte exequatur, vel, ut dicit *D. Th.*, quod circa aliquid ponatur rationis ordo, et hoc vel circa operationes, et sic est *justitia*, vel circa passiones; quod si passio impellit ad aliquid contrarium rationi, necesse es ut passio reprimatur, et ad hoc indiget *temperantia*, et si retrahit ab eo quod ratio dictat, sicut timor periculorum vel laborum, oportet quod homo firmetur in eo quod est rationis ne recedat, et ad hoc inducitur *fortitudo*.

2.ª *ratio se tenet ex parte subjecti*. Quatuor sunt potentiae quibus recte vivitur; ergo quatuor sunt generales seu cardinales virtutes, scilicet *prudentia* ex parte intellectus, *justitia* ex parte voluntatis, *fortitudo* quae subjectatur in appetitu irascibili, et *temperantia* in appetitu concupiscibili [2].

9. Reliquae virtutes morales ad has quatuor cardinales revocantur tanquam partes ipsarum. Verum observa cum auctoribus triplex esse genus partium alicujus virtutis, nempe: *integrales, subjectivae* et *potentiales*. Partes *integrales* dicuntur quaedam conditiones, aut dispositiones, functiones vel actus necessarii, ut opus virtutis perfectum evadat. Partes *subjectivae* sunt species virtutis, de quibus illa essentialiter praedicatur. Unde totum id quod est de ratione virtutis divisae, debet in singulis partibus reperiri. Partes denique *potentiales* vocantur quaedam virtutes minus principales quae alteri principaliori adjungun-

1 *De virtut. card.*, a. 1; Cfr. Noldin, lib. V. q. II.
2 I-II. q. LXI. a. 2.

tur, cujus rationem non perfecte attingunt, sicut attingunt subjectivae, ac proinde nec talis virtus de eis quidditative praedicatur. Habent vero cum illa connexionem, vel quia ordinantur ad actus minus principales in eadem materia, vel quia in modo procedendi et moderandi passiones et actus appetitus assimilantur modo proprio talis virtutis[1]. Pauca de singulis virtutibus cardinalibus in specie[2].

10. **Prudentia**, quamvis in intellectu sit, et inter virtutes intellectuales numeretur, ab iis tamen merito secernitur, quia ad rectificandum appetitum se extendit et non solum praebet facultatem recte operandi, sed rectum etiam usum. Unde est virtus *simpliciter*, et inter morales omnium caput et regina, quia perficit rationem unde illae formam et characterem virtutis sortiuntur; in tantum quippe sunt virtutes in quantum rationi et prudentiae conformantur et ejus ordinem participant. Prudentiae munus est media proponere quibus suos fines virtutes morales adipiscantur, seu iisdem virtutibus invenire et praescribere medium. Quamobrem recte definitur cum *P. Joan. a J. M.*[a]: *Virtus intellectus practici per quam bene homo statuere, imperare, jubere et decernere discat id, quod sibi in omni casu particulari, juxta rationis praescriptum, faciendum est*[3].

Partes *potentiales* prudentiae, seu virtutes annexae, sunt tres, nempe: *eubulia*, quae est bene consiliativa: *synesis*, quae judicat de iis quae communiter contingunt, et *gnome*, quae de casibus extraordinariis judicat secundum altiora principia.

Partes *subjectivae*, seu species prudentiae, alia est qua unusquisque regit seipsum suosque actus intendens bonum ipsius supposití in ordine ad finem humanae vitae et vocatur *prudentia monastica*, id est *solitaria* sive *personalis*, et alia qua dirigit aliquam multitudinem, vel se in ordine ad illam, intendens commune bonum multitudinis, et hanc appellare possumus *gubernatricem*, subdividiturque in quatuor species nempe *regnativam, politicam, oeconomicam* et *militarem*, quae differunt juxta diversitatem multitudinum et juxta diversos fines pro quibus congregantur.

Partes *integrales* prudentiae communiter assignantur octo: *memoria, intellectus* vel intelligentia, *docilitas, solertia* sive eustochia, *ratio, providentia, circumspectio* et *cautio*, ex quibus quinque priores spectant ad prudentiam secundum quod est cognoscitiva, consiliando per eubuliam et judicando per synesim vel gnomem, nam omnes illae deserviunt perfecto

1 Salmantic., loc. cit. § VI. Arbor Praedicament.

2 Circa virtutis naturam modumque exercendi praestat legere Ven. Joan. a Jesu Maria, C. D. Opera t. 2. *Schola Jesu Christi* et plures alios Tract. Cfr. Cosm. Alam., *Sum. Philos.*, q. XIX.

3 Aliquando dicitur prudentiam praestituere non solum media sed etiam finem virtutibus moralibus; quomodo autem id sit intelligendum cfr. Salmantic., ib. et Cajet. in I-II, q. LXVI, a. 3.

consilio et judicio: tres vero posteriores pertinent ad prudentiam secundum principalem ejus actum qui est *praecipere et applicare ad opus*. Ita *Salmanticenses* cum *D. Thoma*.

11. **Justitia I.°** quandoque sumitur pro collectione omnium virtutum; et quidem non incongrue. Nam, ut ajunt Nostrates[1], quia justum dicitur quod est alteri adaequatum et in quolibet actu virtutis est adaequatio cum rationis regula simulque per omnes illas appetitus praedictae regulae conformatur, non immerito unaquaeque virtus dicta est pars justitiae et collectio omnium ipsa justitia. 2.° proprie accipitur pro virtute quae est ad alterum ponitque aequalitatem inter personas diversas, aut inter personam et aliquid gerens munus personae. Sic accepta definitur: *Constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Objectum ergo justitiae est jus sive justum, quod est alteri debitum[2].

Partes *integrales* justitiae sunt duo: *facere bonum* sub ratione debiti in comparatione ad proximum, et *vitare malum oppositum* sub eadem ratione, id est, ut nocivum proximo.

Species justitiae seu partes *subjectivae* sunt tres secundum tres diversas habitudines illorum inter quae ponitur aequalitas importata in ratione justitiae. Nam tripliciter quis se habere potest ad alterum, nempe: vel ut pars ad totum; vel ut pars ad partem, vel ut totum ad partes, et ideo triplex est justitia: *commutativa, distributiva* et *legalis*. Justitia *legalis*, quae etiam *generalis* audit, exigit ut unaquaeque pars ita se habeat in suis operationibus sicut expedit toti, et ideo reddat communitati quod debet, praesertim vero ut leges incolumes servet. Justitia *commutativa*, quae est partis ad partem, est constans et perpetua voluntas reddendi unicuique privato quod suum est, servando aequalitatem *rei ad rem*, seu *aequalitatem quantitativam et arithmeticam*, ita ut, tantum reddatur quantum debetur absolute. *Distributiva* vero petit ut communitas vel respublica unicuique membro tribuat quod ei competit, vel quod bona aut onera communia distribuantur inter partes secundum *aequalitatem proportionalem* seu *geometricam*, idest, secundum merita, necessitatem etc. Utraque justitia commutativa scilicet et distributiva dicitur etiam *justitia particularis*. Ratio autem justitiae non convenit his tribus partibus ex aequo, sed propriissime in sola justitia commutativa reperitur, quoniam ipsa tantum strictum respicit debitum et ad aequalitatem reddit.

Partes potentiales (virtutes annexae) alicujus virtutis illas esse diximus, inquiunt laudati *Doctores O. N.*, quae conveniunt in aliquo cum tali virtute, nec tamen ejus rationem plene participant. Unde, quia de ratione justitiae

1 loc. cit. § VII. Cfr. Alfonso el Sabio, *Tercera partida*, ley I; Cosm. Alaman., q. XX; De Aguirre, *Disp. ethic.*, Disp. X; Noldin, n. 250 et sqq.

2 Quantum ergo a vero deviat Paul Lapie asserens justitiam nihil aliud esse quam voluntatis humanae submissio *legibus identitatis et causalitatis! La logique de la volonté.*

est reddere alteri debitum ad aequalitatem, *quaecumque virtutes respicientes ad alterum, deficiunt vel ab aequalitate, vel a rigore debiti,* inter partes potentiales justitiae numerari debent. Novem recenset *D. Thomas,* scilicet: *Religio, poenitentia, pietas, observantia, gratitudo, vindicativa, veritas, amicitia, liberalitas.*

12. *Fortitudo* accipi potest secundum quod absolute importat quamdam animi firmitatem, et secundum hoc est generalis virtus, quia sicut dicit Philosophus, ad virtutem requiritur firmiter et immobiliter operari[1]. Prout est specialis virtus definitur a ***Tullio:*** *Considerata periculorum susceptio et laborum perpessio,* vel aptius ex ***P. Joan. a J. M.:*** *Fortitudo est virtus appetitus irascibilis, qua animus ita in asperis et terribilibus se gerit, ut nec per timorem, nec per audaciam, in aliquo rectae rationis praescriptum excedat.*

Objectum. Fortitudo versatur *immediate* circa passiones timoris et audaciae moderandas: *mediate* circa pericula et mala[2].

Duplex actus assignatur fortitudini, scilicet: *aggredi* et *sustinere.* Primus pertinet ad fortitudinem secundum quod moderatur audaciam; alter sequitur repressionem timoris: et ideo principalior actus fortitudinis est sustinere, id est, immobiliter sistere in periculis. Est etiam difficilior quam aggredi.

Partes integrales fortitudinis quatuor numerantur: *magnanimitas, magnificentia, patientia* et *perseverantia;* binae ex parte utriusque actus. Ex parte enim aggressionis primo requiritur, quod fortis dilatatum animum habeat ad secure aggrediendum: et haec est *magnanimitas.* Secundo, quod non deficiat in executione illorum quae fiducialiter inchoavit; et ita est *magnificentia.* Ex parte *sustinentiae* requiritur primo, ut animus difficultate praesentium malorum non frangatur per tristitiam, decidatque a sua magnitudine; et haec est *patientia.* Deinde ut ex diuturna difficilium passione non fatigetur usque ad hoc quod desistat; et ita est *perseverantia*[3].

13. **Temperantia** definitur ab ***Aristotele:*** *Mediocritas in voluptatibus corporalibus;* id est, *virtus secundum quam modus ponitur in perceptione voluptatum corporalium,* vel, juxta ***P. Joan. a J. M.,*** *est virtus appetitus concupiscibilis quae ejusdem appetitus passiones regere vel moderari satagit.* Versatur igitur circa concupiscentias et delectationes sensuum externorum, potissimum circa delectationes tactus et gustus[4].

1 D. Th. II-II, q. CXXIII, a. 2. Cfr. Cosm. Alam. q. XXI; Noldin, n. 259.
2 D. Th. ib. a. 4. Circa actus vide a. 6.
3 Salmantic., loc. cit., § XI, n. 94.
4 Cfr. Victoria, *Relect. de Temperantia*; Roselli, *Ethica* q. VII, a. 2; Cosm. Alam. q. XXII; Noldin, n. 267.

Partes integrales temperantiae sunt duae: *verecundia* per quam quis fugit malum temperantiae contrarium, quae ad perfectam virtutis rationem non pertingit, quia non est insequutio boni honesti, sed tantum fuga propriae confusionis vel opprobrii: et *honestas*, qua quis amat temperantiae pulchritudinem, quaeque non videtur a temperantia realiter distingui sed est ipsamet virtus inadaequate concepta in quantum inclinat ad ordinem et pulchritudinem rationis servandam in perceptione voluptatum corporearum.


Partes subjectivae sive species temperantiae sunt quatuor, scilicet: *abstinentia, sobrietas, castitas* et *pudicitia*. Quarum distinctio et numerus breviter explicantur a *D. Th.*[1]

Plures sunt virtutes annexae temperantiae. Inter potiores numerantur: *continentia, mansuetudo, clementia, modestia, humilitas, philotinia, studiositas, modestia morum, eutrapelia,* et *modestia cultus*. *Continentia* est habitus per quem voluntas resistit passionibus concupiscibilis taliterque in bono firmatur, ut, quantumvis praedictae passiones intumescant, non trahatur ab illis contra rectum judicium rationis. *Mansuetudo* moderatur appetitum irae. *Clementia* moderatur poenam et vindictam quantum justitia et boni communis ratio permittit. Mansuetudo communis est omnibus personis: clementia vero propria est superiorum et judicum. *Modestia* a modo dicta est, vel quasi modum sciens qui in humanis affectionibus et actionibus servari debet: vel quasi praedictum modum statuens; quapropter illos consuevimus modestos appellare qui intra modum et limites sui status, ingenii, fortunae etc., se continent, sua sorte suoque modulo contenti. Est itaque *modestia* illa virtus, qua quis praedictam moderationem in se amat, motusque suos internos et externos, ipsumque exteriorem apparatum juxta mensuram sibi consonam componit. Reliquae partes potentiales temperantiae sub modestia continentur. Ratio est quia praeter passiones et affectus, quos posuimus materiam aliarum virtutum, quinque dumtaxat supersunt a virtute moderanda, nempe: affectus spei tendentis in excelsa, et hunc moderatur *humilitas;* concupiscentia mediocris honoris, et hanc moderatur *philotinia;* studium sive appetitum cognoscendi, ad hujusque moderationem ponitur *studiositas;* motus et gestus corporales pertinentes ad externam conversationem tam in factis quam in dictis, pro quibus, in rebus seriis, ponitur *modestia morum,* in ludicris autem *eutrapelia*. Et denique exterior apparatus vestium, utensilium et divitiarum et hujusmodi, quorum moderatio spectat ad *modestiam cultus*. Et de his satis. Qui plura in specie cupiat adeat *S. Thomam* II-II et *Salmantic. Dogmat.,* ex quibus pauca selecta breviavimus.

En autem virtutum, quae ad Philosophiam moralem spectant, earumque partium conspectus:

---

1 q. CXLIII, a. unic.


Virtus..
Intellectualis..
Intelligentia
Sapientia
Scientia
Partes integr.
Memoria et ratio
Intellectus et solertia
Docilitas et providentia
Circumspectio et cautio
Prudentia. Species.
Monastica
Gubernatrix.
Politica
Regnativa
Oeconomica
Militaris
Partes potent.
Eubulia
Synesis
Gnome
Liberalis.
Lingua
Tropus
Ratio
Numerus
Tonus
Angulus
Astra.
Ars.
Servilis.
Rus
Nemus
Arma
Rates
Vulnera
Lana
Faber
Moralis.
Prudentia.
Partes potent.
Religio
Pietas
Observantia
Obedientia
Gratitudo
Vindicatio
Veritas
Amicitia
Liberalitas
Justitia. Species..
Legalis
Distributiva
Commutativa
Partes integr.
Facere bonum
Vitare malum
Partes int.
Aggredi
Sustinere
Fortitudo.
Partes pot.
Magnanimitas
Magnificentia
Perseverantia
Patientia
Species.
Abstinentia
Sobrietas
Castitas.
Pudicitia
Communis.
Virginalis
Conjugalis
Vidualis
Temperantia. P. int.
Verecundia
Honestas
Partes pot.
Continentia
Modestia.
Mansuetudo
Clementia
Humilitas
Studiositas
Eutrapelia
Cultus exterior
Paupertas

§ 2

DE PROPRIETATIBUS VIRTUTUM MORALIUM[1].

Summa rerum. 1. *Tres virtutum moralium proprietates: mediocritas, connexio et inaequalitas.* 2. *An virtus consistat in medio.* 3. *Quo sensu nonnullae virtutes tendant in extremum et in eo perficiantur.* 4. *Duplex medium* (rei et rationis). 5. *De connexione virtutum;--qualuor notanda ad quaestionis solutionem:* a) nullam moveri quaest. de virtutibus intellectualibus, b) nec de actibus virtutum moralium, c) nec de gradibus earumdem, d) nec de omnibus virtutibus moralibus). *Duplex virtutum status.* 6. Thesis: *Virtutes morales in statu perfecto ita sunt inter se connexae ut una vere et proprie non possit haberi sine aliis.*—Probatur argumento *S. Th.* 7. *Mutua inter prudentiam et virtutes morales dependentia est diversi ordinis et causae.* 8. *De aequalitate virtutum diversae considerationes.* 9. *Thesis I.* 10. *Thesis II.* 11. *Thesis III.* 12. *Thesis IV.* 14. *Tres gradus inaequalitatis.* 15. *De augmento et amissione virtutum.*

1. De virtutibus moralibus generatim inspectis quatuor declaranda supersunt, scilicet 1) quid intelligatur per axioma: *in medio consistit virtus;* 2) *an et quo sensu virtutes sint inter se connexae;* 3) *utrum sint aequales,* et 4) *qua ratione augeri, diminui, aut amitti possint.*

2. **Mediocritas virtutum.** Virtus moralis, ut supra vidimus, definitur a ***Stagirita:*** Habitus electivus in medietate quoad nos existens, ratione definita pro judicio viri prudentis. *Εστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν*[2]. Mediocritas autem, ut idem docet Philosophus, est duorum vitiorum, unius per excessum, alterius per defectum. *Μεσότης δὲ δύο κακιῶν, τῆς μὲν καθ' ὑπερβολὴν τῆς δὲ κατ' ἔλλειψιν*[3]. Ideo enim virtutes sunt habitus boni quia conformantur regulae morum. Sed a regula deflectere possunt vel eam excedendo, vel ab ea deficiendo; ergo utrumque extremum vitare debent; igitur *virtus moralis consistit in medio,* ut fert vulgatum axioma[4]. *Tene medium,* ajebat ***S. Bernardus,*** *si non vis perdere modum; locus medius tutus est; medium sedes modi; et modus virtus*[5].

---

1 . Cfr. Joseph a Matre Dei, *Cursus Triennalis,* Tract. XIX, Disp. I et II.
2 II *Ethic.,* c. VI.
3 ib. Cfr. Rosset, loc. cit. sect. V.
4 D. Th., I-II, q. LIV, a. 1.
5 *De Consider.,* lib. II.

Hoc autem non sic intelligendum est quasi virtus sit composita ex utroque extremo, sed quia stat inter oppositos excessus, ut magnanimitas, v. gr. inter superbiam sive praesumptionem et pusillanimitatem, a quibus declinando medium teneat: semper namque extrema sunt vitiosa.

3. Item, advertas velim 1) in hac thesi nos non agere de virtutibus theologicis, quae, ajente *Angelico Praeceptore,* non consistunt in medio nisi per *accidens*. Etenim nunquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet, nec tantum credere in ipsum quantum debet. Unde multo minus potest ibi esse excessus. Et sic bonum talis virtutis non consistit in medio, sed tanto est melius quanto acceditur ad summum [1]; 2) quasdam virtutes morales tendere in aliquod maximum seu extremum in eoque perfici, uti sunt magnanimitas et magnificentia, virginitas et paupertas, nec tamen a medio discedere. Nam, ajente eodem *Angelico Praeceptore,* medium et extrema considerantur in actionibus et passionibus secundum diversas circumstantias. Unde nihil prohibet in aliqua virtute esse extremum secundum unam circumstantiam, quod tamen est medium secundum alias circumstantias per conformitatem ad rationem; et sic est in magnificentia et magnanimitate. Nam si consideretur quantitas absoluta ejus in quod tendit magnificus et magnanimus, dicitur extremum et maximum; sed si consideretur hoc ipsum per comparationem ad alias circumstantias, sic habet rationem medii, quia in hoc maximum tendunt hujusmodi virtutes secundum regulam rationis, id est, ubi oportet, et quando oportet, et propter quod oportet: excessus autem, si in hoc maximum tendatur quando non oportet, vel propter quod non oportet; defectus autem est si non tendatur in hoc maximum ubi oportet et quando oportet [2].

4. *Medium* autem est duplex *rei* et *rationis. Medium rei* est quod ratio petit tantum ab ipsa re, quod propterea semper et ubique idem est. Medium autem rationis est quod ratio constituit attentis circumstantiis personarum, locorum etc., quod proinde diversum est pro diversitate personarum. Quandoque autem medium rationis est etiam medium rei, ut evenit in justitia commutativa in qua, quia versatur circa operationes exteriores ad alias personas ordinatas, rectum institui debet simpliciter et secundum se, ideoque medium est semper idem, cum reddere debeat unicuique quod suum est, nec plus nec minus. Quandoque vero medium rationis non est medium rei sed accipitur per comparationem ad nos, ut in liberalitate quae attenditur penes qualitates donantis, recipientis, occasionem loci, temporis, aliaque similia. Omnes aliae virtutes morales praeter justitiam consistunt in medio rationis.

5. **De connexione virtutum.** Ut obvietur difficultatibus, et quaestio, ut

1 I-II, q. LXIV, a. 4. 2 ib ad 2.

par est, rite solvatur, animadvertimus a) quaestionem minime moveri de virtutibus intellectualibus; fatemur quidem has non esse inter se connexas; *b)* nec de actibus vel exercitio virtutum moralium; nam contingit aliquem esse liberalem, sed non magnificum quantum ad actus, quia aliquis parum habens, potest in usu ejus quod habet exercere actum liberalitatis, non autem magnificentiae; quamvis aliquis habeat habitum, per quem etiam magnificentiae actum exerceret, si materia adesset»[1]: et «qui non habent temperantiam... operantur actus temperantiae ex quadam naturali dispositione»[2]: *c)* nec agimus de gradibus virtutum; libenter enim concedimus omnes virtutes non esse inter se connexas aut possideri aequali gradu; *d)* imo nec de omnibus virtutibus moralibus indiscriminatim, sed de virtutibus moralibus *acquisitis* et quae ad *usum communem* pertinent. *e)* Item ipsaemet virtutes morales acquisitae et ordinariae considerandae sunt in duplici statu, perfecto scilicet et imperfecto. Virtus moralis *imperfecta* «nihil aliud est quam aliqua inclinatio in nobis existens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, sive talis inclinatio sit in nobis a natura sive ex assuetudine. Et hoc modo accipiendo virtutes morales non sunt connexae; videmus enim aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis. *Perfecta* autem virtus moralis est habitus inclinans ad bonum opus bene agendum»[3]. Differunt ergo quia imperfecta est instar mobilis dispositionis; perfecta vero implicat firmitatem tribuitque vim obstacula obsistentia vincendi. «Et sic accipiendo virtutes morales (in statu perfecto) *dicendum est,* inquit *Angelicus, eas connexas esse, ut fere ab omnibus ponitur*»[4]. Negant tamen hanc nostram conclusionem *Scotus* et *Scotistae*. Nihilominus sit

6. **Thesis. Virtutes morales in statu perfecto ita sunt inter se connexae ut una vere et proprie non possit haberi sine aliis.**

Probatur.

«Nulla virtus moralis potest sine prudentia haberi, eo quod proprium virtutis moralis est facere electionem rectam, cum sit habitus electivus. Ad rectam autem electionem non solum sufficit inclinatio in debitum finem, quod est directe per habitum virtutis moralis, sed etiam quod aliquis directe eligat ea quae sunt ad finem; quod fit per prudentiam, quae est consiliativa et judicativa et praeceptiva eorum quae sunt ad finem. Similiter etiam prudentia non potest haberi, nisi habeantur virtutes morales, cum prudentia sit recta ratio agibilium,

1 *De virt.*, q. V, a. 2 ad 5.
2 I-II, q. CXVII, a. 1 ad 3. Et clarius expressiusque ib. q. CXXIX a. 3 ad 2.
3 I-II, q. LXV, a. 1.
4 ib.

quae sicut ex principiis procedit ex finibus agibilium, ad quos aliquis recte se habet per virtutes morales. Unde sicut scientia speculativa non potest haberi sine intellectu principiorum, ita nec prudentia sine virtutibus moralibus. Ex quo manifeste sequitur virtutes morales esse connexas»[1]. Vere ergo *S. Ambrosius:* «Connexae sibi sunt concatenataeque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur»[2]. Et *S. Gregorius:* «una virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta»[3]. Recte ergo appellatur prudentia *auriga* virtutum moralium, omnibus *modum* imponens.

7. In allato *S. Doctoris* argumento facillime notare quis potest mutuam adesse dependentiam inter virtutes morales et prudentiam, sed in *diverso genere causae.* Nam virtutes morales pendent a prudentia, inquiunt *Salmantic.* et *Gonet,* «in genere causae *directivae et formalis extrinsecae;* prudentia vero pendet ab aliis virtutibus in genere *causae dispositivae,* quia ut possit rectum et incorruptum de rebus omnibus in singulis negotiis ferri judicium, opus omnino est, appetitum circa fines virtutum omnium recte esse dispositum, quod fit per ipsas virtutes morales»[4]. Et hoc modo unaquaeque in diversis generibus est prior et posterior. Attamen perbelle notat *Cajetanus*[5], prudentiam *in fieri* non dependere a virtutibus moralibus, sed esse omnino priorem et generativam illarum: prudentiam vero *in facto esse* dependere a praedictis virtutibus et illas supponere. Appellat *prudentiam in fieri* quando incipit et nondum ad statum perfectionis pervenit; prudentiam vero *in facto esse* quae habet praedictum statum[6].

8. **De aequalitate virtutum.** Convenienter post connexionem agimus de aequalitate et inaequalitate virtutum, quia, ajente *S. Th., aequalitas est quaedam connexio virtutum secundum quantitatem,* seu perfectionem.

Quaestio autem haec de aequalitate vel inaequalitate virtutum

---

1 ib. Idem ipsum argumentum jamjam exposuerat S. Augustinus inquiens: Certe hinc persuadent qui unam virtutem habuerit habere omnes, deesse cui una defuerit, quod *prudentia* nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse; nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porro si et prudentia tunc erit, si et fortis, et justa, et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet ceteras. Sic et fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans vel injusta; sic temperantia necesse est ut prudens, fortis et justa sit; sic justitia non est nisi sit prudens, fortis et temperans. Ita ubi vera est aliqua earum et aliae similiter sunt: ubi autem aliae desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur». Epist. CLXVII *ad Hieronymum.*

2 Lib. V, super Luc. § 63 et S. Hieronymus: «Haerent sibi et inter se connexae sunt virtutes ut qui una caruerit, omnibus careat». *Epist. ad Fabiol. de* XL *Mansionibus.*

3 lib. XXII *Moral.* c. I, § 2.

4 Gonet, Manuale Thomist., tract. IV, c. V.

5 In I-II, q. LXVI, a. 3 ad 3.

6 Salmantic., Disput. IV, Dub. I, nn. 17 et 18.

acquisitarum institui potest vel de *virtutibus specie differentibus,* vel de *virtutibus ejusdem speciei.* Item de *existentibus simul in uno eodemque subjecto,* vel *in diversis,* aut *in eodem, diverso tamen tempore.* Et secundum has diversas considerationes diversimode quaestio resolvitur. Itaque, sequentes ***D. Thomam,*** has stabilimus theses:

I.ª *In virtutibus specie differentibus una est major alia.* «Semper enim est potior causa suo effectu; et in effectibus tanto aliquid est potius quanto est causae propinquius. Manifestum est autem ex dictis quod causa et radix humani boni est ratio. Et ideo prudentia quae perficit rationem praefertur in bonitate aliis virtutibus moralibus perficientibus vim appetitivam in quantum participat rationem; et in his etiam tanto est una altera melior quanto magis ad rationem accedit. Unde et justitia quae est in voluntate praefertur aliis virtutibus moralibus, et fortitudo, quae est in irascibili praefertur temperantiae, quae est in concupiscibili, quae minus participat rationem» [1].

10. II.ª *In virtutibus ejusdem speciei nulla est major vel minor altera secundum seipsam,* considerata in statu perfecto. Si vero consideretur praecise secundum suam essentiam et in statu imperfecto, potest una virtus augeri et ideo esse major altera.

Ratio propositionis demonstrativa sumitur ex eodem ***Angelico.*** Nam si virtus intra eamdem speciem consideretur secundum se ipsam, «magnitudo vel parvitas ejus attenditur secundum ea ad quae se extendit. Quicumque autem habet aliquam virtutem (in statu perfecto), puta temperantiam, habet ipsam quantum ad omnia ad quae se temperantia extendit. Quod de scientia et arte non contingit, non enim quicumque est grammaticus scit omnia quae ad grammaticam pertinent» [2].

11. III.ª *Ex parte subjecti participantis virtutem, eadem specifice virtus potest esse major vel minor, vel in diversis subjectis, vel etiam in eodem secundum diversa tempora.*

Nam virtus moralis in attingendo medium, quod est secundum rationem rectam, consistit. Atqui ad attingendum praedictum medium «unus est melius dispositus quam alius, vel propter majorem assuetudinem vel propter meliorem dispositionem naturae, vel propter perspicacius judicium rationis, aut etiam propter majus gratiae donum»; ergo secun-

---

1 I-II, q. LXVI, a. 1. Aliam quoque rationem exhibet S. Doctor his verbis: «Illa virtus perfectior et major est quae ad majus bonum ordinatur; et secundum hoc virtutes theologicae, quarum objectum est Deus, sunt aliis potiores..... Inter alias autem virtutes prudentia est maxima, quia est moderatrix aliarum; et post hanc justitia, per quam homo bene se habet non solum in se ipso, sed ad alium; et post hanc fortitudo, per quam homo propter bonum comtemnit pericula mortis. Et post hanc temperantia, per quam homo propter bonum contemnit maximas delectationes corporalium». Quaest. unic. *De virt. card.*, art. 3.

2 I-II, loc. cit.

dum perfectionem vel quantitatem virtutis, ex parte illa qua inest subjecto, potest esse inaequalitas in eadem specie virtutis, et in diversis, et etiam in eodem subjecto secundum diversa tempora. Nam «idem indivisibile signum unus propinquius et promptius attingit quam alius»[1].

12. IV.[a] *Ratione participationis subjecti omnes virtutes unius hominis sunt aequales quadam aequalitate proportionis*[2].

Aequalitas enim proportionis inter virtutes unius hominis attenditur in quantum aequaliter crescunt, sicut digiti manus, licet sint inaequales absolute, sunt aequales secundum proportionem, cum proportionaliter augeantur; atqui omnes virtutes unius hominis cum prudentia connexae aequaliter se habent ad suum actum: existente enim ratione aequaliter perfecta in uno et eodem, oportet quod proportionaliter secundum rationem rectam medium constituatur in qualibet materia virtutum[3]; ergo in uno et eodem homine virtutes ejusdem speciei, ex qua parte subjecto inhaerent, sunt proportionaliter aequales.

13. Ex quibus jam apparet *S. Thomam* distinguere in virtutibus tres gradus inaequalitatis, secundum triplicem quantitatem quae potest in illis considerari. Primus, *essentialis et specificus,* qui attenditur secundum objectum specificativum et rationem ejus formalem. Secundus gradus est *accidentalis,* et attenditur secundum *extensionem* virtutis ad partes sui objecti, ob idque dicitur in II thesi convenire virtuti secundum seipsam, quia sumitur etiam per habitudinem ad objectum; hoc autem modo virtutem esse majorem vel minorem est esse magis vel minus extensam. Tertius gradus etiam *accidentalis* attenditur per *ordinem ad subjectum,* et consistit in eo quod virtus magis vel minus subjecto inhaereat et ab eo participetur[4].

14. Circa augmentum et amissionem virtutum conferantur quae supra de habituum augmento et corruptione dicta manent.

---

1 ib.
2 Cfr. D. Th. q. unic. *De virtut. cardin.*, a. 3, prope finem.
3 I-II, q. cit. a. 2.
4 Salmantic., in a. 1, q. LXVI.

Articulus III

Nonnulla circa vitia notantur [1].

Summa rerum. 1. *Vitii notio.—Quomodo opponitur virtuti;—peccatum, malitia, vitium.* 2. *Vitiorum numerus.* 3. *Actus vitiosus estne pejor vitio.* 4. *De comparatione vitiorum ad invicem.* a) *Vitia non sunt inter se connexa;—objectio;* b) *saepe tamen unum ex alio oritur;* c) *non omnia sunt paria;* d) *causae vitiorum tum extrinsecae tum intrinsecae.* 5. *Vitia capitalia;* 6. *Horum numerus et uniuscujusque definitio.* 7. *Genesis et connexio.* 8. *Filiae vitiorum capitalium.*

1. **Vitii natura.** Propria uniuscujusque conscientia attestante, insunt homini quaedam propensiones sive inclinationes ad malum ex ipsa natura per peccatum originale corrupta dimanantes; nam saepe *pars* quae dicitur *inferior* suam in objectum sensibile inclinationem contra dictamen *superioris* prosequitur; imo pars ipsa rationalis non raro proprium bonum inordinate quaerit. Hujusmodi propensiones, utpote a recto rationis ordine deficientes, communiter vitia vocantur.

Vitium autem directe contrariatur virtuti. *Virtus uniuscujusque rei,* ajente ***Angelico Praeceptore,*** *consistit in hoc quod sit bene disposita secundum convenientiam suae naturae. Unde oportet quod in qualibet re vitium dicatur ex hoc quod est disposita contra id quod convenit suae naturae.* Sed natura uniuscujusque rei, prosequitur ***S. Thomas,*** potissime est a forma, secundum quam res speciem sortitur. Homo autem in specie constituitur per animam rationalem. Et ideo id quod est contra ordinem rationis proprie est contra naturam hominis [2]. Ergo sicut virtus importat quamdam dispositionem hominis ad operandum secundum ordinem rationis, vitium est contra ordinem rationis. Dispositio autem firma habitus vocatur, et ideo, sicut virtus est *habitus operativus bonus,* vitium ultimo definiri potest: *habitus operativus malus.*

Tria autem inveniuntur opponi virtuti; quorum unum est *peccatum,* quod opponitur sibi ex parte ejus ad quod virtus ordinatur; nam peccatum proprie nominat actum inordinatum, sicut actus virtutis est actus ordinatus et debitus. Secundum autem quod ad rationem virtutis consequitur quod sit

---

1 Auctores supra cit.; De Marinis, in I-II D. Th. q. LXXI; Muller, Tract. IV, c. III, sect. II; Goudin, loc. c. q. V, a. 3; Corsini, Disp. III, c. VII, Signoriello, *Ethic. Gener.*, p. I, c. V, a. 8; Descuret, *Medicina de las pasiones;* De Bie, loc. cit. a. 2; Rosset, p. II, a. 3, § 2.

2 I-II. q. LXXI. a. 2.

bonitas quaedam, opponitur virtuti *malitia*. Secundum id quod directe est de ratione virtutis opponitur virtuti *vitium*. Vitium enim uniuscujusque rei esse videtur quod non sit disposita secundum quod convenit suae naturae [1].

2. **Vitia numero plura sunt quam virtutes;** nam virtus consistit in medio; uni autem eidemque virtuti vitium contrariatur per excessum et per defectum, ut avaritia et prodigalitas opponuntur liberalitati, audacia et ignavia fortitudini, et sic per defectum honesti et exuberationem boni multiplicantur vitia.

3. **Actus vitiosus est simpliciter pejor vitio, sed vitium secundum quid pejus est actu vitioso.** Nam habitus medio modo se habet inter potentiam et actum. Manifestum est autem quod actus in bono et malo praeeminet potentiae; melius est enim bene agere quam posse bene agere; et similiter vituperabilius est male agere quam posse male agere. Unde etiam sequitur quod habitus in bonitate et in malitia medium gradum obtineat inter potentiam et actum, ut scilicet, sicut habitus bonus vel malus praeeminet in bonitate vel malitia potentiae, ita etiam subdatur actui.

Quod etiam ex hoc apparet quod habitus non dicitur bonus vel malus nisi ex hoc quod inclinat ad actum bonum vel malum. Unde propter bonitatem vel malitiam actus dicitur habitus bonus vel malus. Et sic potior est actus in bonitate vel malitia quam habitus, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis est [2].

Nec dicas causam potiorem esse effectu; ergo vitium pejus actu vitioso. Nam habitus, inquit *S. Thomas,* est causa actus in genere causae efficientis; sed actus est causa habitus in genere causae finalis, secundum quam consideratur ratio boni et mali, et ideo in bonitate et malitia actus praeeminet habitui [3].

Secundum quid, autem vitium pejus est actu vitioso, quia vitium diutius durat multorumque actuum vitiosorum causa est.

4. **De comparatione vitiorum ad invicem.** a) *Vitia non sunt inter se necessario connexa.* Quaedam etenim vitia sunt sibi invicem contraria; sed impossibile est contraria simul inesse eidem; ergo impossibile est omnia peccata et vitia sibi esse invicem connexa. Adde quod vitia non habent speciem ex eo quod ab uno incommutabili bono avertunt, vel ex hoc quod recedunt ab eo quod est secundum rationem, sed potius ex eo quod tendunt in aliquod bonum appetibile. Hujusmodi autem bona in quae tendit habitus vitiosus sunt diversa nullam connexionem

1 S. Thomas, a. 1.
2 ib. a. 3.
3 loc. cit. ad 3.

habentia ad invicem[1]; ergo nec vitia possunt esse connexa saltem *ex parte conversionis* ad bona a quibus speciem sortiuntur; possunt autem dici quodammodo connexa ex *parte aversionis,* in quantum scilicet homo peccando recedit a legis mandato. Omnia autem legis mandata, subdit ***Angelicus,*** sunt ab uno et eodem, et ideo idem Deus contemnitur in omni peccato, et ex hac parte dicit ***Jacobus*** quod *qui offendit in uno factus est omnium reus*[2].

Objicies. Virtutes inter se connectuntur quia conveniunt in uno principio, scilicet amore Dei qui est principium et radix omnium virtutum; ergo et vitia hominis sunt pariter inter se connexa, quia conveniunt in uno principio, scilicet ***amore sui,*** qui facit civitatem Babylonem et est radix omnium peccatorum. Respond. nego paritatem. Nam «amor Dei, inquit egregie *S. Th.,* est ***congregativus,*** in quantum affectum hominis a multis ducit in unum, et ideo virtutes quae ex amore Dei causantur connexionem habent. Sed amor sui ***disgregat*** affectum hominis in diversa, prout scilicet homo se amat appetendo sibi bona temporalia quae sunt varia et diversa, et ideo vitia et peccata quae causantur ex amore sui non sunt connexa»[3].

b) Quamvis vitia non sint invicem necessario connexa sicut virtutes, *saepe tamen ita mutuo cohaerent ut unum ex alio oriatur.* Nam unum vitium potest esse causa alterius vel *efficienter per accidens,* removendo aliquid retrahens ab alio vitio, ut amissa virtute temperantiae, facile ex hoc incidit homo in vitium luxuriae, vel *efficienter per se,* disponendo nempe subjectum ex repetitis actibus ad consimilia vitia; vel potest etiam esse unum alterius origo per *modum causae materialis,* in quantum praeparat ei materiam, sicut avaritia, inquit ***Angelicus,*** praeparat materiam litigio, quod plerumque est de divitiis congregatis[4].

c) *Non omnia vitia sunt paria.* ***Stoici,*** et post ipsos saec. IV. ***Jovinianus,*** docuerunt omnia vitia esse paria; et ad hoc ponendum movebantur duplici potissimum ratione scilicet: *a)* malitia vitii et peccati, inquiunt, consistit in honestatis privatione sive in recessu a ratione; sed nulla privatio suscipit magis et minus; ergo omnia vitia et peccata sunt aequalia; *b)* vitium virtuti opponitur; sed virtus consistit in *indivisibili;* ergo et vitium; igitur necessario vitia omnia sunt paria.

Hos autem nervose et lepide carpit ***Augustinus*** inquiens: *Quid absurdius, quid insanius dici potest, quam ut ille, qui aliquanto immoderatius riserit, et ille, qui patriam truculentius incenderit, peccasse judicentur aequali-*

1 I-II. q. LXXIII. a. 1.
2 ib. ad 1.
3 ib. ad 3.
4 q. LXXV. a 4.

ter?... Aut si propterea sunt paria, quia utraque delicta sunt, mures et elephanti pares erunt, quia utraque sunt animalia[1].

Probatur autem nostra sententia egregia *S. Th.* raciocinatione. *In omnibus,* inquit, *quorum perfectio et bonum in quadam commensuratione consistit, quanto magis a debita commensuratione receditur tanto majus erit malum,* sicut sanitas consistit in debita commensuratione humorum et pulchritudo in debita proportione membrorum, veritas autem in commensuratione intellectus vel sermonis ad rem. Patet autem quod quanto est major inaequalitas in humoribus tanto est major infirmitas; et quanto est major inordinatio in membris, tanto est major turpitudo; et quanto magis a veritate receditur, tanto est major falsitas; non enim est tam magna falsitas aestimantis tria esse quinque, sicut ejus qui aestimat tria esse centum. *Bonum autem virtutis in quadam commensuratione consistit; est enim medium, secundum debitam limitationem circumstantiarum, inter contraria vitia constitutum; quanto igitur magis ab hac harmonia receditur tanto est major malitia*[2]. ***Stoicorum*** rationes solutas reperies apud *D. Thomam*[3].

d) **Causae autem vitiorum et peccatorum** sunt quaedam *extrinsecae* inter quas 1.ª Diabolus tentans; 2.ª pravi homines, qui verbis et factis ad iniquitatem alios inducunt; 3.ª occassiones et objecta sollicitantia; aliae vero *intrinsecae,* quarum 1.ª potest esse ignorantia; 2.ª malitia voluntatis; 3.ª passio quae excitat voluntatem excaecatque rationem; 4.ª praecedens peccatum et vitium quod non deletum suo pondere ad aliud trahit. (Cfr. *D. Th.* I-II a. q. LXXV ad LXXXIV inclusive).

Inter vitia autem, quorum unum est causa alterius, numerantur **vitia capitalia.** Pauca de his subjicimus.

Capitale dicitur *a capite.* Caput autem proprie est quoddam membrum animalis quod est principium et directivum totius animalis. Unde metaphorice omne principium et directivum *caput* vocatur..... Et sic dicitur vitium capitale *ex quo alia vitia oriuntur,* et praecipue secundum originem causae finalis, quae est formalis origo. Et ideo vitium capitale non solum est *principium* aliorum, sed etiam est *directivum* et quodammodo *ductivum* aliorum. Ita *D. Th.*[4] Ergo vitia dicuntur *capitalia* non ex eo quod actus ex his procedentes sint semper *graviter* peccaminosi (quasi capitis poena digni), sed quia sunt *fontes, radices* et *capita* multorum delictorum.

Definiri autem possunt cum *S. Th.* Vitia capitalia sunt *illa quorum*

---

1 *Ep. CIV. ad Nectarium,* c. 4.
2 *Contra Gent.,* lib. III, c. 139.
3 I-II. q. LXXIII, a. 2. ib. ad 3. et q. LXVI, a. 1.
4 I-II. q. LXXXIV. a. 1.

fines habent quasdam primarias rationes movendi appetitum. Atqui septem sunt principales, primariae et distinctae rationes movendi appetitum; ergo totidem sunt vitia capitalia, scilicet: *inanis gloria, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia* et *accedia.* Minor ostenditur, quoniam, ajente ***D. Th.,*** movet aliquid appetitum dupliciter: uno modo *directe et per se;* et hoc modo bonum movet appetitum ad prosequendum, malum autem secundum eamdem rationem ad fugiendum. Alio modo *indirecte et quasi per aliud,* sicut aliquis aliquod malum prosequitur propter aliquod bonum adjunctum, vel aliquod bonum fugit propter aliquod malum adjunctum. Sic igitur, vitium capitale oritur ex eo quod voluntas inordinate prosequitur bonum, vel ipsum bonum inordinate refugit propter aliquod malum conjunctum. Atqui triplex est bonum hominis, scilicet:

a) *bonum animae,* quod ex sola apprehensione rationem appetibilitatis habet, sicut excellentia laudis vel honoris, et hoc bonum inordinate prosequitur *inanis gloria,* quae est *inordinatus propriae excellentiae appetitus,* vel *manifestandi* propriam excellentiam et *captandi* aestimationem laudesque hominum;

b) *bonum corporis,* et hoc, vel pertinet ad conservationem individui, sicut cibus et potus, et hoc bonum inordinate prosequitur *gula,* quae definitur *immoderatus comedendi vel bibendi appetitus;* vel spectat ad conservationem speciei, et ad hoc ordinatur *luxuria* seu *inordinatus appetitus rei venereae;*

c) *bonum exterius,* scilicet divitiae, et has inordinate appetit *avaritia,* quae est *inordinatus divitiarum amor.*

Bonum autem quod voluntas quandoque refugit propter aliquod malum conjunctum, potest esse:

a) *respectu boni proprii,* et sic est *accedia,* quae tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem adjunctum;

b) *de bono alieno,* et *sine insurrectione,* quod pertinet ad *invidiam,* quae tristatur de bono alieno in quantum est impeditivum propriae excellentiae, vel

c) *de bono alieno, sed cum quadam insurrectione* ad vindictam, et sic est *ira,* quae definiri valet: *inordinatus appetitus vindictae.*

Superbia, quasi universale vitium, non connumeratur aliis vitiis capitalibus, sed magis ponitur, inquit ***D. Th.,*** *velut regina quaedam omnium vitiorum*[1]; Omnia tamen vitia ex ipsa promanant: *initium omnis peccati superbia.* Radix ergo remota omnium vitiorum *suipsius amor.*

7. Vitiorum capitalium *genesim* et *connexionem* prae oculis ponit ***S. Gregorius*** inquiens: «Prima superbiae soboles *inanis* est *gloria,* quae

1 I-II, q. LXXXIV, a. 4 ad 4.

dum oppressam mentem corruperit, mox *invidiam* gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat tabescit. Invidia quoque *iram* generat, quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur; et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositae actionis manus velut gravius pressa sentitur. Ex ira quoque *tristitia* oritur, quia turbata mens quo se inordinate concutit, eo addicendo confundit... Tristitia quoque ad *avaritiam* derivatur, quia dum confusum cor bonum laetitiae in semetipso intus amiserit, unde consolari debeat foris quaerit, et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet ad quod intrinsecus recurrat. Post haec vero duo carnalia vitia, id est, *ventris ingluties* et *luxuria* supersunt [1].

8. Vitia autem quae ex his immediate procedunt *filiae* vitiorum capitalium vocantur. Prope innumerae sunt; praecipuas tamen in sequenti schemate numeramus.

Filiae inanis gloriae.	Inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, et novitatum praesumptio [2].
» gulae.....	Inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium et hebetudo mentis circa intelligentiam [3].
» irae.....	Rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio et blasphemia [4].
» luxuriae.....	Caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi et horror futuri [5].
» avaritiae.....	Proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia et contra misericordiam induratio [6].
» invidiae.....	Odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi et in prosperis afflictio [7].

1 *Moral.* lib. XXXI. c. 45.
2 D. Th. II-II. q. CXXXII. a. 5.
3 ib. q. CXLVIII. a. 6.
4 ib. q. CLVIII. a. 7.
5 ib. q. CLIII. a. 5.
6 ib. q. CXVIII. a. 8.
7 ib. q. XXXVI. a. 4.

Filiae accediae.....	Malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa praecepta, evagatio mentis circa illicita. Ad desperationem reduci possunt: mentis tristitia et taedium vitae. Ad torporem circa praecepta: somnolentia, otiositas, dilatio bonorum agendorum, negligentia, indevotio, remissio et impoenitentia[1].


Tot vitia specialia ex capitalibus orta id unum probant effrenatas concupiscentias innumerabilium peccatorum seminarium esse majoremque prodere foecunditatem quo eis magis indulget animus. Igitur concludimus cum *Ecclesiastico: Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*[2].

---

1 ib. q. XXXV. a. 4.

2 *Eccli.* XVII. 30, 31. De remediis contra peccata capitalia pereleganter disserit Ludovicus Granatensis in aureo libro *Guia de Pecadores*, lib. II. p. I. cap. IV-X.

JUS NATURAE



PHILOSOPHIAE MORALIS

PARS ALTERA

JUS NATURAE

Prologus

Summa rerum. 1. *Rerum nexus.* 2. *Jus novum.* 3. *Funesta quae ex eo profluunt consectaria.* 4. *Remedium generale.* 5. *Ethicae Jurisque separatio.—Liberalium sententia profligatur.* 6. *Juris Naturae notio.* 7. *Triplex relationum species;—totidem jura.* 8. *A quo incipiendum.*

1. Actibus humanis in seipsis pro modulo nostro rite perpensis, pergraves illas atque salebrosas quaestiones dilucidandas aggredimur quae ad ordinem ethico-juridicum proxime spectant. Nam homo cum Deo aliisque personis relationibus moralibus necessario devincitur, et ad bonum commune procurandum strictissimo naturae officio tenetur; quae quidem relationes ex ipso creationis momento et ex humanae socialitatis facto sponte et essentialiter emanant.

2. Ordo autem juridicus tum *jura* tum *officia* complectitur.

Verum a tempore Revolutionis Gallicae abundant Philosophi Moralistae qui, omnia hominis officia, ea praesertim quae Deum et religionem respiciunt, prorsus rejicientes, jura solummodo, et quidem absoluta et a ratione *autonoma* edita, buccis crepitantibus, ubique proclamant, novamque aetatem auream inde exorituram pollicentur, in qua, vetustis majorum institutionibus, eorumdem Regeneratorum ope et industria, in cineres favillasque redactis, felix rerum status regnumque *libertatis, aequalitatis* et *fraternitatis* succedet.

Principia illa a modernis excogitata, quaeque universam morum relationumve socialium doctrinam a veneranda populorum traditione et christianis institutis plane divertunt, **jus novum** constituunt.

3. Nihilominus ex *jurium hominis declaratione,* quid nisi populares

commotiones, divinarum humanarumque rerum funesta permixtio, totius religionis eversio et societatis excidium sperari potest? Et sane: praesentium adversorum temporum historia palam ostendit pestiferam illam doctrinam omne mortalium genus misere depopulari, illudque per Encyclopediam et Rationalismum gradatim quidem sed properanter ad Socialismum et Anarchismum deferre. Concepta vero et ab impiis universalis parata conflagratio timenda foret, si Deus, qui in bonorum purgationem ingentia quoque mala permittit, saecularium principum audaciam non frangeret, nec tumescentes insurgentium errorum motus interdum sedaret. Nam, materialisticis principiis et Rationalistarum placitis ad regendas societates semel advocatis, naturaliter cuncta in praeceps cito ventura profecto nemo ambigit. Ipsi enim homines, quibus nunc per omnipotentiam status fere libertas adimitur visque fortioris tyrannice imponitur, fracto demum religionis aeternaeque sanctionis freno, insurgent contra tyrannos, et in tyrannos vicissim conversi, bellis domesticis, teterrimis seditionibus, et anarchiae universali, imperii aditus aperient.

4. Ergo ut haec praeveniantur mala, vera doctrinae grana seminantes, venerandam majorum traditionem confirmemus. Etenim, sicut athea legislatio moderna, morumque socialium corruptio ex perversis Rationalistarum effatis profluit, ideae namque sunt quasi fontes, ex quibus actionum rivuli promanant, ideoque bonos fructus facere, si verae, corruptos vero mores gignere, si corruptae sunt, perspicimus, ita ex aequa jurium et officiorum aestimatione civium et imperantium mores certo reformabuntur. Optati hujus eventus spem certam habemus, quoniam, ut dicitur Sap. (I, 13), *nec laetatur Deus in perditione vivorum, creavit enim ut essent omnia:* et, *sanabiles fecit nationes orbis terrarum.*

5. Totam quoque Juris naturalis scientiam exitiose pervertunt illi Rationalistae et Liberales qui, Juris ambitum ad moderandas externas tantum actiones coarctantes, unice *legalitatem* quaerunt in relationibus socialibus, et ob eam causam, Jus ab Ethica penitus sejungendum esse contendunt.

Sed haec positio, quae tot tantaque mala intulit hac aetate nostra, explossa manet in Disputatione Prooemiali, et rationabiliter sustineri non potest. Etenim, praeter dicta, loc. cit., objectum Juris est justum; Ethicae vero bonum honestum; sed justum est species boni honesti; ergo sub hoc continetur sicut minus universale sub universaliori. Vere igitur Jus naturae ad Ethicam refertur, sicut Metaphysica specialis ad Generalem, idcirco ab ea separari non potest.

Relationes pariter sociales, quas directe considerat Jus naturae sunt actiones humanae, ideoque morales; nequit ergo nudam *legalitatem* ab omni moralitate praecisam intendere, sed ejusdem principia ut sint

justa, ethico elemento informari debent, secus nec vim haberent obligandi, cum lex quae justa non fuerit non sit lex [1].

6. Ea Philosophiae Moralis pars, quae principiis *novi juris* rectas justitiae normas opponit atque rimatur, *Jus naturae* seu *Deontologia* audit, sine cujus cognitione plenam atque perfectam scientiae moralis notitiam minime assequemur, sed umbram juris tantum habebimus. Huic igitur studio totis viribus incumbere oportet, aliter enim plurimas gravissimasque offendemus veritates nutabuntque ipsa justitiae naturalis principia: *Omnia sunt incerta,* inquit ***Tullius,*** *cum a jure discessum est.*

Jus Naturae ita vocatur quia est complexus jurium et officiorum quae a *lege naturae* promanare vel descendere ratio *ipsa naturalis* invenit. Realiter definitur: *Ea pars philosophiae moralis quae disserit de actibus humanis in ordine ad alias personas,* seu, *de relationibus hominis in societate viventis, natura ipsa, non pacto, constitutis.*

7. Hujusmodi relationes vel sunt, 1) hominis ad Deum, ad seipsum et ad alios homines ut *privatae personae,* et constituunt *juris individualis* objectum; 2) vel ad societatem cujus est membrum, et *juris socialis* materiam praebent, vel denique, 3) vigent inter duas societates ad quas simul pertinet unus idemque homo, quamvis sub diversa ratione, et circa eas versatur *jus internationale.*

8. A jure individuali incipimus ut facto ipso demonstremus non omnia hominis officia a societate civili dimanare, quemadmodum falso opinantur recentiores leguleii et quotquot nullam aliam Ethicam, praeter socialem, admittunt. Expedit tamen juris et officii notiones atque divisiones generatim explanare priusquam ad singula successive determinanda gradiamur. Quo pacto, illorum sententiam non probamus qui Ethicae inserunt tractatum specialem de Jure et Officio in communi. Tota ergo *Juris naturae* materia quatuor Disputationibus absolvetur, scilicet: 1.ª de jure et officio in genere, 2.ª de Jure individuali, 3.ª de Jure sociali et 4.ª de Jure internationali.

---

1 Cfr. Minteguiaga *La Moral Independiente*, etc. c. XIII. a. 3. y c. XX. a. 4; J. Manuel Ortí y Lara, *Introducción al estudio del Derecho*, c. II; Nicolás María Serrano, *Elementos de Filosofía del Derecho* (Madrid 1872), n. I, c. II. et p. II, c. VI; R. Rodríguez de Cepeda, *Elementos de Derecho Natural* (5.ª ed. Valencia 1908) lec. 13; Weiss, *Apolog. del Crist.*, tom. VIII. Conf. VIII y IX; H. Ahrens modificó en la 4.ª edición de su obra *la doctrina de la separación del Derecho y la Moral.* «La Etica se comprende ahora como la ciencia superior y el tronco común del que el Derecho y la Moral no son sino dos ramas diferentes, *Curso completo de Derecho Natural* o *Filosofía del Derecho*, pag. 7, 2.ª ed. españ. Madrid 1864, trad. por D. Manuel M.ª Flamant. Admite distinción, no separación entre ellas. Cfr. *Parte Gen.* c. II, § 4.

DISPUTATIO I.

DE

JURE ET OFFICIO GENERATIM INSPECTIS [1].

QUAESTIO UNICA.

Ut ea quae ad jus et officium generice spectant clarius exhibeantur, expendemus 1) naturam et divisiones juris et officii; 2) quodnam sit utriusque subjectum; 3) denique sermo erit de jure et officio inter se comparatis.

Articulus I

Declarantur natura divisionesque Juris.

§ 1.

JURIS NOTIO ET ORIGO.

Summa rerum. 1. *Etymologia hujus vocis «Jus».* 2. *Diversae ejusdem nominis acceptiones.* 3. *Realis juris definitio;—duplex juris conceptus;—utriusque distinctio;—vindicatur Angelicus et redarguitur Stahl;—explicatur denique definitio per partes.* 4. *Juris origo.* Thesis: *Omne jus, e quocumque fonte immediate manaverit, a divina auctoritate ultimo descendit, ab eaque vim obligandi accipit.* (Schola historica;—individualista;—liberalis;—Dualismus). 5. *Triplex erronea sententia circa naturam juris profligatur* (materialista, rationalistica, et pantheista). 6. Thesis: *Exsistit jus quoddam naturale antecedenter et independenter ab omni positiva legislatione, idcirco omnino immutabile.*

1. **Juris natura adumbratur.** Non est una omnium philosophorum sententia circa hujus vocabuli *jus* significationem. Nam quidam nominibus *pri-*

---

1 Cfr. D. Thomas, II-II, q. LVII-LXII; *Theologi Commentatores* in hunc loc. generatim; Joan. de Lugo, S. J. *Disputationes de Justitia et Jure* (Lugduni 1670), Disp. I, sect. I; Soto, de *Justitia et Jure*, lib. III, q. I, et sqq.; Laurentius a S. Teresia, *Specileg. Theolog.*, tom. IV. *De justitia et Jure*, Controversia I; Canonistae communiter in Tit. de *Constit.*; Reiffenstuel, *Prooemium*, § 1 et 2; Schmalzgrueber, *Jus eccl. unic.*, Diss. Prooemial., § 1; Bouix, *de Princip.*, sect. I, c. I; Ex philosophis, cfr. prae aliis Taparelli, quem in tota de *Jure Naturali* materia commendatissimum volo. *Ensayo Teórico de Derecho Natural*, loc. infra cit.; *Curso elemental de Derecho Natural*, c. III; *Examen crítico del Gobierno Representativo en la sociedad moderna*, traducido del italiano por *El Pensamiento*

mitivis ipsum adnumerant; alii *derivatum* esse docent. Et hi nec inter se conveniunt in determinando ejusdem vocis etymologiam. Sunt enim qui eam a verbo *juvo* derivant, eo quod *jus* vim quamdam et praesidium adversus aliorum injuriam importat. Alii, effectum tantum extrinsecum *juris* considerantes, eam repetunt a *jubendo*, quoniam *jus* est quasi *jussum* superioris habentis potestatem aliquid imperandi. Communior autem sententia docet cum *S. Thoma* et *Isidoro jus* esse objectum justitiae et ideo venire a *justo*, seu *recto*, prout *justum* et *rectum* sumuntur objective.

2. Jus autem multiplici alio sensu usurpatur: dicitur enim jus *lex ipsa*, *tribunal judicis*, *complexus legum*, *codex* in quo hae inveniuntur collectae etc. Hujusmodi autem juris acceptiones derivantur a propria ejusdem significatione secundum quam jus est idem ac *justum* objective sumptum, ut docet *S. Thomas*[1].

3. **Realis definitio.** Ex praejacta *finis* etymologia aperte deducitur duplex conceptus, sive duplex acceptio juris, *objectiva* et *subjectiva*; quae distinctio admodum necessaria est ad vitandas syrtes rationalisticae philosophiae solaque sufficit ad profligandam omnimodam juris moralisque separationem quam firmare pertentant liberalium idearum patrocinatores. Necesse enim est ut jus subjective acceptum intra limites justi coarctetur suamque vim ex illo hauriat, siquidem nisi in re inveniatur exigentia ad id quod petitur vel exigitur, facultas illud petendi nulla est ideoque neque jus. Hoc namque, sicut virtus ipsa cujus est objectum, utrumque petit *medium, rei* scilicet et *rationis*. Quamobrem jus objective acceptum independens est ab intentione agentis, neque fieri potest quod jus verum existat quin in re sit tale. Haec est ***S. Thomae*** doctrina. Erronee igitur scripsit ***F. J. Stahl Angelicum Doctorem*** «utrumque juris conceptum, subjectivum et objectivum, non satis distinxisse» et «discrimen, quo ordo juridicus ab ordine morali secernitur, penitus ignorasse»[2].

Jus ergo *objective* acceptum definitur: *id quod est alteri debitum*. Debetur autem aliquid alteri quia in hoc existit potestas ad illud exigendum. Igitur jus *subjective* acceptum describi potest cum ***Suarez***[3]: *Facultas*

Español (Madrid 1866), p. I, c. 1, § 2, et alibi; Costa-Rossetti, *Instit. Ethic. et Juris. Nat.* p. II, c. I, sect. I; Sanctus Schiffini, *Ethica Gener.*, Disp. IV; Audisio, *Juris. Natur. et Gent.*, Tit. Praelim.; J. Manuel Ortí y Lara, *Introducción al estudio del Derecho y principios del Derecho Natural*, c. I; Fernández Concha, *Filosofía del Derecho*, t. 1, c. II, a. 1-5; Aug. Ferretti, *Institut. Philos. Moralis*, Pars altera, c. I, n. 207-232; De Bie, *Ethica Gen.* c. VII, a. 1-3; J. Oudot, *Conscience et science du devoir*, t. 1, lib. II, p. Prelimin.

1 II-II, q. LVII, a. 1 ad 1; «Jus autem dictum est quia *justum* est.» Card. Turrecremata, O. P., *Gratiani Decretorum libri quinque* (Romae 1727), Tit. III, Rubrica I. Cfr. Ahrens, *Curso completo de Derecho Natural*, pág. 491-513.

2 Legatur II-II, q. LVII, a. 1.

3 *De leg.*, lib. I, c. II, n. 5.

quaedam moralis quam unusquisque habet vel circa rem suam vel ad rem sibi debitam; unde dat *posse,* sicut officium imponit *debitum.*

Dicitur ***facultas,*** id est, potestas sive activa sive passiva vel mixta ad aliquid exigendum; ***moralis,*** non physica, fundatur siquidem in ratione justitiae, quamvis supposita juris justitia, qui jure quodam pollet possit in sui tutelam vim physicam invocare [1].

Additur: ***quam quis habet etc.,*** ad designandum adaequatum juris objectum, quod potest esse vel operatio ejus, qui jure pollet, in alterum ponenda, vel operatio ei ab altero exigenda. Sicut autem justitia quandoque sumitur *late* pro sanctitate seu complexu omnium virtutum, quandoque vero *proprie* pro speciali virtute, una scilicet ex cardinalibus, quae ordinem ponit in his quae sunt ad alterum, ita etiam jus vel significat omne morale hominis debitum, vel tantum rectam hominis ordinationem ad invicem et ad societatem. Jus enim est vinculum morale quo nectuntur homines ad invicem et subsistit organismus socialis. Nam quemadmodum corpus physicum humanum indiget proportione quadam humorum ad sui conservationem, ita verus socialis ordo sine justitia et aequalitate quadam nequaquam subsistere potest. Hinc perbelle *Cicero: Jus fons est aequitatis, fundamentum libertatis.*

4. **Juris origo** [2]. Ex iis quae in Ethica fuse disputata dedimus, veritas sequentis theseos luce meridiana clarescit.

Thesis: Omne jus, e quocumque fonte immediate manaverit, a divina auctoritate ultimo descendit, ab eaque vim obligandi accipit.

Igitur 1) omne legale praeceptum aeterno juri repugnans, non jus, sed iniquitas quaedam est et injustitia.

2) *Schola historica juris* a ***C. J. de Savigni*** et ***F. J. Stahl*** prae-

---

1 Ad rem Taparelli: ¿Qué entendemos por las palabras *tener derecho?*—Entendemos que se tiene un *poder*. Así quien dice, el que es dueño de una cosa tiene derecho de disponer de ella, entiende que *puede* disponer de ella en efecto. ¿Y qué especie de *poder* es éste? El ladrón que tiene en su poder a un caminante ¿tiene acaso *derecho* a retenerlo? No: la fuerza física por sí sola es más bien contraria al derecho. El *derecho* es, pues, un *poder* independiente de la fuerza; puede haber derecho sin fuerza física y fuerza física sin derecho.

Todo *poder* supone, sin embargo, una *fuerza*. Por donde siendo el derecho un poder, forzoso es que tenga una fuerza moral, como quiera que solo conocemos dos fuerzas en la naturaleza, la una física, que obra sobre los cuerpos, y moral la otra, que obra sobre los seres espirituales. Tener derecho quiere por consiguiente decir tener un poder moral, un poder sobre los seres espirituales.

¿Y de qué modo se puede obrar sobre estos seres? Sobre la inteligencia ejercita su acción la verdad, sobre la voluntad el bien; el derecho indica, pues, un poder fundado en la verdad y en el bien. *Ensayo Teoret. del Derecho Natur.* Lib. II, c. III, n. 342-343.

2 Cfr. Audisio, *Jur. Natur. et Gent.*, lib. I, tit. I; Nicolás M.ª Serrano, *Elem. de Filos. del Derecho*, p. I, c. VII.

sertim exculta, asserens omnem juridicam obligationem ab humano instituto pendere, nullum enim obligationis fontem agnoscit praeter historicum, legem scilicet, factum aut consuetudinem publicam, neque jus aliquod stricte dictum quod non sit positivum, schola, inquam, historica juris vitio laborat. Eadem novissime docent Phoenomenologistae Germani, ***Stein, Jhering, Thon, Merckel, F. Dahn*** pluresque alii originem juris adscribentes volitioni subjectivae, luctae populorum, necessitudinibus humanis, evolutioni historicae aliisque fontibus empiricis. Eidem adhaerent scholae socialistae recentiores post ***Marx, Engels*** et ***Liebknecht,*** juris conceptum unice ex experientia derivantes[1].

3) Idem judicium ferendum est de *schola individualista* quodlibet jus juriumque complexum ab homine seu a libertate individuali, ut jam pridem fecerat ***Kantius,*** exclusive deducente.

4) Eodem ictu quoque percellitur *schola liberalis,* quae «potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam» esse docet, «partemque populi majorem universi juris esse officiique effectricem» contendit, ut testatur ***Leo XIII***[2].

Denique 5) rejicienda est moderna illa juris philosophia *(dualismus)* secundum quam, jus constitutum, etsi materialiter impium sit et immorale cui propterea *privatim* resistere licet, *publice* tamen tanquam verum jus est agnoscendum, ea sola ratione, quia auctoritate legali sancitur. Hinc duplex in homine conscientia, *privata* nempe et *publica,* quarum posterior semper in eo, qui munere fungitur publico, praevalere debet.—Sed falso. Jus enim se habet ad ordinem moralem universum sicut justitia prout est virtus specialis, ad justitiam universalem; ergo sicut haec ab illa separari non potest nec jus a moralitate. Huic separationi, uti alibi diximus, ansam praebuit ***Thomasius,*** qui docuit «obligationem internam facere hominem virtuosum, externam vero ju-

---

1 Véase *La última fase de la Filosofía del Derecho en Alemania,* por el Dr. Igino Petrone (versión de Cristóbal de Reyna), secc. I, c. I-IV. «Los usos y costumbres por sí solos no pueden dar origen al derecho; sólo pueden imprimir un sello característico a las exigencias universales del derecho impuestas por la razón y la conciencia moral... Una consecuencia de este criterio (scholae historicae) es que el derecho es variable y la escuela histórica lo enseña así a su manera. El derecho debe variar, declararon los antiguos, cuando el genio del pueblo ha llegado en su desarrollo progresivo a un cambio de orientación.—Debe variar, proclama la otra opinión, cuando su concepto no responde ya al criterio interesado de la facción en el poder. No deja de ser interesante recordar, aunque brevemente, cómo la filosofía histórica socialista ha explotado este mismo criterio en pro de sus ideas. No sólo el derecho, también la moral y la religión son, según Carlos Marx, el último término, el precipitado ideal del desarrollo económico propio de cada tiempo». *Política Social,* por el Barón Jorge de Hertling, Diputado del Parlamento alemán, versión española de Luis Heinz, IV, pág. 22. Schopenhauer defiende que la génesis del Derecho está en la injusticia. Petrone, c. II.

2 Encycl. *Libertas,* 20 Jun. 1888.

stum: Ethicae proprium finem esse pacem internam, juris vero externam»; illi igitur obligationes internas, huic obligationes externas attribuendas esse statuit. Nec disentit ***Kantius.*** Verum recta et adaequata juris notio duas includit notas essentiales *honestatem et inviolabilitatem.*

5. *Circa naturam juris* triplicem sententiam reperimus tum inter antiquos tum inter recentiores philosophos. Cum enim homo considerari possit ut ens *corporeum, spirituale* seu rationale et *sociale,* triplex inde nata est juris appretiatio, quaedam scilicet *materialista,* alia *rationalistica,* tertia demum *pantheista* seu *absolutae evolutionis.*

Materialistae et Eudemonistae omnes, cum nihil praeter materiam esse doceant animique spiritualitatem et immortalitatem plane inficientur, jus situm esse existimant in voluptate, vi physica, utilitate publica aut privata. Ita *Aristippus, Carneades, Epicurus, Lucretius* inter antiquos, *J. Bentham, Hobbes, Spinoza, Stahl, Haller, Kirchmann,* inter modernos, quorum commune dogma est: *Jus ab utilitate aut a physica potestate non distingui. Utile est, ergo jus est*[1]. Novissime *Egoismum* privatamque utilitatem tanquam unicum juris objectum et finem inducit *R. von Jhering.* Homo namque in suis operationibus debet omnino praescindere, juxta ipsum, ab officio morali propriamque satisfactionem dumtaxat quaerere[2].

Rationalistae hominis independentiam uno ore proclamantes, jus consistere autumant, duce *Kantio,* in concilianda omnium libertate, quamobrem vera germanaque idea juris substituitur per speciem cujusdam *mechanismi legalis.* Audiatur *Kantius:* «Jus est complexus conditionum sub quibus libertas unius cum libertate alterius secundum legem universalem libertatis harmonice simul subsistere potest». Hinc pro regula generali operandi hanc statuit: «Ita exterius age ut liber usus tuae libertatis cum libertate omnium consistere possit». Logice ergo conclusit duplicem existere legislationem essentialiter diversam, *internam* scilicet seu *ethicam* et *externam* seu *juridicam;* primae autem obeditur, juxta ipsum, ex reverentia legis; posteriori autem per coactionem physicam.

Haud immorabimur in refutatione hujus rationalistiscae appretiationis: sufficit quippe recolere *a)* jus esse objectum justitiae, quae cum

1 Horatius nomine materialistarum dicit: «Atque ipsa utilitas justi prope mater et aequi». *Satyr.,* I, 3. Apud Platonem sic inducitur quis loquens: «Secundum naturam jus nullum est nisi jus fortioris». *Gorg.* 482. Hobbes autem non est veritus scribere: «Natura dedit unicuique jus in omnia... Ex quo intelligitur in statu naturae mensuram juris esse utilitatem». Spinoza: «Quia universalis potentia totius naturae nihil est praeter potentiam omnium individuorum simul, hinc sequitur unumquodque individuum jus summum habere ad omnia quae potest, sive jus uniuscujusque eo usque se extendit quo ejus determinata potentia». *Tract. Theol. Polit.,* c. XVI, § 4; cfr. ib. § 24; Hertling, *Política social,* V; Rodríguez de Cepeda, *Elementos de Derecho Natural,* lecc. 14-18.

2 Véase la *Revista Social Hispano-Americana,* Junio 1912.

sit virtus moralis bonum reddit habentem et opus ejus bonum, idcirco non tantum rectificat actiones externas, sed totum hominem; *b)* rationem justi se habere ad moralitatem sicut pars ad totum a qua separari non potest quin ipso facto pereat; *c)* kantianam theoriam a Fichte evolutam et completam regulam operandi determinatam haud assignare, quod est nullam constituere; *d)* inducere atheismum politicum; *e)* negata divina juris origine, e medio tolli omnem obligationem moralem nullamque justi et injusti, boni et mali normam superesse, praeter vim fortioris, *quia nominor leo. f)* Denique si jus est «potestas eas actiones eliciendi, quarum exercitium, licet universale, coexistentiam aliorum, prout entia libera sunt, non impedit», ergo jusne habent homines ad actiones intrinsece turpes, cum aliorum libertatem non laedunt, ponendas? Id logice ex definitione kantiana juris infertur.

Pseudopolitici pantheistae cum *Schelling*, *Hegel* aliisque, *Kantii* vestigia prementes, loco rationis individualis autonomae, posuerunt voluntatem absolutam pantheistice manifestatam, quae nihil aliud est quam *Deus Status*. *Absolutum* enim *schellingianum* in ordine speculativo est ipsemet Status in ordine juridico. Hinc Status est ratio cujusque juris, imo et ipsum jus. «Status enim, ait ipsemet *Hegel*, est realitas ideae ethicae, realitas voluntatis substantialis, *absolutus finis in se*, in quo libertas summum suum jus assequitur, et qui absolutum jus habet in singulos homines quorum *supremum officium est esse membra Status publici*..... Status est spiritus in mundo stans et in eo se qua *sui conscius* realizans..., est divina voluntas qua spiritus praesens ad realem et organicam formam mundi semetipsum explicans» [1].

Verbo. Status, juxta citatos doctores, nihil aliud est quam illa unica substantia pantheistica (idea, voluntas, absolutum, numen), quae continuo et necessario processu sese evolvens in natura ut *spiritus dormiens*, sui conscientiam assequitur in homine, et ad supremam realitatem pervenit in Statu, quocum universum jus identificatur utpote finis absolutus in se et plena ideae ethicae realizatio (personificación de la idea moral).

Inde logice infertur haec propositio (alias in *Syllabo Pii Pp. IX* proscripta): *Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus* [2].

Inde etiam formula illa qua omnipotentia Status consecratur: *Jubetur, ergo jus est* (absolutismus) [3].

---

1 Apud Meyer, *Jus. Nat.* p. I, lib. II, sect. II, c. II, a. 3, § 1.

2 Prop. XXXIX.

3 El principio *est jus quia jussum est*, es la fórmula del Positivismo, y la vemos esta-

6. Natura ergo juris conformiter ad ea, quae tum de moralitate tum de lege praejacta sunt, explicari debet. Proinde a rectitudine intrinseca actus exordiendum est ut jus determinetur; lex enim justa imprimis dicitur quando ordinatur ad objectum intrinsece rectum et naturae rationali consonum aut saltem non adversum, qua rectitudine prorsus deficiente, vel etiam minima ad legem aeternam honestumque bonum stante oppositione, lex certo justa non est. Ergo formula tenenda esto: *Jus est, ergo juberi potest,* vel negative, *justum non est, ergo juberi nequit.*

Consequitur thesis: **Existit jus quoddam naturale antecedenter et independenter ab omni positiva legislatione, idcirco omnino immutabile.**

Jus naturale plane rejiciunt vel cum jure positivo identificant fere omnes scriptores qui ex Empirismo aut Rationalismo prodierunt. Sic *Kirchmann, Herwart, Schelling, Hegel, Bierling, Dahn, Lasson, Jhering, Stoerk, Stammler,* etc.[1]

Probatur I pars. Leges justae cujusque nationis ita ligant cives in conscientia ut ad earum observantiam vi adigi possint; atqui obligatio illa nequit in alia legislatione positiva ultimo fundari; ergo nonnisi a natura et auctore naturae descendit.—Nec aliunde oritur obedientia Statui debita nisi ex illa naturae intentione quae publicam potestatem instituit ut medium necessarium ad ordinem servandum. Ideo namque Status legiferam potestatem cum auctoritate obligandi subditos exposcit, quia ipsi officium naturale sane incumbit procurandi bonum commune societatis. Atqui hujusmodi officium certo praecedit ordine causalitatis existentiam Status, est enim propter illud; ergo legislatio positiva et ipsum jus imperandi praesupponunt jus naturale, cui Status in legibus condendis necessario subjicitur[2].

Prob. II pars. Jus civile juri naturae tanquam regulae et mensurae conformari debet ne a recto rerum ordine deviet. Atqui regula et mensura justitiae fixa et immutabilis sit oportet, secus nutaret moralitas legislationis civilis, nec unquam certo definire possemus an

---

blecida por Jhering, Dahn, Lasson, Bierling, Kirchmann y otros. Cfr. Petrone, loc. cit. sec. II. c. 1.

1 Cfr. Petrone, loc. cit. Todos los argumentos contra el Derecho Natural se reducen a este: «Vuestro derecho no existe, porque no está comprobado por la experiencia». Respondo: ya lo sabíamos, no es fenoménico, no es un hecho; es lo que debe ser. La experiencia por sí sola no está más en condiciones de descubrir el momento universal y necesario del Derecho, ni el enlace causal de los fenómenos jurídicos, que en los demás ordenes y ciencias. Nosotros tenemos *filosofía del Derecho*; los antiescolásticos solo tienen *Fenomenología* del Derecho.

2 Cfr. Hertling, *Política social*, pag. 37: «Ea quae sunt juris humani non possunt derogare juri naturali aut divino» D. Thomas, II-II, q. LXVI, a. 7; Willems, loc. cit. § 3; De Bie, loc. cit., a. 3, § 2.

jus civile sit justum necne. Ipsa ergo mutabilitas juris civilis expostulat jus naturale omnino immutabile [1].

§ 2.

JURIS DIVISIO

Summa rerum. 1. *Jus naturale et positivum.* 2. *Jus subjective acceptum dividitur ratione subjecti.* 3. *Ratione modi* 4. *Jus alienabile, inalienabile.* 5. *Perfectum et imperfectum;—diversitas opinandi inter recentiores circa ultimam divisionem.* 6. *ratione termini.* 7. *ratione legis.—Mens* S. Thomae *declaratur.*

1. Jus objective acceptum dividitur in *naturale* et *positivum,* secundum quod justum, seu quod est alteri debitum, est ei adaequatum ex natura rei, aut ex voluntate, pacto, vel lege humana.

Audiatur *Angelicus:* «Jus, sive justum, inquit, est opus adaequatum alteri secundum aliquem aequalitatis modum. Dupliciter autem potest alicui homini esse aliquid adaequatum. Uno quidem modo, ex *ipsa natura rei,* puta cum aliquis tantum dat ut tantum recipiat, et hoc vocatur *jus naturale.* Alio modo aliquid est adaequatum vel commensuratum alteri *ex condicto,* sive ex *communi placito,* quando scilicet aliquis reputat se contentum, si tantum recipiat. Quod quidem fieri potest dupliciter. Uno modo per aliquod *privatum* condictum, sicut quod firmatur aliquo pacto inter privatas personas; alio modo ex condicto *publico,* puta cum totus populus consentit, quod aliquid habeatur quasi adaequatum et commensuratum alteri, vel cum hoc ordinat princeps qui curam populi habet et ejus personam gerit, et hoc dicitur *jus positivum*» [2].

2. Jus subjective acceptum, prout est nempe facultas personae morali competens ad aliquid juste habendum vel exigendum, dividitur *a)* ratione *subjecti* cui inest, in *individuale* et *sociale,* prout subjectum juris

---

1 Muy bien dice Hertling: «Si el derecho está sujeto a variaciones, si no existen normas absolutas independientes de toda legislación humana ¿qué posición inexpugnable cabe frente a las exigencias de la revolución social?... Solo el reconocimiento de determinados principios fundamentales de derecho, eternos e invariables porque surgen de la naturaleza humana y del orden moral, constituye un terreno firme no solo para oponerse victoriosamente a las aspiraciones destructoras del socialismo sino para demostrar que carecen en absoluto de todo fundamento.—*La admisión de un derecho natural es un prolegómeno indispensable de una seria política social. Política social,* IV, pág. 23.

2 II-II, q. LVII, a. 2.

est vel *persona physica,* secundum quod spectatur ut independens a communitate, vel *persona moralis* quatenus est membrum societatis. Jus autem sociale pro triplici societate distincta subdividitur in *domesticum, civile* et *ecclesiasticum.*

3. *b)* ratione *modi* quo adquiritur et possidetur in *innatum* seu *congenitum* et *adventitium* seu *adquisitum.* Dicuntur jura innata quae homini vi naturae conveniunt quaeque a nativitate possidentur et ideo *primitiva* quandoque vocantur, ut jus conservandi vitam, perficiendi intellectum etc. Adventitia, quae etiam *secundaria* et *hypothetica* dicuntur, ex facto aliquo, lege vel voluntate proveniunt, ut jus imperandi, haec vel alia possidendi.

4. Item in *alienabile* et *inalienabile.* Primum nuncupatur illud quod quis potest licite vel saltem valide cedere, ut jus bona haereditate accepta retinendi. Alterum est cui nemo potest nec licite nec valide renuntiare, uti sunt omnia jura quae adjunctum habent praeceptum naturae.

5. Demum in *perfectum* et *imperfectum.* Perfectum dicitur quod ex *justitia stricte accepta oritur vimque physicam coactivam habet conjunctam,* ut qui tale jus violare pertentet invitus etiam cogatur; v. gr. jus ad propriam vitam conservandam quocum nectitur jus repellendi injustum aggressorem. Jura ergo perfecta *stricto justo* respondent. Vocantur autem imperfecta quae pullulant ex justitia lato sensu accepta, idcirco ad haec praestanda invitus nemo cogi potest. Non ergo respondent *justo,* sed magis *aequo,* quia, ut docet ***S. Th.,*** haec debentur «non ex justitiae necessitate, sed ex quadam morali aequitate»; v. gr. jus emendicandi quod, necessitatis extremae exceptione facta, non est connexum cum pressa justitia conferendi cuique petenti, sed cum caritate vel justitia late sumpta. «Quia multi sunt, inquit ***Angelicus,*** necessitatem patientes et non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur *arbitrio uniuscujusque* dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus» [1].

Verum non omnes recentiores in tradita notione conveniunt. Cum enim dentur jura ad quae repetenda vis physica coactiva adhiberi potest, quaeque tamen strictae justitiae debito minime respondent, v. gr. jura imperandi in eo qui jurisdictione gaudet, quae non sunt objectum justitiae, sed obedientiae, dicunt jus *imperfectum, illud quod non est determinatum sive in se, sive quoad personas,* v. gr. jus dignorum ad obtinenda officia communitatis; jus vero *perfectum* illud quod *determinatum est tum in se, tum quoad personas,* uti jus rem suam recuperandi.

1 II-II, q. LXVI, a. 7.

6. *c)* Jus dividitur ratione *termini* in *personale* et *reale*. Haec autem duplici sensu plane diverso usurpari possunt. 1.° Dicuntur enim quaedam jura personalia, alia vero realia, non eo sensu quod aliae res, praeter entia rationalia, possint esse subjecta jurium, sed personalia vocantur quae *personae immediate inhaerent*, ut jus conservandi vitam; realia vero quae *eidem nonnisi alia re mediante competunt*, v. gr. jus ferendi leges. 2.° Jus personale seu jus *ad rem* est quod *quis habet ut res aliqua fiat sua, licet actu nondum illam possideat;* dat igitur actionem in personam immediate ut haec debitum satisfaciat; ut si quis emit ovem, quam adhuc minime accepit, jus habet in venditorem qui officio devincitur ad ovem tradendam. Reale vero seu jus *in re* est quod *quis habet in re sua habita et possessa.*

7. *d)* Ratione *legis*, unde jus enascitur, et pro qua multoties promiscue sumitur, dividitur in *naturale* et *positivum, divinum* et *humanum* ceteraque membra in quae dispescitur lex. Definitiones naturaliter cuique obviam veniunt.

Id tantum notare volumus haud raro *Divum Thomam* sub divino et humano jure quaedam comprehendere quae ad jus naturale abs dubio pertinent. Cum enim sibi objecisset: «Jus divinum non est jus naturale, cum excedat naturam humanam; similiter etiam non est jus positivum, quia non innititur auctoritati humanae, sed auctoritati divinae. Ergo inconvenienter dividitur jus per naturale et positivum» respondet:

«Dicendum quod jus divinum dicitur *quod divinitus promulgatur*, et hoc quidem partim est de his quae sunt naturaliter justa, sed tamen eorum justitia homines latet; partim autem de his quae fiunt justa institutione divina. Unde etiam jus divinum per haec duo distingui potest, sicut et jus humanum. Sunt enim in lege divina quaedam praecepta, quia bona, et prohibita, quia mala, quaedam vero bona quia praecepta, et mala quia prohibita»[1]. Ergo *jus divinum* est quod divinitus promulgatur et revelatione divina innotescit; *humanum* vero non est, juxta mentem *Angelici* in praesenti, jus *humanitus constitutum*, sed quod *ratione naturali innotescit*. En cur jus gentium vocari potest juxta mentem *Angelici jus humanum* et tamen non contineri sub jure *simpliciter positivo*, sed pertinere ad jus naturale secundum quid[2]; et idcirco non esse simpliciter mutabile, ut alibi innuimus ad vitanda gravissima quae inde deduci possunt falsa consectaria.

1 II-II, q. LVII, a. 2 ad 3.
2 Cfr. ib. a. 3.

§ 3.

DE PROPRIETATIBUS JURIS [1]

Summa rerum. 1. *Juris attributa.* 2. *Limitationis notio.* 3. *Undenam juris extensio desumitur; – limites juris* (quinque capita). 4. *Jurium collisio definitur;--an sit tantum apparens;--lex ad solvendum conflictum.* 5. *Quae sunt prae oculis habenda ut determinetur in praxi utrum jus praevaleat. – Taparelli doctrina. – Titulus juris quid sit.* 6. *Coactionis notio; – quotuplex.* Thesis. *Jus vi pollet coactiva ut inviolabile servetur, aut injuste laesum reparetur.* Prob. 7. *An externa coactio sit de ratione juris.— Schola historica.—Stahl.– Vera sententia.* 8. *Quid injuria. – Conditiones requisitae ad justitiam coactionis.*

Juris attributa seu proprietates. Jus subjective acceptum potest considerari *a)* in se, *b)* in comparatione cum alio jure et *c)* in ordine ad aliam personam in quam jus habemus. Tres ergo sunt attributa seu proprietates juris subjective accepti: *limitatio, collisio* et *coactio* [2].

2. **Nomine limitationis juris** intelligimus *finium determinationem extra quos jus efficaciam nullam habet ad obligandum alios.* Ex kantiana doctrina, juxta quam absoluta libertas cuique concedenda est dummodo alterius libertatem minime laedat, quidam philosophi, *Kantismo* adhaerentes, unicum principium quo jus limitetur actionem externam proximi constituunt. Ex quo profluit *onerosa et universalis illa politiae institutio,* necessaria quidem, deficiente ethico principio, ad continendos cives intra propios terminos juris, qua gravantur civitates et individuorum actiones odiose permolesteque inquiruntur et *fiscalizantur.*

3. Verum, ut egregie ratiocinatur ***Card. Zigliara,*** «jus subjective consideratum enascitur a lege. Lex autem ordinem ponit in actibus humanis juxta finis exigentiam ad quem actus ordinantur. Ergo extensio jurium ex fine ipso, quem lex sibi proponit, desumenda est: ut scilicet jus sit solummodo 1.° *in media* sine quibus finis obtineri non potest; 2.° in media *licita* quae ad finem legis ducunt, non autem in alia quae a fine avertunt et quae turpia sunt; 3.° denique in omne id ad quod altera persona servandum obligatur. Jus enim et officium sunt correlativa, et terminus officii est etiam terminus juris» [3]. Non ergo

1 Cfr. Meyer, *Institutiones Juris. Natur.*, sect. altera, lib. II, c. I, a. 3, § 3, et c. III, a. 4; Willems, p. II, lib. I, § 2, II; Farges et Berbedette, *Ethica Spec.*, lib. I, c. I, a. 1, n. 63; Rodriguez de Cepeda, loc. cit. lecc. 21 y 22.

2 Aliqui quartam addunt proprietatem scilicet *personalitatem.* Cfr. Fernández Concha, loc. cit. a. 2, I; alii aliam, *inviolabilitatem.* Farges, loc. cit.

3 *Jus Nat.*, lib. I, c. I, a. 1, n. VIII.

coarctatur jus tantum per actionem externam alterius personae ipsiusque libertatis laesionem, quae quidem limitatio *extrinseca* vocari posset, sed ex se, suapte natura, intrinsece quoque; est enim facultas ad aliquid juste habendum vel exigendum; ergo non est quid absolutum et illimitatum, sed 1.° generatim ex ipsa justitia objective sumpta mensuratur et limitatur; 2.° ex fine ad quem natura sua ordinatur; 3.° ex objecto sive materia circa quam versatur; 4.° saepissime ex ipsa voluntate legislatoris decernente quousque tandem jus se extendere queat; jus namque a lege oritur; ergo, sicut lex coarctatur juxta legislatoris placitum, ita et jus; et 5.° denique limitatur ex jure vel officio alterius, seu per collisionem jurium.

4. **Est autem collisio** *conflictus duorum jurium circa eamdem materiam, quorum unum servari non potest quin alterum laedatur.* Jam vero omnia jura a natura auctoreque naturae saltem mediate descendere alibi diximus; Deus autem seipsum negare non potest; ergo vera oppositio inter vera et realia jura dari non potest, sed praefata collisio est tantum *apparens,* vel quod in idem reddit: collisio potius quam jura per se respicit jurium usum sive exercitium. Igitur *ad solvendum conflictum,* casu quo bina jura collidantur, *suspenditur usus alterutrius, interim intacto alio in se remanente.*

5. Sed ut in praxi determinetur *utrum jus alteri praevaleat* attendendum est 1.° ad leges ex quibus jura enascuntur; lex siquidem nobilior praevalet; ergo *jura negativa affirmativis, naturalia positivis, ecclesiastica civilibus praestant:* 2.° ad bona quae per jura et officia attinguntur; unde *bonum privatum cedere debet bono communi, bonum corporis bono animae:* 3.° ad necessitates; sic, per se loquendo et in iisdem circumstantiis, prius subveniendum est pauperi extrema necessitate laboranti, quam in gravi tantum constituto; 4.° *ad personas;* hinc officia quae sunt ad Deum potiora sunt quam quae ad homines; ergo et jura religiosa praevalent mere civilibus; jura regis, saltem quoad bonum reipublicae, juribus pauperis.

Paulo aliter *Taparelli:* ad solvendam collisionem jurium haec sunt inspicienda: 1.° *objectum;* quare illud jus ratione objecti praevalet quod circa praestantius objectum versatur; 2.° *ordo ad quem refertur;* unde jus sociale individuali est anteponendum; 3.° *titulus* quo nititur; ratione cujus illud jus praevalet quod habet evidentiorem titulum[1]. Titulus philosophice acceptus est *id in quo juris facultas proxime et immediate fundatur;* seu *ratio illa objectiva ex qua jus habet efficaciam determinatam in individuo.*

1 *Ensayo teorético de Der. Nat.* n. 363. «El derecho es un poder que nace del orden representado á la razón: luego tanto es más vigoroso cuanto es más importante su *materia* y el orden más *universal* y su evidencia más *perspicua*». ib.

6. **Coactio** est *vis physica alteri illata qua flectatur ad faciendum quod facere recusat.* Porro haec coactio juris quae est facultas ad materiale praesidium adhibendum ut jus incolume servetur cum aliter servari nequit, distincta est ab illa altera coactione morali quam quodlibet jus necessario praesefert, qua nempe obligat ad aliquid repetendum. Prior enim separabilis est a jure ipsique extrinseca; posterior vero tota moralis est intrinsece jus ipsum constituens et in conscientiam tantum vim suam exerens; quare illa efficacia externa prioris a physicis mediis dependet; istius vero vis interna in justitia tantum fundamentum habet.

Thesis: Jus vi pollet coactiva ut inviolabile servetur aut injuste laesum reparetur.

Prob.

1) Verum jus, ut ex praefacta definitione constat, duas necessario praesefert notas vel conditiones, scilicet *honestatem* et *inviolabilitatem:* atqui jus vi coactiva destitutum saepissime inefficaci inviolabilitate gauderet; ergo sufficienti coactivitate muniri debet, ut legitimus juris possessor possit impedire ne laedatur, aut si laesum fuerit, injuriae reparationem exigere.

2) Haec veritas fundatur in jure naturae, quia, ut ait ***Lugo,*** «nihil tam naturale est quam unumquemque se ab injuriis defendere; sicut e contra nihil magis quieti et paci humanae repugnaret quam si scelerati impune possent quoslibet absque ulla resistentia laedere» [1]; utrumque autem exposcit ut jus efficaci coactivitate sit praeditum; ergo jus vi pollet coactiva ut inviolate servetur, aut injuste laesum reparetur.

7. Jam vero quamvis jus proprie dictum coactionem externam tanquam conditionem necessariam expostulet ut effectum sortiatur, nihilominus dicendum est contra *Materialistas, Positivistas, Scholam historicam* et nominatim contra ***Stahl, Lasson, Lipps*** aliosque post ***Kantium,*** *illam efficaciam externam minime ad essentialem juris rationem pertinere, sed jus firmum et integrum permanere, etiamsi physico praesidio careat.* Quod quidem, post dicta de natura juris, probatione non indiget. Tota enim et propria juris efficacia moralis est; violentia igitur laedi potest jus, non autem destrui.

8. Laesio juris *injuria* communiter nuncupatur, quae proprie et stricte prout opponitur justitiae commutativae nihil aliud est, inquit

1 Disp. V. sect. VI, n. 137.

Lugo, quam *voluntaria laesio et violatio juris alieni*[1], ad quam reparandam inducitur *coactio* vel, ut alii malunt, *vindicatio* per quam, ut loquitur ***Tullius*** in sua Rhetorica, *vis aut injuria et omnino quidquid obfuturum est defendendo aut ulciscendo propulsatur*[2]. Ut autem sit justa duas potissimum conditiones servet oportet: I.ª Non uti majori vi quam quae necessaria sit ad jus incolume servandum proindeque nec modum debitamque mensuram excedere: II.ª Eam non adhibere ex livore ulciscendi, sed animo tantum se defendendi contra injuriam illatam vel reparandi jus laesum. «Si enim ejus intentio, inquit ***Angelicus,*** feratur principaliter in malum illius de quo vindictam sumit et ibi quiescat, est omnino illicitum; quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod caritati repugnat, qua omnes homines debemus diligere»[3].

§ 4.

OFFICII NOTIO, DIVISIO ATQUE SUSPENSIO

Summa rerum.—1. *Officii notio etymologica.* 2. *Definitur quoad rem abstracte et concrete.* 3. *Cujus naturae sit obligatio quam importat officium;—quae subinde inferuntur.* 4. *Officii divisiones: a)* ex parte legis a qua dimanat; *b)* ratione fundamenti; *c)* ratione termini; *d)* relate ad justitiam.—*Singulae species definiuntur.* 5. *Quaestio de jure necessitatis seu de suspensione officii.—Status quaestionis;--praenotanda*—(quid necessitas,—quotuplex,—officia essentialia et adventitia, affirmativa et negativa). 6. *Resolvitur quaestio.* Theses.—Probantur. 7. *Gravitas officiorum unde aestimanda.*

1. **Officii notio.** Ab efficientia officii nomen sumitur, inquit ***D. Th.,*** quia, sicut dicit ***Isidorus*** VI Etymol. c. XVII, officium ab efficiendo est dictum, quasi efficium, propter decorem sermonis, una mutata littera[4]. Vulgo autem officium significat aliquod *munus* sive sociale sive privatum vi cujus homines speciales adquirunt obligationes, vel sunt deputati ad quasdam actiones ponendas; unde *officium importat respectum ad actionem.* Dicuntur in diversis officiis esse, scribit ***Angelicus,*** qui sunt ad diversas actiones deputati[5].

---

1 Disp. VIII, sect. I, n. 1.

2 Apud D. Th., II-II, q. CVIII, a. 2.

3 ib. a. 1. Laesio juris considerari potest, active seu in offendente et tunc vocatur *injustitia*, et pasive in persona scilicet offensa et *injuria* proprie dicitur.

4 II-II, q. CLXXXIII, a. 3.

5 ib. Cfr. Fernández Concha, *Derecho público eccles.*, t. I. c. VIII, n. 193-7; Bautain, *Philos. Morale*, t. 2, chap. IV.

2. Realiter officium definiri potest abstracte et concrete. Officium *abstracte* sumptum est: *obligatio moralis qua voluntas adstringitur ad aliquid faciendum vel omittendum. Ipsa autem actio vel omissio ad quam quis obligatur,* dicitur officium *concrete* acceptum.

3. Porro hujusmodi obligatio *moralis* est de essentia cujusque officii, importat siquidem *debitum* respondens juri alterius[1]. Ex quo inferes:

1.° quod, cum haec obligatio a lege proveniat, omnesque leges juris naturae sint emanationes, nulla dantur veri nominis officia quae ethicum hunc characterem non participent; et 2.° remota Dei supremi legislatoris existentia proindeque lege aeterna et naturali, necessario omnino negantur omnia jura et officia.

4. **Officii divisiones** sequentes damus: *a)* ex parte legis a qua oriuntur dividuntur officia in *naturalia* et *positiva, affirmativa* et *negativa.*

b) ratione fundamenti in *originaria* seu *congenita* et *derivata* seu *adventitia.* Primi generis sunt quae in ipsa natura hominis immediate fundantur nec aliquid aliud praeter hominis existentiam supponunt. Alterius vero speciei sunt quae ex aliquo facto vel conditione dependent.

c) ratione termini in *religiosa, immanentia* et *socialia,* seu in officia erga *Deum,* erga *seipsum* et erga *alios homines,* prout *directe* et *proxime* respiciunt Deum, seipsum vel alios homines.

d) relate ad justitiam in *juridica* seu *perfecta* et *non juridica* seu *mere ethica,* alio nomine *imperfecta,* prout supra dictum est de juribus. Priora, ex ***S. Thoma,*** dicuntur quae important *debitum legale,* ad quod scilicet reddendum aliquis lege adstringitur quodque ex stricta justitia repeti potest. Imperfecta vero sunt quae debentur non quidem ex stricta justitia sed ex honestate tantum virtutis; important ergo *debitum* illud *morale* sine quo honestas morum conservari potest. Nam ea quae implicant debitum *morale,* sic tamen necessarium ut sine eo morum honestas conservari nequeat, inter juridica vel quasi juridica computanda sunt respectu societatis[2].

5. **De jure necessitatis** seu de suspensione legis seu officii. Movetur hic quaestio ***an instante necessitate urgeat adimpletio prae-***

---

1 Fouillée, sustituye la idea del *deber* con la del *ideal persuasivo.* Bayet llega a afirmar que la idea del *deber* se ha hecho incomprensible. Niegan la existencia de toda obligación moral cuantos profesan las ideas de la escuela kantiana y proclaman la libertad absoluta del hombre en orden a toda ley que de él no proceda. «Obligación, dice Kant, es la necesidad de una acción libre bajo un imperativo categórico de la razón». «El imperativo categórico es una regla práctica en virtud de la cual una acción en sí misma contingente se convierte en necesaria». *Principios metafísicos del Derecho,* traducción de G. Lizarraga, (Madrid, 1873), pág. 30.

2 Cfr. D. Th., II-II, q. LXXX, a. unic.

cepti, vel e contra, suspendatur officium quando necessitas perdurat. Contingit enim quandoque jus cum officio collidi, et in uno eodemque momento malum quoddam simul et officium imminere ita ut unum vitari non possit quin alterum laedatur. *Status in quo sine periculo saltem imminentis mali officium adimpleri nequit,* vocatur *necessitas.*

Ad solvendam praefatam quaestionem sequentia prae oculis sunt habenda: *a)* non est quaestio de necessitate quae totaliter immutat, vel destruit, materiam circa quam versatur officium; tunc enim non suspenditur exercitium officii, sed cessat ipsum officium. Hic autem agitur de suspensione legis, stante eadem materia: *b)* nec movetur quaestio de necessitate in quam aliquis sponte se conjicit *(hypothetica)*, ne teneatur officium implere; ergo *c)* necessitas de qua loquimur impraesentiarum importat impossibilitatem implendi officium seu praeceptum *ex* et *propter* imminentiam mali, et vocatur *absoluta*. *d)* Haec autem est triplex: *extrema, gravis* et *communis*. Extrema illa dicitur in qua imminet maximum malum, ut vitae discrimen et alia gravissima mala quae non inferiora morte aestimantur. *Gravis* in qua inciditur in malum notabile non contemnendum a viro prudenti et forti, ut amissio salutis, rei familiaris et similia. *Communis* vero necessitas dicitur illa difficultas quam omnes experiuntur in suis operationibus virtuosis orta ex malo quodam communi spernendo a viro prudenti. *e)* Postremo notandum est officia, quae obligationem important, alia esse *essentialia,* ut supra diximus, quae scilicet fundantur in necessariis relationibus naturae humanae, quaeque in *negativa* et *affirmativa* dividuntur; alia vero *adventitia* quae ex pacto aliquo aut ex lege positiva oriuntur.

6. His premissis, consideratione habita ad necessitates et mala imminentia simul et ad praecepta seu officia, propositam quaestionem sic enodamus [1]:

I.ª *Nulla necessitas, quaecumque illa sit, eximit ab adimplendo officio negativo essentiali.*

Nam tale praeceptum, ut modo diximus, obligat *semper* et ad *semper;* ergo etiam instante vitae discrimine, non licet illud praeterire; est enim de iis quae sunt essentialiter mala quaeque aliter esse non possunt nec ullo modo fieri bona. Igitur obligatio implendi praeceptum negativum essentiale urget etiam in actuali concursu mali gravissimi. Tunc dicendum *fiat justitia, pereat mundus.* Hinc quoque illud Juvenalis:

> Ambiguae si quando citabere testis
> Incertaeque rei, Phalaris licet imperet ut sis
> Falsus, et admoto jubeat perjuria tauro,

1 Cfr. Mancini, *Jus Natur.*, q. I, a. 3; Zigliara, *Jus Nat. Individuale*, lib. I, c. I, a. 3.

Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causam[1].

II.ª *Necessitas gravis, et a fortiori extrema, jus concedunt praetermittendi pro tunc actum praeceptum ab officio affirmativo essentiali.* Concurrentibus igitur praecepto quodam affirmativo, licet essentiali, et malo tum summo vel etiam gravi, differri potest in aliud tempus observantia praedicti officii.

Hanc et praecedentem conclusionem eleganter non minus quam pie his verbis expressit ***Thomas a Kempis:*** «*Pro nulla re mundi et pro nullius hominis dilectione aliquod malum est faciendum; sed pro utilitate tamen indigentis opus bonum libere aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum*»[2].

Prob. prop. Ajente ***Angelico Praeceptore,*** «sicut praecepta negativa legis prohibent actus peccatorum, ita praecepta affirmativa inducunt ad actus virtutum..... Sed actus virtutum non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quae requiruntur ad hoc quod sit actus virtuosus; ut scilicet fiat ubi debet, et quando debet, et secundum quod debet». Atqui «dispositio eorum quae sunt ad finem attenditur secundum rationem finis»[3]; sed ratio finis non exigit ut semper et in quolibet loco et tempore ponatur actus virtutis, v. gr. correctio fraterna ordinata ad delinquentis emendationem; quia finis obtineri potest quin hic et nunc frater corrigatur; ergo instante necessitate gravi aut extrema, potest suspendi exercitium obligationis impositae a praecepto affirmativo. Ita explicantur fugae quorumdam Sanctorum et Apologistarum Religionis Christianae.

III.ª *Minor necessitas, gravis tamen, requiritur ut quis eximatur ab officio adventitio implendo.* Patet ex dictis in praecedenti propositione. Ad finem quippe ob quem leges positivae conduntur non est necesse ut semper et in omni circumstantia officium servetur. Hinc natum est illud: *Lex positiva non obligat cum gravi incommodo.* Et in hoc conflictu potissimum locum habet alterum effatum: *Necessitas non habet legem.*

IV.ª *Si tamen praefata exemptio redundaret in contemptum Dei, religionis, aut in damnum commune Reipublicae, tunc, non obstante qualibet necessitate etiam extrema, homo teneretur ad servandum officium positivum adventitium, et a fortiori affirmativum essentiale.* Ratio est quia talis exemptio involvit transgressionem praecepti negativi; sed haec transgressio semper et in omni loco est necessaria et essentialiter mala; ergo nulla

1 *Satyr.* VIII.
2 *De Imitatione Christi*, lib. I, c. XV.
3 II-II, q. XXXIII, a. 2.

necessitas eximit hominem ab officio positivo vel essentiali affirmativo ex cujus exemptione sequitur transgressio officii negativi.

Dicta in II.ª et III.ª conclusione non obstant ad asserendum quod posse aliquem sponte et ex contractu sic obligari ad aliquid ut etiam cum vitae discrimine adstringatur ad illius observantiam, ut videbimus in q. de officiis hominis erga alios homines. Ergo necessitas extrema hunc non eximeret si damnum emergit ex ipsa obligatione seu contractu; si tamen malum imminens contingenter adveniret objecto contractus, tunc obligatio non urget cum vitae discrimine, quia censetur contrahens vel vovens id non intendisse.

Pariter quod Deus, supremus omnium Dominus, possit hominibus quidquam praecipere vel prohibere lege positiva, ad cujus observantiam obligentur etiam cum notabili jactura bonorum temporalium, imo cum vitae periculo, nulli dubium.

Idipsum admittit *Suarez* cum aliis in legislatore humano, posse scilicet urgere obligationem suarum legum cum vitae discrimine, si necesse sit v. gr. ad defensionem patriae in incursione hostili, ad honorem fidei etc. Verum haec in lege naturae continentur, saltem confuse et indeterminate; et casu quo sine alicujus vitae expositione praefata mala propulsari nequeant bonaque eis contraria servari, tunc homo teneretur tale periculum subire mandatumque legislatoris implere vi legis naturae id in casu determinate praecipientis.

V.ª *Necessitas communis nullo modo nec unquam excusat ab his praeceptis adimplendis,* secus semper elideret homo omnem obligationem, cum omne officium comitetur incommodum aliquod.

7. **Gravitas officiorum** dijudicari debet *a)* ex eorumdem cum ordine morali conjunctione; quo enim arctius ligantur huic ordini magisque accedunt ad principium hujus ordinis, Deum, graviora sunt officia; *b)* ex praestantia jurium quibus officia ipsa respondent. Hinc religiosa praestant immanentibus, et haec socialibus.

Articulus II

Juris officiique subjectum [1]

Summa rerum.—1. *Quatuor elementa distinguenda in relatione juridica.* 2. *Titulus, materia, subjectum et terminus juris.* 3. *Errores circa subjectum juris et officii.* 4. *Vera sententia.*—Thesis.—Probatur. 5. *Filiatio, imago et vestigium.* 6. *Cur ergo prohibentur quaedam circa animalia.* 7. *Sitne licita vivisectio.* 8. *Singularis opinio* Fr. Jul. Stahl *circa juris subjectum.*

1. **Relatio juridica.** Omne jus in suo conceptu essentiali respectum involvit ad aliquod officium, qua de causa jus et officium dicuntur esse correlativa. Haec autem relatio juris et officii constituit *ordinem juridicum.* Porro quatuor oportet distinguere elementa in omni relatione juridica, scilicet, *subjectum, terminum, materiam* et *titulum juris.*

2. **Titulus** est *causa ex qua facultatem habemus ad aliquid juste habendum vel exigendum:* diversus est pro diversitate materiae.

Materia vero, seu, id circa quod versatur jus, *nequit esse altera persona, ut persona est;* quamobrem *servitus absoluta,* qua homo instar rei alteri subjicitur, nullo jure legitimari potest, quia, ajente ***Angelico Magistro,*** «non tenetur inferior suo superiori obedire si ei aliquid praecipiat in quo ei non subdatur; et ideo, in his quae pertinent ad interiorem motum voluntatis homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo» [2]. «Errat, subjicit cum ***Seneca,*** si quis existimat servitutem in totum hominem descendere; pars enim melior excepta est; corpora obnoxia sunt et adscripta dominis, mens quidem est sui juris» [3].

3. Circa subjectum et terminum juris vehementer errarunt *a)* «illi non mediocres viri, sed maximi et docti *Pythagoras* et *Empedocles* unam omnium animantium conditionem juris esse denuntiantes», ut refert *Cicero;* *b)* haeretici illi qui tempore *S. Thomae* posuerunt «quod peccatum est occidere brutum sicut et hominem»; quemadmodum ipsemet *S. Doctor* testatur [4]; *c) Ahrens* et *Damiron,* quorum primus jura in brutis erga homines recognoscit [5]; alter vero non tantum bruta animantia sed res omnes subjectum

---

1 Taparelli, loc. infra cit.; Ortí y Lara, *Introducción al estudio del Derecho,* secc. I, c. I; Zigliara, loc. cit., a. 4; Fernández Concha, c. II, a. 2; Minteguiaga, *La moral independiente,* c. XIII, a. 1; Cathrein, *Philos. Mor.,* p. 1, c. VIII, a. 6; Ferretti, n. 217; Lottini, *Philos. Mor. General.,* n. 436.

2 II-II, q. CIV, a. 5.

3 in cap. XX, lib. III, *De beneficiis.*

4 I *Sent.,* Dist. XXXIX, q. II, a. 2 et *Contra Gent.,* lib. III, c. 112.

5 In ed. 2. Matrit. Curs. complet. part. gener. c. III, defenditur doctrina comunis.

juris esse arbitratur, quamobrem universam naturam *filiam Dei* et *sororem nostram* vocare non est veritus[1]; *d)* recentiores *Theriophili* (a θηρίον, fera) qui, institutis etiam publicis societatibus[2], jura animalium tuentur, amorem erga ea nimis inculcant, propriorum bonorum haeredes instituunt aliaque id generis efficiunt quibus demonstrent hominem certis officiis erga animalia teneri. His libenter assentiunt quotquot e castris Darwinistarum prodierunt, sublata namque essentiali differentia inter belluinam humanamque naturam, homo est ejusdem speciei, ejusdem naturae, ac bruta animantia, exiguo tantum perfectionis gradu ab illis distinctus; creaturae ergo rationali jure concesso, concedendum est etiam speciem belluinam subjectum juris esse posse.

4. Verum, bruta animantia *materia circa quam* abs dubio esse possunt; at subjectum vel terminus juris nunquam omnino; vel, quod idem est, homines possunt habere officia *circa*, non vero *erga* animalia. Unde sit

Thesis. Solum ens rationale juris et officii subjectum esse potest.

Prob.

1) Jus et officium important facultatem vel obligationem, non quidem physicam, sed moralem; illi ergo insident sicut subjecto, qui est sui juris. Atqui solum ens rationale, utpote praeditum intellectu et voluntate, non autem brutum, est sui juris; jus enim et officium sunt essentialiter entia moralia, moralitas autem praesupponit libertatem et ab ea oritur tanquam a conditione omnino necessaria; ergo solum ens rationale juris et officii subjectum esse potest. Hinc peroptime definitur officium a quibusdam Jurisperitis: *Actus liber a lege morali enti intelligenti impositus aut vetitus erga aliud ens aeque intelligens et liberum.*

2) Non potest habere jus qui non est capax injuriae patiendae; atqui bruta animantia nequeunt injuriam pati, cum careant voluntate qua velint jus suum retinere; ergo.

3) Jus et officium sunt vincula moralia quibus entia pariter moralia sociantur in communione vitae socialis; «creaturae autem irrationales non possunt communicationem habere in vita humana, quae est secundum rationem», inquit ***Angelicus***[3]. Ergo satis apparet absurditas theoriae quam refutamus.

---

1 *De la Morale*, c. I, sect. II.

2 Cfr. Taparelli, tom. IV. (Notas al *Ensayo*), not. XXVIII, ubi refert sententiam Zaoler, Boris de Saint-Vicent, Michelet asserentes homines habere officia erga animalia. Ibidem etiam mentionem facit cujusdam societatis protectricis animalium, quae an. 1845 fundata sub auspiciis Germaniae, an. 1854 habebat 80 alias eidem adscriptas, modo plures numerantur in aliis nationibus.

3 Ad rem Taparelli: «Toda relación tiene dos términos proporcionados entre sí; luego

5. In specie autem contra ***Damiron*** sequentia subjicimus. Ad rationem filiationis requiritur quod effectus sit *perfecta expressio ejus a quo est;* quia, ut concordi sententia docent Psychologi, filiatio est *origo viventis a principio vitae conjuncto in similitudinem naturae.* Unde perfecta *filiatio* soli Verbo aeterno convenit; homo, quia per intellectum similitudinem Dei gerit *imago Dei* dicitur; cetera vero sunt effectus ejus a perfectione et similitudine causae maxime recedentes, ideoque *vestigii* tantum speciem sortiuntur [1].

Vestigium autem, ajente ***S. Thoma,*** est *impressio quaedam confuse ducens in cognitionem alicujus,* cum non repraesentet ipsum nisi secundum partem, scilicet pedem, et secundum inferiorem superficiem tantum. Tria ergo considerantur in ratione vestigii; scilicet similitudo, imperfectio similitudinis, et quod per vestigium in rem cujus est vestigium devenitur. Secundum hoc ergo, quia in creaturis invenitur similitudo Creatoris per quam in ipsius cognitionem devenire possumus, et est imperfecta similitudo, ideo in creaturis dicitur vestigium Creatoris. Iis ergo sufficiat vestigii non dignitas filiationis, ut blasphematur ***Damiron;*** sed quo non perducit vanitas et impietas! [2]

6. Si autem animalia non sunt subjecta jurium ideoque homines nulla habent officia erga illa, quaeri potest *cur nonnulla prohibeantur circa animalia.* Ad quod egregie breviterque respondent *S. Thomas.* «Si quae in sacra Scriptura inveniantur prohibentia aliquid crudelitatis in animalia bruta committi, sicut de ave cum pullis non occidenda, hoc fit: *a)* vel ad removendum hominis animum a crudelitate in homines exercenda, ne aliquis exercendo crudelia circa bruta, ex hoc procedat ad homines; *b)* vel quia in

---

toda relación moral tiene dos términos morales; y es tan imposible que una relación moral enlace seres físicos y materiales como que una cantidad lineal tenga por términos dos puntos del tiempo». n. 206.

1 Cfr. I, p. q. XXXIII, a. 3; Paquet, *De Creatione,* Disp. I, q. II, a. VI, et sqq. et Disp. VI, q. III.

2 «La moral del Sr. Damirón en la materia se asemeja más que á un tratado de filosofía, á una fantasía poética, pues al personificar la naturaleza, animales, plantas y minerales nos pone en contacto social con ellos obligándonos á estudiar las *costumbres* del perro, del caballo, del buey y del asno con objeto de *educarlos.* Extrañas ideas que más bien mueven á lástima que exigen refutación. Los deberes morales que nos dirigen en el uso de las criaturas son relaciones que nos ligan con nosotros mismos, con Dios y algunas veces con los demás hombres. Si entre los seres irracionales y el hombre existiese una connexión moral que impusiere á este deberes morales respecto de los animales, tendría también derechos sobre ellos, y los animales, á su vez, tendrían derechos y deberes para con el hombre; lo cual es tan absurdo como atribuir á los animales una inteligencia capaz de abstracción y libertad moral». Taparelli, loc. cit.

Tenemos derecho *en* y *sobre* las cosas, acciones, animales etc., pero no tenemos derechos respecto de las cosas, animales etc. Una cosa es por lo tanto ser *término* de una relación, y otra muy distinta ser *materia* de la relación; materia de relación pueden ser nuestras obras, nuestros bienes, pero término de relación jurídica solo los seres inteligentes.

temporale damnum hominis provenit animalibus illata laesio, sive inferentis sive alterius; *c)* vel propter aliquam significationem, sicut Apostolus (I. Cor. IX, 7), exponit illud Deuteronomii XXV, 4, de non ligando ore bovis triturantis»[1].

7. **Corollarium.** Creatis igitur animalibus in usum utilitatemque hominis, absque injuria eis utitur homo, ea etiam occidendo[2]. Hinc *vivisectio,* quando fit ad utilitatem scientiarum, vel ad alium usum homini proficuum, licita est; reddi tamen potest illicita ratione adjunctorum, v. g. excessus in modo; *crudelitas* quippe semper est prohibita, quia laedit jus divinum praecipiens uti rebus modo debito.

8. **Scholion.** Rationibus pro nostra conclusione supra traditis facile exploditur sententia ***Fr. Jul. Stahl,*** juxta quem, «subjectum juris est populus seu status publicus, non autem particularis homo, qua talis». Quae quidem doctrina *Centralismum* inducit et *Statolatriam* consecrat, ut quisque per se videt.

Articulus III

De jure et officio inter se collatis[3].

Summa rerum. 1. *Ordo.* 2. Thesis I. *Jus et officium sunt correlativa.* Prob. 3. *Refutatur Romagnosi.* 4. Thesis II. *Nec jus ab officio, nec officium a jure, sed ambo a lege promanant.* Prob.— *Hedonistarum theoria.* 5. Thesis III. *Principium seu criterium quo jura et officia dignoscuntur et mensurantur est lex.* 6. *De prioritate juris et officii aperitur quaestio.* Thesis IV. *Ontologice loquendo prius est jus quam officium.* Prob. 7. *Rejicitur eorum deliramentum qui in homine jura tantum agnoscere videntur.* Thesis V. *In homine prius est officium quam jus cunctaque jura hominis ex ejusdem officiis erga Deum oriuntur.* Prob. 8. *Summa hujus Disputationis capita.* 9. *Tractandorum schema.*

1. Disserendum superest de mutuis relationibus inter jus et officium. Quae autem ex comparatione utriusque sequuntur, et nobis scitu digna videntur, respiciunt *connexionem, originem, cognitionem* et *prioritatem.* Singula breviter expendamus.

---

1 *Contra Gent.*, lib. III, c. 112 in fine. Quantum ad significationes vel sensus, de quibus hic S. Th. mentionem facit, legatur I-II, q. CII, a. 6 ad 8.

2 Cfr. D. Th., II-II, q. LXIV, a. 1. «Nullus peccat ex hoc quod utitur re aliqua ad hoc quod est. In rerum autem ordine imperfectiora sunt propter perfectiora. Et ideo si homo utatur plantis ad utilitatem animalium et animalibus ad utilitatem hominum non est illicitum...»

3 Cfr. Ferretti, n. 219; De Bie, c. VII, a. § 3; Farges et Barbedette, n. 67.

2. **Thesis I. Jus et officium sunt correlativa.**

Prob. Inspecta juris et officii notione, nemo non videt ita unum alteri respondere, ut, posita facultate morali aliquid faciendi vel exigendi, necessario ponatur in termino debitum eidem obsequendi; et vicissim obligatio reddendi in aliqua persona subaudit jus in altera debitum repetendi. Ergo jus et officium sunt invicem relata, et conceptus formalis unius involvit conceptum alterius. Hinc qui unum extremorum novit, novit saltem *indefinite* alterum extremum, relata namque se invicem notificant et illustrant.

Ex eo autem quod jus et officium dicuntur correlata, invicem opponuntur. At *oppositio relativa est omnium minima,* ut fert axioma philosophicum. «Oppositio relationis, inquit ***S. Thomas,*** in duobus differt ab aliis oppositionibus. Quorum *primum* est, quod in aliis oppositis, unum dicitur alteri opponi, in quantum ipsum removet..., non autem est hoc in relativis. Non enim per hoc opponitur filius patri quod ipsum removeat, sed propter rationem habitudinis ad ipsum. Et ex hoc causatur *secunda differentia,* quia in aliis oppositis, semper alterum est imperfectum: quod accidit ratione negationis quae includitur in privatione et altero contrariorum. Hoc autem in relativis non oportet, imo utrumque considerari potest ut perfectum, sicut patet maxime in relativis aequiparantiae, et in relativis originis, ut aequale, simile, pater et filius[1].

3. Ergo falsus est *Romagnosi* dum inter jus et officium, vel, ut ipse dicit, inter *sensus* (sentimientos) *juris et debiti* contradictionem invehit, ita ut unum alterum destruat, removeatque. Praedicta namque oppositio relativa inter ea existens est tantum *logica*, utrumque extremum simul supponens, secus nec adesset relatio. *Relata* enim *sunt simul natura et cognitione,* ut habet alterum axioma philosophicum.

4. **Thesis II. Nec jus ab officio, nec officium a jure, sed ambo a lege promanant[2].**

Ratio est quia correlativa non se invicem causant sed causantur ex communi fundamento. Posita autem lege, qua quis adstringitur ad aliquid faciendum vel omittendum, ponitur officium ad id servandum quod lege praescribitur simulque jus ad media necessaria ad ejus adimplementum. Lex autem illa, a qua jus et officium promanant, est lex suprema praecipiens rectum servari, ordinem perturbari vetans, vel re-

1 *De Pot.*, q. VIII, a. 8 ad 4.
2 Cfr. Igino Petrone, loc. cit. pag. 76.

gula illa qua omnes actiones humanae mensurantur: *Bonum faciendum, malum vitandum;* ab hoc enim principio procedit remote, ultimo et originative omnis obligatio, idcirco jus omne. Igitur rejicienda est illorum theoria qui post ***Locke, Bentham, Fourier, Saint Simon, Gioja, Droz, Ahrens,*** et ***Damiron,*** officia omnia ex utilitate publica vel privata, aut etiam ex voluptatibus, oriri censent, vel ex amore boni delectabilis (el placer), ut opinatur ***Romagnosi;*** aberrat quoque ***Wattel*** asserens jus ab officio causari[1].

5. **Thesis III. Principium cognitionis jurium et officiorum est ipsa lex, a qua, tum jus, tum officium enascitur.**

Etenim lex est regula et mensura honestatis actuum humanorum; ergo etiam criterium quo disgnoscenda est justitia eorumdem actuum, quae sub bono honesto continetur, ut species sub genere suo.

6. Modo dicebamus *correlativa esse simul natura et cognitione,* ex quo plane videtur inferri jus et officium esse simul nec unum propterea altero prius vel posterius, quod indubitanter dissonat a communi philosophorum placito. Verum, ut utrumque salvetur et veritas in propatulo ponatur, jus et officium, sicut quaelibet alia relationis extrema, considerari debent dupliciter, scilicet *formaliter,* id est, quatenus relata, et sic sunt simul natura et cognitione; et *materialiter,* et hoc etiam sub duplici alia ratione, *ontologice* nempe, seu absolute spectata natura utriusque, vel quatenus sunt proprietates alicui subjecto inhaerentes hoc est, relative; sub quo duplici adspectu consideratis, sequentes subjicimus propositiones.

Thesis IV. Absolute seu ontologice loquendo, prius est jus quam officium.

Prob. Jus est facultas faciendi vel exigendi aliquid ab aliqua persona morali; atqui hujusmodi facultas ontologice considerata quamlibet obligationem praecedit; ergo. Nam Deus utpote rerum omnium

1 «Si esta idea (del derecho) se funda en la conexión de un acto con el orden, es evidente que su fundamento es el mismo de la *obligación*, salvo que ésta expresa el término pasivo, *deber*, y *derecho* expresa el término activo, *poder*, nacido del orden. Luego tan pronto como el orden que yo conozco me presenta a una inteligencia obligada a obrar respecto de otra, echo de ver en esta el *derecho* o sea el *poder conforme a razón* respecto de la inteligencia obligada. Si yo os debo, conforme al dictamen de la razón, respeto, obediencia, amor, dinero, etc., vos *podéis* exigir de mí que os los haga efectivos; pero ni mi obligación nace de vuestro derecho, ni vuestro derecho de mi obligación, sino que ambos a dos nacen al mismo tiempo de la ley de orden eterno comunicada a nosotros por nuestra razón». Taparelli, *Ensayo*, etc. n. 347.

dominus jus habet exigendi a creaturis debitum cultum, reverentiam et subjectionem; atqui huic exigentiae divinae nullum concipitur posse praeire debitum, siquidem Deus nulli est debitor; si qua enim ponitur in eo obligatio subsequitur semper gratiam sive donum homini collatum. Ergo in Deo sunt tantum jura, nullum autem proprie dictum officium.

7. Contra eos vero qui jura hominis tantum et quidem inalienabilia alte proclamant, quin memores sint officiorum, quibus adstringitur et jura coarctantur, stabilitur

Thesis V. In homine prius est officium quam jus, omniaque jura hominis ex officiis erga Deum promanant.

Prob. Primum enim quod in homine concipitur est esse creatum, seu ex nihilo factum, et ideo essentialis ejus dependentia a creatore; atqui hujusmodi dependentia necessario secum fert obligationem sese submittendi divinae majestati; ergo in homine prius est officium quam jus.

Remoto autem officio Deum colendi, perit relatio dependentiae creaturae a creatore; atqui sine praedicta dependentia non concipitur creatura, seu creatura non est creatura; id vero, quo corruente cetera auferuntur, dicitur primum et causa eorum omnium quae inde sequuntur; ergo ex officiis erga Deum jura omnia hominis promanant. Sapienter ergo ***Cardin. Rauscher:*** *Non datur jus sine officio: non datur officium sine Deo*[1].

8. **Epilogus.** Placet hic summa hujus disputationis capita ob oculos ponere. Imprimis, attenta *juris* etymologia, jus pro *justo* seu *recto* sumentes, illam deduximus definitionem qua propria juris (subje-

---

1 Apud Muller, *Theolog. Mor.* lib. II, Tract. II, § 95. En cambio Kant escribe: «No es necesario admitir la existencia de Dios como el fundamento de toda obligación, pues no es otro el fundamento que la autonomía de la razón». *Crítica de la Razón práctica*, p. I, lib II, c. II.

Audiatur cl. Taparelli: «De todas las relaciones del hombre ninguna es ni lógica ni moralmente antes que la relación que tiene con Dios. La noción del hombre encierra esencialmente, como anterior a toda otra, la idea de ser contingente; y la idea de lo contingente implica como lógicamente anterior, la idea de causa, que es Dios. La relación con Dios, es, pues, lógicamente anterior á toda otra en el orden de las humanas relaciones.


Otro tanto podemos decir del orden moral, como quiera que naciendo este enteramente de la idea de *fin*, de *bien ilimitado*, y no estando este bien sino en Dios, ó mejor dicho, siendo Dios este bien, no es posible hallar para el hombre relación alguna moral anterior ó independiente de esta. Podré, pues, imaginar á un hombre aislado de cualquiera otra relación, pero jamás, mientras le conserve su ser contingente, me será dado aislarlo de la causa que es la razón suficiente de él. Todo el ser del hombre, es pues, por necesidad de su naturaleza dependiente del Criador como cualquiera otra criatura».

ctive accepti) natura optime panditur et falsae ejusdem appretiationes confutantur. Est enim jus *potestas moralis quam unusquisque habet in rem suam, vel ad rem sibi debitam.* Jus exposcit necessario inviolabilitatem, et ideo habet in altero effectum, hoc est, correlativam obligationem.—Vis autem obligandi, qua pollet jus, non derivatur ultimatim ab homine, sed cujusque juris fons solus Deus est.—Exstat ergo ante omne jus positivum humanum jus naturale et aeternum juris civilis, et ecclesiastici fundamentum.—Dein, expositis variis jurium speciebus descripsimus generales eorumdem proprietates.—Tres communiter recensentur: *limitatio* ratione cujus nulla humana potestas jure pollet absoluto et incircumscripto (everteretur statolatria);—*collisio,* non realis et objectiva sed apparens;—leges statuimus ad solvendum conflictum inter concurrentia jura, quarum summa illo axiomate continetur: *Ubi major est minor cessat.* —*Coactio,* necessaria quidem ut jus nostrum indemne servetur, sed essentiam ejus minime constituens.—Post haec, tradita officii notione et recensitis praecipuis ejusdem divisionibus, subjecta sunt principia attendenda in solvenda officiorum collisione.—Demum hac thesi probata, solas scilicet personas morales esse juris et officii subjecta, egimus de mutuis relationibus inter jus et officium, quibus consideratis tum ratione connexionis, tum ratione originis et prioritatis, successive intulimus 1) nullum dari jus cui in altero non respondeat officium eidem obsequendi, officium vero in uno supponere jus in altero illud repetendi: inde mutua relatio juris et officii; 2) utrumque a lege positiva vel naturali procedere, ultimo vero in lege aeterna fundari: 3) *in se* jus officio prius esse, saltem natura; *in homine* vero, e contra, officium jus omne praecedere.

9. **Tractandorum conspectus.** Ut in Prologo dictum est relationes juridicae inter personas morales ex ipsa rerum natura profluentes constituunt Juris naturalis objectum. Sed ut persona moralis considerari possunt tum homo singularis, tum communitas hominum sive societas humana. Inter relationes autem naturales individuales recensentur quas homo habet, ad Deum, ad seipsum et ad alios homines[1]. Juribus quoque et officiis naturalibus adstringitur erga societatem et primo quidem domesticam, deinde civilem et religiosam. Ipsae demum societates civiles ad invicem referuntur et ad so-

1 Cfr. Alfonso el Sabio, Tercera partida, Título I, ubi haec egregie inter alia notat: «Según departieron los Sabios antiguos Justicia tanto quiere decir, como cosa en que se encierran todos los derechos de qual natura quier que sean. E los mandamientos de la Justicia é del Derecho son tres. El primero es que ome biua honestamente, quanto en si. El segundo, que non faga mal nin daño á otro. El tercero, que dé su derecho á cada uno. E aquel que cumple estos mandamientos, faze lo que deue á Dios, é á si mismo, é á los omes con quien biue, é cumple, é mantiene la Justicia». Ley III.

cietatem religiosam, quae quidem relatio fundat Jus internationale. En ratio sequentis schematis in quo uno veluti intuitu dicenda perspiciuntur.



DISPUTATIO II

DE

JURE INDIVIDUALI

Disputationis partitio. Novimus supra officia hominis ratione termini recte dispesci in *religiosa, immanentia* et *socialia,* prout important ordinem ad Deum, ad seipsum et ad alios homines. Quoniam vero officia religiosa praestant immanentibus, immanentia autem socialibus, logica naturalisque videtur praesentis Disputationis divisio in tres quaestiones, hoc ordine servato, ut in *prima* agatur de religione, in *altera* de officiis hominis ad seipsum, et *tertia* demum pertractet de officiis hominis erga alios homines.

QUAESTIO I

DE RELIGIONE [1]

Tractanda. Officia hominis erga Deum certe eminent inter omnia, et ab eis cetera tanquam a fonte et radice derivantur, qua ratione, omnia dici possunt *religiosa.* Officia quippe hominis ad Deum sunt adeo necessaria et essentialia, ut, quamvis unicus homo et solus extaret in mundo, ab iis praescindere minime posset; fundantur enim in absoluta creaturae a Creatore dependentia, ex qua innumerae inter

1 Cfr. D. Th., II-II, q. LXXXI-CVII; Valentia, tom. 3, Disp. VI, Punct. I; Dominicus a SS. Trinitate, C. D. *Biblioteca Theologica.* Tom. V, p. I, sect. V-VI; Suarez, *De Virtute et Statu Religionis,* loc. infra cit. Opera t. XIII-XV; Hooke, *De Vera Religione* (pars prima) t. 2. Cursus Theolog. (Migne).; *Theologia Rotomagensis, De religione naturali,* ib.; Delauro Dubez, *El ateo convertido,* t. IV. (traducido por Joaquín Navarro, Vitoria 1842); Frayssinous, *Defensa del Cristianismo o Conferencias sobre la Religión,* traducido por D. F. T. A. Chalumeau de Vernuil, tom. 2; Ludov. Bailly, *Tract. de Vera Religione* t. 1, p. I, c. I; Manuel de S. Tomas de Aquino, C. D. *Unica religión verdadera.* t. 1, Lección I-XLVIII; Francisco Hettinger, *Apología del Cristianismo,* Confer. VIII y IX; idem, *Tratado de Teología fundamental* o *Apologética,* traducida del alemán (Madrid Biblioteca de «La Ciencia Cristiana» 1883) tom. I, p. I, lib. I, secc. I, § 3 y sig.; Fernández Concha, *Obra cit.* p. II, *Del hombre en el orden religioso,* Trat. I, c. 1; Bougaud, *El Cristianismo y los tiempos presentes* (traducción de la 6.ª ed. francesa por el Dr. D. Emilio A. Villelga Rodríguez Barcelona 1907) t. I, c. II y sgs.; Weiss, *Apología del Crist.,* III p. tom. V, Confer. VI; Gondal, *La Religión:* et recentiores Apologistae in Demonstratione Christiana, ut Mazzella, Jungmann, Lambrech, Ottiger, Tepe, Hurter, Casanova, Pesch, Tanquerey, P. Valentinus ab Assumptione, Aliberch multique alii. *Philosophi Moralistae,* omnes, inter quos F. Amat, q. III, a. 1; Audisio, lib. I, Tit. X-XII; Schiffini, *Ethica Spec.,* Disp. I, sect. I et II; Pacetti, t. 2, p. I, c. I; Costa Rossetti, p. II, sect. II, § 1; P. Vallet, *Ethica Spec.* sect. I, c. II.

eos profluunt relationes. *Complexus autem relationum Deum inter et homines* vocatur *religio*. De religione ergo mox instituemus sermonem.

Et quidem, notione religionis praehabita, quaerendum venit: An homo teneatur cultum Deo exhibere *(existentia et necessitas religionis);* dein, quibus actibus Deus coli debeat *(religio interior et exterior);* et demum, an necessaria sit divina et supernaturalis religio ad verum cultum Deo tribuendum, vel, e contra, *sufficiat humano generi ad salutem religio naturalis*. Cetera, quae fuse hic pertractari possent, ad Demonstrationem Christianam, velut ad proprium locum, remittimus.

Articulus I

Utrum homo teneatur exhibere Deo debitum cultum.

§ 1

RELIGIONIS EXISTENTIA DEMONSTRATUR.

Summa rerum. 1. *Hujus vocis «Religio» acceptio apud antiquos.* 2. *Triplex ejusdem nominis etymologia; – D. Thomae sententia.* 3. *Realis religionis definitio.* 4. *Religio subjective et objective sumpta.* 5. *Religionis osores.* 6. *Praelibatur existentia religionis.* 7. Thesis. *Homo officio naturae tenetur exhibere Deo debitum cultum. Accurate notentur illa verba «officio naturae».* Probatur thesis ratione, ex omnium gentium consensione, ex ejusdem necessitate ad subsistentiam civitatum.— *Voltaire* testimonium. 8. Thesis: *Officia religiosa sunt praecipua aliorumque fundamenta.* Prob. 9. *Quotupliciter homo deesse potest officiis religiosis.*

1. Religio (graece *Εὐσέβεια* vel *Θεοσέβεια),* in prima sui acceptione pro reverentia, honore et pietate propinquis referenda usurpabatur. «Quia latina loquendi consuetudine, inquit *Augustinus,* non imperitorum tantum, verum etiam doctissimorum, cognationibus humanis atque affinitatibus et quibuscumque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu divinitatis vertitur quaestio, ut fidenter dicere valeamus religionem non esse nisi cultum Dei»[1]. Verum jam usu tractum est hoc vocabulum ad significandas speciales hominis relationes cum Deo. *Religio distinctius non quemlibet sed Dei cultum significare videtur,* ait ipsemet *S. Augustinus*.

1 *De Civit. Dei,* lib. X, c. I.

Jam, restricta significatione religionis ad designandum cultum divinitatis, duplex tradenda est ipsius religionis definitio, *quoad nomen* scilicet *et quoad rem.*

2. Quoad veram hujus vocis etymologiam non concordant auctores. Juxta ***Ciceronem*** religio venit a *relegendo;* «qui omnia, inquit, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tanquam relegerent, sunt dicti *religiosi* ex *relegendo*» [1]. Juxta *alios,* quos inter, quibusdam in locis, ***S. Augustinus,*** religio dicitur a *reeligendo,* quia Deum per peccatum amissum de novo eligimus; «hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus» [2], ajebat praefatus ***Doctor Hipponensis.*** Juxta ***Lactantium*** vero a *religando.* «Hac conditione gignimur, inquit, ut generanti nos Deo justa et debita obsequia praebeamus; hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit, non ut ***Cicero*** interpretatus est a relegendo, sed a *religando*» [3]. Eamdem quoque originem tribuit aliis in locis ***S. Augustinus:*** «Religantes Deo animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus» [4]. Et in eodem libro supra scripserat: «Religat nos religio uni omnipotenti Deo» [5]. Haec posterior acceptio nobis quoque magis arridet.

Praedictae autem religationis naturam aureis verbis, ut solet, exponit *Angelicus:* «Illud proprie ligari dicitur, inquit, quod ita uni adstringitur, quod ei ad alia divertendi libertas tollatur. Sed religatio iteratam ligationem importans, ostendit ad illum aliquem ligari, cui primo conjunctus fuerat et ab eo distare incaepit. Et quia omnis creatura prius in Deo extitit quam in seipsa et a Deo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundum essentiam per creationem, ideo rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primo conjuncta fuerat antequam esset, ut sic *ad locum unde exeunt flumina revertantur* [6].

3. *Quoad rem* vero religio est quoddam vinculum morale conjungens hominem cum Deo. Nam, «sive religio, subdit pereleganter ***Angelicus Doctor,*** triplici illa etymologia memorata, dicatur a *frequenti relectione,* sive ex *iterata electione* ejus quod negligenter amissum est, sive a *religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum.* Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tanquam indeficienti principio, ad quem

1 *De nat. deorum,* lib. I, 28.
2 *De Civit. Dei,* lib. X, c. III.
3 *Institut.,* lib. IV, c. 28.
4 *De Vera Relig.,* c. 55.
5 ib. c. 2. «Ad unum Deum tendentes, inquam, et uni ei religantes animas nostras, unde religio dicta creditur omni superstitione careamus. In his verbis meis ratio quae reddita est, unde sit dicta religio, plus mihi placuit. *Retract.* lib. I, c. XIII, n. 9, (opera, t. 1, col. 51).
6 Opusc. *Contra impugnantes relig.,* c. I.

etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem, quem etiam negligentes peccando amittimus et credendo et fidem protestando recuperare debemus» [1].

4. Religio autem duplici sensu accipi potest *subjective* nempe et *objective*. Subjective est virtus moralis ad justitiam pertinens; «quid enim est pietas nisi justitia versus Deos?» inquit ***Tullius,*** et ita definitur a ***S. Thoma:*** *virtus quae Deo debitum cultum affert* [2], seu, *qua exhibetur Deo debitus honor.* Cultus autem plura complectitur tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, vel etiam corporis; quare *objective* describi potest: *Summa relationum moralium Deum inter et homines;* vel; *complexus dogmatum, praeceptorum et rituum ordinem dicentium ad Deum.*

5. His suppositis, veniamus ad demonstrandam existentiam vel potius necessitatem religionis. Age vero. Cum religio vi nominis et ex sua natura importet essentialiter ordinem hominis ad Deum, quicumque vel Deum negant, aut impersonalem profitentur, aut hominem *exlegem* et prorsus independentem dicunt, vel animae inmortalitatem inficiantur, uti Athei, Pantheistae, Materialistae, Solidarii, Deistae [3] et Rationalistae, uno vel alio modo necessitatem et existentiam religionis excludunt; quibus novissime adstipulantur Modernistae conceptum *objectivum* religionis adulterantes. Nec desunt qui cum *Hobbes* ab injustitiae labe faciant immunes quoscumque de religione negligentes vel cum atheis impiis positive dogmatizantes.

6. **Praelibatur existentia religionis** [4]. Existit Deus, ens supremum, praestantissimum, coeli et terrae creator; existit etiam homo, ens creatum, ex nihilo factum. Sed possuntne hujusmodi entia esse ab invicem independentia? Plane repugnat. Homo namque Deo necessario subjicitur, ab ipso dependet tum in esse tum in agere, secus ens creatum non foret, divinae providentiae ratione suae contingentiae sese subtrahere non potest, nec sine ingenti absurditate Deo se aequiparare valet. Jura ergo extant ex parte Dei, officia tantum ex parte hominis; adsunt quidem mutuae relationes, adest quaedam societas Deum inter et hominem; sed Deus principatum gerit, homo inferioris

---

1 II-II, q. LXXXI, a. 1.

2 ib. a. 5.

3 «Sunt, ait Tullius, philosophi et fuerunt qui nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum si vera sententia est ¿quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? Haec enim omnia pure atque caste tribuenda Deorum numini ita sunt si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a Diis immortalibus hominum generi tributum. Si autem Dii neque possunt nos jurare, neque volunt, neque omnino curant, nec quid agamus animadvertunt, nec est quod ab his ad hominum vitam permanare possit, quid est quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?» *De nat. Deor.* lib. I, c. 2.

4 Cfr. P. Manuel de Santo Tomás de Aquino, *Unica Religión verdadera*, t. 1, lección XXVI y sgs.

naturae est; igitur non imperare, sed subjici et obedire eidem convenit. Porro hujusmodi relationes inter principem et subditum, Deum scilicet et hominem, exprimuntur per religionem. Est enim religio, ut quidam philosophus describit, legislatio divina societatis inter Deum et hominem, eorum relationes sua constitutione exprimens, suis legibus jura determinans et officia. Sicut ergo negata existentia Dei, religio nullimode concipitur; sic rejecta religione, admissa tamen existentia supremi cujusdam Numinis et hominis creatione, nescio quod Numen sit illud, nescio quis homo sit iste[1]. Sit igitur

7. **Thesis. Homo officio naturae tenetur exhibere Deo debitum cultum.**

Nota verba «*officio naturae*»; non enim praecepto tantum humano vel positivo divino adstringitur homo ad Deum colendum, sed ipsa natura duce, proindeque necessario omnino, nec potest, quin propria natura exuatur, a religione praescindere. Officium ergo religionis pertinet ad legem naturae vel ad jurisprudentiam naturalem; quod affirmamus contra *Puffendorfium* aliosque ejusdem Scholae Protestanticae qui, cum *socialitatem* pro fundamento totius legis naturae stabilissent, rati sunt religionem non esse partem legis naturae nec ab ea praecipi, sed esse tantum medium seu politicum instrumentum ad pacem tranquillitatemque praesentis vitae servandam optime accommodatum, necnon adversus eos qui novissime veterum opiniones circa ortum religionis excoquunt, alium, praeter naturalem, assignantes fontem unde religiones derivatas arbitrantur[2].

Sed **probatur thesis** tum ratione, tum ex consensu generis humani.

Ratione. Deus est a) maxime excellens; b) primum principium et supremus hominum dominus; c) est etiam finis ultimus eorumdem; ergo homo officio naturae adstringitur religione erga Deum. Nam divinae excellentiae debetur maximus honor; quia honor debetur alicui propter aliquam excellentiam; primo principio et domino debetur dependentia et servitus; finis vero dignus est amore, quia sua bonitate

---

1 Hinc *Quatrefages* definit hominem «un être organisé doué de moralité et de religion» *Rev. des deux Mond.* 1860, pag. 820. Quod jam pridem notaverat Lactantius: *Religio est pene sola quae hominem discernit a brutis.*

2 Ortum religionis quidam derivant ex fraude sacerdotum vel principum et legislatorum, ut jam veteres aliqui sophistae cum Euhemero et Critia; alii ex admiratione et personificatione virium naturae, ut E. v. Hartmann; alii ex timore spirituum vel animarum defunctorum, ita Spencer, Tylor, Lipper; alii tandem ex imaginatione vitae idealis et spe perfectae felicitatis, ut Feuerbach, Paulsen, Wundt. Apud De Bie in nota loc. cit. n. 331. Cfr. Willems, lib. II, *De juribus et officiis in specie*, c. I, § 2.

allicit appetitum; sed honor, dependentia, servitus et amor hominis relate ad Deum sunt actus religionis ligantis hominem; ergo homo tenetur exhibere Deo debitum cultum.

His autem actibus vel officiis omnia alia officia religionis comprehenduntur, quia «eodem actu homo servit Deo et colit ipsum, inquit *D. Thomas.* Nam cultus respicit Dei excellentiam, cui reverentia debetur; servitus autem respicit subjectionem hominis, qui ex sua conditione obligatur ad exhibendam reverentiam Deo. Et ad haec duo pertinent omnes actus qui religioni attribuuntur, quia per omnes homo protestatur divinam excellentiam et subjectionem sui ad Deum, vel exhibendo aliquid ei vel etiam assumendo aliquid divinum»[1]. Imo, prima, formalis et originativa ratio, quam respicit religio, est dominium ex parte Dei et dependentia ex parte hominis[2]; quae quidem relatio dependentiae est omnino necessaria enascens ex ipsa natura Dei et hominis; ergo religio est homini essentialis et necessaria[3].

Confirmatur[4]. Idem argumentum paulo aliter confici potest. Homo officio naturae tenetur ad finem ultimum tendere propriisque actibus ipsum consequi: atqui finis ultimus obtineri nequit absque religione; ergo religio est in praecepto naturae. Ultimus namque finis creaturae rationalis consistit in plena atque perfecta explicatione intellectus et completa desideriorum voluntatis satisfactione; sed intellectus satiari non potest absque Dei cognitione, nec voluntas felicitatem assequi, praecisa omnium officiorum et potissimum religionis observantia; ergo.

Ex consensu generis humani. Religionem omnes omnino gentes tanquam sanctissimum patrimonium sibi vindicant; hic autem consensus constans et universalis omnium hominum, si paucissimos, monstra quidem humanitatis, excipias, non est nisi *vox naturae* proclamantis religionis necessitatem. Ne actum agamus innumera proferendo historica testimonia, sint pro omnibus duo testes omni exceptione majores, *Plutarchus* et *Cicero.* Primus inquit: «Si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, numismate carentes, gymnasiorum et theatrorum nescias; urbem templis, diisque carentem quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius

---

1 II-II, q. LXXXI, a. 3 ad 2.

2 ib. in corpore art.

3 «Ex omnibus hominum officiis, illud est sine dubitatione maximum et sanctissimum quo pie religioseque Deum colere homines jubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti ad eum reverti debemus» Leo XIII. *Libertas.*

4 Cfr. Taparelli, *Curso Elemental de Derecho Natural*, lib. II, c. 2.

urbem condi sine solo posse puto, quam religione et diis penitus sublata, civitatem coire aut constare»[1]. Romanorum autem orator ajebat: «Sua cuique civitati religio est. Deum quippe natura venerari novit; nec quisquam est homo, qui lege, quae hoc praecipiat, careat»[2]. Idem testantur recentiores omnes. Legatur vel ipsemet ***Rousseau*** lib. IV. c. 8. *Contractus socialis.* Nuperi quoque Africae exploratores nullam invenerunt civitatem religione carentem[3].

Nostram non infirmat conclusionem quod aliqui athei (si revera dantur) denegent existentiam religionis. Quia «cum nulla sit fatuitas sine patrono, nulla sine amatore foeditas, ideoque impossibile sit aliquos interdum non delirare, aut universis sine ulla prorsus aliquorum exceptione quidquam videri; sicut nunquam propterea in morali disciplina universi sine exceptione sumi debent, ita unanimi reliquorum judicio nihil obstat vel derogat aliquorum paucorum exceptio vel phraenesis, ut innumeris declarari posset exemplis»[4].

His addi potest alia ratio, quam maximi faciunt neoterici: nullam scilicet subsistere aut constare posse societatem absque religione; ergo ipsa religio necessaria est. «Poterat quidem probari, adversus *Bayle* asserentem nunquam religionem fuisse utilem societati, quod nullus subsistit status cujus basis et fundamentum religio non fuerit», ajebat *Rousseau*[5]. Nostram

---

1 *Adversus Colotem Epicur.*, c. 31.

2 *Orat. pro Flacco.*

3 «Por degradadas que estén estas poblaciones, no hay necesidad de instruirlas acerca de la existencia de Dios ni de la vida futura: estas dos verdades son universalmente reconocidas en Africa». Cfr. Enrique Stanley, *En el Africa tenebrosa*, traducida del inglés por José Coroleu; idem. *Comment j'ai retrouve Livingstone*, traduit de l'Anglais par Mme. H. Loreau; *L'ame d'un peuple Africain-Les Bambara*, par l'Abbé Jos. Henry, (Munster i W. 1910); Andrew Lang, *Mythes, Cultes et Religion*, (París 1896): Schmidt, *L'origine de l'idee de Dieu* (Paris 1910); Le Roy (Obispo de Alinda) *La religión des Primitifs* (2.ª ed. Paris 1911; A. Brox, *La religión des peuples non civilises*. Paris 1907.

«Le fait de l'universalité de la religion, ait de Quatrefages, est si manifeste que les anthropologistes les plus eminents n'hesitent pas a donner ce qu'ils appellent la *religiosité* comme un des attributs du regne humain» *Introduction a l'elude des races humaines*, apud De Bie, *Philos. Moral.*, pars altera, c. I, a. 1, § 2. in nota.

4 Dominicus a SSma. Trinitate, *Biblioteca Theolog.*, tom. V, lib. IV, sect. V. c. II. Recentes statisticae varias quae in mundo sunt religiones et easdem profitentium numerum exhibentes demonstrant praefatum consensum esse vere universalem. Zeller moderator Instituti *Statistici Suttyoral* sequentem offert statisticam.

Christiani	534.940,000	Brahmanistae	214.000,000
Mahumetani	175.270,000	Budhistae.	121.000,000
Judaei.	10.860,000	Pagani (Fetichistae et rel. incog.)	100.000,000
Confutionistae	300.000,000	Incolae orbis terrae	1,544.510,000

Easdem fere exhibent statisticas A. Schobel, O. Werner, *Orbis terrarum catholicus*, (Friburgi Brisgoviae, 1890) pag. 4. Cfr. De Broglie, *Historie des Religions*, (2.ª ed. 1886) pag. 394.

5 *El Contrato social*, loc. cit. (traducido al español por J. M. Madrid 1880).

conclusionem praeclare probat *Puffendorf* ex secta Protestantica: ait enim: «Religione remota, civitatum firmitas intrinseca semper in incerto foret, parum vel nihil conferente poenae metu, vel fide superioribus data. Tunc enim revera locum habet: *Qui mori scit, cogi nequit,* quippe Deum non metuentes, nec mortem metuent. Huic contemnendae qui sufficeret, in imperantes quaevis tentare posset. Ut autem id vellet, vix causa est defectura, puta ut declinaret incommoda, quae sibi ab alterius imperio videntur incumbere, aut ut ipse potiretur commodis quae imperii possessorem comitantur; praesertim cum facile judicare possit, jure se id facere, vel quod qui in praesens rerum potitur prave rempublicam videatur gerere; vel quod ipse longe melius imperaturum se speret. Occasio autem ad talia tentanda facile offerri posset, rege vitam suam non satis caute circumsepiente (et quis tali rerum statu, custodes ipsos custodiet?); vel multis conspirantibus, vel bello externo ingruente, adscitis in partes hostibus»[1].

Imo, non solum societas constare nequit, sed nec vitam quis posset agere securam et tranquillam absque religione continente homines in officio. Audiatur *Voltaire* hac in re minime suspectus: «Nollem mihi rem esse cum atheo principe, cujus ferret utilitas ut me in mortario contunderet, certe enim contusus peribo. Nollem, si rex essem atheos mihi aulicos obversari, quorum interesset mihi veneno mortem conciscere; e cubiculo egredienti, continuo mihi antidoto cavendum esset. Principibus itaque et populis absolutae est necessitatis, ut idea supremi Numinis, creatoris, gubernatoris, remuneratoris, ac vindicis, cordibus profunde insculpta vigeat ac dominetur»[2]. Ita ergo est necessaria religio ut, ipsa sublata, gentes neque ad invicem convenire neque pacifice et concorditer vivere sit possibile; merito igitur *magnum jus gentium* vocatur, et jure optimo dictum est: «*omnis humanae societatis fundamentum convellit qui religionem convellit*»[3].

8. Ex dictis autem evidens fit veritas sequentis theseos:

Officia religiosa sunt praecipua aliorumque fundamenta.

Nam *a)* ipsa lex naturae praecipit *rectum servare ordinem* tanquam primum principium morale; principium autem ordinis Deus est; ergo prima inter relationes humanas est hominis ad Deum; *b)* ut praeclare argumentatur *S. Thomas,* «ea quae sunt ad finem sortiuntur bonitatem ex ordine ad finem; et ideo quanto sunt fini propinquiora tanto

1 *De offic. hom. et civ.*, lib. I, c. 4.

2 *Dicc. Philos.* a. Athei.

3 Plato, *De leg.*, Hac in materia egregium reliquit documentum Leo XIII, in Encycl. *Diuturnum* 24 Jun. 1881. Cfr. Frayssinous, *Defensa del Crist.* Principios religiosos fundamento de la Moral y de la sociedad; El Abate F. de la Mennais, *La Religión considerada en sus relaciones con el orden político y civil* (Valladolid 1826) p. I, c. I; Weiss, *Apolog.*, t. VII, Confer. X.

sunt meliora. Virtutes autem morales sunt circa ea quae ordinantur in Deum sicut in finem. Religio autem magis de propinquo accedit ad Deum quam aliae virtutes morales, in quantum operatur ea quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum. Et ideo religio praeeminet inter alias virtutes morales» [1]; *c)* officium religionis ex ipsa intrinseca natura hominis emergit; primum enim quod in eo concipitur est essentialis dependentia a Creatore in qua formaliter religio consistit. Quaecumque alia relatio in homine consideretur, etiam ea quae ad seipsum refertur, praesupponit suam naturam jam constitutam, et ideo posterior est primaeva relatione dependentiae absolutae a creatore. Hinc tritum illud: *Omnia jura hominis ex officiis erga Deum oriuntur.* Idem dic de officiis.

9. Porro his officiis religiosis tripliciter generatim loquendo potest homo deesse: 1.° negando vero Deo debitum cultum, quod est *impietas:* 2.° tribuendo cultum *cui* non debet, et est *idololatria,* qua adoratur et substituitur loco Dei creatura; quod si hujusmodi creatura sit persona humana particularis seipsam Deum constituens, vocatur *Egolatria;* si vero communitas ipsa vel potentia socialis gubernans communitatem, *Statolatria:* 3.° tribuendo Deo honorem, sed modo quo non debet; et dicitur *superstitio,* quando scilicet id quod Deo redditur non est fini religionis proportionatum: *Finis autem divini cultus est ut homo Deo det gloriam et ei se subjiciat mente et corpore.* «Si ergo aliquid sit, inquit ***Angelicus,*** quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiae inordinatae refraenentur, aut etiam sit praeter Dei et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem, quae, secundum ***August.,*** pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum et superstitiosum, quia in exterioribus solum consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet» [2].

---

1 II-II, q. LXXXI, a. 6.

2 II-II, q. XCIII, a. 2; Cfr. Bautain, *Philos. Morale,* t. 2, chap. V, § 66.

§ 2

RELIGIONIS NATURA PENITIUS INVESTIGATUR.

Summa rerum. 1. Thesis: *Religio seu complexus relationum Deum inter et hominem est realitas quaedam objectiva a cognitione humana quoad concretam ejusdem existentiam omnino independens et naturali rationis humanae lumine certo cognoscibilis.* 2. *Modernismi doctrina quoad originem, existentiam et cognoscibilitatem religionis.* 3. *Modernismi radices; — fauctores.* 4. *Rejicitur Modernismus.* 5. Religionis origo: Thesis I. Thesis II. 6. *Kantii sententia.* Thesis: *Religio re non differt a sanctitate. — Explicatur et probatur verbis S. Thomae.* 7. *Corollaria* (quatuor virtutes quibus proxime ordinamur in Deum;—religio a virtutibus theologicis plane distinguitur).

1. Ex tradita notione religionis necnon ex argumentis ad ejusdem existentiam demonstrandam in § praecedenti collectis, logico nexu deducitur veritas sequentis assertionis quae directe militat contra Modernistas[1].

Thesis. **Religio,** seu complexus relationum Deum inter et hominem, **est realitas quaedam objectiva a cognitione humana quoad concretam ejusdem existentiam omnino independens et naturali rationis lumine certo cognoscibilis.**

2. **Modernismi doctrina** quoad *originem, existentiam et cognoscibilitatem* religionis. Vix possibile judicamus universum Modernistarum systema paucis, rite tamen, ut pars est, exponi posse; est enim ut illud *Pius Pp. X,* scite definivit, *omnium haereseon collectum.* Nihilominus quoad praesentem attinet materiam sic ejusdem principia contrahimus:

Juxta modernistas[2], religio sive ea naturalis sit, sive supra naturam, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaeren-

---

1 A fortiori thesis nostra Modernistarum praecursores, Rationalistas, percellit qui Kantii *subjectivismum* religionis studio applicantes, secluso omni objectivo fundamento, eam reducere molliuntur ad purum *phaenomenon* spiritus. Conferantur Rationalistae qui animum admoverunt *historiae* seu *scientiae religionum,* ut hodie dicitur nova illa disciplina quae perscrutandis phaenomenis, quibus religio, juxta diversitatem locorum et temporum, externe sese manifestavit, ut inde ejusdem ortum conjiciant vel demonstrent, incumbit, ut Renan, Paulsen, Tiele, Reville, Wundt, Pfleiderer aliique. Cfr. Villelga Rodríguez, *Curso Elemental de Apología contemporánea,* (Barcelona, 1912), p. III, lecc. XXV. Exposición de la llamada cuestión de la ciencia de las religiones.

2 Expositione utimur Pii, Pp. X, in *Encycl. Pascendi,* 8 Sept. 1907. Verba ipsa, quantum possumus, retinemus.

da. Et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita hominis reperienda est *(Principium immanentiae religiosae)*. Vitalis porro cujuscumque phaenomeni, cujusmodi religionem esse jam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda; primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, cum religionis objectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem quae initium est ac fundamentum cujusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur.

Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut loquuntur, mutuato vocabulo a moderna philosophia, in *subconscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa.

Hinc Deus, religionis objectum, est *incognoscibilis*. Coram hoc autem *incognoscibili* indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo praevertente mentis judicio, peculiarem quemdam commovet *sensum*, hic vero divinam ipsam realitatem, tum tanquam sui causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo conjungit. Est porro hic *sensus* quem modernistae *fidei* nomine appellant, estque illis religionis initium [1].

Ex tradita doctrina consequitur *a)* religionem esse effectum vel resultantiam illius *sensus* vel affectionis subjectivae qua experimur nos Deo indigere. Veritas ergo religionis non est absoluta, sed relativa et ab homine posita. Religiosus sensus, inquiunt modernistae, qui per vitalem immanentiam e latebris subconscientiae erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium quae in religione quavis fuere aut sunt futura. Unde variae religiones cum suis dogmatibus et praeceptis non sunt nisi merae illius sensus explicationes; *b)* infertur etiam religionem non esse ratione humana certo cognoscibilem, sed solum sensu vel affectione subjectiva sentiri.—Deus, ajunt ipsi, non est objectum scientiae, haec enim duplici includitur termino, altero externo, adspectabili nimirum mundo, altero interno qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerit, ultra quo procedat non habet; hos enim praeter fines adest *incognoscibile*. Quod si realitatem divini esse in se existere non negent, hujusmodi certitudinem solummodo niti, ajunt, in privata cujuscumque hominis experientia.

---

1 El Norte Americano W. James. (The Varieties of Religion experience 20 ed. London 1911) considera la religión como «el conjunto de impresiones, sentimientos y actos del individuo tomados aisladamente y en sus relaciones con Aquel que le presenta como divino». (Lecture II)... «floración natural que resulta de las inclinaciones de la naturaleza humana»; el origen de los sentimientos religiosos se halla en la subconciencia. (Lect. XX). Las pruebas que se dan de la existencia de Dios y de la inmortalidad del alma son insuficientes para el sabio (Lect. XVIII-XX).

3. Haec aliaque graviora, quae videri possunt exposita et refutata in praelaudata Encycl. *Pascendi dominici gregis*, docuere nostris hisce diebus, multi e catholicorum laicorum numero, quin, quod longe miserabilius, plures ex ipso sacerdotum coetu, qui, fucoso quodam Ecclesiae amore, ut loquitur *Pius X*, nullo solido philosophiae ac theologiae praesidio, imo adeo venenatis imbuti doctrinis quae ab Ecclesiae osoribus traduntur, Ecclesiae ejusdem renovatores, omni posthabita modestia animi, se jactitant. Eo autem revera progressi sunt, ut, non modo catholicam, sed omnem penitus religionem deleverint.

Modernismus non alibi quam in extrema quorumdam catholicorum curiositate et superbia atque in nimia aestimatione qua prosequuntur recentiorum Rationalistarum Opera, quorum lectione morose delectantur, radices habet. Audactiores modernistae fuere: *Loisy, Leroy, G. Tyrrel, Rom. Murri, Minocchi, Buonajuti, Bonnefoy, Joan. Morin, Meregalli, Houtin, Semeria, Laberthonnier, Fogazzaro, Turmel, Herman Schell, Schnitzer* et *Wahrmund*[1]. Praeiverant autem rationalistae critici, *Wittola, Schleiermacher, Volkmar, Keim, Ritschl, Sabatier, Davidsom, Zeller, Joan. Weiss, Wellhausen, Rod. Eucken, Windelband, Harnack* et plures alii.

4. **Rejicitur Modernismus.** Ex praejacta doctrina quot exitiosa consectaria ad nostrum institutum spectantia sequantur nemo non videt.

Etenim, ut paucis sermonem maxime ad compendium conferamus, *a)* Modernistae *Theodiceam naturalem* penitus e medio tollunt et ad *intellectualismum* amandant. Nam philosophiae religiosae fundamentum in doctrina illa modernistae ponunt quam vulgo *agnosticismum* vocant. Vi hujus humana ratio *phaenomenis* omnino includitur, rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent: earumdem praetergredi terminos nec jus nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est nec illius existentiam, ut per ea quae videntur, agnoscere.

b) Modernismus ad indifferentismum recta graditur via. Cum enim dogmata et praecepta in infinitum decursu temporum variari possint

---

1 Cfr. *Modernismo y Modernistas*, por Alej. Cavallanti; Idem, *Literatura modernistica*, Hechos y personas de última hora; P. Valent. ab Assumpt., *Theolog. Fundamentalis*, Appendix de Modernismo; Sabino Olalla, O. S. B. *El modernismo sin máscara* (Barcelona 1908); Thomas Larumbe y Lander, *Syllabus*, Pii X; Ruiz Amado, *El Modernismo religioso*; Lemius, *Catecismo sobre el Modernismo según la Enciclica «Pascendi»* (Barcelona 1908); Mercier, *El Modernismo* (traducido por D. Juan Zaragüeta; M. Castro Alonso, *Análisis y refutación del Modernismo*; Santallucia Claverol, *Qué es el modernismo* (Barcelona 1908): Consuli quoque possunt J. Lebreton, *L'Encyclique et la Theologie Moderniste*; Hugon, *Reponses theologiques a quel questions d'actualite*; *Ensayo de comentario al Decreto «Lamentabili»* por los alumnos de Teología y Derecho Canónico (Curso de 1906-1907) del Pontificio Colegio Español de S. José de Roma.

et evolvi secundum sensum religiosum, cujus illa sunt merae explicationes, possunt et debent homines, modo haec, modo vero alia dogmata religionemque variam amplecti, vel nullam ex cognitis, quia eas invicem oppositas proindeque nullam certo veram succesive reperit [1].

c) Immanentia illa modernistarum, ex qua veluti ex altero fonte profluit totum eorumdem systema, vult atque admittit omne conscientiae phaenomenon ab homine ut homo est proficisci. Legitima ergo ratiocinatio inde infert unum idemque esse Deum cum homine, ex quo *pantheismus.*

d) Posita exitiosa illa agnosticismi doctrina, ex parte intellectus, omnis ad Deum via praecluditur homini, dum aptior sterni putatur ex parte cujusdam animi sensus et actionis. Hominum autem pars maxima hoc firmiter tenet tenebitque semper, sensu solum et experientia, nullo mentis ductu atque lumine, ad Dei notitiam pertingi nunquam posse. Restat ergo *atheismus ac religio nulla.*

e) Denique veritatem religionis tueri non possumus contra impugnantes, aut plures veras esse admittere cogimur. Nam quo jure modernistae experientiae abnuent quam turca affirmet? verasque ne experientias unis catholicis vindicabunt [2].

5. Quae modo, ratione duce, contra Modernistarum placita asserta relinquimus, lectorem manuducunt ad adstruendum naturalem verae religionis ortum; nec probatione indiget, post dicta, veritas subsequentium thesium.

Thesis I. Vera religio nullam aliam causam efficientem agnoscit praeter naturalem hominis inclinationem, lege aeterna sancitam, ad exhibendum Deo auctori suo debitum cultum.

Tribus enim, instar fundamenti, constitutis, scilicet, Dei exsistentia, animi immortalitate et hominis creatione, necessario vera consurgit religio; igitur non est humanitus inventa sed homini connata.

Thesis II. Variae gentium religiones, non quidem ab exordio humani generis sed decursu temporis, pluribus diversisque agentibus causis ortae videntur.

Hujusmodi fontes sive causas unde ortum habuerunt gentium religiones ad tres reducit *S. Thomas:* ad *ignorantiam intellectus* humani;

---

1 Cfr. Olalla, *El modernismo sin máscara*, § 2; Lemius, *Catecismo sobre el modernismo*, I, p. c. II.

2 Pius X, loc. cit. Qui plura cupiat adeat egregiam *Encycl. Pascendi.*

ad *inordinationem affectus* humani cordis; et ad *diabolicam seductionem*. Audiatur ***Angelicus*** qui, loquens de idololatria, sequentia asserit: «Dicendum quod idololatriae est duplex causa. Una quidem *dispositiva*: et haec fuit ex *parte hominum:* et hoc tripliciter. *Primo* quidem ex inordinatione affectus, prout scilicet homines aliquem hominum vel nimis amantes, vel nimis venerantes, honorem divinum ei impenderunt..... *Secundo,* propter hoc quod homo naturaliter de repraesentatione delectatur; et ideo homines rudes a principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expressive factas, divinitatis cultum eis impenderunt... *Tertio,* propter ignorantiam veri Dei, cujus excellentiam homines non considerantes quibusdam creaturis, propter pulchritudinem seu virtutem divinitatis cultum exhibuerunt... Alia autem causa idololatriae *consummativa* fuit *ex parte daemonum,* qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando responsa, et aliqua, quae videbantur hominibus mirabilia, faciendo» [1].

6. **Fuit *Kantii* sententia,** quam jam suo tempore invicte refutaverat *S. Thomas,* religionem rem esse omnimode distinctam a sanctitate, hancque in immunitate ab omni passione tantum sitam esse docet, ita ut qui non careat omni passione sanctus dici nequeat [2]. Verum longe aliter *S. Thomas,* et nos cum ipso.

Thesis. Sanctitas re non differt a religione.

Explicatur et probatur verbis ipsis *S. Thomae:* «Dicendum, inquit, quod nomen sanctitatis *duo* videtur importare; *uno quidem modo* munditiam: et huic significationi competit nomen graecum: dicitur enim ἅγιος, quasi sine terra; *alio modo* importat firmitatem; unde apud antiquos sancta dicebantur quae legibus erant munita, ut violari non deberent... Et utraque significatio competit, ut sanctitas attribuatur his quae divino cultui applicantur, ita quod non solum homines, sed etiam templum, et vasa et alia hujusmodi sanctificari dicantur ex hoc quod cultui divino applicantur. Munditia enim necessaria est ad hoc quod mens Deo applicetur; quia mens humana inquinatur ex hoc quod inferioribus rebus injungitur, sicut quaelibet res ex immixtione pejoris sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc ut supremae rei possit conjungi... Firmitas etiam exigitur ad hoc quo mens Deo applicetur; applicatur enim ei sicut ultimo fini et primo principio; hujusmodi autem oportet maxime immobilia esse».

«Sic ergo sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam et suos

1 II-II, q. XCIV, a. 4, Cfr. Dominicus a SSma. Trinitate, tom. V, lib. IV, sect. IV c. I.

2 *Critique de la raison practique*, p. I. lib. I. c. 3.

actus applicat Deo. Unde non differt a religione secundum essentiam, sed solum ratione. Nam religio dicitur secundum quod exhibet Deo debitum famulatum in his quae pertinent specialiter ad cultum divinum, sicut in sacrificiis, oblationibus et aliis hujusmodi: sanctitas autem dicitur secundum quod homo non solum haec sed aliarum virtutum opera refert in Deum, vel secundum quod homo se disponit per bona opera ad cultum divinum»[1]. *Verbo:* Religio est specialis virtus ab omnibus aliis distincta: sanctitas vero habet quamdam generalitatem, secundum quod omnes virtutum actus per imperium ordinat in bonum divinum[2], ut ipsemet ***Angelicus*** loquitur.

7. **Corollarium I.** Quoniam quatuor sunt virtutes quibus proxime ordinamur in Deum; per fidem namque Deo adhaeremus tanquam *primae veritati,* per spem ferimur in ipsum tanquam *bonum nobis,* per charitatem ei unimur uti *summo bono,* et reverentiam et subjectionem protestamur sicut *primo principio* rerum omnium per religionem, quatuor actibus officia omnia erga Deum generantim comprehenduntur, scilicet fide seu cognitione, spe, amore, et servitute.

Corollarium alterum. Religio autem distinguitur a virtutibus theologicis; nam religio habet quidem Deum pro fine proximo, non autem pro objecto seu materia *circa quam,* quemadmodum virtutes theologicae quae attingunt ipsum non tantum sicut finem sed etiam tanquam objectum proprium; et ideo religio versatur circa cultum Deo exhibendum, sicut circa propriam materiam; «ordinat hominem in Deum, non sicut in objectum sed sicut in finem»[3], ait ***D. Th.*** «Duo enim considerantur in religione: unum quidem *quod* religio Deo affert, scilicet cultus; et hoc se habet per modum materiae et objecti ad religionem; aliud autem est id *cui* affertur, scilicet Deus, cui cultus exhibetur, non quod actus quibus Deus colitur, ipsum Deum attingant, sicut cum credimus Deo, credendo Deum attingimus»[4].

---

1 II-II, q. LXXXI, a. 8.
2 ib. ad 1.
3 ib. a. 5 ad 2.
4 ib. a 5. Cfr. Suarez, Tract. I, lib. III, c. II; Weiss. *Apologia del Crist.*, tom. V. Confer. VI. n. 11.

Articulus II

De religione interiori

Summa rerum. 1. *Actus religionis psichologice inspectae.* 2. *Religio theoretica et practica.* 3. *Falsae religionis definitiones.* 4. *Religio interna et externa.* – *Qui actus sint principales in religione.* 5. Thesis I. 6. Tesis II. – Hobbes *et* Kemmerich. 7. Kantii *opinamenta circa amorem Dei.* Thesis III. – *Notanda circa species amoris.* – Probatur thesis. 8. *Quorumdam opinio* – Thesis IV. – Prob. 9. *Oratio et devotio.* – Cousin *et* Damiron. 10. *Devotionis definitio, causa intrinseca et munus.* 11. *Duplex orationis acceptio; – sub quo respectu impetitur a Rationalistis. – Orationis osores et quam ob rationem adversentur ipsi.* 12. Thesis. – Prob. 13. *Refutatur Rationalismus enodando, quas objicit, difficultates.* 14. *Scholion* (cur quandoque preces petentium non exaudiantur).

1. **Religionis actus.** Religio *psichologice* inspecta plures complectitur actus, inter quos principaliores sunt: *a)* actus intellectus apprehendentis divinam excellentiam; *b)* actus voluntatis affectuose tendentis in excellentiam cognitam, seu amor inde promanans; *c)* actus practicus quo Deum colimus eique nosmetipsos omniaque nostra submittimus.

2. Ex quo consequitur religionem duas continere partes, *theoreticam* scilicet *practicamque*.

Ad priorem spectat ea omnia studiose discere quae religionem attinent, proindeque *a)* Deum cognoscere, *b)* modum Deum rite colendi investigare, *c)* agnitumque complecti. «Primus Deorum cultus, ait ***Seneca,*** est Deos credere, deinde reddere iis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est» [1]. Et egregius scripsit ***Lactantius:*** *non potest religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni, quia idem Deus est quem scire oportet, quod est sapientiae, et idem quem colere, quod est religionis. Sed sapientia praecedit, religio sequitur; quia prius est Deum scire, consequens colere* [2].

Ad practicam vero pertinent, inter alia, praecepta servare, ritus et caeremonias, quibus corpore et spiritu protestamur nostram erga Deum servitutem et dependentiam, perficere. Prima ergo sistit in cognitione officiorum, altera autem descendit ad praxim.

---

1 *Epist.*, XCV.
2 *Instit.*, IV, c. 4.

3. *Falsae religionis definitiones.* Merito ergo rejiciuntur erroneae vel incompletae definitiones quae de religione a nonnullis Rationalistis passim traduntur. Sic, *Kantius* religionem coarctat ad *solam cognitionem* nostrorum officiorum erga Deum; *Schelling* asserit religionem esse *intellectualem intuitionem Absoluti* cum conatu ad majorem in dies cum eo similitudinem perveniendi; juxta *Hegel*, religio est libertas resultans ex conscientia spiritus absoluti in homine; *Renan* eam definit *caecum quemdam affectum animi* cuidam instinctui naturali innixum; eodem fere modo religionem describunt *Sentimentalistae*, eam in quibusdam *animi sensis* reponentes; *Schleiermacher* reducens religionis conceptum *ad caecum sensum dependentiae hominis ab infinito*. Ad instinctum *caecum et irrationalem* quoque totam reducit religionem *W. James*[1]. Idipsum affirmant alii agnoscentes religionem *in vago quodam affectionum instinctu* abstrahente ab omni dogmatica et rationali notione[2]. Pudet absurdas et impias definitiones positivistarum, *Aug. Comte, Spencer, Tyndall, Stuar Mill* aliorumque heic exscribere; qui enim hujusmodi definitiones efformatas videre velit recolat eorumdem auctorum theorias circa primum moralitatis principium.

4. **Religio interna et externa.** Religio dividitur ratione actuum quibus Deus colitur in interiorem et exteriorem. Est autem cultus interior *honor Deo exhibitus per actus animi internos;* exterior vero definiri potest: *Manifestatio sensibilis,* id est, actibus corporis, *cultus interni.* «Cum enim homo sit compositus ex anima et corpore utrumque debet applicari ad colendum Deum, ut scilicet anima colat interiori cultu et corpus exteriori»[3].

Notatu tamen dignum est quod, cum actus exteriores a voluntate imperari debeant ut sint humani, actiones pertinentes ad cultum internum sunt principales et per se ad religionem spectantes, actus vero corporis secundarii.

Conclusiones. Age vero. Actus interiores hominis, de quibus nunc est sermo, sunt actus intellectus et voluntatis, cognitio nempe et amor. Quaerendum est ergo *an homo teneatur recte sentire de Deo ipsumque amare.* Verum ut a generalioribus ad particularia descendamus sit

5. **Thesis I. Homo tenetur officio naturae exhibere Deo cultum internum.**

Veritas haec facile demonstratur ex dictis. Honor quippe debe-

1 Cfr. *La Civiltà Cattolica*, Set. 1912.

2 Ab hac definitione parum distat notio religionis quam tradunt modernistae: «Religio inquiunt, est intimus sensus nostrae dependentiae a Deo». Diversae autem religiones non sunt nisi illius sensus religiosi mere explicationes. Cfr. *Encycl. Pascendi.*

3 S. Th., I-II, q. CI, a. 2.

tur alicui propter aliquam excellentiam. Deo autem competit singularis excellentia, in quantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum. Unde ei debetur specialis honor, sicut in rebus humanis videmus quod diversis excellentiis personarum diversus honor debetur, alius quidem patri, alius regi, et sic de aliis[1]. Atqui honor est clara notitia cum laude, quae sine dubio ad religionem interiorem spectat; ergo.

Insuper. Homo officio naturae obstringitur religione erga Deum; sed «religio, habet quidem interiores actus quasi principales et per se ad religionem pertinentes; exteriores vero actus quasi secundarios et ad interiores actus ordinatos»[2]; ergo actibus interioribus tenetur homo honorare Deum ex praescripto naturae, aut nullo actu ad id tenetur.

6. **Thesis II. Primus actus internus, quo homo ex officio naturali tenetur Deum honorare, est actus intellectus, recte scilicet sentire de Deo**[3].

Primum namque in religione est Deum nosse, consequens colere, ajebat *Epitectus*. Et revera. Honor alicui exhibitus neccessario praesupponit cognitionem excellentiae propter quam laudem meretur; atqui religio importat honorem Deo exhibendum propter ejus excellentiam; ergo eodem officio, quo homo adstringitur ad Deum colendum, ligatur etiam ad eum cognoscendum. Item. Obvium cuique est diminui honorem divinum si ejus majestas, non ut par est, pensetur; ergo homo tenetur recte sentire de Deo. Hinc ***S. Augustinus:*** *Optime de Deo existimare verissimum est pietatis exordium*[4]. Et alibi: *Male autem vivitur si de Deo non bene sentitur*[5]. His addi potest Deum esse principium intellectus nostri; ergo necesse est, et id natura praecipit, ut eidem consecretur intellectus et ipsum ut auctorem recognoscat.

Ex qua conclusione colligitur ***Hobbessium*** et ***Kemmerichium*** falso docere partem theoreticam religionis lege naturae non comprehendi, nec peccatum contra religionem committi, licet quoquo modo de Deo sentiatur. Clare quoque patet falsam esse theoriam illam modernistarum, juxta quam, elementa religionis hoc ordine in sua origine et evolutione historica consequuta sunt: primo cultus, secundo mora-

---

1 D. Th. II-II, q. LXXXI, a. 4.

2 ib. a. 7. Cfr. Suarez, lib. II. c. I.; Muratori, *Filosofia Moral*, tom. I, c. 24; Roselli, *Ethica* q. VIII. a. 1.

3 Cfr. Dominicus a SSma. Trinit., loc. cit. lib. IV. sect. V, c. VI.

4 *De lib. arbitr.*, lib. I, c. 2.

5 *De Civit. Dei*, lib. X.

lis, ultimo dogma, ut affirmat ***R. de la Grasserie*** cum pluribus aliis[1].

Praeter actus intellectus concurrunt etiam ad cultum internum actus voluntatis, cujus praecipuus amor est, quoniam ajente ***S. Augustino,*** *Deus non colitur nisi amando*[2]; et ***S. Thomas:*** *Caritas devotionem causat et etiam per devotionem nutritur*[3].

7. **Kantii sententia.** Docuit Rationalistarum parens 1) *amorem Dei esse impossibilem*, tum quia, a) juxta ipsum, Deus est invisibilis: ratio namque, ajente *Kantio,* nihil aliud facit nisi unitatem conferre phaenomenis; contracta igitur cognitione intra sphaeram phaenomenorum sensibilium, ratio humana nequit propriis viribus Deum attingere; tum etiam b) quia, ut ipse disserte fatetur, Deus computandus est inter entia transcendentalia, quae longe superant captum rationis; si ergo Deus cognosci non potest, nec amari. Asseruit 2) *amorem Dei esse vitium mysticismi,* quia, juxta rationalisticam theoriam *rationis autonomae,* homo sibi ipsi est finis, nec licet unquam operari vel legem servare Dei vel alterius finis aut motivi extrinseci amore, sed unice ex ipsius legis affectu, vel propter ipsam legem, quatenus est a ratione individuali posita. Paulisper immorabimur in hac absurdissima theoria refutanda.

Thesis III. Amor Dei non solum est possibilis, sed homo lege naturae tenetur diligere Deum amore appretiative summo, id est, super omnia.

Ante probationem nota nos in thesi sermonem instituere, non de amore *comprehensivo,* quo res diligitur quantum amabilis est; sic enim Deus a seipso tantum diligitur; nec de amore *intensivo* consistente in majori vel minori fervore aut aestu quo quis fertur in rem amatam; quo sensu possumus intensius rem aliquam, v. gr. parentes, magis quam Deum ipsum amare; sed quaestio et lex naturae versatur circa amorem *appretiativum,* in hoc situm quod objectum tali amore dilectum praeferatur alteri, si in datis circumstantiis cum ipso collidatur; et ideo diligere Deum *amore appretiative summo et super omnia,* ad quod lege naturae adstringimur, significat relinquenda esse omnia potius quam Deum.

Utraque conclusionis pars breviter et compendiose probatur. *a*) Fini debetur amor; est enim objectum voluntatis; non est autem tale nisi quia bonum; atqui Deus est ultimus omnium actionum humanarum finis; ergo homo debet omnes illas referre in Deum ipsumque summe diligere. *b)* Bonum est quod omnia expetunt, et idcirco amabile; ergo *absolute amabile ipsum bonum, cuique vero proprium,* ut logice infert ***Aristoteles.*** Hinc ***S. Augustinus:*** «*Summum* bonum non modo

1 Vide *Coenobium*, Nov. 1912.
2 *Epist.* CXL *ad Honor.*
3 II-II, q. LXXXII, a. 2 ad 2.

diligendum nemo ambigit, sed ita diligendum ut nihil amplius diligere debeamus; idque significatur et exprimitur quod dictum est ex *tota anima tua,* ex *toto corde,* ex *tota mente*»[1]; *c)* ratione luculentissima ***S. Thomae*** qui, cum sibi objecisset amorem naturalem fundari in unione, et ideo angelum plus se diligere quam Deum, respondet: «quod ratio illa procedit in his quae ex aequo dividuntur; quorum unum non est alteri ratio existendi et bonitatis; in talibus enim unumquodque diligit naturaliter magis seipsum quam alterum, in quantum est magis sibi unum quam alteri. Sed *in illis quorum unum est tota ratio existendi et bonitatis aliis, magis diligitur naturaliter tale alterum quam ipsum,* sicut dictum est in corpore art. quod unaquaeque pars diligit naturaliter totum plusquam se, et quodlibet singulare naturaliter diligit plus bonum suae speciei quam bonum suum singulare. *Deus autem non solum est bonum unius speciei, sed est ipsum universale bonum simpliciter. Unde unumquodque naturaliter diligit Deum plusquam seipsum*»[2].

8. **Quorumdam opinio.** Praeter *Kantianos,* de quibus supra, fuerunt nonnulli etiam inter ipsos theologos, qui, etsi nunquam negaverint hominem lege naturae adstringi ad diligendum amore appretiative summo Deum, tamen opinati sunt nullum dari *speciale* praeceptum caritatis, sed implicitum esse in observatione ceterorum mandatorum. Verum contra ipsos sequentem stabilimus conclusionem, quae ex dictis facile eruitur.

Thesis IV. Speciale datur praeceptum diligendi Deum, non tantum exercite, per observantiam scilicet aliorum mandatorum, sed actu interno voluntatis.

Duplici ratione id probamus cum ***Angelico.*** Primo. «Praeceptum importat rationem debiti. In tantum ergo aliquid cadit sub praecepto in quantum habet rationem debiti. Est autem aliquid debitum dupliciter, uno modo per se, alio modo propter aliud. *Per se* quidem debitum est in unoquoque negotio, *id quod est finis,* quia habet rationem per se boni. *Propter aliud* autem est debitum *id quod ordinatur ad finem;* sicut medico per se debitum est ut sanet, propter aliud autem ut medicinam det ad sanandum. Finis autem spiritualis vitae est ut homo uniatur Deo, quod fit per caritatem; et ad hoc ordinantur, sicut ad finem, omnia quae pertinent ad spiritualem vitam... In quolibet autem genere id quod est per se, potius est eo quod est propter aliud, et ideo maximum praeceptum est de caritate»[3].

---

1 *De mor. Eccl.,* lib. I, c. 11.
2 I, p. q. LX, a. 5 ad 1.
3 II-II, q. XLIV, a. 1.

Secundo. «Proprium objectum amoris est bonum; et ideo ubi est specialis ratio boni, ibi est specialis ratio amoris. Bonum autem divinum, in quantum est beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni; et ideo amor caritatis, qui est amor hujus boni, est specialis virtus[1]; sed praeceptum est de actibus virtutum; ergo ubi est specialis virtus ibi dare necesse est speciale praeceptum. Et de religione interiori in genere satis.

9. **Duos actus interiores** recenset *S. Thomas*[2] ut principaliores: scilicet *devotionem* et *orationem;* de quibus, potissimum de oratione, nonnulla philosophis scitu necessaria, sunt addenda.

Per *devotionem* promptam habemus voluntatem ad ea exequenda quae pertinent ad divinum famulatum; per *orationem* vero homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit et profitetur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum. Igitur cultus internus ad has formulas reduci potest: *Deum adora; Deum ama; agnosce tuam ab eo dependentiam.* Perperam ergo ***Cousin*** et ***Damiron*** religionis essentiam constituerunt in expressione externa relationis purae mundi et hominis cum Deo per signa aut symbola quaedam sensibilia. Hoc enim totum externum et secundarium est dependens ab actibus interioribus sine quibus religio cedit in superstitionem vel hypocrisim.

10. **Devotio** dicitur a devovendo; unde *devoti* dicuntur qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant; propter quod et olim apud gentiles *devoti* dicebantur qui seipsos idolis devovebant in mortem pro sui salute exercitus. Unde *devotio* nihil aliud esse videtur *quam voluntas quaedam prompte tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum*[3].

Causa intrinseca devotionis ex parte nostra est meditatio seu contemplatio. Dictum est enim quod devotio est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem voluntatis actus ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis[4].

Ad devotionem, cum sit actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei serviendum qui est ultimus finis, pertinet modum imponere humanis actibus, sive sint actus ipsius voluntatis circa ea quae sunt ad finem, sive etiam sint actus aliarum potentiarum, quae a voluntate moventur[5].

11. **Oratio** lato sensu accepta est *pia ascensio mentis in Deum,* quia oratio tendit in Deum, tum ex parte ejus quod petitur, quoniam hoc est

---

1 ib. q. XXIII, a. 4.
2 ib. q. LXXXII.
3 ib. q. LXXXII. a. 1.
4 ib. a. 3.
5 ib. a. 1 ad 1. Cfr. Suarez, Trat. IV. lib. II. c. 6 et sqq.

praecipue in oratione petendum, ut Deo uniamur, tum ex parte ipsius petentis quem oportet accedere ad eum a quo petit, vel loco, sicut ad hominem, vel mente sicut ad Deum[1]. Sub hoc respectu plures complectitur actus, ut adorationem, gratiarum actionem, petitionem bonorum etc. *Sricte* autem definitur: *petitio decentium a Deo,* et sic sumpta impetitur ab acatholicis.

Orationis osores. Orationis necessitatem et utilitatem non tantum athei, Deistae, Pantheistae et Agnostici inficiantur tanquam logicum propriorum systematum consectarium, sed eam quoque rejiciunt variis ex causis plures Rationalistae, veteres et pene obsoletas philosophorum opiniones recoquentes: *a)* nonnulli, ut *Kantius*, quia Deus omniscius non indiget ut ei nostras exponamus necessitates[2]; *b)* alii *(Rousseau, Saisset, J. Simon),* quia orationem reputant derogatoriam ordinis a Deo immutabiliter constituti, quippe orando petimus, juxta ipsos, ut immutabiles naturae leges Deique aeterna decreta mutentur; pugnat igitur oratio cum immutabilitate legum physicarum et decretis divinae voluntatis[3]. Ipse tamen *J. Simon* animadvertit orationem, prout comprehendit adorationem et gratiarum actionem, esse actum religioni essentialem; mordicus vero affirmat orationem non esse necessario petitionem, nec prout talem, posse compati cum divina immutabilitate. *c)* Alii demum rationalistae censent orationem esse inutilem et humanae dignitati contrariam, quoniam homines possunt propriis viribus consequi finem suum[4].

Verum falsa horum omnium aliorumque de novo quotidie pullulantium dogmata jam saeculo XIII preoccupaverat *S. Thomas.* Legatur II-II q. LXXXIII, a. 2, ubi, triplici antiquorum errore circa orationem relato, concludit: oportet *sic inducere orationis utilitatem, ut neque rebus humanis divinae providentiae subjectis necessitatem imponamus, neque etiam divinam dispositionem mutabilem aestimemus.* Ad cujus evidentiam «considerandum est quod ex divina providentia *non solum disponitur qui*

---

1 II-II. q. LXXXIII. a. 1 ad 2.

2 La prière comme culte formel et interieur, et par consequent comme moyen de grace, est une illusion et une superstition; c'est du fetichisme; car elle n'est que l'expression d'un desir formulé devant un Etre que n'a pas besoin que nous lui parlions de nos besoins pour les connaitre. Apud González, *Philos. Elem.* lib. VII, c. III.

3 Rousseau, *Profesión de fe del Vicario de Saboya.* «Yo converso con Dios e inundo todas mis facultades de su esencia divina, me enternezco con sus beneficios, le bendigo por sus dones; pero no le pido nada. ¿Qué podría pedirle? Que cambiase para mí el curso de las cosas? Que hiciese milagros en mi favor? Yo que debo amar sobre todo el orden establecido por su sabiduría y conservado por su providencia, podría desear que este orden fuera turbado por mi causa? No, ese voto temerario antes merecía ser castigado que oído». Y otro sofista, Julio Simón, decía. Por más esfuerzos que se hagan es imposible separar a Dios de su inmutabilidad y de su eternidad. Nuestra oración no nos produce otro bien que acercarnos a El por la meditación y el amor. *La Relig. Naturelle,* p. IV. chap. I.

4 Vide omnes has Rationalistarum theorias expugnatas apud Gondal, *La Religión* lib. III. c. V. et seq.; Bougaud, *El Cristianismo y los tiempos presentes,* tom. V, cap. IV; Monsabré, Confer. XXI.

effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, et quo ordine proveniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorumdam causae actus humani. Unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum».

12. **Thesis. Sistendo in ipsomet ordine naturali, oratio est homini valde utilis et necessaria**[1].

Orationis necessitatem, prout oratio cum adoratione et gratiarum actione confunditur, vel ipsi Rationalistae qui Deum providum admittunt ultro libenterque fatentur. Et res quidem clara est. Nam aut religionem omnem penitus rejicere aut orationem lato illo sensu coguntur amplecti. Insuper. Inter res visibiles hujus adspectabilis universi solus homo reddere potest Deo gloriam illam propter quam ipse mundum condidit; gloria quippe, ut iterum dicamus, est clara notitia cum laude. Unde solus homo nomine omnium creaturarum potis est hymnum laudis Deo debitum cantare: quam ob causam merito *pontifex* et *sacerdos* universi vocatur.

Esse quoque homini saltem moraliter necessariam, prout dicit petitionem decentium a Deo, probari potest: *a)* ex consensu omnium populorum; *b)* ex naturali hominis inclinatione ad postulandum id quo indiget vel ab aliis hominibus, vel generatim ab eo a quo exaudiri possit, hoc enim vel in ipsis animalibus reperitur dum ejulatu, gemitu, aliisque signis petunt ab aliquo nocivo liberari adjuvarique in suis necessitatibus; *c)* ex ipsius naturae humanae egestate quae pluribus caret multisque aerumnis et calamitatibus afficitur.

13. **Refutatur Rationalismus.** Rationes ob quas heterodoxi orationis possibilitatem impugnant ad tres, uti supra innuimus, reduci possunt. Oratio quippe ab iis dicitur impossibilis et innecessaria ordinisque naturalis derogatoria 1.° quia pugnat cum omniscientia divina, 2.° cum immutabilitate divinae voluntatis, 3.° cum humana dignitate. Ad earum vero solutionem sufficit nonnulla ex *D. Thoma* exscribere.

Adversus I. Fatemur equidem Deum cognoscere omnia nostra desideria; posse insuper ea implere cum voluerit, imo necessitates praevenire quin homo precibus id expostulet; sed orationem precatoriam minime fundimus propter necessitatem Dei, quia ea nempe indi-

1 Cfr. Valentia, loc. cit. q. II. Punct. I-III; Suarez, Trat. IV, lib. I-II; Tanquerey *Synopsis Theolog. Dogm. De Vera Religione*, c. I. n. 16 et sqq.; Lefranc, *La Prière* (París 1904); Lacordaire, Confer. XIII; Hettinger, *Apolog.* Confer. IV; Severino Aznar, *Las grandes Instituciones del Catolicismo—Ordenes Monásticas—Institutos Misioneros* (Madrid, 1912), c. VI y VII.

geat ad cognoscendas hominum necessitates, sed propter nostram salutem, ne scilicet oblivioni mandemus Deum esse fontem omnium bonorum nosque de plenitudine ejus accepisse. Audiatur *Angelicus:* «Non est necessarium nos Deo preces porrigere ut ei nostras indigentias vel desideria manifestemus, sed ut nos ipsi consideremus, in his ad divinum auxilium esse recurrendum» [1]. Et infra. «Deus nobis multa praestat ex sua liberalitate etiam non petita; sed quod aliqua vult praestare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem; ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem» [2].

Adversus II, recte cum eodem *Angelico* respondere possumus quod sicut divinae Providentiae immobilitas necessitatem rebus provisis non imponit, ita etiam nec orationis utilitatem excludit. Non enim ad hoc oratio ad Deum funditur ut aeternae providentiae dispositio immutetur, hoc enim impossibile est, sed ut aliquis illud quod desiderat assequatur a Deo» [3]. «Valent igitur orationes non quasi ordinem aeternae dispositionis immutantes, sed quasi sub tali ordine etiam ipsae existentes» [4]. Praeordinatum itaque est quaedam beneficia esse a Deo homini concedenda, sed praeordinata quoque est oratio tanquam medium ad illa obtinenda [5].

Ratio autem hujus divinae voluntatis immutationis, quamvis hominum preces exaudiat, praeclare exponitur ab *Angelico* his verbis:«Ostensum est quod divina providentia causas alias non excludit, quin potius ordinat eas ad hoc quod ordo, quem apud se statuit, rebus imponatur; et sic causae secundae Providentiae non repugnant, sed magis Providentiae exequuntur effectum. Sic ergo orationes apud Deum efficaces sunt, *non tamen ordinem immutabilem divinae Providentiae solvunt, quia et hoc ipsum quod tali petenti hoc concedatur, sub ordine divinae Providentiae cadit.* Simile est ergo dicere non esse orandum ut aliquid consequamur a Deo quia ordo suae Providentiae est immutabilis, ac si diceretur quod non esset ambulandum ut perveniamus ad locum, nec comedendum ut nutriamur; quae

---

1 loc. cit., a. 2 ad 1.

2 ib. ad 3. Egregie de his P. Monsabré, Confer. XXI, in II p. prope medium.

3 *Contra Gent.*, lib. III, c. 95. Quod immobilitas divinae providentiae utilitatem orationis non excludit. Vide quinque rationes ibidem expositas.

4 ib. c. 96.

5 Ad rem P. Monsabré: En esta objección «se invocan las leyes generales, se proclama la immutabilidad; pero se tiene la habilidad de desterrar la más augusta, la más santa de las leyes, la ley de la oración; porque la oración ocupa un lugar muy principal en la armonia del mundo... Dios desde la eternidad ha decretado sus beneficios y desde la eternidad ha decretado igualmente qne la causa de ellos fuese la oración... La oración lejos de turbar la economía de su gobierno no es sino el cumplimiento normal de sus eternos designios. Confer. XXI.

patet esse absurda»[1]. Quibus addi potest cum *J. de Maistre* nullam objectionem fieri posse contra immutabilitatem divinae providentiae, quae aequo jure fieri non possit contra medicinam[2].

Ad III.[am] objectionem quod attinet, oratio non solum cum humana dignitate minime pugnat, sed eam elevat, *a)* dum per orationem deprecatoriam homines accipiunt auxilia necessaria ad proficiendum in scientia et virtute seseque ab innumeris hujus vitae miseriis liberandum, *b)* et per eam ascendunt mente ad Deum a quo aliquid expostulant, ut supra cum *D. Th.* diximus. Insuper, falsissimum est hominem sibi sufficere suumque finem propriis viribus attingere posse; recte ergo docet *S. Thomas orare esse proprium rationalis creaturae*[3].

14. **Scholion.** Ut quamdam praeveniamus objectionem placet hic innuere cum eodem *Angelico,* cujus vestigia premimus, *non esse inconveniens si quandoque petitiones orantium non admittantur a Deo.* Ea enim ratione desideria rationalis creaturae adimplet in quantum desiderat bonum. Quandoque autem contingit quod id quod petitur non est verum bonum, sed apparens, simpliciter autem malum. Non est igitur talis oratio a Deo exaudibilis[4]. Alias rationes videsis ibidem, et nota conclusionem: «Contingit quandoque quod aliquis ex amicitia denegat quod petitur ab amico, quia cognoscit hoc ei esse nocivum, vel contrarium ei magis expedire, ut medicus infirmanti quandoque denegat quod petit, considerans quod non expedit ei ad salutem corporis consequendam. Unde cum ostensum sit (c. XCV) quod Deus, ex amore quem ad creaturam rationalem habet, ejus desideria impleat per orationem sibi proposita, non est mirandum si quandoque eorum etiam quos praecipue diligit petitionem non implet, ut impleat quod petenti magis expedit ad salutem»[5].

---

1 *Contra Gent.*, loc. cit.

2 Ou ne peut faire ancune objection contre la priére qu'on ne puisse faire contre la medicine. Ce malade doit mourir ou ne pas mourir. Donc il est inutile de lui administrer des remédes; donc il n'y a point de médicine. Oú est la différence? Nous ne voulons pas faire attention que les causes secondes se combinent avec l'action superieure: ce malade mourra ou ne mourra pas: oui, sans doute; il mourra, s'il ne prend pas des remédes, et il ne mourra pas s'il en use. Cette condition, s'il est permis de s'exprimer ainsi, fait portion du decret divin». Cfr. *Soirées de S. Petersburg.*, Entret. 4 et 5.

3 loc. cit. a. 10.

4 *Contra Gent.*, lib. III, c. 96.

5 ib.

Articulus III

De religione exteriori[1]

Summa rerum. 1. *Errores.* (Manichaei, Protestantes, Thomasius, Genuensis, Eclectici, Idealistae Germani, Intellectuales). 2. *Notanda* (quando dicitur cultus superstitiosus). 3. Stabilitur et probatur thesis. 4. *Objectiones.* 5. *Utilitas orationis vocalis.* 6. *Latria,—dulia,—hyperdulia.—Cur soli Deo latria debeatur.* 7. *Actus ad religionem externam spectantes.* 8. Quaestio: *An lex naturae praecipiat aliquos actus determinate Deo exhibendos.—Notanda.—Resolvitur quaestio.* 6. *Actus lege naturali praecepti* (devotio, oratio, gratiarum actio, adoratio, sacrificium).

1. **Errores.** Inter eos qui cultum externum aspernantur non omnes ad id faciendum iisdem rationibus moventur. Nam *a) Manichaei,* quia corpora a principio malo ponebant, actiones corporeas pravas esse ideoque divinae majestati placere nequaquam posse arbitrabantur. *b) Protestantes* fere omnes, praesertim Commentatores *Pufendorfii,* dogma *Iconoclastarum* renovantes, cultum externum, praecipue imaginum venerationem, ritus caeremoniasque sacramentales, superstitionem redolere opinati sunt. *c) Christianus Thomasius* cultum externum penitus quidem non excludit, asserit tamen a ratione naturali nullatenus dictari, et idcirco neque lege naturali praecipi, imo posse a cultu externo totaliter praescindi quin inde bonum sociale jacturam patiatur[2]. *d)* A vero quoque deviat *Genuensis* asserendo per cultum externum nullum obsequium Deo gratum praestari[3]. *e)* Plures eclectici *Galliae,* definientes religionem ligamen quoddam hominis in spiritu et corde cum Ente supremo, cujus est gubernare mundum vitamque omnem particularem, ut providentia intelligens, respuunt cultum externum tanquam superstitiosum. Eadem docet *Ahrens.* Cultus, inquit, est «opus intellectuale dumtaxat et spirituale, quod abstinere debet a Deo ejusque attributis repraesentandis signis sensibilibus, licet pro adjumento accire possit nonnullas artes, puta cantum aut musicam, quibus melius exprimantur

---

1 Crr. D. Thomas II-II, q. LXXXI, a. 7; q. LXXXIV-V; *Contra Gent.* lib. III, c. 110; Suarez, Tract. I, lib. II, c. II-III; Hettinger, confer. IX; Frayssinous, *Defensa del Crist.*, t. 2, II; Gaume, *Catecismo de Perseverancia*, tom. VII, p. IV, lect. 1-4, (traducido de la 6.ª ed. francesa por D. Francisco de Alsina y D. Gregorio A. Larrosa. Barcelona 1883).

2 «Quantum vero ad hominen spectat, inquit, hominis socialitas, seu vita tranquilla, seu quocumque modo beatitudinem ejus temporalem efferre velis, directe per omissionem harum actionum externarum non laeditur, modo cultus internus non tollatur. *Jurisprud. divin.* lib. II.

3 «Non existimemus, inquit aliquid Deo a nobis promitti posse ac attribui quod ei placeat praeter animi innocentiam. Et paulo antea innixus his verbis Lactantii, *Non placet Deo nisi sola innocentia*, dixerat: «Quamobrem nec quidquam quidem corporei ac mortalis ei sacrificandum est». *De offic.*, lib. I.

sensus interni, et ideae quas de infinito mente agitamus»[1]. *f)* Idealistae *Germaniae* logice negare tenentur cultum externum vi *subjectivismi* quem in omni disciplina opportune et importune propugnant. *g)* Denique recentiores *Intellectuales* qui religione interiori in recognitione cujusdam supremae causae, quam Naturam aut Providentiam vocant, unice sita, contenti sunt.

2. *Notanda.* 1) Juxta doctrinam catholicam «imaginibus non exhibetur religionis cultus secundum quod *in seipsis considerantur, quasi res quaedam,* sed secundum quod sunt *imagines*». «Motus autem qui est in imaginem, *prout est imago,* non consistit in ipsa, sed tendit in id cujus est imago» Unde imaginibus non exhibetur cultus *absolutus,* sed *relativus* dumtaxat[2]. 2) Principale et per se intentum in cultu divino est spiritus, religio scilicet interior sive cordis innocentia, non autem exclusive. 3) Cultus externus ad internum ordinari debet, sicut minus principale et secundarium ad principalius, qua ordinatione sublata, cultus externus non pertinet ad religionem. 4) Cultus denique externus non inducitur propter Dei necessitatem quia eo nempe indigeat, sed quia est ipsi debitum et ad nostram servit utilitatem. Ad rem ***S. Thomas:*** «Instituta sunt sacrificia quae homo Deo offert, *non propter hoc quia Deus eis indigeat,* sed ut repraesentetur homini quod seipsum et omnia sua debet referre in ipsum sicut in finem et sicut in Creatorem et gubernatorem et Dominum universorum»[3]. Quibus praehabitis, sit

3. **Thesis. Homo lege naturae adstringitur ad exhibendum Deo cultum externum.**

Probatur. 1) *Ratione sui.* In tantum homo adstringitur religione erga Deum in quantum ab ipso dependet et *esse* accepit, atqui non tantum animam sed etiam corpus a Deo accepit et quantum ad utrumque ab eo dependet in esse, conservari et operari: ergo homo tenetur non tantum anima sed etiam corpore Deo servire, profitendo ipsum esse utriusque, animae nempe et corporis, auctorem.

«Propter hoc, inquit ***S. Thomas,*** non est mirum si haeretici qui corporis nostri Deum esse auctorem negant, hujusmodi corporalia obsequia Deo fieri reprehendunt. In quo etiam apparet quod *se homines esse non meminerunt,* dum sensibilium sibi repraesentationem necessariam non judicant ad interiorem conditionem et affectionem; nam experimento apparet quod per corporales actus anima excitatur ad ali-

1 *Cours de droit natur.*, p. III, ch. I.
2 q. LXXXI, a. 3 ad 3.
3 *Contra Gent.*, lib. III, c. 119.

quam cognitionem vel affectionem. Unde manifestum est convenienter etiam corporalibus quibusdam nos uti ad mentis nostrae elevationem in Deum [1].

2) *Ratione cultus interni.* Ad cultum internum *exprimendum* et *promovendum* necessarius est cultus externus. Nam quod attinet ad *primum*, homo natura sua tendit ad manifestandos internos animi affectus; ergo si per religionem interiorem exhibet Deo actus reverentiae, pietatis, amoris, naturale est ipsos signis quibusdam externis manifestare; ergo natura ipsa cultus interni in homine secum fert existentiam et necessitatem cultus externi. Quoad *alterum* vero, cuique notum est actus internos foveri et augeri per externam eorumdem manifestationem; ergo homo, ut cultum internum promoveat, debet sese excitare per genuflexiones, sacrificia, oblationes, laudes, musicam aliaque opera externa, sicque cultum internum perfectius fervidiusque Deo exhibeat.

3) *Ratione finis.* «Deo, ajente ***Angelico Praeceptore,*** reverentiam et honorem exhibemus non propter seipsum, quia seipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adjici potest, sed *propter nos, quia videlicet, per hoc quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subjicitur, et in hoc ejus perfectio consistit.* Quaelibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima, et aer per hoc quod illuminatur a sole. *Mens autem humana indiget ad hoc ut conjugatur Deo sensibilium manuductione; quia invisibilia Dei, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur,* ut Apostolus dicit ad Rom. I. *Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis, quasi signis quibusdam, mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur*» [2].

4) *Ex modo connaturali operandi.* Lege namque naturae homo tenetur Deo servire secundum modum proprium et connaturale suae naturae; atqui connaturalis modus est corpore et anima, quoniam in praesenti rerum statu nullam exercet operationem separatam; ergo homo tenetur exhibere Deo cultum tum internum tum externum.

Audiamus ***Angelicum*** scribentem: «*Naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem, ut ei quod est supra hominem subjectionem et honorem exhibeat secundum modum suum. Est autem modus conveniens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subjectionis et honoris*» [3].

---

1 q. LXXXI. a. 3.
2 ib. a. 7.
3 II-II, q. LXXXV, a. 1.

5) *Ratione socialitatis humanae.* Quemadmodum, Deo dante, demonstrabimus, homo natura sua est animal politicum et sociale, id est, duce natura init societatem cum aliis. Porro quod est a natura ab auctore naturae est, ideoque societas Deum habet auctorem; ergo religione erga eum obstringitur. Manifestum est autem quod societas nonnisi actibus externis potest hoc officium adimplere, in nullo quippe nomine religionis coadunari possunt homines *nisi aliquo signandorum vel sacramentorum consortio colligentur,* ut dicit *S. Augustinus*[1].

Item, cultus externus, ut diximus, inducitur eo fine ut cultus internus exprimatur, conservetur, augeatur; sed ut alii nostro exemplo ferventius excitentur necesse est, ut canticis, caeremoniis, aliisque signis sensibilibus, cultus internus visibilis reddatur. «Valet, inquit *S. Thomas,* exterior laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis et ad provocandum alios ad Dei laudem»[2].

Objectiones.

4. Difficultates quas acatholici solent opponere contra cultum sive internum sive externum sunt ipsaemet antiquorum objectiones de novo recoctae et sub nova forma propositae, quas tamen *S. Thomas* aliique apologistae religionis, detectis sophismatibus, dextere enodarunt et a studiosis candidatis de facili solvi possunt prae oculis habendo quae supra ante propositionem notavimus. Sequentes vero damus speciminis gratia.

I.ª Deus non eget creaturarum obsequiis; ergo non exigit ab homine cultum nec internum nec externum.

Resp. concedo antec. et nego conseq. et consequentiam. Deus equidem nullius rei indiget, sed cultus non exhibetur Deo propter indigentiam[3]; fundatur namque in ipsa ratione essentiali Creatoris et creaturae, a qua, posito facto creationis, praescindere nequit nec facere etiam per potentiam absolutam ut nullae sint relationes, religiosae; negaret quippe seipsum si non exigeret ab homine cultum. Ergo etiam si Deus non egeat obsequiis creaturarum, jus habet imponendi naturae rationali officia naturalia religionis «non propter utilitatem suam sed propter utilitatem nostram»[4].

II.ª Religio est virtus ad justitiam pertinens; justitia autem ponit aequalitatem; atqui homo non potest reddere Deo ad aequalitatem; ergo homo non adstringitur religione erga Deum.

---

1 *Contra Faust.*, lib. XIX, c. 11.

2 II-II, q. XCI, a. 1 ad 2.

3 Optime ipsemet J. Simon: «Dieu n'on a pas besoin, dit on. Il est vrai, mais la perfection de Dieu ne nous dispense pas de nos devoirs... C'est mal raisonner et mal faire que de chercher dans la perfección de sa naturae un pretexte pour nos vices». Apud Farges. *De Jure individuali*, p. I, c. II, a. 1.

4 II-II, q. XCI, a. 1 ad 3.

Respond. conc. maj et distinguo min. Homo non potest reddere Deo ad aequalitatem, *absolutam*, conc., *relativam*, neg. et nego conseq.

Certe religio est potissima pars justitiae, quia per eam redditur debitum Deo. Sed quamquam ad justitiam pertineat ut quis debitum reddat, debitum tamen non est unius rationis in omnibus; aliter enim debetur aliquid aequali, aliter superiori, aliter minori; et aliter ex pacto, vel ex promisso, vel ex beneficio suscepto[1]. Religio autem non reddit Deo debitum *secundum aequalitatem absolutam;* ex quo non sequitur hominem ad nihil teneri; potest enim reddere aliquid secundum aequalitatem relativam, seu quantum potest. Inanis enim est haec ratiocinatio, inquit *Zigliara:* Restitutio est actus justitiae quae importat aequalitatem. Atqui *Titius* non potest reddere centum scutata *Petro*. Ergo *Titius* nihil tenetur *Petro* restituere, etiamsi viginti scutata, quae reddere possit, habeat[2].

III.ª Deus intuetur renes et corda; omnia nostra nuda et aperta sunt oculis ejus; ergo non est opus ut ei per cultum externum manifestemus nostras cogitationes et necessitates; est igitur superfluus cultus externus.

Resp. concedo antec. et nego conseq. Ipse quidem non indiget ad cognoscendas nostras necessitates ut nos eidem ipsas manifestemus; sed nos indigemus ad Deum per sensibilia ascendere precesque nostras vocaliter efferre. Audiatur *Angelicus:* «Exercentur ab hominibus quaedam sensibilia opera, *non quibus Deum excitent, sed quibus seipsos provocent in divina*, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores et cantus[3]. Et alibi: «Verbis alia ratione utimur ad Deum et alia ratione ad hominem. Ad hominem enim utimur, ut conceptum nostri cordis, quem non potest cognoscere, verbis nostris ei exprimamus..... Sed ad Deum verbis utimur non quidem ut ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus, sed ut nos ipsos et alios audientes ad ejus reverentiam inducamus. Et ideo necessaria est laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitatur in Deum ex laude ipsius»[4].

IV.ª Deus est spiritus purus; ergo actibus animae, non autem corporis, coli debet; igitur vanus et superfluus est cultus externus.

Resp. conc. antec. et dist. conseq. Ergo actibus animae *principaliter* conc., non autem actibus corporis *non ordinatis* ad cultum interiorem, iterum concedo; *ordinatis*, nego. Qui talia objiciunt ignorare videntur fundamentum religionis, et, ut lepide ajebat *S. Th., se esse homines non meminerunt*, cum enim constent corpore et anima et quoad utrumque a Deo dependeant corpore et anima tenentur eidem servire.

5. Quod si quaeras utilitates orationis vocalis pertinentis ad cultum externum, tres generatim recensentur a *S. Thoma:* «Adjungitur

1 I-II, q. LX, a. 3.

2 *Jus Nat.*, lib. I, c. II. Cfr. P. Franco, *Respuestas a las principales objeciones populares*, traducción de don José María Carulla, (6.ª ed.) t. 1, c. IX, §§ 1 y 2.

3 *Contra Gent.*, lib. III, c. 119.

4 II-II, q. XCI, a. 1.

inquit, vox tali orationi (factae a persona singulari) triplici ratione: *Primo quidem ad excitandam interiorem devotionem,* qua mens orantis elevetur in Deum, quia per exteriora signa sive vocum, sive etiam aliquorum factorum, movetur mens hominis et secundum apprehensionem et per consequens secundum affectionem... *Secundo adjungitur vocalis oratio quasi ad redditionem debiti,* ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore, quod praecipue competit orationi, secundum quod est satisfactoria... *Tertio adjungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus, ex vehementi affectione,* secundum illud psalm. XV, 9: *Laetatum est cor meum et exultavit lingua mea»* [1].

6. **Latria, dulia et hyperdulia.** Cultus qui soli Deo debetur *latria* dicitur (a λατρεύω servio, famulor). Latria, inquit *S. Aug.,* secundum consuetudinem qua loquuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter ut pene semper, ea dicitur servitus quae pertinet ad colendum Deum» [2]. Rationem exhibet *S. Thomas:* Latria servitium dicitur; servitium autem domino debetur. Dominus autem proprie et vere est qui aliis praecepta operandi dispensat et a nullo regulam operandi sumit; qui enim exequitur quod a superiore fuerit dispositum magis est minister quam dominus. Deus autem qui est summum rerum principium per suam Providentiam omnia ad debitas actiones disponit..... Non est igitur cultus latriae, qui summo debetur Domino, exhibendus nisi summo rerum principio» [3].

Hinc nonnulli actus tam interni quam externi, ut adoratio, votum, sacrificium, soli Deo proprie dicantur, quia ex se, usu, vel consuetudine, specialem illam servitutis rationem significant quae soli Deo tribui potest.

Dulia (δουλεία servitus), etsi vi nominis servitutem significet, ex more tamen de cultu Sanctis tributo tantum dicitur, unde illi actus qui specialem et absolutam dependentiam implicant sanctis minime tribuuntur; hinc reverentur, venerantur, non autem adorantur. Quoniam vero cultus respondet excellentiae, B. V. Mariae, quae sua dignitate excedit omnes Sanctos et infinitam quamdam excellentiam participat ratione divinae maternitatis, competit cultus qui dicitur *hyperdulia.*

7. **Actus religionem exteriorem attinentes.** Actus externi quibus Deus colitur recte sub triplici generica divisione comprehenduntur ab

---

1 ib. q. LXXXIII, a. 12. Cfr. Suarez, Tract. IV, lib. III.

2 *De Civit. Dei,* lib. X, c. I.

3 *Contra Gent.,* lib. III, c. 120. Legantur aliae ejusdem S. Doctoris, rationes ib. et II-II, q. LXXXI, a. 1 ad 3; Cfr. quoque *Contra Gent.,* c. 119 circa finem.

Angelico: scilicet, actus, *a)* quibus aliquae res exteriores Deo offeruntur, uti sunt *sacrificia, oblationes* etc., *b)* quibus Deo aliquid promittitur, ut *votum;* et *c)* quibus aliquid divinum assumitur, v. gr. *juramentum* et *assumptio divini nominis:* de quibus late disserit ipsemet *S. Thomas* a. q. LXXXIV ad XCII.

8. **Quaestio.** ***An lex naturae praescribat determinate quosdam actus in honorem Dei.***

Ad hujus quaesiti solutionem diligenter adverte positionem aliquorum actuum tripliciter lege quadam posse praescribi: 1.° *indeterminate et generice,* puta praecipiendo aliquos actus quin tamen assignentur in specie, ut cum natura praecipit homini modo rationali agere, non descendendo ad enumerandos actus rationales intellectus et voluntatis: 2.° determinando *in specie* actus, ut si in exemplo allato diceretur: age *prudenter, reflexe* etc. 3.° assignando actus secundum *speciem infimam,* cum circumstantia, loci, temporis, etc.; v. gr. ut in hoc vel illo negotio prudenter agas pete consilium a sapiente *A.* vel *B.* Primus modus praecipiendi vocari potest *genericus;* alter *specificus:* tertius *individualis* seu in concreto.

Quibus positis, dicendum videtur: 1) lege naturae praecipi Deum honorari actibus tum internis tum externis; id enim est intrinsece bonum atque ex illo primo effato morali: *serva ordinem,* et ex altero: *cuique reddendum esse debitum,* immediate et necessario infertur. Item ex primaria et fundamentali relatione inter Deum et hominem deducitur hominem teneri exhibere Deo supremum latriae cultum; ergo aliquos actus ponendos esse in honorem Dei, lege naturae, *hoc modo indeterminato et generico,* certe praescribitur.

2) hoc etiam sensu indeterminato, jus naturae praescribit *modum debitum* colendi Deum, respondentem scilicet majestati Dei et fini religionis, licet non determinet locum, tempus et actus in individuo; lex enim naturae, ajente *S. Justino Martyre,* haec est: *Templum Dei est orbis, cor ara, sacrificium amor.* Ex quo capite, quia homines nempe lege naturae adstringuntur ad Deum debito modo colendum, religio vocari potest *naturalis,* non tantum quia ratio naturalis officia aliqua esse Deo praestanda invenit propriis viribus, sed quia ex relationibus necessariis hominis et Dei exurgit et est naturae humanae adeo necessaria et essentialis ut ab ea separari nequeat; vere ergo *naturalis* homini dici potest.

3) Certum pariter est jus naturae non determinare actus religionis *in specie infima,* seu in individuo; nam hujusmodi actus vestiuntur in praxi multis et variis circumstantiis, de quibus judicare et ad quas descendere non est legis naturae quae versatur tantum circa ea quae

in se sunt intrinsece et essentialiter bona vel mala. Hinc praeceptum abstinendi ab operibus servilibus et audiendi sacrum diebus Dominicis non est naturale, sed positivum.

4) Demum, indubium quoque videtur legem naturae praecipere determinate *specifice* quosdam actus ad religionem spectantes. «De dictamine rationis naturalis est, inquit ***S. Thomas,*** quod homo aliqua faciat ad reverentiam divinam *(in specie);* sed quod haec determinate faciat vel illa *(in individuo)* istud non est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione juris divini vel humani»[1].

9. Inter actus sic lege naturae praeceptos recensentur, sequendo ordinem ***S. Thomae,***

a) *Devotio,* quae est voluntas prompta ad exequenda ea quae pertinent ad divinum famulatum, ut supra diximus, et *Oratio,* quae definitur: ascensus mentis in Deum, vel petitio decentium a Deo.

Religio namque est virtus moralis ad quam spectat operari ea quae pertinent ad divinum servitium; natura autem inclinat hominem ad id *rationabiliter* exequendum; ergo praecipit ante omnia ut cognoscat et velit ea quae spectant ad divinum cultum; ergo officio naturae tenetur homo se devotum erga Deum exhibere.

Signum autem quod etiam oratio sit praecepta jure naturae habetur in consensu omnium gentium ad Deum sive in prosperis sive in adversis sponte clamantium. Numquam nec uspiam quippe inventae sunt gentes quae non preces fundant et oratione mala avertere non nitantur. Hinc recte *Lucretius:*

..... Multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad religionem;
Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit, adversisque in rebus noscere quid sit:
Nam vere voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur, et eripitur persona, manet res[2].

Insuper homo adstringitur officio naturae ad profitendum se indigere Deo sicut auctore suorum bonorum; id autem necessario includit orationem per quam postulat a Deo bona quibus indiget. Igitur homo, etiam praescindendo ab ordine supernaturali, tenetur ad orationem.

b) *Gratiarum actio,* quam simul cum *obsecratione* et *petitione* ponit ***S. Thomas*** inter partes orationis[3]. Nihil enim magis connaturale homini quam pro acceptis beneficiis gratias agere; ergo dicendum est

1 II-II, q. LXXXI, a. 2 ad 3.
2 *De Rerum nat.,* lib. III.
3 II-II, q. LXXX, a. 17.

jus naturae praecipere Deo gratias referre pro tot donis nobis largiter concessis.

c) Jure etiam naturae Deo debetur *adoratio,* quae principaliter consistit in interiori Dei reverentia, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis, sicut genuflectimus, nostram infirmitatem significantes in comparatione ad Deum; prosternimus autem nos quasi profitentes nos nihil esse ex nobis, ut loquitur *S. Th.*[1]. Praecipitur autem duplex haec adoratio, *spiritualis* scilicet et *corporalis,* a lege naturae, quia cum ex duplici natura compositi simus, utraque debemus Deo reverentiam exhibere in signum servitutis et dependentiae.

d) Denique offerre *sacrificium* Deo est etiam de lege naturae, quia «in qualibet aetate et apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Quod autem est apud omnes videtur naturale esse. Ergo et oblatio sacrificiorum est de jure naturali»[2]. Sacrificia autem proprie dicuntur, ajente eodem *S. Doctore,* quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur... Et hoc ipsum nomen sonat; nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum», per quod differt sacrificium ab oblatione quae «directe dicitur cum Deo aliquid offertur etiamsi nihil circa ipsum fiat»[3]. Unde sacrificium est rei *sensibilis immutatio vel destructio in testimonium supremi dominii Dei,* quamobrem «sacrificium nullus offerendum censuit alicui, nisi quia eum Deum aestimavit aut aestimare se finxit»[4]. Porro sicut servi et famuli dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii, ita ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subjectionis et honoris[5].

---

1 II-II, q. LXXXIV, a. 2.

2 Ib. q. LXXXV, a. 1. Cfr. J. M. Buathier, *El sacrificio,* (trad. de Moneva y Puyol, Barcelona 1906) p. I, c. 1-3.

3 Ib. a. 3 ad 3.

4 *Contra Gent.,* lib. III, c. 120.

5 D. Th., loc. cit. a. 1. «Sicut supra dictum est, aliqua in communi sunt de jure naturali, quorum determinationes sunt de jure positivo; sicut quod malefactores puniantur, habet lex naturalis; sed quod tali poena vel tali puniantur, est ex constitutione divina vel humana. *Similiter etiam oblatio sacrificii in communi est de lege naturali; et ideo in hoc omnes conveniunt; sed determinatio sacrificiorum* (panis et vini, hujus vel alterius animalis) *est ex institutione humana vel divina.* Ib. ad 1.

Articulus IV

De Religione naturali[1]

Summa rerum. 1. *Quae hucusque demonstrata sint;—proponitur quaestio.* 2. *Religio naturalis et supernaturalis.* 3. *Quid religio naturalis.* 4. *Naturalismus.* 5. *Naturalistarum dogmata et principia.* 6. Thesis: *Religio naturalis ab omni revelatione praescindens non sufficit generi humano ad salutem.* 7. Probatur thesis multiplici ratione. 8. *Conclusio generalis argumentorum.* 9. *Corollaria.* 10. *Necessitas revelationis in ordine supernaturali. —Stabilitur et probatur thesis. — Concilii Vaticani doctrina.* 11. *Officia religiosa inde profluentia. — Duo alia evidenter illata.*

1. **Quaestio dilucidanda.** Quandoquidem mentem iis quae superius dicta sunt admoventes, sequentia inter alia demonstrata conspicimus: *a)* hominem officio naturae necessario ligari ad exhibendum Deo debitum cultum; *b)* cultum caeremoniamque uni Deo afferre esse proprium religionis objectum; *c)* proindeque religionem esse homini adeo absolute necessariam, ut omnino non possit, absque injuria creatoris propriaeque dependentiae negatione, illam pro libito amplecti vel prorsus respuere; *d)* religionem comprehendere officia tum theoretica tum practica; *e)* ad priora potissimum spectare recte de Deo sentire, ad alterius vero generis officia rectam vitam instituere.

Hisce autem praelibatis, e vestigio suboritur quaestio ***utrum ad honorem Deo debito modo praestandum vitamque rectam,*** id est, prout naturae rationali convenit, ***instituendam sufficiatne in praesenti generis humani conditione, religio quam naturalem*** vocant, ***vel potius sit necessaria religio supernaturalis.***

2. **Duplex religio.** Quaestio modo enuntiata supponit duas posse distingui religiones, *naturalem* unam, alteram *supernaturalem.* Naturalis *complectitur dogmata, praecepta, ritus, etc., ordinem dicentes ad Deum ut auctorem naturae, quorum cognitio sphaeram naturalis rationis haud transcendit.* Supernaturalis vero est *complexus earum inter Deum et hominem rela-*

---

1 Cfr. Hooke apud Migne, loc. cit. Diss. I, *de imperfectione et obscuritate legis natur.*; ib. Appendix IV. *De religione naturali*; Valsecchi, ib. *Appendix V, De possibilitate et necessitate revelationis*; Dominicus a SSma. Trinitate, lib. IV, sect. V, c. VII. Quod ratio naturalis vel solum Philosophiae magisterium sit insufficiens ad fundandam verae religionis disciplinam; Theologi recentiores in *Demonstratione Christiana* ubi de necessitate revelationis.

tionum quae, naturali rationis humanae lumine, omni revelatione destituto, cognosci non possunt.

3. **Quid religio naturalis.** Ad penitiorem autem hujus quaestionis intelligentiam adnotari oportet religionem dici posse *naturalem* quintuplici sensu: 1.° quidem *ratione propensionis naturalis* quae homines sponte ad Deum colendum inclinat; 2.° *ratione legis naturalis* praecipientis omnibus hominibus religionem; 3.° *propter ejusdem cum natura rationali conformitatem,* quibus modis religio vere naturalis dici valet; 4.° *ratione objecti,* quatenus scilicet comprehenderet dogmata et praecepta ad quae cognoscenda servandaque vires naturae humanae sufficerent; et 5.° *ratione medii* quo innotesceret, quodque non esset aliud quam *naturale rationis lumen.* Sub hoc duplici posteriori respectu accipitur *religio naturalis* a rationalistis quoties de ea sermonem instituunt eamque sic acceptam libenter admittunt, utpote simplicem, claram et naturae rationali maxime consentaneam, quamlibet autem aliam, divino magisterio innixam, penitus interdicentes. Inde ortus est

4. **Naturalismus** qui, quamvis per longam sexdecim saeculorum seriem nonnullos patronos et fautores habuerit revelationi infensos, tamen nonnisi invalescente Protestantismo altas in Europa misit radices. Tunc autem late nimis per orbem vulgatus est praesertim in *Anglia* cum *deismo,* opera *Hobbessii, Toland, Shaftesbury, Tyndall, Bolingbroke* et *Hume;* in *Gallia* cum impio *philosophismo,* ducibus *Voltaire* et *Rousseau,* quos sequuntur *Encyclopedistae, Diderot, d'Alembert, Holbach, Helvetius, Lamettrie,* qui cunctis naturalistis longius ivere negando scilicet omnem omnino religionem, animae spiritualitatem et immortalitatem, ut atheismi semina undique spargerent. Huic operi admovere quoque manus *Eclectici,* ut *Cousin, Damiron, J. Simon,* multique alii; et denique in *Germania* ubi *Rationalismus,* praecipue *biblicus,* praeeuntibus *Kantio* et *Semler,* omnem operam impendit in evertenda religione supernaturali. In hunc finem plura eaque invicem adversa systemata in medium prolata sunt ut *naturalismus* ab *Eichhorn* et *Paulus, mythismus* a de *Wette* et *Strauss, criticismus* a *Baur* et universa *Schola Tubingensi, neocriticismus* ab *Ewald, Knobel, Ritschl, Wellhausen,* quibus mox successit sic dictus *Modernismus* in eadem Germania, Italia, Gallia et America pervulgatus.

5. Porro si eos percunctamur quot quaeque dogmata fundamentalia religio naturalis comprehendat, non obstante simplicitate et claritudine quibus, juxta ipsorum placitum, praestat, quid respondeant et in quo invicem consentiant, non inveniunt. Alii siquidem quinque dogmata recensent, alii tria nempe Dei existentiam, Providentiam vitamque futuram, alii vero duo tantum comprehendere docent, scilicet: credere vel cognoscere Deum et vitam ducere honestam civica honestate *(creer que hay Dios y ser hombres de bien).*

Id tamen unum commune ex rationalistarum operibus deducitur *religionem naturalem consistere in hoc quod quilibet sequatur ductum suae rationis autonomae,* id est, omni magisterio penitus orbatae. Quamobrem rationem ita magnificant ut docere non vereantur ipsam solam absque ulla revelatione plane sufficere ad rectam vitae ordinationem officiaque religiosa implenda [1]. Imo nonnulli ultra progredientes contendunt et inde inferunt religionem naturalem esse omnibus numeris absolute perfectam, christianismum nihil aliud esse nisi novam legis naturae editionem [2], ipsamque humanae mentis naturam summique numinis ideam penitus excludere supernaturalis revelationis necessitatem [3].

Naturalistarum principia. Universa naturalismi doctrina his tribus effatis innititur: *a)* Lex sive ratio naturalis *tali ac tanta perfunditur claritate* ejusque praecepta adeo sunt evidentia et vel ipsis rudibus obvia, ut per illam sic unicuique omnia officiorum suorum principia innotescant, ut revelatione nihil discere possit in rebus ad religionem pertinentibus quod ratione non assequatur; quod autem est supra est etiam contra rationem, cum haec nonnisi quae intrinseca gaudent evidentia admittere queat; *b)* ratio naturalis sic *integra* modo permanet servaturque ut ad instituendam rectam vitam sit plane sibi sufficiens nec indigeat revelatione ad cognoscenda quae religionem attinent; igitur inutilis est revelatio; *c)* est etiam ita *completa* et *immutabilis,* ut nulla adjungi possint praecepta positiva quin ejus dignitas et independentia laedatur. Ergo religio christiana quae abundat hujusmodi praeceptis nequit esse divina estque hominibus valde noxa. Ita Rationalistae.

6. Thesis. Religio naturalis, ab omni revelatione praescindens, non sufficit generi humano ad salutem.

Age vero. Religio naturalis complectitur summam quamdam veritatum quae Deum hominemque respiciunt. Cum autem hujusmodi veritates, constituentes religionem naturalem, ratione cognosci debeant praecedens conclusio in hanc alteram clariorem convertitur, qua simul Traditionalismum et Rationalismum ceu extrema ideoque erronea systemata declinamus.

---

1 «Es muy extraño creer que sea necesaria otra religión que la Natural. ¿Por dónde conoceré yo esta obligación? ¿Cómo puedo ser culpable sirviendo a Dios según las leyes que da a mi espíritu y según los sentimientos que inspira a mi corazón?

Las más grandes ideas de la divinidad nos vienen de la razón *sola*. Ved el espectáculo de la naturaleza, escuchad la voz interior. Este es libro abierto a todos los hombres, en que nadie se excusa de leer, porque habla a todos de modo que todos lo entiendan». Rousseau, *Emilio*, t. III.

2 Tyndal apud Tanquerey, Op. cit. *De religione in genere*, c. I.

3 Ita Wegscheider, *Instit. Theol. Dogmat.*, Proleg., c. I.

In praesenti generis humani conditione, ratio naturalis, divina revelatione penitus orbata, nequit moraliter cognoscere summam veritatum ad religionem naturalem spectantium; proindeque revelatio illarum etiam veritatum, quae per se non superant captum rationis humanae, est moraliter necessaria generi humano ad salutem. Notanda sunt verba conclusionis:

A) In praesenti generis humani conditione; non enim quaerimus nec in disputationem vocamus *a)* quid posset homo in statu superiori v. gr., innocentiae, integritate originali servata, sed quid de facto possit in statu naturae lapsae in quo actualiter existit, ubi naturales ejusdem vires tot incommodis et difficultatibus praepediuntur in assecutione sui objecti; *b)* nec loquimur de possibilitate *unius* vel *alterius* hominis attingendi *unam* vel *alteram* veritatem religiosam sed de *universo genere humano* quoad possibilitatem cognoscendi *summam* veritatum ad religionem spectantium. Certum quippe est unum vel alterum hominem *posse* ad aliquam vel aliquas veritates cognoscendas pervenire absolute loquendo, non autem *completum systema* veritatum efformare.

B) divina revelatione penitus orbata, id est, excluso omni auxilio divino naturae humanae indebito. Qua in re notandum venit Rationalistas saepe saepius revelationem, ut incautos decipiant, invocare. Verum revelationis nomen retinent, re autem tollunt. Ipsis namque revelatio nihil aliud est quam propriae rationis manifestatio, explicatio, vel evolutio, lumen scilicet naturale, quo proprio labore, quasdam veritates cognoscimus. Unde mysteria quae rationem superant revelari omnino non possunt, aut explicanda sunt juxta rationis placitum.

C) ratio naturalis..... nequit *moraliter*..... Duplex distinguitur *revelatio divina,* scilicet: *quoad modum tantum* et *quoad modum et rem*. Prior est manifestatio divinitus facta earum veritatum quae per se non superant captum rationis humanae. Altera autem est manifestatio illarum veritatum, quae, cum sphaeram rationis humanae transcendant, nisi revelentur divinitus innotescere non possunt. Cum hujusmodi veritatibus ratio naturalis nullam habet proportionem commensurationis, et ideo *physice* repugnat eas posse cognoscere, sicut repugnat quod oculus audiat. Cum veritatibus autem primi generis absolute consideratis ratio humana proportione praedicta non caret, idcirco physicam potentiam habet ad eas cognoscendas. Idque non negamus uti fecerunt *Traditionalistae* et *Fideistae*. Sed *Rationalistis* non concedimus universum genus humanum, id est, homines communiter, posse *moraliter* loquendo, summam veritatum ad religionem spectantium cognoscere absque Dei revelatione. Et ideo contendimus revelationem necessariam esse moraliter pro illis etiam veritatibus quae per se non superant captum rationis humanae.

7. Hisce praestitutis, **probatur thesis.**

I. Nota est apud Theologos et Apologistas ratio illa qua *S. Tho-*

mas ex naturae conditione humanae, demonstrat moralem necessitatem revelationis ad cognoscendas veritates religionis naturalis. «Ad ea etiam, inquit egregie *S. Doctor,* quae de Deo ratione humana investigari possunt necessarium fuit hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata *a paucis* et post *longum tempus* et *cum admixtione multorum errorum* homini proveniret, a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quae in Deo est[1].

Ex quibus sic conficitur scholastice argumentum. Omnes homines, qui salutem obtinere cupiunt, tenentur exhibere Deo debitum cultum; atqui non possunt ei debitum cultum praestare quin recte de eo sentiant; ergo omnes homines tenentur recte sentire de Deo ad salutem consequendam. Atqui veritates, quae Deum respiciunt, quasque cognoscere ad recte sentiendum de Deo necessarium est, absque divina revelatione, nonnisi *a paucis* et post *longum tempus* et *cum admixtione multorum errorum* cognosci queunt; ergo ad salutem humani generis non sufficit sola ratio sed necessaria est divina revelatio.

Primum argumentum est evidens; minorem subsumptam praeclare probat *Angelicus* in Sum. Contra Gent. Si enim veritas divinorum, ad quam rationis inquisitio absolute pertingere potest, «solummodo rationi inquirenda relinqueretur, 1.° *paucis hominibus* Dei cognitio inesset».

Nam a fructu studiosae inquisitionis quidam impediuntur a) *propter complexionis indispositionem,* ex qua multi sunt indispositi ad sciendum; b) quidam *necessitate rei familiaris.* Oportet enim esse inter homines aliquos qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem; c) quidam autem impediuntur *pigritia.* Ad cognitionem enim eorum quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet, cum fere totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur. Sic ergo nonnisi cum magno labore studii ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest; quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiae.

Et hic instauratur argumentum. Non tantum *sapientes* sed etiam *rudes* tenentur rectam vitam instituere; ergo tenentur ad medium necessarium, quale est cognitio veritatum religiosarum; atqui per solam rationem, omni revelatione exclusa, nonnisi aliqui tantum sapientes

---

1 I p., q. I, a. 1.

aliquas possent cognoscere veritates; ergo religio naturalis non sufficit generi humano ad salutem.

2.° Et hi pauci *vix post longum tempus* pertingerent ad praedictae veritatis cognitionem *a)* tum *propter hujusmodi veritatis profunditatem,* ad quam capiendam per viam rationis nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur; *b)* tum etiam *propter multa quae praeexiguntur; c)* tum denique *propter hoc quod tempore juventutis* dum diversis motibus passionum anima fluctuat, *non est apta ad tam altae veritatis cognitionem.* Remaneret igitur genus humanum, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae tenebris; cum Dei cognitio, quae homines maxime perfectos et bonos facit, non nisi quibusdam paucis, et his paucis, etiam post temporis longitudinem, proveniret.

3.° Investigationi rationis humanae *plerumque falsitas admiscetur* propter *debilitatem intellectus nostri* in judicando et *phantasmatum permixtionem.* Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea quae sunt verissime demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur...

Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; ut *sic* **omnes de facili** *possent divinae cognitionis participes esse et* **absque dubitatione et errore.** Hactenus egregie ***S. Thomas***[1]. Salubriter quoque meritoque damnata est in Syllabo ***Pii Pp. IX*** haec rationalistica propositio: *Divina revelatio non solum nihil prodest verum etiam nocet hominis perfectioni*[2].

II. *A posteriori.* Indubium est ad salutem humani generis quatuor haec, praeter alia, saltem requiri 1.° regulam certam, fixam et immutabilem ad vitam humanam recte ordinandam; 2.° certam cognitionem quarumdam veritatum et praeceptorum ad religionem spectantium 3.° rectam horum applicationem ad praxim; et 4.° humanae felicitatis certam pariter et determinatam cognitionem; atqui ratio humana, ab omni revelatione praescindens, id non potest praestare; ergo non est sibi sufficiens proindeque necessaria est divina revelatio.

Minor probatur et constat ex historia populorum. Nam ad *primum* quod attinet, pudet in medium proferre illa omnia absurda foetaque moralitatis principia, quibus philosophi ethnici pendunt actionum humanarum moralitatem; *quidam* enim utilitatem publicam vel privatam, *alii* expletam omnium

1 *Contra Gent.*, lib. I, c. 4. 2 prop. VI.

passionum satisfactionem, *alii* putidum egoismum, tanquam supremum moralitatis principium tuiti sunt. Recolantur quae in Ethica dicta jacent.

Quoad *alterum*, innumeri pene errores a paganis longe lateque diffusi, et post Christum ab his, qui dilexerunt magis tenebras quam lucem, de novo recocti, satis superque demonstrant rationem humanam lumine revelationis orbatam frequenter caecutire neque posse veritates praeceptaque ad religionem spectantia se sola cognoscere. Ad religionem quippe requiritur cognitio tum Dei tum hominis. Porro circa Dei naturam errarunt omnes omnino philosophi antiqui, ut monumenta adhuc existentia testantur, errarunt vel ipsimet philosophorum principes, *Plato* et *Aristoteles* ¿quidni rudes? Teste Cicerone, «plerique deos esse dixerunt; dubitare se *Protagoras;* nullos esse omnino *Diagoras Melius* et *Theodorus Cyrenaicus* putaverunt. *Qui vero Deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias.* Nam et de figuris Deorum, et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur; deque his summa philosophorum disenssione certatur; quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent, an contra ab his et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, imprimisque magna dissensio est»[1]. Pariter circa hominum dignitatem varia et abnormia sensisse, vel ipsa servorum, familiae et societatis apud paganos vigens misera conditio, vix unquam a philosophis reprobata aut emendata, satis ostendit.

Nec cordatiores extitere neoterici philosophi, lucem divinae revelationis nefaria temeritate in cordibus suis extinguentes; in turpissimos namque errores prolapsos, vetustas et jam diu obsoletas Scepticorum, Pantheistarum et materialistarum sententias sub nova forma excitasse, impares quoque fuisse ad plebem, in his quae Dei hominisque naturam respiciunt, edocendam, factum evidens apparet cuique vel obiter percurrenti recentem historiam philosophiae. «Audacissimi sunt, ajebat ipsemet Rousseau, et philosophiae praetextu, sibi hominum mentes et colla subjiciunt. Omnia evertentes postremum miserorum solamen e cordibus excindunt, potentibus ac divitibus cupiditatum fraena conterunt, criminum remorsus et virtutum gaudia extinguuntur. Et se jactant beneficos et magistros!» Non est cur impraesentiarum recenseamus vitia pessima et grandia quibus non tantum multitudines sed ipsi philosophi gentiles indulserunt: «Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt; plus committitur quam quod possit coercitione sanari», legitur apud Senecam[2]. Nec ratio exculta philosophorum his malis mederi potuit, imo, saepe saepius ipsis summis philosophis auctoribus,

---

1 *De nat. deor.*, lib. I, 4. Et ipsemet Rousseau: «El ser incomprensible, que da movimiento a todo el mundo, ni es visible a nuestros ojos, ni palpable a nuestras manos, se oculta a todo a nuestros sentidos. La obra se ve, pero el obrero se esconde. No es pequeño negocio conocer que existe, y cuando llegamos a esto y se nos pregunta, quien es, o dónde está, nuestro espíritu se confunde, se pierde y no sabe qué pensar». *Emil.* tom. 3.

2 *De Ira*, II, 8.

corruptos mores in populum inductos fuisse nemo est qui ambigat. Ergo si ratio naturalis, in ordine ipso naturali caecutiens et infirma, non valet veritates Deum et hominem attinentes cognoscere, non est plane sibi sufficiens ad religionem naturalem instituendam nec ad ejus praecepta servanda.

Quoad tertium. Dato quod ratio naturalis possit ad quarumdam veritatum cognitionem propriis viribus pervenire, id minime sufficeret ad rectam vitae ordinationem, ad quam ultra requiritur recta harum veritatum generalium ad praxim applicatio. Sed *Angelico* docente, lex naturalis quantum ad principia communia quamvis nullo modo possit a cordibus hominum deleri in universali, deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam vel aliquam aliam passionem. Cum ergo recta applicatio principiorum in pluribus deficiat propter malas persuasiones vel habitus corruptos, ratio naturalis impotens est ad hominem dirigendum in salutis consecutionem.

Denique, hac etiam recta principiorum ad praxim applicatione supposita, nihil inde in favorem naturalismi licet inferre, adhuc enim desideratur praecognitio felicitatis ut voluntas tendat ad illam. Ut autem voluntas consulto et prudenter feratur in beatitudinem tria requiruntur 1.° ut distincte et in particulari, et non tantum indeterminate, cognoscatur in qua re sita sit beatitudo hominis; 2.° quod illa de vera beatitudine notitia sit ex natura rei certissima et 3.° quod certissime pariter cognoscantur si quae sint media ad illius consecutionem penitus necessaria, aut ex natura rei aut ex Dei beneplacito. Age vero: potestne ratio communis generis humani vel excultus philosophorum intellectus, quin luce divinae revelationis illustretur, praedictam de beatitudine cognitionem acquirere? Ipsorum facta respondent. Summi paganismi sapientes et ipsi neoterici philosophi ordinem supernaturalem negantes, eo dementiae pervenerunt ut quidam divitias, alii voluptatem, alii scientiam, alii famam vel potestatem tanquam summum bonum, bonorum omnium finem habuerint; ergo ratio naturalis nequit praestare desideratam notitiam felicitatis humanae.

III. **Brevius illud ipsum argumentum a posteriori.** Religio est omnibus et singulis hominibus necessaria, cum sit *disciplina salutis,* ut loquitur *S. Augustinus* (De Vera Relig.) Inter veritates autem ad religionem spectantes principem locum obtinet quae ad cultum Divinitatis refertur. Ad hoc igitur quod vera sit religio necesse omnino est et *a)* quod verum Deum colat, et *b)* quod cultus ei exhibitus verus sit cultus. Atqui homo absque divina revelatione verum modum Deum verum colendi nequit attingere, ut constat ex historia philosophiae; ipsa enim exculta ratio philosophorum in tantas circa cultum aberrationes prolapsa est, ut ipsemet *Socrates* morti proximus jusserit *Aesculapio* pullum gallinaceum immolari; Ammonitae proprios filios sacrificarent idolo Moloc; Romani, inter quos et *Cicero,* suis divini-

tatibus obscaenitates theatrales et mortifera gladiatorum spectacula offerrent, et, ut verbo dicamus, ratio naturalis divina revelatione orbata ita caligavit circa verum Dei cultum, ut divinus ille philosophus, ***Plato,*** coactus sit fateri expectandum esse aliquem venturum qui doceat qualiter nos gerere debeamus erga Deum et homines. Solus autem Deus id nos docere potest. Nam in Dialogo ***Socratis*** cum ***Alcibiade*** haec habet: ***Socrates.*** Necessario igitur expectandum donec quis doceat quo animo et erga Deos et erga homines esse oporteat—***Alcibiades.*** Quando vero tempus illud erit, ***Socrates?*** et quis illud docturus est? Lubentissime enim viderem hunc hominem quisnam ipse sit.—***Socrates.*** Hic ille est nimirum qui de te curam gerit.—***Alcibiades.*** Auferat sive caliginem, sive quid aliud voluerit; ita enim me comparavi, ut eorum quae ille imperaverit subterfugiam, quicumque tandem fuerit vir ille, dummodo melior sim evasurus.

IV. Denique insufficientia religionis naturalis ad salutem humani generis probari potest ex tradita naturalistica definitione[1]. Etenim si ratio uniuscujusque est factiva religionis, necesse est dogmata et praecepta religiosa in infinitum variari, prout varia est ratio autonoma individuorum; ergo tot erunt religiones naturales quot rationes autonomae. Sed plures religiones invicem contradictoriae nequeunt esse simul verae nec omnes Deo placere; imo in hypothesi Naturalistarum impossibile foret veram detegere religionem, cum omnes suam, utpote a ratione dictatam, veram putent; unde pro Atheis *Atheismus,* pro Deistis *Deismus,* pro Pantheistis *Pantheismus* erit vera religio. Sed nemo non videt haec latam viam *Indifferentismo* sternere vel potius esse absolutam negationem religionis. Ergo, conclusio generalis esto:

8. Cum *ratio naturalis,* ab omni revelatione praescindens, nequeat certo cognoscere veritates ad religionem spectantes, cumque *religio naturalis* certam harum veritatum notitiam necessario comprehendat, recte deducitur *religionem naturalem, se solam, non sufficere generi humano ad salutem.*

9. **Corollaria.** I. Ex dictis sequitur: necessariam esse ho-

---

1 Hanc et alias rationes late persequitur noster Emmanuel a S. Thoma Aquinatensi. *Unica Religión verdadera,* t. I, Lect. XXXII-XLIX. Ubi inter alia haec probantur. Lección XXXIII. Apenas se puede averiguar qué entienden los Deístas por Religión natural por lo mucho que varían en explicar su esencia y carácter. Lec. XXXIV. La Religión natural en cuanto formada por la razón sola, ni ha existido jamás, ni puede existir. Lecc. XXXV. La Religión natural no tiene principio uniforme ni sólido, porque la razón natural en que se funda es débil e inconstante. Lecc. XXXVI. La Religión natural se funda sobre un principio corrompido y malo. Lecc. XXXVII. Se reprueba la Religión natural, por el desorden e inconstancia que reina en el entendimiento. Lecc. XXXVIII. Pintura que hacen algunos libertinos de la Religión natural; se destruye su discurso etc. Lecc. XXXIX. Idea que Voltaire nos ofrece de la Religión natural Lecc. XL. Respuesta etc.

minibus revelationem, ut ab omnibus facile et absque dubitatione et errore vel ipsae veritates religionis naturalis cognoscantur. Ejusdem vero necessitas moralis pro humana societate ex misero infidelium illarum nationum statu maxime elucet. Etenim quia revelatam religionem suscipere detrectant immersae jacent in maximis ignorantiae tenebris criminumque sordibus; ratio videlicet sola inde eas levare non potest.

II. Illud principium fundamentale rationalistarum, scilicet: rationem sibi eam vindicare independentiam et autonomiam ut nihil admittere queat nisi cujus veritatem intrinsecam ipsa omnino perspexerit, solumque religionem naturalem, utpote a natura dictatam, sufficere ad debitum cultum Deo tribuendum, absurdum plane maximeque nocivum esse.

III. Illud pariter progressus humanitarii principium, quo fit, ut veritatum moralium et religiosarum cognitio per rationis evolutionem continuo perficiatur, necnon mysteria religionis per ipsius rationis inquisitionem ad evidentiam intrinsecam usque quondam perveniant ita ut religio quae primitus imperfecta videbatur et erat, postmodum, humani generis progressu, ad perfectam deveniat, esse totius religionis eversivum.

IV. Merito igitur damnatae sunt in ***Syllabo Pii Pp. IX.*** sequentes propositiones: *Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationi respondeat*[1].

10. **Necessitas revelationis in ordine supernaturali.** Caute notandum est illam *moralem* necessitatem revelationis, de qua supra, induci pro *veritatibus naturalibus, religionis naturalis cognoscendis,* proindeque ordinem naturalem haud transcendentibus. Sed si teneamus cum Ecclesia Catholica hominem esse per Deum ad ordinem supernaturalem elevatum, firmiter quoque tenendum est:

(Thesis) Revelationem esse absolute et omnino necessariam ad veritatis hujus ordinis supernaturalis cognoscendas.

Probatur brevissima *S. Th.* ratiocinatione. «Homo ordinatur a Deo ad quemdam finem qui comprehensionem rationis excedit, se-

1 Denzinger-Bannwart, n. 1703-1705.

cundum illud Isaiae, LXIV, 4: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te.* Finem autem oportet esse praecognitum hominibus qui suas intentiones et actiones debent ordinari in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem quod ei nota fierent quaedam per revelationem divinam quae rationem humanam excedunt»[1].

Utramque necessitatem pro diverso ordine cognitionis asseruit *Concil. Vaticanum* his verbis: «Hinc divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae, in rebus divinis, humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore, cognosci possint. Non tamen hac de causa revelatio *absolute* necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina quae humanae mentis intelligentiam omnino superant»[2].

11. **Officia religiosa exinde procedentia.** Ex doctrina modo exposita, exoriuntur plura officia ad quae homo jure naturae adstringitur. Inter alia sint sequentia[3].

I. *Homo tenetur amplecti divinam revelationem ideoque religionem quoque supernaturalem.* Ratio naturalis impar est ad salutem hominis procurandam; ergo necessaria est divina revelatio. Qui autem tenetur ad finem tenetur etiam ad media sine quibus finis obtineri nequit; ergo homo debet amplecti divinam revelationem religionemque supernaturalem in qua veritates revelatae continentur.

II. *Homo tenetur factum revelationis inquirere veramque proinde religionem supernaturalem investigare,* cum nondum eam cognoscit. Sequitur ex praecedenti officio. Etenim cum vires humanae naturae per se non sufficiant ad cognoscenda quae ad religionem spectant et idcirco revelatio divina sit medium neccssarium ad recte sentiendum de Deo vitamque humanam, prout decet, ordinandam in finem, homo nequit indifferenter se habere ad revelationem, sed tenetur eam amplecti. Id autem non potest rationabiliter efficere, imo imprudenter aliquam religionem, etiam si ut revelata proponatur, amplecteretur, quin prius ei certitudinaliter constet eam esse veram vereque revelationem esse factam. Plures siquidem religiones divina revelatione gloriantur. Deus autem qui hanc revelationem hominibus imponit tanquam medium necessarium ad salutem consequendam, media quoque necessaria

1 I, p. q. a. 1.

2 c. II, *de Revelatione.*

3 Cfr. P. Valentinus ab Assumpt., *Theolog. Fundam.* Demonstratio Christ., q. VI; G. Wilmers, *De relig. revel.* pag. 93 et sqq.; Mazella, loc. cit. n. 53 et sqq.; Tanquerey, *De religione*, c. I, n. 58 et sqq.; Egregie de his F. Lamennais, *Ensayo sobre la indiferencia religiosa*, vol. I; Franco, *Respuestas*, tom. 2, c. V-X.

ad eam certo cognoscendam abs dubio suppeditavit; secus non satis providisset homini de necessariis ad salutem. Igitur homini incumbit obligatio factum revelationis veramque religionem supernaturalem quaerendi et investigandi.

III. *Homo tenetur Deo debitum cultum afferre, non juxta ipsius hominis placitum, sed juxta modum ab ipso Deo revelatum.* Impium namque esset affirmare Deum obstringi ad acceptandum quemlibet cultum ei ab homine exhibitum; tunc enim homini subesset et adigeretur ad vera et falsa, licita et illicita simul approbanda, diversa quippe et contraria a diversis religionibus offeruntur. Ipse autem qui jure creationis, conservationis, aliisque titulis exigit ab homine cultum, id est, reverentiam, servitutem et amorem, jure pariter exigere potest modum quo honorari vult. Igitur homo tenetur cultum Deo afferre juxta modum ab ipso Deo praescriptum.

Ex quo duo alia inferuntur, quae, post dicta, probatione non indigent.

Primum: *veram religionem non posse esse nisi unam.* Alterum est: *Indifferentismum religiosum,* juxta quem, «integrum cuique est quam libuerit aut omnino nullam profiteri religionem», ut loquitur Leo XIII, (Encycl. Libertas) *esse Deo injuriosum ipsique rationi repugnantem*[1].

---

1 Cfr. Leo XIII, *Immortale Dei*, et *Pius* IX, *Qui pluribus* 9. Nov. de 1846.

QUAESTIO II

DE

OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM [1]

Quaestionis distributio. Quoniam non defuerunt philosophi asserentes hominem nullis erga seipsum officiis adstringi, existentiam horum officiorum probare nobis incumbit, antequam de illis in particulari sermonem instituamus. Duae autem sunt praecipuae relationes hominis ad seipsum, ad animam scilicet et ad corpus, has ergo breviter considerabimus.

Articulus I

De officiis immanentibus in genere

Summa rerum. 1. *Philosophi negantes officia immanentia.* 2. Thesis. *Homo ad quaedam officia erga seipsum praestanda lege naturae tenetur.* 3. *Adversariorum offendicula removentur.* 4. *Formula generalis qua omnia hujusmodi officia comprehenduntur; — duplex amor sui; - modus se ordinate amandi.* 5. Thesis. *Homo adstringitur officio naturae ad seipsum ordinato amore diligendum.* Prob. 6. *Objectiones.* 7. Thesis: *Amor sui est regula et exemplar ejus qui proximo debetur.* 8. *Corollarium.*

1. **Sententia negans.** Philosophi Christiani plurimum interest existentiam officiorum immanentium solido munimine firmare, ne moralium numerus praeceptorum minuatur et, laxitate damnanda, gravissima peccata interna, quae alios minime respiciunt, nihili pendantur. Hujusmodi autem officia negarunt imprimis *a)* sapientes nonnulli, qui, ut refert *S. Thomas*, dixerunt «illa sola esse peccata quibus proximus aut offenditur aut scandalizatur» [2]; tunc enim aut nulla admittuntur officia hominis erga seipsum, aut negatur transgressionem praedictorum officiorum culpam esse. *b)* Alii, uti protestantes recentiores, ea praetermittere aut negare tenentur vi sui systematis. Cum jura namque et officia humana enascantur, juxta *Puf-*

---

1 Cfr. Roselli, *Ethic.*, q. X; Jacquier, *Ethica part.*, sec. I, c. I, a. 2; Martel, *Filos. Mor.*, c. XV-XVI; Tongiorgi, *Jus Nat.*, c. I, a. 2; Taparelli, lib. I, c. X; P. Vallet, *Ethica spec.*, sect. I, c. III; Costa-Rossetti, p. II, sect. II, § 2; Mendive, *Jus Nat.*, n. 80-98; Casanova, *Ethica spec.*, c. II; Mancini, *Jus Naturae*, q. III; J. Van der Aa, S. J., *Praelect. Philos. Schol. Brevis Conspectus*, (ed. altera, Lovanii, 1889), p. II, c. III; Lottini, *Ethic. spec.*, c. III.

2 *Contra Gent.*, lib. III, c. 121, in fine.

fendorf aliosque ejusdem scholae philosophos, ex socialitate hominis, planum est nulla esse officia penitus immanentia. *c)* Directe vero pernegarunt hujusmodi officia *Thomasius, Fleischer, Schopenhauer Stange, Herbart, Lipps* aliique contendentes hominem nulla obligatione devinci ad aliquas actiones ponendas vel omittendas, sed tantum ex *quadam honestate* motus internos, externos vero ex *quodam decore* et ut aliorum hominum benevolentiam assequatur, moderandos esse. Sana tamen philosophia moralis vera agnoscit officia hominis erga seipsum; quapropter, nullo respectu habito ad societatem, etiamsi solus extaret in mundo, homo *sibi ipsi* plura debet ad quae observanda stricto officio naturae tenetur, ut in sequenti propositione demonstratur.

2. **Thesis. Homo ad quaedam officia immanentia praestanda lege naturae obligatur.**

Prob.

1) Officium est obligatio moralis qua voluntas adstringitur ad aliquid faciendum vel omittendum; quod si id ad quod homo obligatur est ipsi ex natura rei commensuratum vel repugnans officium inde enascens dicitur *naturale* seu a lege naturali causatum; sed homo plura tenetur ponere vel omittere respectu suipsius quae sunt ex se naturae suae consentanea vel repugnantia; sic error v. gr. pugnat cum perfectione naturali intellectus, veritas essentialiter eidem convenit; ergo homo ad quaedam officia immanentia praestanda lege naturae obligatur. 2) Lex naturae praecipit ut omnia suum ordinem servent; sed ordo naturalis in homine est quod corpus subjiciatur animae, vires inferiores rationi et voluntati; ergo homo lege naturae tenetur passiones insurgentes contra rationem fraenare animaeque bonum bono corporis anteponere; vere ergo existunt officia hominis erga seipsum.

3. Idipsum probatur adversariorum offendicula removendo. Ideo namque nollunt quidam vera hominis officia erga seipsum agnoscere quia homo *nihil sibi debet ex justitia,* deficiente autem justitia nullum officium stricte dictum existit; deest quoque juxta ipsos *alteritas* necessaria ad officium, hoc enim est ad alterum; nulla ergo officia reperiri possunt in homine respectu suipsius. Haec autem non obstant veritati thesis nostrae; quoniam *a)* praedicta officia immanentia Dei potius quam nostra respiciunt jura, et idcirco tenemur ad illa implenda, cum in Deo sit jus absolutum in nos; jus autem divinum expostulat ut homo se totaliter Deo subdat et omnes suas actiones in finem dirigat, ad quod requiritur ut vires inferiores ordinet semper sub ratione; hanc porro ordinationem homo *sibi debet* ut rectus existat; *b)* absolutae licet justitiae rationem non habeant, aliquam tamen participant; neque enim aequalis et stricta est in omnibus officiis et

juribus desideranda. Audiatur *S. Thomas*: «Justitia proprie dicta requirit diversitatem suppositorum et ideo non est nisi unius hominis ad alium. Sed secundum similitudinem accipiuntur in uno et eodem homine diversa principia actionum quasi diversa agentia, sicut ratio et irascibilis; et ideo metaphorice in uno et eodem homine dicitur esse justitia, secundum quod ratio imperat irascibili et concupiscibili et secundum quod haec obediunt rationi, et universaliter secundum quod unicuique parti hominis attribuitur quod ei convenit» [1]. Non obstante igitur identitate personali subjecti, duplex in eo distinguitur pars, quarum una jus habet respectu alterius, haec autem officium erga superiorem, proindeque salvatur ***alteritas*** necessaria ad rationem officii. *c)* Brevius: Sicut homo per rationem reflectere potest supra suos actus, potest pariter per unam facultatem tum proprios tum aliarum potentiarum actus ordinare in bonum personae, ad quem ordinem servandum impellit ipsa natura rationalis, et ideo lege naturae adstringitur homo ad quaedam officia erga seipsum praestanda.

4. Omnia hujusmodi officia sequenti formula apte comprehendi possunt. *Ordinato amore temetipsum dilige.* Non autem praecipitur homini simpliciter ut se diligat, id enim est ipsi innatum et connaturale; quaelibet quippe res appetit suum esse et ea quae necessario consequuntur ad esse; sed additur *ordinato amore,* id est, amore rationali, seu spirituali, quo inferius bonum bono superiori semper subordinatur. Duplex enim amor proprius distinguitur; *inordinatus* qui *egoismus, philautia, autolatria,* dicitur, et est grave peccatum contra naturam principiumque omnis peccati, perveniens siquidem usque ad contemptum Dei aedificavit civitatem Babylonis, ut scribit ***S. Aug.,*** et ex peccato originali radicitus provenit. Alius est *rationalis,* quo scilicet diligimus imperfecta propter perfectiora et omnia propter Deum. Officium itaque sive praeceptum naturale non versatur circa amorem quo homo seipsum diligere debet, sed circa *modum.* Modus autem est ut *ordinate* se diligat. Sed amoris rationalis ordo *id exigit,* ut homo seipsum et omnia sua dirigat in proprium bonum; proprium autem hominis bonum est perfectio rationalis quae ultimo in conjunctione cum Deo consistit; ergo tunc erit amor ordinatus cum homo omnes suas actiones referat in finem ultimum et propter ipsum operetur. Recte ergo ***S. Augustinus:*** *Teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum, ubi dilectionis tuae rectissimus finis est* [2]. Et ***S. Thomas:*** «In hoc homo vere se diligit quod se ordinat in Deum» [3].

---

1 II-II, q. LVIII, a. 2; Officia quae sunt ad alium suppositaliter distinctum *juridica* appellantur a recentioribus, quae ad se sunt, *ethica* dicuntur.

2 *De doctr. Christ.*, lib. I, c. 22.

3 I-II, q. C, a. 5 ad 1.

Ex quibus facile probatur sequens conclusio contra *Mysticismum exaggeratum* edocentem nihil nisi solum Deum esse amandum, et *Altruismum* positivistarum declamantium omnia propter humanitatem et hanc super omnia esse diligendam.

5. **Thesis. Homo adstringitur officio naturae ad seipsum ordinato amore diligendum**[1].

Nulla res est quae non habeat operationem qua seipsam explicet et explicando sese perficiat; natura enim est propter operationem et operatio ad subjecti perfectionem ordinatur; perfectio autem est bonum subjecto, et inclinari in bonum proprium est seipsum amare; ergo quaelibet res seipsam quodammodo diligit appetendo propriam perfectionem. Sed homo non tantum natura sed etiam electione tenetur seipsum operando perficere; propria autem hominis perfectio est secundum naturam rationalem; ergo tenetur se diligere rationaliter, id est, ordinato amore.

Brevius: Homo non potest non velle, dum rationaliter operatur, bonum propriae naturae perfectivum, secus ageret contra naturam; atqui velle bonum sibi proprium est seipsum ordinato amore diligere; ergo homo adstringitur officio naturae ad seipsum ordinate diligendum.

6. **Objicies I.** Naturalia legis praecepta Decalogo comprehenduntur; atqui nulla lege Decalogi amor sui ipsius praecipitur: ergo nullum datur officium naturae quo homo adstringatur ad suipsius dilectionem.

Dist. maj. *implicite*, vel *explicite*, concedo, *semper explicite*, nego, et contradistincta minore, nego conseq. Audiatur *S. Th.* qui, similem objectionem enodando, inquit: «Lex scripta data est in auxilium legis naturae quae erat obtenebrata per peccatum. Non autem erat sic obtenebrata quin moveret ad diligendum, ad hoc quod homo diligeret seipsum et corpus suum, sed erat obtenebrata quantum ad hoc quod non movebat in dilectionem Dei et proximi. Et ideo in lege scripta danda fuerunt praecepta de dilectione Dei et proximi; in quibus tamen comprehenditur etiam quod aliquis diligat seipsum: quia cum inducimur ad diligendum Deum, inducimur ad desiderandum Deum, per quod maxime nos ipsos amamus volentes nobis summum bonum. In praecepto autem de dilectione proximi dicitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (Math. XIX, 19), in quo includitur dilectio sui ipsius»[2].

---

1 Cfr. A. Noget-Lacoudre, *Ethica* p. I, c. I, a. 2, § 4; Liberatore, *Jus Nat.*, p. I, c. III; Farges et Barbedette, *Ethica spec.*, c. III.

2 *De Virtut.*, q. un. *De Caritate*, a. 7 ad 10.

II. Instabis. Quod est in officio naturae minime reprehenditur; sed amare seipsum vituperabile est; ergo nullum datur praeceptum de dilectione suipsius.

Dist. minor., *inordinate,* conc.; *amore rationali,* nego. Ad rem *S. Thomas:* «dicendum, quod amantes seipsos vituperantur in quantum amant se secundum naturam sensibilem, cui obtemperant, quod non est vere amare seipsum secundum naturam rationalem, ut sibi velint ea bona quae pertinent ad perfectionem rationis»[1]. Ergo amare seipsum reprehenditur in quantum homines «*plus debito* seipsos diligunt; quod quidem, addit alibi *S. Doctor*, non contingit quantum ad bona spiritualia, quia nullus potest nimis amare virtutes; sed quantum ad bona exteriora et corporalia potest aliquis nimis amare seipsum»[2] in quantum «exteriora bona quaerit ultra modum virtutis»[3].

III. Dices. Caritas, ajente *S. Gregorio,* minus quam inter duos haberi non potest; nemo enim proprie ad semetipsum habere caritatem dicitur, sed dilectio in alterum tendit. Aqui amor rationalis est idem ac caritas seu dilectio; ergo homo non potest proindeque nec tenetur officio naturae seipsum amare.

Resp. nego min. Amor enim, caritas et dilectio quadantenus differunt, uti jam alibi diximus, quamvis non raro pro uno eodemque usurpentur. Sed licet caritas et dilectio non possint haberi ad seipsum, proprie loquendo, tamen amor ad seipsum habetur[4], nam nobis ipsis bonum velle possumus sicut amicis, quod sufficit ad rationem amoris. Adde quod, etsi re sit idem amans et amatum in uno eodemque homine, diversum respectum invenimus in eo quando consideratur ut amans et quando accipitur ut amatum, qui quidem respectus plane sufficit, ut supra innuebamus, ad *alteritatem* requisitam ut verum existat officium.

7. **Thesis. Amor sui est regula et exemplar ejus qui proximo debetur.**

Probatur verbis *S. Thomae:* «Amor est virtus unitiva. Unicuique ad seipsum est unitas, quae est potior unione. Unde sicut unitas est principium unionis, ita *amor quo quis diligit seipsum est forma et radix amicitiae.* In hoc enim amicitiam habemus ad alios quod ad eos nos habemus sicut ad nos ipsos; dicitur enim in IX Eth. c. IV et VIII, circa princ., quod amicabilia quae sunt ad alterum veniunt ex his quae sunt ad seipsum»[5].

8. **Corollarium.** Lex igitur naturalis hominem devincit ad seipsum amandum appetendo pro se verum et reale bonum. Sed veri

1 II-II, q. XXV, a. 4 ad 3.
2 loc. cit. de *Virtut.* ad 13.
3 ib. ad 14.
4 Cfr. D. Th., loc. cit. de *Virtut.*, ad 11.
5 II-II, q. XXV, a. 4.

nominis bonum non meretur nisi quod ipsum dirigit et promovet in finem ultimum, qui Deus est. Dum ergo homo bono creato haeret, aut quaerit bonum summo bono haud subordinatum, transgreditur praefatum officium. Imo, summum illud bonum non velle est seipsum odio prosequi et agere contra naturam rationalem.

Articulus II

De officiis hominis circa animam suam [1]

Summa rerum. 1. *Diversae formulae quibus exprimitur primum et universalissimum hominis officium erga seipsum.* 2. *Praecipua hominis officia erga animam suam.* 3. *Bina erga intellectum officia; alia quae ex eis inferuntur.* 4. *Officia erga suam voluntatem quae sint, et qua ratione demonstrantur.*

1. **Praemissae.** Dictum est supra omnia hominis officia erga seipsum hac generali formula comprehendi: *Ordinato amore te ipsum dilige,* quae, ex praejactis, his aliis aequivalet: *perfice teipsum; age secundum rationem; dirige te in finem; enixis viribus promove gloriam Dei in te; exhibe teipsum imaginem divinarum perfectionum.* Nam primum illud Ethicae principium: *fac bonum,* vel, ut alii malunt, *serva ordinem,* recte applicari potest in hunc modum homini individuo: *Fac bonum tuum; serva ordinem rationis.* Proprium autem hominis bonum est bonum honestum seu spirituale, ordo vero rationis consistit in debita aestimatione et ordinata dilectione bonorum, ita ut bona corporalia subordinentur bono animae, bonum autem animae sit propter ultimum bonum; et ideo cura incumbit homini perficiendi seipsum Deumque diligendi.

2. **Praecipua hominis officia quoad animam.** Ex officio sese perficiendi plura derivantur officia immanentia; inter ea vero quae ad animum spectant potissimum recensentur quibus intellectus et voluntas perficiuntur. Sed perfectio cujusque facultatis pendet et mensuratur ex objecto, quoniam facultas est propter operationem et ad operationem destinata, operatio autem specificatur ab objecto a quo et nobilitatem sumit. Igitur ex ordine ad objectum pensanda sunt officia hominis erga intellectum et voluntatem.

3. **Officia erga intellectum.** Age vero. Objectum intellectus est verum; id enim tantum cadere potest sub sphaera activitatis intelle-

---

1 Cfr. Ferretti. *Institutiones Philos. Moralis,* pars altera, sect. II, a. 1; Farges, loc. cit. a. 1; Meyer, *Jus Naturae,* p. II, sect. I, lib. unicus, c. II, a. 2, § 1 et 2; Zigliara, *Jus Naturae,* lib. I, c. III, a. 2; Weiss, *Apolog. del Crist.,* tom. V, Confer. XV.

ctualis quod habet rationem intelligibilis; unumquodque autem in tantum est cognoscibile in quantum est ens, et tantum habet de veritate quantum habet de entitate; falsum vero, prout tale, est non ens, proinde perficere nequit intellectum, omnis siquidem perfectio dicit entitatem vel gradum quemdam entitatis ratione cujus res completur vel dicitur perfecta in sua natura. *Primum* igitur *officium hominis ad propriam naturam rationalem perficiendam est cognoscere veritatem (officium affirmativum),* nam sola veritate perficitur intellectus. Tenendum est ergo contra ***Rousseau*** scientias et artes per seipsas non efficere hominem pejorem, nec respuendas esse ut noxias[1]. *Alterum* est, *errores devitare (officium negativum).* Etenim error jus nullum habet ut ab intellectu percipiatur, imo intellectus perfectioni opponitur.

Verumtamen *a)* non est in humanae rationis officio omnes omnino veritates cognoscere, sed eas tantum quae necessariae sunt ad finem consequendum; *b)* nec sub praecepto cadere potest harum veritatum *scientifica* cognitio, sed solum *vulgaris* notitia.—Ratio desumitur ex fine. Nam ea lege adstringitur homo ad veritates cognoscendas quatenus necessariae videntur ad eam intellectus perfectionem quam natura et auctor naturae, Deus, expostulant ad finem consequendum; ad hoc autem requiritur et sufficit quarumdam veritatum vulgata cognitio, uti sunt v. gr. capitales mundi, Dei hominisque notiones, quas exhibet Catechismus. Si quis ergo has veritates penitus ignoret peccat abs dubio contra naturae praescripta.—*c)* Tenetur insuper quisque diversas scire veritates pro munere, quo in societate fungitur, adimplendo; aliae namque sunt obligationes filiorum, parentum, longe diversae judicum, advocatorum, gubernantium, quas servare neutiquam possent, earum cognitione penitus neglecta.

Ex altero officio, *vitandi nempe omnes adversantes errores,* sequitur obligatio *a)* amplectendi divinam revelationem puerosque instituendi in doctrina catholica, qua institutione absente, saepius errare contingit cum periculo salutis, *b)* admovendi veritatis impedimenta sive causas erroris eradicandi, proindeque *c)* absurda pronuntiata recentioris *civilizationis,* quae veritatem cum errore amico foedere sociare contendit, et, pessimo ducta consilio, jus ad vitam, ut ajunt, sive tolerantiam pro *libertatibus modernis,* fucato scientifici progressus titulo expostulat, expugnandi, nam hujusmodi libertates vero artium scientiarumque progressui e diametro opponuntur et cum jure perfectibilitatis humanae nequaquam componi possunt.

Aliarum rerum cognitio, ad finem consequendum minime necessaria,

1 Cfr. A. Noget-Lacoudre, *Ethica,* p. III, c. II.

non est in praecepto naturae, utilis tamen judicatur cum ad intellectus perfectionem deserviat, et plurium bonorum, etiam temporalium, fontem esse soleat; quamobrem digni laude inveniuntur qui rerum divinarum humanarumque contemplationi artiumve studio dicantur, nec hujusmodi animi culturam, quae in bonum hominis cedit, unquam damnavit Ecclesia[1].

4. **Officia erga voluntatem.** Ut homo completus evadat non tantum debet intellectum perficere, media cognitione veritatis, indiget quoque voluntatem ad bonum dirigere et per virtutes ad finem tendere; potissima namque hominis inclinatio est voluntatis, quae universale sive totius hominis bonum respicit, dum ceterae potentiae, attingendo proprium objectum, ipsius potentiae solummodo bonum attingunt, voluntas autem bonum totius compositi. Hinc homo lege naturae adstringitur 1) ad amorem boni quo voluntas perficitur; 2) ad dirigendas actiones in finem, objectum scilicet in quo voluntas quiescit; 3) ad media seligenda sine quibus finis obtineri nequit, inter quae duo potissimum generatim recensentur *a)* virtutes excolere et *b)* pravas refraenare passiones. Ratio prioris est quia ad Deum tenditur non quidem passibus corporis sed cordis affectu et exercitio virtutum: posterius vero deducitur vel ex illo generalissimo ethicae principio quo tenemur *rectum servare ordinem;* apta quippe natura et ordo rationis expostulant ut inferiora superioribus subordinentur; voluntatis autem est dominatum in caeteras animae potentias exercere; quandocumque ergo rebelles animi passiones praefatum ordinem turbare conantur, non eas fovere sed refrenare lex naturae praecipit.

---

1 L'Eglise est loin d'avoir jamais condamné les methodes par les quelles les sciences naturelles se sont constituees et ont pris de si mervilleux developpements. Ce qu'elle repousse, ce sont certains principes de la philosophie moderne aussi contraires a la droite raison qu'a la verite revelée. Pius X. Epist. ad R. P. Aloisium, Ernestum Dubois Bituric. Archiep. De necessitate redeundi ad Philos. Scholast. 13 Dec. 1911. *Acta Ap. Sedis*, vol. IV, pag. 45; Cfr. Conc. Vat. *De Fide*, c. IV. «La doctrina de Cristo,—dice un gran historiador moderno—será siempre el fundamento único de toda cultura moral, y según que esa doctrina se desenvuelva más o menos claramente así será mayor o menor la cultura de las naciones modernas. Y a su vez dice Goethe: Como quiera que la cultura espiritual progrese todavía y como quiera que se desarrolle el espíritu humano, nunca se elevarán tanto como la moral cristiana que brilla y resplandece en el Evangelio». Apud. A. Pavissich, *La acción social*, I, pag. 72.

Articulus III

De officiis hominis quoad corpus [1]

§ 1

PRAENOTIONES.

Summa rerum. 1. *Duplex officium circa propriae vitae conservationem.* 2. *Notio etymologica suicidii.* 3. *Philosophorum sententiae circa honestatem suicidii* (Stoici — Seneca — Apud Celtas — Circumcelliones et Donatistae — Protestantes — Materialistae — Holbach — Montesquieu — Hume — Thomas Morus — Recentiores Pessimistae, Schopenhauer et Nietzsche—Paulsen, Ziegler). 4. *Recensentur nonnulli suicidae inter antiquos.* 5. *Proponitur quaestio.* 6. *Suicidium directum et indirectum — explicatur utriusque notio.* 7. *Notanda: 1)* suicidium indirectum cohonestari potest;—quibus ex causis;—*2)* quid circa corporis mortificationem;—erroneae sententiae;—*3)* an sit meritorium quorumdam Sanctorum desiderium ex hac vita migrandi;—*S. Thomae* doctrina;—*4)* ex manifesta Dei voluntate licet sibi vitam adimere;—explicatur;—testimonium *S. Augustini.)*

1. **Duplex officium.** Ex generica et fundamentali obligatione diligendi seipsum enascitur in homine officium conservandi propriam vitam; nulla quippe res est quae non appetat suipsius conservationem et, totis viribus, corrumpentibus vitam et inferentibus mortem resistat; quod autem animalia natura duce, id nos ratione efficere tenemur. Porro officium conservandi propriam vitam duo alia officia consequuntur respectu proprii corporis, unum *negativum, positivum* alterum: primo prohibetur suipsius occisio et mutilatio, secundo vero praecipitur corpori suppeditare ea omnia quae necessaria sunt ad vitam conservandam actusque externos rite et honeste ordinandos.

---

1 Cfr. Aristot. III *Ethic.*, c. VII et lib. V, c. II; D. Aug., *De Civit. Dei*, lib. I, c. XVII et sqq.; D. Thomas, IV *Sent.*, Dist. XLIX, q. V, a. 3; II-II, q. LXIV, a. 5; Victoria, *Relectio de Homicidio.* An sit fortis viri occidere se; Soto, *de justitia et jure*, lib. V, q. I, a. 5; Schmier, Tract. XIV, q. XXII, Lugo, *de Just. et Jure*, Disp. X, sect. I; Lessius, *de Just. et Jure*, lib. II, c. IX; Billuart, Diss. X, a. 3; Moralistae cum de V Decalogi Praecepto aut de Peccatis contra Justitiam: Vide Salmantic., Tract. XXV, c. I, Punct. V; S. Alphonsus, *Theolog. Mor.*, lib. IV, n. 363 et sqq.; Bucceroni, *Instit. Theolog. Mor.*, n. 70; et sqq.; Aertnys, lib. III, Tract. V, c. I; Debreyne, *Del suicidio*, c. I-VI; Tissot, *De la manie du suicide*; Balmes, *Filos. Elem. Etica*, c. XV; Descuret, *Medicina de las pasiones*, p. II, c. XIII.

2. **Suicidium,** seu autochiria (*αὐτοχειρία*, ab *αὐτός* ipsum et *χείρ* manus) est homicidium propria manu perpetratum.

3. **Sententiae absolventes suicidium ab immoralitatis nota.** Inter plures antiquos philosophos effutientes posse hominem licite et meritorie seipsum interimere numerantur *a) Stoici,* quibus commune erat sapientem sponte e vita migrare posse seipsum occidendo, ut vitae aerumnis sese subduceret, vel amicorum, patriae, societatisque emolumento consuleret; quamobrem si quis morbo incurabili v. gr. laborabat, vel gravissimis premebatur angustiis, vel alicujus sensus usu destituebatur, vel denique medium virtuti exercendae consentaneum putabat esse suicidium, non dubitabat mortem sibi consciscere. Ut autem praefatam doctrinam suo firmaret exemplo *Stoicorum* parens, *Zeno,* seipsum occidit quemadmodum narrat *Laertius* his verbis: «Sic autem obiit. Cum abiret e schola offendit digitumque perfregit. Manu vero terram feriens dixit illud ex *Niobe: ἔρχομαι τί μ' ἀνεις* Ecce adsum ¿quid me vocas? continuoque se strangulans interiit». *b) Seneca* ex eadem secta scribit: «Nihil melius aeterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. —Placet? vive;— non placet? licet eo reverti unde venisti». Quamobrem non solum judicat licitum suicidium, sed etiam legi aeternae conforme[1]. *c)* Apud Celtas, Graecos et Romanos nota erat opinio fortis animi esse mortem aliquando sibi inferre. *d)* In Africa Circumcelliones et Donatistae liceitatem suicidii directe propugnabant. *e)* Non defuerunt pariter inter Protestantes qui turpitudinem suicidii aut negaverint aut sub dubio reliquerint. «Pro autochiriae licentia scribit *Samuel Coccejus,* totidem sunt auctoritates affirmantium quam negantium». *Puffendorfius* vero ratus est nedum licitum sed laudabile esse suicidium gravis peccati et opprobii seu infamiae vitandi causa susceptum. *f)* Antiquos Epicureos et materialistas sequuti sunt recentiores athei et materialistae inter quos eminent impius auctor Operis *Systeme de la nature,* qui non veretur affirmare: *Mortem esse unicum desperationis remedium, et gravissimis in angustiis nullum praeter gladium relictum esse infelicibus amicum et consolatorem*[2]. *g)* Alii docent cum *Montesquieu,* auctore *Epistol. Persicarum,* et *Hume* vitam esse quoddam beneficium a Deo nobis gratis concessum, quod, si grave fiat, renuntiare possumus. «Numquid Providentiae ordinem violaverim, inquit, si materiae modificationem immutem et globum ex rotundo quadratum faciam? Quando e corpore mens mea soluta fuerit, nihil detrimenti inde capiet orbis universi ordo et dispositio; ubi corpus meum aliam induerit formam, non minus sublimis erit anima». *h) Thomas Morus,* celeberrimus *Angliae Cancellarius,* quamvis suicidium uti licitum, assertive et ex propria sen-

1 Apud González, *Hist. de la Fil.,* t. I, pag. 380: Cfr. Legoyt, *Le suicide ancien et moderne,* Paris 1881.

2 «La mort est le remede unique du desespoir: c'est alors qu'un fer est le seul ami, le seul consolateur, qui reste au malhereux».

tentia, non defendat, tamen postquam civium fictae Insulae *Utopiae* caritatem commendat, subdit, quod, si illorum infirmitas est incurabilis diuturnusque dolor, Sacerdotes et Magistratus patientes confortant curantque suadere ut, supposito quod inepti inveniantur ad officia vitae aliisque onerosi et sibi sint intolerabiles, nolint infirmam vitam prorogare nec mori dubitent vel seipsos occidendo vel patienter sufferendo ut ab aliis occidantur. Suicidium vero perpetratum absque Sacerdotum et Magistratuum consensu tanquam immane facinus reputant cives *Utopiae*, neque enim suicidarum corpora sepeliunt, sed in tanti criminis poenam ea in paludem projiciunt[1]. *i)* Denique nimis hodie succrescit funesta quorumdam opinio autochiriam permittentium, saltem quando animus gravissimis doloribus et erumnis oppressus spem melioris vitae penitus amisit. Ita *Paulsen, Ziegler*, praesertim vero pessimistae *Schopenhauer* et *Nietzsche*.

4. Ex antiquis sapientibus innumeri pene suicidio periere. Recenseri possunt inter alios *Carondas, Licurgus, Empedocles, Psisippus, Diogenes, Hegesias, Stilpus, Zenon, Cleanter, Arcesilas, Carneades, Aristarcus, Chrastostenes, Demosthenes, Isocrates, Temistocles, Cleomenes* et forsan *Pytagoras* et *Aristoteles*. Inter *Romanos Lucretius, Atticus, Silius Italicus, Petronius, Lucanus, Scipio, Cato, Brutus, Casius, Marcus Antonius, Nero, Otto* et forte *Marcus Aurelius*[2].

5. **Proponitur quaestio.** His historice relatis, plurimum interest definire an suicidium legi naturae plane adversetur proindeque sit essentialiter et intrinsece pravum semperque illicitum. Nam auctis admodum in dies hujusmodi infandi criminis casibus, multiplicantur

---

1 Cfr. Balmes, *La Sociedad*, t. 1. Sapienter et fortiter agere qui seipsum a miseriis hujus vitae morte generosa liberat, tenet ipsa Mad. de Staël, *De l'influence des passions*.

2 «En otro tiempo los hombres más célebres de la antigüedad se suicidaban en un momento de desesperación, pero entonces se creía grande hombre el que se suicidaba. «Los que en un estado tal de cosas perecían de la manera más miserable eran más felices que los vivientes». Esta frase de Polibio indica la opinión general.

No se cometía el suicidio solo por el hambriento..... o por monstruos intemperantes como Apicio que, después de haber disipado sesenta millones, se envenenó, porque con los diez que le quedaban no podía vivir convenientemente!!... Y este ejemplo era dado por hombres célebres. El Jurisconsulto Cocceio Nerva, abuelo del Emperador de este nombre, no estaba enfermo ni le amenazaba ningún peligro; comunicó su proyecto a sus amigos...; le rogaban desistiese de su propósito... se suicidó, dice Tácito, sin saber por qué (Annal.VI, 26). Tulio Marcelino, amigo de Séneca, estaba atacado de una enfermedad enojosa, pero no grave; los médicos le aseguraban la curación, pero llamó a un filósofo estóico, este le aconsejó la muerte y se suicidó; y Séneca alaba al filósofo que tal consejo dió. Cremucio Cordo, historiador de la República, por que su nombre fuera celebrado y puesto al lado de Bruto y Casio, cuyo elogio hizo, se suicidó. El retórico Albucio cargado de años convocó en Novara su ciudad natal a sus ciudadanos y después de un largo discurso comentando las razones que tenía para quitarse la vida, lo realizó (Sueton, Rhet. VI). Digno de este ejemplo es aquella griega más que nonagenaria que esperaba la llegada de Pompeyo para matarse en su presencia y hacer su muerte más gloriosa..... Tomó veneno; rodeola Pompeyo con sus oficiales y todos lloraban por la grandeza de alma de aquella vieja matrona (Valerio Max. II, 6, 8)». Apud Alberto M.ª Weiss. III p. Confer. I. *El fin del mundo antiguo*.

pariter apologetae suicidarum, adeo ut, nostra etiam aetate, innumeri pene recenseantur auctores effutientes nulla naturali aut divina lege suicidia esse prohibita, summis e contra laudibus extollentes haec horrenda facinora.

6. Verum ut in quaestione definienda clarius procedatur praenotare juvat: 1) suicidium esse duplex, *directum* scilicet, et *indirectum*. Illud definitur: *mors ex intentione propria manu perpetrata*. Indirectum vero describi potest: *mors ex nostra actione vel omissione, sed praeter intentionem suicidii, causata;* 2) non esse idem *propria auctoritate* et *auctoritate superioris* violentas manus sibi inferre. Hinc sequentia uti certa notamus.

7. 1) Suicidium indirectum cohonestari posse, accedente justa et proportionata causa, quia tunc intentio non fertur directe ad suicidium, sed ad bonum, cui *per accidens* conjungitur malum, nec suicidium est actione directa illatum. Generatim autem loquendo duplex assignari potest justa et proportionata causa ponendi actionem ex qua mors proprii corporis sequatur, scilicet *necessitas* ponendi talem actum et *exercitium virtutis*. Sic v. gr. licet ex primo capite, instante incendio, e fenestra ad vitandam certam mortem prosilire, in bello submergere navim ne veniat in manus hostium, licet militi castra defendere propriamque stationem servare etiam cum periculo vitae, et alia sexcenta. Ex 2.° capite, licitum est Missionariis et praedicatoribus terras infidelium perlustrare, infirmos peste mortifera laborantes visitare, et cuilibet in naufragio amicis v. gr. tabulam salutis relinquere, quamvis probabiliter vel certo sciat se esse periturum. Imo non tantum licet, sed aliquando tenetur homo vitam temporalem in discrimen adducere, cum id nempe bonum superius expostulat, uti est bonum animae, religionis, reipublicae, quod salvari non potest absque temporali vitae nostrae jactura [1]. His enim in casibus, ut iterum dicamus, nemo sese interficit, in quo proprie suicidii malitia consistit, sed tantum permittit se interimi ex rationabili causa, vel non removet illud ex quo propria mors est certo sequutura.

2) Necessarium esse, proindeque licitum, *corpora mortificare*, ne passiones insolescant contra rationis praescriptum, pariterque *laudabile vitae genus asperrimum ob finem supernaturalem amplecti*, etiamsi quis indubitanter praevideat his mortificationibus vitam esse aliquantulum breviaturum. Cum enim ratio dictet bonum animae bono corporis anteponendum esse, opus virtutis est rebelles appetitus passiones servituti subjicere. Sed «maceratio proprii corporis, puta per vigilias et jejunia, non est opus virtutis, inquit *Angelicus*, nisi in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur et natura non nimis gravetur» [2], et ideo ut sit licita et laudabilis praefata corporis mortificatio debet per prudentiam regulari. Nam, ut ipsemet *Angelicus* docet, «absque dubio

1 Cfr. D. Th. II-II, q. XXVI. 2 ib. q. LXXXVIII, a. 2 ad 3.

peccat, si aliquis in tantum virtutem naturae debilitet per jejunia, et vigilias, et alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi» [1], vel impediatur ab aliis operibus, ad quae alias obligatur [2]. Qua *Angelici Praeceptoris* animadversione, illorum retunditur audacia qui catholicos ut suicidii reos calumniantur, eo quod, dura corporis castigatione passiones refrenare sensuumque motus intra limites honestatis continere curant. Ita Epicurei recentiores, materialistae omnes, Protestantes non pauci et Libertini, quibus accessit *Melchior Gioja,* vir alias catholicus et Ecclesiae Christi minister, quamquam ante mortem, teste *Rosminio,* suum errorem reprobaverit. Audacior extitit *Ludovicus Reybaut* qui, uti narrat *Balmesius* [3], arbitratus est Christianismum luctam rationem inter et passiones ad extremum deduxisse convertendo abstinentiam (el desinterés) in ascetismum corpusque cruciando absque animae profectu. Verum *moderata* corporis castigatio, quam Ecclesiae Catholicae filii velut salutiferum remedium contra carnis illecebras solent adhibere, non tantum prodest menti, sed corpori, «cum corpus humanum, uti solerter animadvertit *Angelicus*, inveniatur frequentius ex superfluitate, quam ex defectu, mortales aegritudines incurrere» [4]. Consulantur Medici peritiores.

3) *Non solum non esse peccatum, sed valde meritorium evadere, illud quorumdam sanctorum desiderium quantocius nempe ex hac vita migrandi, ne promissa aeternae beatitudinis claritas eis ultra differatur* [5]. Ii namque mori haud exoptant ut hujus vitae labores recusent, sed, altiori ducti motivo, ad Deum scilicet clare videndum, mortem, non a se, sed ab alio inferendam vel ipsam non impedire, quamvis possint, desiderant [6].

4) *Posse hominem ex manifesta Dei voluntate certo cognita vitam sibi adimere vel in discrimen vocare.* Vita quippe humana Dei subjacet potestati, et ideo eam ipsi tradere, cum reposcit, justum videtur. Attamen cum lex suicidium vetans sit certa, cognitio voluntatis Dei excipientis aliquem a predicta lege debet pariter esse certa et manifesta. Utrumque eleganter exposuit *Augustinus:* «*Cum Deus, inquit, jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet?... Qui ergo*

---

1 *Quolib.* V, a. 18.

2 IV *Sent.*, Dist. XV, q. III, a. 1 ad 3.

3 *La Sociedad*, t. IV (ed. 5.ª Barcelona), *El socialismo*, a. 7.

4 IV *Sent.*, Dist. XV, loc. cit. Id probat sequens statistica:

S. Paulus primus Eremita vixit. .	113 an.	S. Theodosius.	105 an.
S. Antonius.	105 »	S. Macarius, Panufcius, S. Sabas et S. Joan. Egypt. . .	100 »
S. Arsenius.	120 »		
S. Joan. Silentiarius.	104 »	S. Bertholdus I. Gen. lat. Carmel.	115 »

Cuando Urbano V quiso mitigar la observancia de los Cartujos por creer que era excesiva é insoportable su austeridad, para probar lo contrario la Orden envió á Roma una Comisión de 27 Cartujos el más joven de los cuales tenía 88 años. Apud Severino Aznar, *Las grandes Instituciones del Catolicismo.*

5 Sic S. M. N. Teresia: *Vivo sin vivir en mi—y tan alta vida espero—que muero porque no muero.* Et quondam ita decantasse dicitur: *Véante mis ojos,—dulce Jesús mio,—Véante mis ojos—y muérame yo luego.*

6 Cfr. S. Th., III, p. q. XLVII, a. 1

audit non licere se occidere, faciat, si jussit, cujus non licet jussa contemnere. Tantummodo videat utrum divina jussio nullo nutet incerto[1]. Merito ergo laudantur in Litteris Sanctis et in historiis ecclesiasticis nonnulli qui tempore persecutionis seipsos occiderunt. Hoc *enim* fecerunt non humanitus decepti, sed divinitus jussi; nec errantes sed obedientes, ut ipsemet docet *S. Augustinus*[2], quamquam alii eos excusatos velint tum ratione ignorantiae, quae forte in aliquibus aderat, tum quia hujusmodi interfectionis modus pertinet ad suicidium indirectum.

§ 2

REPROBATUR SUICIDIUM DIRECTUM[3].

Summa rerum. 1. Thesis. *Suicidium directum,* hoc est, *seipsum interimere propria auctoritate et ex intentione est actio in se mala et ideo lege naturali prohibita.* Probatur triplici ratione. 2. *Propugnatur efficacia argumentorum S. Thomae; — solvuntur objectiones adversus* a), b) et c). *An liceat malefactori juste ad mortem damnato per seipsum executioni demandare judicis sententiam.* 3. *Alia argumenta.* 4. *Suicidiorum causa.* — (Schola Criminalista seu Lombrosiana. — Phrenologi. — Montesquieu. — Durkeim). 5. *Judicium ferendum de expositis causis. — Verae causae.* 6. *Suicidarum excusationes expenduntur.* 7. *Antiquorum dicta circa inhonestatem suicidii.*

1. His ergo quae modo notavimus ad vitandos scopulos praelibatis, eo tota devolvitur quaestio ut definiatur: *an suicidium directum propria auctoritate perpetratum sitne licitum.* Concors autem philosophorum sententia docet sese interimere absque manifesta Dei auctoritate legi naturae plane repugnare.

Thesis. Suicidium directum, hoc est, seipsum propria auctoritate et ex intentione interimere, est actio in se mala, et ideo lege naturali prohibita.

Prob.

Seipsum occidere propria auctoritate *a)* adversatur naturali inclinationi hominis, *b)* bono communi societatis et *c)* injuriam Deo irrogat;

---

1 *De Civit. Dei,* lib. I, c. XXI.

2 Ib. Cfr. S. Th., II-II, q. LXIV, a. 5 ad 4.

3 Cfr. L. Bertrand, *Traité du suicide cons. dans ses rapports avec la Philosophie, Theologie, Medicine et Jurisprudence,* Paris 1857; Franco, *Respuestas,* (Madrid ed. de 1905) tomo. II, c. XIII; Boylesve, *Cursus Philosophiae, Ethica,* § 94; Noget-Lacoudre, *Ethica* p. III, c. II, a. 3, n. 2; Castelló, *Filos. Moral,* p. II, c. III, a. 5; Pacetti, *Institut. Philos. Mor.,* t. 2, p. II, c. II, a. 1; S. Schiffini, *Ethica Spec.,* sect. IV.

ergo est in se omnino illicitum et legi naturae aperte repugnans. Probatur verbis *S. Th.*

a) «Naturaliter quaelibet res seipsam amat; et ad hoc pertinet quod quaelibet res naturaliter conservat se in esse et corrumpentibus resistit quantum potest. Et ideo quod aliquis seipsum occidat est contra inclinationem naturalem et contra caritatem qua quilibet debet seipsum diligere».

b) «Quaelibet pars id quod est, est totius. Quilibet autem homo est pars communitatis; et ita, id quod est, est communitatis; unde, et in hoc quod seipsum interficit, injuriam communitati facit».

c) «Vita est quoddam donum divinitus homini attributum et ejus potestati subjectum, qui occidit et vivere facit. Et ideo qui seipsum vita privat, in Deum peccat; sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum cujus est servus, et sicut peccat ille qui usurpat sibi judicium de re sibi non commissa. Ad solum enim Deum pertinet judicium mortis et vitae, secundum illud Deut. XXXII, 39: *Ego occidam et ego vivere faciam* [1].

2. Haec luculentissima *Ang. Doctoris* verba, si recte perpendantur, satis efficaciter demonstrant nostram conclusionem. Nec virtus praefatae

1 II-II, q. LXIV, a. 5. Immoralitas suicidii «fundari nequit in solis rationibus individui ad familiam vel societatem; aliter enim, qui his orbaretur, se posset interimere. Suicidium ideo immorale, quia eo turbatur ordo naturalis, homine rem destruente, cujus non est dominus. Vitae usufructum habemus, non proprietatem, arboris fructibus vesci nobis datum est; suicidio arborem excidimus..... Bruta animalia, utpote naturae semper obedientia, nunquam sibi mortem infligunt; unus homo libertatis abusu naturalem ordinem tanto monstro perturbare potest». Balmes, *Ethic.* sect. V, nn. 132, 133. De Bie, expendens vim probativam argumentorum D. Th., censet tertium argumentum habere valorem universalem et absolutum et pro omni casu valere; 1 et 2, licet objectivo robore non careant, esse tamen restrictioris efficaciae, probant nempe, inquit, suicidium illicitum esse plerumque, sed non pro omni casu. c. II, n. 373. Praeiverat ipse Lugo, cui tertia ratio prae ceteris placuit; primam autem et secundam suo modo proponit et evolvit ut concludant; inde illa ejus notabilis sententia quod «licet turpitudo haec (suicidii) statim appareat, non tamen facile est ejus fundamentum invenire, unde (quod in aliis multis quaestionibus contingit) magis certa est conclusio quam rationes quae variae a diversis afferuntur ad ejus probationem» loc. cit. n. 2. Verum ipsemet Aristoteles affirmaverat quod qui se interimit injuriose agit in seipsum et in societatem: *Ὁ δὲ δὶ ὀργὴν ἑαυτὸν σφάττων ἑκὼν τοῦτο δρᾶ παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, ὃ οὐκ ἐᾷ ὁ νόμος· ἀδικεῖ ἄρα. Ἀλλὰ τίνα; ἢ τὴν πόλιν, αὑτὸν δ' οὔ; ἑκὼν γὰρ πάσχει, ἀδικεῖται δ' οὐθεὶς ἑκών. Διό καί ἡ πόλις ζημιοῖ καὶ τις ἀτιμία πρόσεστι τῷ ἑαυτὸν διαφθείραντι ὡς τὴν πόλιν ἀδικοῦντι.* V *Ethic.* c. XI (ed. Didon) Post D. Th. eadem repetunt et defendunt argumenta Victoria, loc. cit., Soto, lib. V, q. I, a. 5, Valentia, Disp. V, q. VIII, Punct. II, ubi easdem ipsas adversariorum objectiones proponit et solvit; Joan. a S. Thoma, *Curs. Theolog.*, Disp. XVII, a. 1, et princeps interpretum D. Th., Cajetanus, cui in q. LXIV, a. V, nulla difficultas occurrit circa duas priores rationes allatas ab Angelico ad probandam intrinsecam suicidii malitiam. Plures quoque recentiores Philosophi ut Sanctus Schiffini, Zigliara, Meyer, Ferretti eorum efficaciam propugnant.

argumentationis infirmatur quorumdam auctorum scrupulis. Ajunt enim contra *a)* 1.° plura fieri contra naturales hominis inclinationes quin reprehensione digna censeantur: 2.° suicidas tendere ad destructionem vitae corporalis, non autem totius esse hominis: 3.° sibi ipsis nullam injuriam irrogare cum scienter et volenter sese interimant: 4.° praeceptum charitatis quo quis seipsum diligere tenetur nullatenus obligare nisi in quantum amor suiipsius ordinatur ad felicitatem; sed contingere potest quod aliquis tot prematur angustiis ut vivere sit ipsi morte infelicius; ergo tunc in casu licet amorem erga propriam vitam morti subordinare sese interimendo.

Resp. Ad *primum:* plura fiunt contra *particulares* inclinationes per se sumptas et universaliori inclinationi non subordinatas quin reprehensione digna censeantur, conc. Ita v. gr. operamur et quidem laudatorie contra inclinationes partis inferioris: contra inclinationem *universalem* hominis, nego. Suicidium vero est contra universalem hominis inclinationem ad conservationem sui esse. Ad *secundum:* per hoc quod suicida tendit ad destructionem vitae corporalis necessario sequitur esse humani destructio; nam esse humanum resultat ex unione animae et corporis, quam unionem solvit suicida inferendo sibi mortem. Ad *tertium* respondet *S. Th.* «Homicidium est peccatum, non solum quia contrariatur caritati quam habere debet aliquis ad seipsum; et ex hac parte occisio suipsius est peccatum per comparationem ad seipsum. Per comparationem ad communitatem et ad Deum habet rationem peccati etiam per oppositionem ad justitiam»[1]. Ergo quamvis nulla proprie injuriam sibi irroget suicida, non ideo cohonestari potest actio suipsius interfectiva, cum praeter caritatem sibi debitam laedat quoque strictum jus tum divinum tum sociale. Ad *quartum* dicendum quod dilectio suipsius praecipitur cum subordinatione ad felicitatem, non qualemcumque, sed veram. Unde si ad veram felicitatem consequendam necessarium foret sibi mortem consciscere, tunc suicidium bonum, laudabile et meritorium evaderet. Sed negandum plane est in hac vita mortali adesse posse statum miseriae incompossibile cum medio felicitatis perfectae consequendae. Imo certo certius est suicidas utrique felicitati, hujus nempe et alterius vitae, nuntium dare, sese interimendo. Ergo non licet homini sibi mortem inferre «nec ut quaslibet miserias praesentis vitae evadat, quia ultimum malorum hujus vitae et maxime terribile est mors, ut patet per Philos. in III Eth. c. VI a med. Et ideo inferre sibi mortem ad alias hujus vitae miserias evadendas, est majus malum assumere ad minoris mali vitationem»[2].

Objiciunt contra *b*) praefatam *S. Thomae* rationem nihil probare: 1.° nullam quippe injuriam facit societati, cujus suicida non est membrum; sed potest quis non esse membrum alicujus societatis, 2.° imo, etsi ad hanc vel illam societatem necessario pertineret suicida, potest judicare se nullum

1 II-II, q. c. a. 5, ad 1. S. Thomae argumenta fuse et eleganter expendit Victoria, *Relectio de homicidio*, n. 1-8, 21, 23.

2 S. Th., ib. ad 3.

bonum sed grave nocumentum afferre societati; ergo potest sese interficere quin injuriam faciat societati.

Resp. His non infirmatur valida et efficax *S. Thomae* probatio. Ad primum quippe nunquam probabunt adversarii hominem posse licite non esse membrum *societatis humanae,* ad quam, eo ipso quod homo est, necessario pertinet; et ideo quamvis huic vel alteri societati *particulari,* cui libere et nulla necessitate cogente potest adscribi vel non, nullam injuriam irroget, propria manu vitam adjiciendo, si non sit membrum ejus, necessario tamen it contra bonum societatis cui adscriptus est. Ad alterum respondemus: *a*) nullum esse membrum quod, si velit, non possit aliquam utilitatem societati conferre; *b*) an cedat in emolumentum vel nocumentum societatis aliquod membrum non est hominis individui judicare; *c*) quamvis quis judicet aliis se non profuturum non licere auctoritate propria vitam abjicere. Jus enim tum proprietatis tum jurisdictionis in vitam hominis ad Deum pertinet qui ad bonum commune, id est, ad puniendos malefactores, alterum, id est, potestatem jurisdictionis, societati concessit, non autem homini individuo. Audiatur *S. Thomas:* «Ille qui habet publicam potestatem potest licite malefactorem occidere, per hoc quod potest de ipso judicare. Nullus autem est judex suipsius. Unde non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcumque peccatum; licet tamen ei se committere judicio aliorum» [1].

Arguunt pariter contra *c*) 1.° vitam esse beneficium divinitus homini collatum; beneficium autem quis potest, cum voluerit, renuntiare; ergo licitum est huic vitae finem violenter imponere, potissimum si diu vivere nimis molestum sit: 2.° Nemo tenetur ad conservandum donum libere et absque obligatione acceptatum, sed potest ipsum destruere vel pro libito domino restituere; ergo in potestate hominis est ex hac vita migrare vel de illa disponere.

Ad utrumque respondet *Angelicus* loc. cit.: «dicendum quod homo constituitur dominus suipsius per liberum arbitrium: et ideo licite potest homo de seipso disponere quantum ad ea quae pertinent ad hanc vitam, quae hominis libero arbitrio regitur. Sed transitus de hac vita ad aliam feliciorem non subjacet libero arbitrio hominis, sed potestati divinae; et ideo non licet homini seipsum interficere, ut ad feliciorem transeat vitam» [2]. Ex qui-

---

1 II-II, q. cit. a. 5 ad 2. Adversus eos qui reputant se vitam ducere inutilem aut onerosam aut nocivam societati sic arguit J. J. Rousseau, quamquam alibi, parum sibi constans, pro suicidii liceitate pugnaverit. «Le suicide est une mort furtive et honteuse; c'est un vol fait au genre humain. Avant de le quitter, rends-lui ce qu'il a fait pour toi—*Mais je ne tiens á rien, je suis inutile au monde.*—Philosophe d'un jour!—ignores tu que tu ne saurais faire un pas sur la terre sans trouver quelque devoir a remplir, et que tout homme est utile á l'humanité par cela seul q'il existe? Jeune insensé! S'il te reste au fond du coeur le moindre sentiment de vertu, viens queje t'apprenne á aimer la vie. Chaque fois que tu seras tenté d'en sortir, dis en toi-même: «que je fasse encore une bonne action avant de mourir,» puis va chercher quelqne indigent á secourir, quelque infortuné á consoler, quelque opprimé á défendre» *(Nouvelle Héloise,* III, lettre 22).

2 ib. ad 3.

bus verbis colliges vitam esse depositum divinitus nobis concreditum quod non licet in discrimen adducere, sed eo tantum uti tanquam fideles usufructuarii vel administratores. Falsum autem est beneficium posse quis pro libito renuntiare; ergo illegitime concluditur posse hominem violentas manus sibi inferre. Etenim sicut non fuit in nostra potestate accipere vel non vitae beneficium ita nec renuntiare vel de eo disponere. Imo, etsi libere acceptum fuisset, inde non licet inferre hominem nulla obligatione devinci erga benefactorem, sed natura ipsa, quae necessarias statuit relationes inter Creatorem et creaturam, Deo *Optimo Maximo* jus in vitam humanam concedit, hominem vero adstringit ad ipsam servandam quoadusque Deus velit. Audiatur *Lactantius*: «Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habituros, donec jubeat emitti»[1].

An autem liceat malefactori juste ad mortem damnato seipsum interimere ex mandato judicis, negative respondent communiter auctores, nonnullis tamen contradicentibus. Nam executio sententiae judicialis auctoritativam potestatem importat, quam certe non habet in se malefactor, nec ullus homo. Ceterum, etsi affirmativam tenerent partem, non ideo labefactaretur veritas nostrae conclusionis quae agit de eo qui *propria auctoritate* seipsum interficit[2].

3. **Alia argumenta.** Innumerae pene extant rationes demonstrantes intrinsecam et essentialem suicidii turpitudinem; omnes tamen impraesentiarum adducere vacat, praesertim quia ad praejacta *S. Th.* efficacissima argumenta de facili reducuntur: placet nihilominus sequentem ex *Balmesio* subjicere in favorem theseos nostrae.

«Suicida, inquit ille, vel animae immortalitatem neget oportet, vel insanire prorsus fateatur. Si vita futura negetur, suicidium non excusatur, intelligitur tamen ejus possibilitas: quo fit, ut ubi incredulitas serpit ibi hoc crimen communius appareat. At si suicida, non inquam certus fuerit, sed saltem vel leviter dubius de vita futura, quis suam temeritatem explicabit? quis ipsum constituit futurae destinationis arbitrum, ita ut eo vadat cum libeat? sistens coram Creatore in aeternitatis mundo, quid respondebit si ab ipso quaeratur: «quis te huc appellavit? quis tibi dixit vitae super terram finem advenisse? cur tuis placitis breviorem reddidisti? an non e terra te educere ejus erat, qui te ibi posuerat? ratio et naturae instinctus nonne tibi dicebant vitam finire propriis manibus actum esse legi morali contrarium? Et re quidem vera, adeo graviter peccans, et in mundum futurum se

1 *Div. Inst.*, lib. III. *De falsa sap.*, c. 18.
2 II-II, q. cit. a. 5 ad 2. Cfr. Victoria, loc. cit. n. 28.

immergens propria voluntate, queri non poterit quod, felicitatis loco, infelicitatem inveniat. En igitur quomodo suicidium, quod nunquam excusari valet, est insanissima temeritas in his qui de vita futura saltem dubitant: unde fit *perpaucos suicidas esse quando fides religiosa conservatur*» [1].

4. **Suicidiorum causa.** Ultima sane praeclari *Balmesii* verba veram assignant suicidiorum causam. Hodie tamen late nimis per orbem serpit *Schola Criminalista* opera potissimum *Caesaris Lombroso,* a quo et *Lombrosiana* nunc vocitatur. Eo autem callide tendit praefata schola ut universum genus humanum criminosos quosque ab omni immoralitatis et imputabilitatis nota absolutos declaret. In hunc finem vel grandia crimina, suicidium, homicidium et horum similia, influxui quorumdam naturalium defectuum non veretur adscribere, quos in internos externosque distribuit. Inter defectus primi generis recensentur *anatomici, physiologici* et *mentales;* externi vero sunt *sociologici,* desumpti nempe ex ipso statu societatis in qua vivunt criminales. Arbitrantur igitur hujus theoriae criminalis assentatores quosdam homines sive ex *anatomicis deformitatibus,* sive ex *physicis quibusdam morbis*, sive ex *nativa mentis imbecillitate* naturali evolutione, propter *atavismi legem,* acquisitis, vel *lege haereditatis* a parentibus in ipsos transfusis, necessitate quadam impelli ad facinora patranda, et ideo, cum hujusmodi proclivitas ad malum ex causis naturalibus procedat, immunes esse ab immoralitatis et imputabilitatis macula, cum nec moralitas nec imputabilitas absque libertate concipi queant. *Theoriam Lombrosianam* patrocinantur nostris hisce diebus *E. Ferri, Letourneau, Thompsom, Despine,* materialistae et positivistae omnes, praecipue Phrenologi. *Praeiverat Montesquieu,* qui, ut suicidas excusaret, arbitratus est suicidium apud Romanos fuisse *educationis effectus, processisseque ex eorum cogitandi modo et consuetudinibus* (causae externae sociologicae); apud Anglos vero pendere *ex physicis regionis qualitatibus:* nec dissentit d'*Holbach* asserens suicidium apud Anglos esse *communissimum ratione climatis quod habitatores ad melancholiam ducit* (causa interna physiologica). Novissimae vero *Durkheim* aliique patroni Ethicae Socialis, theoriae lombrosianae adhaerentes, suicidium enumerant inter effectus illarum legum seu conditionum sub forma numerica definitarum quibus societas constanter et necessario operatur et evolvitur (medio ambiente social) [2].

5. **Judicium ferendum de causis supra expositis.** Ut paucis nostram aperiamus sententiam dicimus: *a)* nullum ex praedictis defectibus singillatim et exclusive sumptis parem esse ad explicandam ingentem suicidiorum multiplicationem; *b)* nullum esse communem characterem

1 *Philos. Elem.* ab ipso in latin. versa. *Ethica*, sectio V.
2 Cfr. J. Didier, *Revue pratique d'apolog.* 15 Fevr. 1913.

anatomicum quo medici et juristae possint scelestos ab honestis hominibus certe discernere[1]; *c)* amentiae vel morbo aut organorum laesioni suicidia omnia adscribere, vel asserere pravas omnes inclinationes haereditate necessario transfundi, est manifeste paradoxum et factis quotidianis publicisque documentis contrarium; *d)* hanc criminalistarum theoriam potissimum in evolutione Darwiniana fundari; *e)* fatemur plurimum influere in propagationem suicidiorum causas tum internas anatomicas, physiologicas et mentales, tum externas sociologicas, sed simul negamus suicidas irresponsabiles esse et ab imputabilitate immunes; *f)* causas ad suicidium impellentes esse multiplices, inter alias recenseri possunt *pravae inclinationes, vitiorum impunitas, educatio athea, seu Scholae neutrales, intemperantia potissimum alcoholismus, cum sontibus continuum commercium, impietas et irreligio, theatrales repraesentationes, scribendi legendique licentia,* praesertim *narrationes heroicae* (novelas) *defectus fidei in alteram vitam* (scepticismus religiosus), *fiduciae in Deum et patientiae in sufferendis hujus vitae calamitatibus,* verbo *defectus religionis;* quo enim fovetur religio in societatibus eo ipso minuitur suicidiorum numerus, augetur vero prout homines a religione recedunt; ib probant *statisticae criminales*[2]. Recte ergo concludit ***Balmesius***

1 In Congressu Anthropologico Parisiis habito an. 1889 declaratum est: «Toutes ces méthodes craniométriques indiquent plus de dilettantisme que de rigueur scientifique».

2 En España el año 1839, solo hubo suicidios 25; 551 en 1900, y en 1908 se han elevado á 1584. En Prusia hubo por cada millón de habitantes:

		en 1907 suicidas	716 católicos	105 protestantes	265 judíos	316
En Baviera.....	1890-1900	» 515	» 93	» 210	» 212	
»	1901-1906		» 101	» 234		
En Wutemberg.....	1904-1907	» 501	» 113	» 194	» 194	
En el Duc. de Baden..	1904-1906	» 731	» 164	» 260	» 307	
En Alsacia y Lorena...	1905-1906	» 566	» 48	» 234	» 284	

Notandus est numerus suicidarum inter Judaeos paupertati quidem minime adscribendus cum in praecitatis Provinciis ditissimi appareant; et Protestantium relate ad catholicos in Bavaria, Baden, Alsacia et Lorena, ubi fere omnes habitantes sunt catholici. Cfr. *Revista Social Hispano-Americana* 1 Febr. 1911 y *Le Patriote,* Bruxelles 13 Dec. 1908.

«Mientras que por un millón de habitantes cuenta Sajonia 392 suicidios por año, Dinamarca 251, Suiza 239, España solo registra 30 é Irlanda 17..... En igualdad de población hay la mitad más de suicidios en las ciudades que en el campo donde los principios religiosos se han conservado en su mayor pureza.—Sólo en las grandes poblaciones es donde atentan contra su vida las mujeres y los niños». J. L. de la Paquerie, *Apolog. pop., Dios y la religión,* n. 300. Véase *El precepto del amor,* por el P. Silverio de Sta. Teresa, c. XXXVIII.

«Resumen de los suicidios que han dado lugar á proceso en todas las Audiencias de España de 1893-1897.

Año	Suicidios consumados	Hombres	Mujeres	Tentativas	Hombres	Mujeres
1893	261	206	55	133	91	42
1894	262	225	37	168	98	70
1895	146	122	24	79	49	30
1896	205	176	29	72	39	33
1897	532	339	93	186	115	71

Resulta por cada 1000 habitantes 0,03 suicidios». *Los Suicidios en España,* por Ambrosio Tapia y Gil (Madrid 1900).

loc. cit.: «hoc habemus insigne barometrum ad judicandum de populi religione: si multi fuerint suicidae, indicium extat fidem religiosam debilitatam esse».

6. **Excusationes** quibus suicidarum advocati cohonestare pertentant infandum suorum patrocinatorum crimen fere omnes refutatas invenies apud *D. Th.* Inter alias sequentes sunt communiores. I.ª Tot, ajunt, sunt vitae calamitates, moerores, tristitiae, infirmitates, labores, ut easdem fugiendi causa, extremum diem violenter claudere optabilius sit ipsa vita tot stipata miseriis. – Sed falsitate laborare hocce suicidarum judicium cuique, ratione a praejudiciis libera rem inspicienti, clarissime patet. Nemo namque, rationis compos, eligit aliquod bonum reale vel apparens ut in barathrum majoris et inevitabilis mali deveniat; atqui mors non solum est malum sed omnium malorum terribilissimum, ut dicit Philosophus, quam et naturaliter refugit omne animal; ergo suicidae eligunt majus malum ad minoris mali vitationem. – Nec feliciorem vitam sperant; nam, juxta materialistarum effatum, «post mortem nihil»; destructa autem existentia totius et partis, nulla felicitas; si autem vera est animae superviventia, ut fides naturalisque rationis lumen ostendunt, infelicitas maxima. – Denique praefata excusatio fundatur in falso hujus vitae conceptu. Praesens namque vita est via ad terminum, medium ad felicitatem consequendam; paradissus hic non invenitur; oportet ergo ut *per patientiam boni operis spem habeamus*.

II.ª Ex manifesta Dei voluntate sibi mortem conciscere licitum est; impossibilitas autem sufferendi hujus vitae miserias absque spe illas unquam evadendi clarissime ostendit Dei voluntatem suicidium praecipientem; atqui id non raro evenit; ergo plurima suicidia nedum licita sed laudabilia esse possunt. Respondeo, conc. maj. et nego minorem; quia neque impossibile est hujus vitae erumnas tolerare; nec hominum impatientia demonstrat voluntatem Dei evocantem hominem ad alteram vitam. Ad rem optime *Pacetti:* «Cum lex suicidium vetans certa sit, necesse est ut certo demonstretur dispensatio hujus legis in quodam casu a Deo facta. Atqui nunquam nisi expressa Dei revelatione id certo demonstrari potest. Enim vero repugnantia quam in maximis calamitatibus perferendis sentit homo, non demonstrat Dei vocem quae sine ullis ambagibus revocet eum a pugna aut imperet ut ab hujus vitae miseriis effugiat: secus enim quoties graves difficultates et incommoda humanae sensibilitati repugnantia superari debeant ad justitiam honestatemque colendam, toties dicendum esset Deus suae legis observationem homini relaxasse et crimina omnia permittere aut imperare» [1].

III.ª Quandoque nonnisi suicidio honor vel fama perdita recuperari potest; igitur his in casibus licet propria manu vitam abjicere. – Respondeo erroneum pariter esse istud judicium, quoniam apud homines sensatos, sicut

1 Tom. II, pag. 43.

non amittitur bona fama per adversariorum calumnias, nec recuperatur amissa, priori dedecori novum adjiciendo, sed patienter injurias illatas sufferendo. Deinde honorabilior est qui scit effrenatas passiones vincere quam qui sinit se ab illis dominari. Honor virtute comparatur conservaturque.

IV.ª Praecedenti affinis est illorum excusatio qui seipsos occidunt manu crudeli ut *fortes* appareant. Sic a pluribus laudatur et in exemplum adducitur *Lucretiae, Cassii, Bruti et Catonis* fortitudo. Verum de omnibus, quorum animus in subeunda morte propria manu causata extollitur, dici potest quod de Catone narrat *S. Aug.* inquiens: «De *Catonis* facto quid potissimum dicam, nisi quod amici ejus, etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius dissuadebant, imbecillioris quam fortioris animi facinus esse censuerunt, quo demonstraretur non honesta turpia praecavens, sed infirmitas adversa non sustinens?» [1] Ignaviae igitur tribuendum est quod aliqui sponte vitam abjiciant. Audiatur *Angelicus:* «dicendum quod ad fortitudinem pertinet quod aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, et ut vitet peccatum; sed quod aliquis sibi ipsi inferat mortem, ut vitet malia poenalia, habet quidem quamdam speciem fortitudinis, propter quod quidam seipsos interfecerunt, aestimantes se fortiter agere, non tamen est vera fortitudo, sed magis quaedam mollities animi non valentis mala poenalia sustinere» [2]. Et *Martialis* poeta dixerat:

> Rebus in adversis facile est contemnere vitam,
> Fortiter ille agit qui miser esse potest [3].

V.ª Alii suicidas excusant cum *Puffendorf* quando facinus illud committunt peccati vel dedecoris vitandi causa.—Insuficientes tamen sunt hujusmodi causae ad suicidium patrandum. De posteriori patet ex supradictis. Circa primam vero audiatur iterum *Angelicus; a)* «non licet seipsum interficere propter *aliquod peccatum commissum*; tum quia in hoc sibi maxime nocet quod sibi adimit necessarium poenitentiae tempus, tum quia malefactorem occidere non licet nisi per judicium publicae potestatis. *b)* Similiter etiam non licet mulieri seipsam occidere, *ne ab alio corrumpatur;* quia non debet in se committere crimen maximum, quod est suipsius occisio, ut vitet minus crimen alienum; non enim est crimen mulieris per violentiam violatae, si consensus non adsit, quia non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, ut *Lucia* dixit. Constat autem minus esse peccatum fornicationem vel adulterium quam homicidium et praecipue suiipsius, quod est *gravissimum,* quia sibi ipsi nocet cui maximam dilectionem debet; est etiam *periculosissimum,* quia non restat tempus, ut per poenitentiam expietur. *c)* Similiter etiam nulli licet seipsum occidere *ob timorem ne consentiat in peccatum,* quia non sunt facienda mala ut veniant bona, vel ut vitentur mala, praesertim minora et minus certa; incertum enim est an aliquis in futurum consentiat in peccatum; potens est enim Deus hominem,

1 *De Civit. Dei*, lib. I, c. XXIII.
2 II-II, loc. cit. ad 5.
3 lib. 2, *epigr.* 57; Cfr. Victoria, loc. cit. n. 37.

quacumque tentatione superveniente, liberare a peccato»[1]. Inexcusabile igitur est suicidium; *subjective* tamen nonnulli propter rectam eorum intentionem forte excusari valeant. Idipsum paucis docuerat *S. Aug.*: «Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipse incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum; neminem propter sua peccata praeterita, propter quae magis hac vita opus est, ut possint poenitendo sanari; neminem velut desiderio vitae melioris, quae post mortem speratur, quia reos suae mortis melior post mortem vita non suscipit[2].

7. **Antiquorum dicta circa suicidium.** *Pythagoras:* «Injussu imperatoris (Dei), inquit, de praesidio et statione vitae non est discedendum». *Socrates:* «Id mihi, o Cebes, recte dici videtur, Deum quidem curam habere nostri; nos vero homines unam quamdam ex possessionibus esse Deorum. Nonne igitur et tu, si quod ex mancipiis tuis seipsum perimeret, irascereris illi, et si potestatem haberes, poena quadam afficeres?» *Plato:* «In custodia quadam positi sumus neque decet quemquam ex ea seipsum solvere neque auferre». *Aristoteles:* «Mori ut pauperiem, vel dolorem vel molestum quidpiam fugiamus, fortis viri minime est, sed potius timidi»[3]. *Tullius:* «Vetat dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare»[4]. Et alibi: «Piis omnibus retinendus est animus in custodiam corporis, nec injussu ejus, a quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est»[5]. Gravissimas quoque poenas legimus latas ab antiquis contra suicidas. *Plinius* refert *Tarquinium Priscum* statuisse ut «corpora eorum, qui concita nece sibi mortem adciscebant, crucibus figerentur a feris et volucribus dilaceranda». *Tacitus* de morte *Asinii Galli* narrat quod «cum dubitatum fuisset an sponte, an necessitate obiisset consultus *Caesar* an sepelire sineret, non erubuit permittere». Et in *Romanorum Pontificalibus,* teste *Jacobo Gruthero,* scriptum erat: «Homicida sui insepultus adjiciatur»[6]. Ecclesia quoque Catholica semper in suicidas animadvertit privatione sepulturae ecclesiasticae ut fideles a tanto delicto patrando vel timore poenae arceantur.

---

1 loc. cit. ad 3.
2 *De Civit. Dei*, lib. I, c. XXII.
3 III *Ethic.*, c. VIII.
4 *Tuscul*, I, 1.
5 *De Republ.* lib. VI.
6 *De Jure Manium*, lib. I, c. 10.

§ 3

DE SUICIDIO INDIRECTO ET MEMBRORUM MUTILATIONE [1]

Summa rerum.—1. *Consequutio ad praecedentia.* 2. Thesis: *Licet aliquid facere vel omittere, justa et proportionata interveniente causa, ex quo praevidetur propria mors sequutura.* Probatur. 3. *Quae justa et proportionata causa reputetur.* 4. Thesis: *Illicitum est seipsum mutilare propria auctoritate, nisi id necessarium fuerit ad vitam salutemque servandam.* Prob. 5. *Dices.* 6. *Supposita necessitate servandi vitam vel salutem corporalem, quae licita reputantur.—Quid dicendum de quibusdam mutilationibus a Patribus laudatis et in exemplum virtutis adductis.*

1. Ex dictis plane constat propriam vitam sponte et ex intentione abjicere lege naturae prohiberi; peracute namque scripsit ***Augustinus:*** «Restat ut de homine intelligamus quod dictum est, *Non occides;* nec alterum, ergo nec te: neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit» [2]. Igitur suicidium directum, absque manifesta voluntate Dei per supernaturalem revelationem certo cognitam, illatum, per se et intrinsece malum est. Quid autem dicendum de suicidio indirecto supra innuinus et clarius ostendit sequens propositio.

2. **Thesis. Licet aliquid facere vel omittere, justa et proportionata interveniente causa, ex quo praevidetur propria mors sequutura.**

Ratio est obvia. Secundum Ethicae principia licitum est intendere bonum effectum cui per accidens conjungitur malum, dummodo adsit sufficiens ratio ad ponendam vel omittendam actionem ex qua sequitur praeter intentionem malum; atqui suicidium indirectum nihil aliud est quam aliquid facere vel omittere ex quo per accidens sequitur mors proprii corporis; ergo, justa et proportionata interveniente causa, licitum evadit. Quandocumque enim ponitur actio quae ex se, et praecisis circumstantiis, non est illativa mortis, sed tantum ratione adjunctorum, tunc in casu intenditur bonus effectus, malum autem sequitur praeter intentionem; porro licitum est permissive se habere ad effectum malum quando quis non tenetur ponere vel omittere actionem ex qua sequitur. Nemo autem adstringitur ad propriam vitam mediis ex-

1 Cfr. Soto, loc. cit.; Lugo, Disp. X, sect. I, n. 21; Waffelaert, *De justitia*, II, n. 33-47.

2 *De Civit. Dei*, lib. I, c. XX.

traordinariis vel cum jactura boni longe superioris tuendam; ergo licet aliquas actiones omittere aliasve ponere quamquam inde vita aliquantulum brevietur vel etiam amittatur.

3. Quaenam censeatur justa et proportionata causa, non potest in specie verbo definiri; generatim autem dicimus *eo majorem requiri causam quo proximius ac certius est mortis periculum*. Et, ut jam in praenotaminibus tangimus, omnes causae de facili reducuntur ad *necessitatem* et ad *exercitium virtutis*.

4. **Thesis. Illicitum est seipsum mutilare propria auctoritate, nisi id necessarium sit ad vitam salutemque servandam.**

Patet. Nam sicut homo non habet perfectum dominium seu jus proprietatis in proprium corpus ita nec in membra; ergo absque necessitate, aut auctoritate ejus a quo dependet esse corporis, seipsum mutilare non licet. Stante vero necessitate aut maxima utilitate adest sufficiens ratio ad sui mutilationem.

Audiatur *Angelicus* nostram conclusionem eleganter illustrans: «Dicendum, inquit, quod cum membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum. Unde disponendum est de membro humani corporis secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis, per accidens tamen potest contingere quod sit nocivum, puta cum membrum putridum est totius corporis corruptivum. Si ergo membrum sanum fuerit et in sua naturali dispositione consistens, non potest praescindi absque totius hominis detrimento..... Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est de voluntate ejus, cujus est membrum, putridum membrum praescindere propter salutem totius corporis, quia unicuique commissa est cura propriae salutis. Et eadem ratio est, si fiat voluntate ejus ad quem pertinet curare de salute ejus qui habet membrum corruptivum. Aliter autem aliquem membro mutilare est omnino illicitum»[1].

5. *Dices:* non licet seipsum occidere nisi ex auctoritate Dei, nec alium absque judicis mandato; ergo nec se mutilare licet absque auctoritate publica.

Resp. nego paritatem. Nam «totius hominis vita, inquit *S. Doctor*, non ordinatur ad aliquid proprium ipsius hominis, sed ad ipsam potius omnia quae sunt hominis ordinantur; et ideo privare aliquem vita in nullo casu pertinet ad aliquem nisi ad publicam potestatem, cui committitur procuratio boni communis. Sed praecisio membri potest ordinari ad propriam salutem unius hominis; et ideo in aliquo casu potest ad ipsum pertinere»[2].

---

1 II-II, q. LXV, a. 1. 2 ib. ad 2.

6. **Causa justa et rationabilis** ad licitam mutilationem sui requisita est *necessitas* servandi vitam tuendique salutem. Ergo *a)* licitae sunt operationes chirurgicae, etiam cum periculo mortis, si a peritis valde utiles ad sanitatem vitamque servandam reputentur. *b)* Non licet ob solum commodum corporale membrum aliquod amputare, *c)* nec lucri comparandi causa, imo *d)* nec ad vitandum peccatum permissa est suipsius mutilatio; non enim est ratio sufficiens. Nam ajente ***Angelico Praeceptore,*** «*membrum non est praescindendum propter salutem corporalem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest.* Saluti autem spirituali semper potest aliter subveniri quam per membri praecisionem, quia peccatum subjacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum praescindere propter quodcumque peccatum vitandum» [1]; *e)* quamobrem excusandi non sunt, vel errase ex ignorantia invincibili, aut egisse ex inspiratione divina putandum est, ***Origenes*** se evirando, ***Marcus*** anachoreta pollicem sibi amputando ne cogeretur sacerdotium ascendere, juvenis ille qui ligatus in lecto molli dentibus linguam abscindit expuitque in faciem meretricis quae ad labefactandam ejus pudicitiam vocata erat [2], et alii qui similia fecere.

---

1 ib. q. LXV, a. 1 ad 3.

2 Mirabile hujusmodi factum, quod Diocletiano christianos persequente, ut testatur Nicephorus, evenit, pulcherrime describit S. Hieronymus in Vita Pauli Eremitae (paulo post initium)... «Alium, juvenili aetate florentem, in amoenissimos hortulos praecepit adduci, ibique inter lilia candentia et rubentes rosas, cum leni juxta murmure aquarum serperet rivus et molli sibilo arborum folia ventus perstringeret, super extructum plumis lectum resupinari, et ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo, cum recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset coepit delicatis stringere colla complexibus... ut corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superjaceret. Quid ageret miles Christi, et quo se verteret, nesciebat; quem tormenta non vicerant, superabat voluptas. Tandem coelitus inspiratus, praecisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit».

§ 4

OFFICIA POSITIVA HOMINIS ERGA SUUM CORPUS [1]

Summa rerum.—1. Thesis. *Homo officio naturae tenetur media ordinaria adhibere ad vitae conservationem.* 2. *Alterum officium affirmativum colendi scilicet virtutes.* 3. *Modestia servanda tum quoad exteriores corporis motus tum quoad ornatum habitus.* 5. *Temperantiae cultus.* 5. *Alcoholismus.—Mala quae ex abusu liquoris alcoholici oriuntur.—Societates temperantiae —Religio unicum efficax remedium.* 6. *Officium castitatis servandae.—Infanda sensistarum placita circa castitatem.—Remedia contra morum turpitudinem adhibenda.*

1. **Praeceptum affirmativum.** Ex officio negativo, de quo in praecedenti paragrapho, enascitur officium *media ordinaria adhibendi ad vitae conservationem. Ordinaria* diximus; nam nemo tenetur *mediis extraordinariis* uti ad vitam protrahendam, qualia sunt v. g. regionem longinquam adire, periculosam operationem, aut quae magnas requirit expensas, vel praegrandem fert difficultatem, subire, cibis optimis et delicatissimis uti, ut diutius vivere possit. Ratio praecepti est quia, ut inquit ***Lugo,*** «non solum dicitur se interimere homo quando ferro se occidit, sed etiam quando mediis communibus vitam non conservat; quare ille qui obstinate nihil vellet comedere, dicetur se fame interemisse» [2]. Exceptio autem manifeste patet, «dato enim, inquit ***Victoria,*** quod aliquis certo sciat quod in India est salubrior et clementior aura et quod ibi diutius viveret quam in patria, non teneretur navigare in Indiam, imo nec de una civitate ad aliam salubriorem. Nec enim Deus voluit nos tam sollicitos esse de longa vita» [3].

2. Praecedenti officio subjicitur alterum *colendi scilicet virtutes* per quas maxime conservatur foveturque vita corporalis, potissimum vero *modestiam, temperantiam* et *castimoniam.*

3. **Modestia** regulari oportet tum exteriores corporis motus, tum ejusdem apparatus sive ornatus in habitu [4]. *Motus* quidem ordinari debent *a)* secundum convenientiam propriae personae, et *b)* secundum convenientiam ad exteriora negotia, loca, personas, aliasve circumstantias. *Naturam imitemur,* inquit ***Ambrosius;*** *ejus efigies formula disciplinae,*

1 Cfr. Victoria, *Relect. de Homicidio et Relect. de Temperantia.*

2 Loc. cit. n. 27.

3 *De Homicidio,* n. 33. Cfr. *Relect. de Temperantia,* n. 1, 13 et 14. Unde S. Ambrosius, in lib. *De Officiis: Pasce fame morientem; si non pavisti, occidisti.*

4 D. Th. II-II, q. CLXVIII, a. 1.

forma honestatis est[1]. Et quia exteriores motus sunt quaedam signa interioris dispositionis, quae praecipue attenditur secundum animae passiones, ideo moderatio exteriorum motuum requirit moderationem interiorum passionum[2].

Quoad exteriorem ornatum vitium esse potest ex parte hominis, qui rebus exterioribus immoderate utitur, non ex parte ipsarum rerum exteriorum. Inordinatio autem affectus hominis in ornatu contingit tum quantum ad *superabundantiam*, tum per *defectum*. Per superabundantiam; *uno modo* per hoc quod aliquis ex superfluo cultu vestium hominum gloriam quaerit, prout scilicet vestes et alia hujusmodi pertinent ad quemdam ornatum. *Alio modo* secundum quod homo per superfluum cultum vestium quaerit delicias, secundum quod vestis ordinatur ad corporis fomentum. *Tertio modo* secundum quod nimiam sollicitudinem opponit ad exteriorem vestium cultum, etiamsi non sit aliqua inordinatio ex parte finis. Ex parte autem defectus similiter potest esse inordinatio per affectum, *uno quidem modo* ex negligentia hominis qui non adhibet studium vel laborem ad hoc quod exteriori cultu utatur secundum quod oportet; *alio modo* ex eo quod ipsum defectum exterioris cultus ad gloriam ordinat. Unde dicit ***Aug.*** in lib. II De sermone Domini in monte, c. XII: *Non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam, et eo periculosiorem quo sub nomine servitutis Dei decipit*[3].

4. **Per temperantiam** moderandus est usus ciborum et potus, ita ut quis eis utatur prout oportet pro congruentia hominum cum quibus vivit, et personae suae et pro valetudinis suae necessitate[4]. Non enim vivimus ad manducandum et bibendum sed uti debemus cibo et potu ad vivendum; neque delectabilia sunt accipienda propter solam delectationem, sed ad vitae necessitate referenda ut ad finem; illud namque inordinatum est. Unde ajente ***D. Th.*** «proprie ad gulam pertinet quod aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedat mensuram in edendo»[5].

5. **Alcoholismus.** Temperantiam graviter laedit habitus bibendi liquores alcoholicos. Porro nostris hisce temporibus adeo alcoholismus increbuit, potissimum apud operarios oficialesque cauponas et tabernas frequentantes, ut nisi legibus, religione aut educatione fortiter coerceatur, quam citissime nedum animae, familiae et societatis, sed ipsam corporalem hominum salutem sit in discrimen vocaturus. Nam non so-

---

1 *De offic.*, c. XIX.
2 D. Th. ib. ad 3.
3 D. Th. ib. q. CLXIX, a. 1.
4 Ib. q. CXLVI, a. 1.
5 Ib. q. CXLVIII, a. 1 ad 2, curiosas alias quaestiones videsis apud Franc. Victoria, *Relect. de Temperantia.*

lum *excessus vini* ingentia cujusque ordinis mala producit, sed etiam *usus,* dummodo sit *habitualis,* potandi liquores maxime artis chimicae ope ex omnibus fere substantiis, ut ajunt, *distillatos* [1].

Mala *moralia* ex alcoholismo promanantium pro familia, cujus vincula frequenter dissolvit, tum pro societate, quam criminibus funestat, tum pro religione, cujus praecepta alcoholici contemnunt, quis ignorat? Mala autem *physica* quae ex immoderata liquorum potatione individuo proveniunt et saepe haereditate transmittuntur, innumera pene sunt. Cunctis quippe notum est, et repetitis observationibus comprobatum, paralysim, tuberculosim, delirium tremens, pleuresim, aliosque morbos lethales in pluribus individuis non aliam habuisse originem.

Mala quae ex abusu alcoholi oriuntur paucis recensent *Debore* et *Faissans,* medici Parisienses. «L'habitude de boire entraine la desaffection de la famille, l'oubli de tous les devoirs sociaux, le degout du travail, la misere, le vol et le crime. Elle mène, pour le moins, a l'hopital; car l'alcoolisme engendre les maladies les plus variées et les plus meurtrières: les paralysies, la folie, les affections de l'estomac et du foie, l'hidropisie; il es une des causes les plus frequentes de la tuberculose. En fin il complique et aggrave toutes les maladies aigües; une fievre typhöide, une pneumonie, un erysipèle, qui seraient benins chez un homme sobre, tuent rapidement le buveur alcoolique» [2].

---

1 El cuadro Caltiere-Boisiere cita como nocivos, si se usan con frecuencia, aunque sea en pequeña cantidad, los extraídos de la remolacha, la patata y maiz.—«De 133 muestras de vino, analizadas en una gran ciudad, sólo tres eran buenas». Severino Aznar, *Las grandes instituciones del Catolicismo,* c. IV. *El trabajo industrial en los Conventos.*

2 Apud J. Bertillon *L'alcoolisme et les moyens de le combattre* (París 1904), pag. 217. Cfr. Mgr. Turinaz, *Trois fléaux de la clase ouvriere, et Le clergé catholique et la lutte contre l'alcoolisme* (París 1901); *La sobrieté* por Dr. Delassus; René, *Les fléaux nationaux, Revue de la Temperance,* Juil. 1909. Lavollée, *La lutte contre l'alcoholisme* (París 1909). Dr. Ubeda y Corral, *El Alcoholismo.*

«El alcoholismo hace huir del trabajo y conduce infaliblemente a la miseria.—Más de la *tercera* parte de los dementes son alcoholicos.—Un 20 por 100 de las defunciones son debidas al alcoholismo.

ACCIDENTES ALCOHOLICOS

Perturbaciones fisicas.	*Perturbaciones morales.*
Temblor de manos.	Diminución de la inteligencia.
Pérdida del apetito.	Pérdida de la memoria.
Debilidad general.	Incapacidad profesional.
Predisposición a enfermedades.	Degradación moral.
Parálisis.	Irritabilidad.
Delirium tremens.	Violencia.
Demencia.	Furor.

Produce en el estómago *gastritis ulcerosa,* en el hígado *cirrosis hepática,* en el corazón y riñones *degeneración grasosa,* en el cerebro *reblandecimiento de las meninges».* Cuadro de anti-alcoholismo, Caltiere-Boisiere, traducido por Luis G. León.

En 1907 se juzgó en los tribunales de Francia a 75.527 reos de embriaguez y había en los

Bene ergo meritus est de religione et societate *P. T. Matew, Ord. Capucc.* († 1856) qui *Societates temperantiae* fundavit in Hibernia quaeque vel absolutam abstinentiam vel saltem moderatum usum liquorum sociis praecipientes celerrime per *Angliam, Status foederatos* Americae aliasque quamplures nationes propagatae sunt [1].

Optimum autem efficaxque remedium religio, cujus influxu alcoholismus extingui certo valet. Servetur quintum Decalogi praeceptum.

6. **Ad castitatem** pertinet ut secundum judicium rationis et electionem voluntatis aliquis moderate utatur corporalibus membris. Unde per hanc virtutem retrahitur mens humana ne rebus illicitis delectabiliter conjungatur. Et quoniam delectationes venereae sunt vehementiores et magis opprimentes rationem quam delectationes ciborum, propter hoc, inquit *Angelicus,* magis indigent castigatione et refrenatione, quia si eis consentiatur magis ex hoc increscit vis concupiscentiae et dejicitur virtus mentis [2]. Per vitia turpia castitati opposita nedum gravatur animus, sed corpus etiam corrumpitur, homines molles fiunt et ruinae civitatum iter planum sternitur.

Non immorabimur in refellenda lubrica illorum theoria qui post *Lutherum* impossibilem censent abstinentiam sexualem, aut cum *Solidariis* castitatem saluti corporali nocivam arbitrantur [3], vel affirmant cum *Höffding* hanc virtutem jam diu antiquatam esse et hisce temporibus minime convenientem. Haec enim sensistarum placita non solum factis historicis adversantur, sed solutam illam morum corruptionem generant quam optimi quique cives et rectores civitatum, tanquam exitialem morbum nationes depopulantem, lamentabili voce deplorant [4].

Quod attinet remedia, iis minime consentimus qui ex *coeducatione* utriusque sexus in scholis primariis, ubi adolescentes aperte et matu-

---

manicomios 9.932 locos alcoholizados. De 150.000 tuberculosos que mueren al año las dos terceras partes contraen su tisis por abusos del alcohol. Un 14 por 100 de crímenes contra personas, un 5 por 100 de robos y en general un 9 por 100 de delitos, son cometidos por personas ébrias y alcoholizadas. Jaquet asegura que el 71,42 por 100 de los tísicos son alcohólicos; Barbier, Rendre y Coston elevan esta cifra a un 80 por 100. Cfr. Nemesio Fernández Cuesta, *La vida del obrero en España desde el punto de vista higiénico,* (Madrid 1909) pág. 29 y sigs.. P. Silverio de S. Teresa, *El precepto del amor,* pág. 513.

1 Inter plures laude digna celebratur *Our Lady's Total Abstinence Sodality* erecta an. 1910 in Ecclesia S. Theresiae Dublini a R. P. Stanislao a S. Joan. a Cruce, C. D.

2 ib. q. CLI, a 1, et 3 ad 3.

3 Cfr. Ruiz Amado, *La educación de la Castidad* (Madrid 1909) c. XXIV, ubi plura refert medicorum testimonia contra Solidaristarum assertum.; Dr. Corral y Maestro, *Elementos de Patologia General* (Valladolid 1900).

4 Cfr. Joseph Saenz de Aguirre, *Disputationes Ethicae,* Disp. XIII; *La pureza* por J. Guibert, c. III. ¿Es posible la pureza? (traducción del P. Jaime Pons, Barcelona 1911). P. Felix, *El progreso,* Confer. VI y VII de 1861; Tanquerey, *Suplementum De virtute castitatis;* Blanc y Benet, *La moderación de la libidine* (Barcel. 1905).

re edoceantur de omnibus ad vitam sexualem spectantibus, turpe vitium, quantum fas est, praecaveri existimant, sed ex mortificatione christiana omniumque virtutum praxi, quae simul plurimum conferunt ad salutem mentis et corporis, petendum edicimus efficax remedium[1].

1 J. Guibert, opus cit.; Ejusdem actoris opus *El Educador Apostol*, p. I. (Barcel. 1908) traducción de Antolín Saturnino Fernández; José Blanc y Benet, *Ensayo crítico sobre la coeducación de los sexos*; J. Fonsagrives, *Consejos a los padres y maestros sobre la educación de la pureza* (traducción de D. Enrique Roig, Pbro. Madrid 1907); De mediis castitatem colendi optime disserit Lacordaire, Confer. XXII; Cfr. Jenaro González Carreño, *La educación sexual* (Madrid 1910), cui, asserenti maturam puerorum educationem, quantum ad ea quae materiam sexualem spectant, convenientissimam esse multorumque lapsuum praeservativum, neutiquam suffragamus; sed potius judicamus eos, quantum fas sit, retrahendos esse a lectione et sermonibus lubricis et in sancta ignorantia detinendos quousque praevideatur proximum periculum amittendi infantulam simplicitatem in hac materia; tunc enim, et non ante, parentes et magistros eos caste admodum edocere satagant de iis tantum quae sive ex lectione sive ex aliorum conversatione et exemplo nihilominus, ipsis etiam tacentibus, essent cognituri. Hac in re cautissime procedatur ne inconsulto et absque necessitate aperiantur oculi parvulorum; illud ergo Juvenalis (Sat. XIV)

> Maxima debetur puero reverentia; si quid
> Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,

prae oculis habentes, nec verbis nec factis eos scandalizemus.

Quae quidem sententia confirmatur ex judicio prolato contra scriptum Mary Wood-Allen *Lo que debe saber la niña* (traducción de Margarita M. de Monterry); et librum Ab. Silvano Stall *Lo que debe saber el niño*, a S. C. Indicis, quae Emo. Card. Casañas, Episcopo Barcinonensi sequentia edixit, prout ipse vulgavit die 18 Januari 1908: «De ninguna manera conviene que se eduque y forme la niñez en España a tenor de las reglas consignadas en los referidos libros, y que es necesario retirar los mismos libros de las manos de los fieles principalmente de los niños». Cfr. Ruiz Amado: *La educación de la Castidad*, c. III; *La educación femenina* (Barcelona 1912, p. III. Felix Dupanloup, Obispo de Orleans, *El Niño*, c. XV. (trad. del R. P. Antolín S. Fernández, F. C. M., Barcelona 1905); Gatterer et Krus, *La education de la chasteté* (París 1911, traduit de l'allemand por l'Abbé Th. Dequin); M. S. Gillet, O. P. *Innocence e Ignorance*, éducation de la pureté (París 1913); A. Knoch, *La education de la chasteté* (París 1912).

QUAESTIO III

DE

OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS HOMINES [1].

Dicendorum ordo. Homines quibusdam juribus et officiis invicem adstringi, nulla etiam habita ratione ad societatem civilem, neminem, post dicta, credimus negaturum ire. Supra namque demonstratum dedimus hominem jus habere ad vitam conservandam, eligendi media ad animae perfectionem consequendam, etc. Cum ergo jura et officia sint correlativa, inveniantur oportet in aliis hominibus officia non laedendi, sed tuendi reverendique praedicta jura.

Haec autem officia recte in *absoluta* et *hypothetica* dividi queunt, prout juri alterius, ex natura rei, vel ex quadam praesuppositione, emergenti, respondeant. Primi generis sunt officia v. gr. non laedendi alios, non mentiendi; alterius vero omnes contractuum species. Inter absoluta primum locum tenet amor erga proximum, in quo radicantur cetera quae generatim hac formula comprehendi solent: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* et, *Quod tibi vis fieri, alteri fac.*

Porro ad divisionem quaestionis quod attinet homo considerari potest *a) secundum suam substantiam* generice sumptam; cujus generalis inclinatio *amor* dicitur; *b)* ut *ens intellectuale* habens jus ad veritatem, cui respondet in aliis officium non mentiendi: *c)* ut *ens morale et liberum,* ratione cujus enascitur in proximo officium non impediendi, quam libuerit amplecti, status electionem neminemque in servitutem redigendi; *d)* ut *ens physicum organicum* sub quo conceptu jus habet ad integritatem membrorum et ad bona fortunae, quibus correlativum est officium duellum, homicidium, furtumque vitandi. Impraesentiarum igitur pertractandum venit 1) de dilectione proximi; 2) de mendacio; 3) de homicidio et duello; 4) denique de jure proprietatis, amandantes ad *Jus Sociale* quae circa servitutem in disputationem vocari solent. En totus processus.

---

1 Cfr. D. Thomas, II-II, q. XXV et sqq.; Roselli, *Ethic.*, q. XI; Taparelli, *Ensayo*, lib. II, c. IV; Martel, *Filos. Moral*, c. XX-XXIV; Willems, *Philos. Mor.*, p. II, lib. II, c. III; Ferretti, vol. II, c. II, sect. III, a. 1, § 1-3; Farges, *Ethica Spec.*, p. I, c. IV. Van der Aa, loc. cit. c. IV; Costa Rossetti, p. II, sect. II, § 3; Dalmau y Gratacós, *Etica Espec.*, c. III; Castelein, *Philos. Moralis et Socialis*, thesis 13-26.

Articulus I

De dilectione proximi [1].

Summa rerum. 1. *Status quaestionis.* 2. Thesis I. *Homo naturae praecepto tenetur diligere proximum.* 3. *Radix hujus naturalis officii.* 4. *Regula ad mensurandum diversum gradum amoris quo diversos proximos prosequi debemus.* 5. *Notanda ad rectam regulae intelligentiam* (quoad inimicos et peccatores; — signa exteriora eis exhibenda; actus interiores). 6. *Misericordia et beneficentia.* 7. Thesis II. *Homo non tenetur diligere proximum ex lege naturae plus vel quantum seipsum.* 8. *Modus diligendi proximum.*

1. Quaestio in hoc articulo dilucidanda, potius quam de existentia obligationis diligendi proximum ab omnibus gentibus, natura duce, inter officia socialia recensita, versatur circa extensionem praefatae obligationis. Ipsam tamen, simul radicem et fundamentum ejus ostendentes, quibusdam rationibus ex ***D. Thoma*** desumptis confirmare aggredimur. Sit igitur

2. **Thesis I. Homo naturae praecepto tenetur diligere proximum.**

Prob.

Ratio ipsa philosophica, assentientibus hac in re cunctis gentibus, tanquam certum et indubium admittit vulgatum adagium: *Omne animal naturaliter diligit sibi simile.* Similitudo namque est causa amoris, «ex hoc enim quod aliqui duo, scribit ***Angelicus,*** sunt similes, quasi habentes unam formam, sunt quodammodo unum in forma illa; sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis, et duo albi in albedine; et ideo affectus unius tendit in alterum sicut in unum sibi, et vult ei bonum sicut et sibi» [2]. Velle autem alicui bonum est ipsum amare. Ergo natura, quae nosmetipsos amare praecipit, idipsum erga proximum exequendum intimat [3].

Quam veritatem confirmare possumus ex natura societatis humanae

---

1 Cfr. D. Th., *Contra Gent*,, lib. III, c. 117; Viguerius, *Institut. ad Philos.* c. XII. § 1, ver. 4, et sqq.; P. Silverio de S. Teresa, *El precepto del amor*, c. II y III.

2 I-II, q. XXVII, a. 3.

3 Idem ostendit D. Thomas ratione *communicationis omnium hominum in eodem fine;* nam «oportet unionem esse affectus inter eos quibus est unus finis communis». *Contra Gent.* lib. III, c. 117.

quae constare nequit absque animorum conjunctione per amorem facta. Certum quippe est, inquit pereleganter ***Tullius,*** «homines non fuisse sibi solis natos, sed hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possint»[1]. Haec autem naturalis communicatio supponit homines naturali inter se amore devinciri. Ergo sicut homo natura ordinatur ad societatem, eadem natura praecipiente, tenetur alios diligere. Hujus naturalis amoris signum est «quod quodam naturali instinctu homo cuilibet homini etiam ignoto subvenit in necessitate, puta revocando ab errore viae, erigendo a casu et alia hujusmodi, ac si omnis homo omni homini esset familiaris et amicus»[2].

Profundiorem adhuc rationem exhibet ibidem ***Praeceptor Angelicus*** hisce verbis: «Quicumque diligit aliquem consequens est ut etiam diligat dilectos ab eo et eos qui conjuncti sunt ei. Homines autem dilecti sunt a Deo, quibus suiipsius fruitionem quasi ultimum finem praedisposuit. Oportet igitur ut sicut aliquis est dilector Dei, ita etiam fiat dilector proximi».

3. **Ratio igitur diligendi alios homines** est unitas naturae specificae, similitudo seu conjunctio; «propter hoc enim, inquit ***D. Thomas,*** ex caritate diligere debemus alios *quia sunt nobis* ***proximi*** *et secundum naturalem Dei imaginem, et secundum capacitatem gloriae*»[3]. «Nomine autem *proximi,* non ii tantum intelligendi sunt, ajente ***S. Leone M.,*** qui nobis amicitia aut propinquitate junguntur, sed omnes prorsus homines, cum quibus nobis natura communis est, sive illi hostes sint, sive socii, sive liberi, sive servi. Unus enim nos Conditor finxit, unus nos Creator animavit, eodem cuncti coelo et aere, iisdem utimur diebus et noctibus»[4].

4. **Regula** ad designandum gradum amoris quo diversos proximos prosequi debemus esse potest: *Cum amor fundetur in similitudine naturae et in conjunctione seu propinquitate, prae aliis aliqui diligendi sunt juxta diversum conjunctionis gradum; omnes tamen diligere tenemur, inimicis et peccatoribus non exclusis.*

5. Verum ad rectam hujus regulae intelligentiam diligenter nota 1) inimicos esse diligendos non quidem secundum radicem inimicitiae, sed secundum naturam rationalem. Id clare enuntiat *Angelicus* inquiens: Dilectio inimicorum tripliciter potest considerari; *uno quidem modo*, ut inimici diligantur *in quantum sunt inimici;* et hoc est perversum et caritati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. *Alio modo* potest accipi

1 *De Offic.*, lib. I, 7.
2 *Contra Gent.*, lib. III, c. 117.
3 II-II, q. XLIV, a. 7.
4 *Serm. XI de Jejun. X mensis.*

dilectio inimicorum *quantum ad naturam,* sed *in universali,* et sic dilectio inimicorum est de necessitate caritatis..... Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum *in speciali,* ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; et istud non est de necessitate caritatis absolute (nisi necessitas occurreret), quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile» [1].

Idem dicendum est de peccatoribus in quibus distinguenda pariter sunt natura et culpa; secundum naturam sunt quidem diligendi, ratione autem culpae sunt odiendi; quoniam, ajente *Angelico Praeceptore, ejusdem rationis est odisse malum alicujus et diligere bonum ejus.* Odium autem est duplex *inimicitiae,* quo nempe ipsam hominis personam in se et directe aversamur eique malum, quatenus illi malum est, exoptamus, et hoc legi naturali repugnat; et odium *abominationis* seu *qualitatis,* quo non hominem sed ejus malitiam, vel etiam personam, quatenus malam et nobis noxiam, detestamur; quod quidem qualitatis odium, dummodo solitarie existat vel odium inimicitiae nullatenus connotet secumque ferat, per se legi naturae non adversatur.

Caute 2) nota quod, cum effectus et signa amoris exteriora ex interiori dilectione procedant eique proportionentur, signa vel beneficia dilectionis, quae exhibentur proximis *in communi,* non sunt inimicis subtrahenda: hoc enim pertineret ad livorem vindictae; signa vero seu beneficia dilectionis, quae quis exhibet particulariter aliquibus personis, inimicis exhibere non est in praecepto naturae, inquit *D. Th.*, nisi secundum praeparationem animi, ut scilicet, subveniatur eis in articulo necessitatis, secundum illud Prov. XXV, 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum* [2]. «Hoc natura praescribit, ajebat *Cicero,* ut homo homini quicumque sit, ob eam ipsam causam quod is homo sit, consultum velit» [3].

3) Notandum venit quod, cum lex naturae et auctor naturae Deus non tantum justitiam materialem sed maxime formalem in actibus humanis intendant, praeceptum naturale diligendi proximum non adimplet qui signis tantum exterioribus non autem corde diligat; actus enim exterior, ut sit humanus, ab actu interiori informetur oportet. Lex quippe naturae praecipit veram virtutem, non speciem tantum virtutis colere, quoniam hypocrisis ipsi naturae adversatur [4].

6. Ex amore, quo proximum prosequi debemus, procedit tanquam effectus interior *misericordia,* quae, ut *Aug.* docet, «est alienae miseriae in nostro corde compassio, qua utique, si possumus, subvenire

1 II-II, q. XXV, a. 8.

2 ib q. XXV, a. 9.

3 *De Offic.*, lib. III, 5.

4 Merito ergo Innocentius XI sequentes propositiones reprobavit: «Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos». «Non tenemur proximum diligere actu interno et formali». Denzinger-Bannwart, 1160, 1161.

compellimur»[1]. Dein, ut effectus exterior, *beneficentia,* quae nihil aliud importat quam facere bonum alicui[2]. Ad utrumque vero actum, saltem in praeparatione animi, exequendum, nos, ob eam ipsam rationem quod homines sumus, lex naturae cogit. *Homo sum,* ajebat ***Terentius,*** *nihil humani a me alienum puto.* Et ***Quintilianus:*** «Voluit nos ille mortalitatis artifex Deus in commune succurrere, et per mutuas auxiliorum vices, quemque in alterum quod pro se timeret. In aliena fame sui quisque miseretur».

7. Thesis II. Homo non tenetur diligere proximum ex lege naturae plus vel quantum seipsum.

Ante probationem diligentur notanda sunt verba *non tenetur ex lege naturae;* non enim quaeritur impraesentiarum ad quid teneatur quidve possit homo quibusdam in casibus determinatis et ex virtute, sed an adstrictus sit generatim officio naturae ad diligendum proximum plus vel quantum seipsum. Responsio autem negativa probatur.

1) Manifeste apparet ex dictis unionem et similitudinem esse causam amoris; quo autem major est causa potior effectus. Naturaliter ergo «magis unusquisque seipsum amat quam alium, quia sibi unus est in substantia, alteri vero in similitudine alicujus formae»[3].

2) Nulli dubium quin, attento rerum ordine, et amoris radice inspecta, majora bona nobis quam proximo velle debeamus; dilectio enim hominis ad seipsum, ajente ***Angelico Doctore,*** est sicut exemplar dilectionis quae habetur ad alterum. Sed exemplar potius est quam exemplatum, et unitas potior quam unio; ergo homo magis debet diligere seipsum quam proximum[4].

Quod si homo seipsum *objective* et *appretiative* magis quam proximum tenetur diligere, clarius apparet lege naturae cogi non posse ad diligendos alios plus vel quantum se ipsum *amore intensivo.* Nam quo objectum propinquius est voluntati et motor intimior, intensior est motus et amor vehementior; nobis autem nihil propinquius, nihil intimius quam natura nostra individua et personalis; ergo amor hominis ad seipsum naturaliter intensior et vehementior est eo quem proximo debemus.

8. **Modus autem diligendi proximum** brevibus, praeclaris tamen verbis, exponitur in Evangelio de novo promulgante legem naturae diu obliteratam maximeque corruptam: Dictum quippe fuit: *Diliges proxi-*

---

1 *De Civit. Dei,* lib. IX, c. V.
2 Cfr. D. Th. II-II, q. XXXI.
3 I-II, q. XXVII, a. 3.
4 II-II, q. XXVI, a. 4, arg. sed contra.

mum tuum et odio habebis inimicum tuum. Evangelicum tamen praeceptum habet: *Diliges proximum tuum* **sicut** *te ipsum*[1]. «Quod non est intelligendum, inquit ***Angelicus,*** quantum ad hoc quod aliquis proximum sibi *aequaliter* diligat, sed *similiter* sibi, et hoc tripliciter. Primo quidem ex parte *finis,* ut scilicet, aliquis diligat proximum propter Deum, sicut seipsum propter Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi *sancta.* Secundo ex parte *regulae dilectionis,* ut scilicet, aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicut et suae voluntati satisfacere debet homo solum in bonis, ut sic sit dilectio proximi *justa.* Tertio ex parte *rationis dilectionis,* ut scilicet, non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit *vera;* nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem vel delectationem non vere diligit proximum sed seipsum»[2].

Articulus II

De mendacio[3]

Summa rerum.—1. *Virtus veritatis.* 2. *Jura hominis ad veritatem.* 3. *Mendacii notio.* 4. *Pressa ejusdem definitio.* 5. *Tria quae inveniuntur in mendacio—Ratio formalis mendacii.* 6. *Divisio mendacii.* 7. *Simulatio. Hypocrisis.* 8. Quaestio. *De intrinseca mendacii malitia.—Nonnulla historice* (Ethnici, Priscillianistae, Clemens Alex., Origenes, etc., S. Joan. Chrysost., Cassianus, Machiavellus, Grotius, Puffendorf, etc.) 9. *Vera sententia.*—Thesis. *Mendacium est per se et intrinsece malum.* Probatur. 10. *Aequivocatio, amphibologia, restrictio mentalis suntne aliquando licïta.—Grotii opinio reprobatur.* 11. *Dificultatibus satisfit.*

1. Inter virtutes justitiae adnexas recte enumerat *S. Thomas* virtutem *veritatis,* cujus est debite ordinare verba vel facta exteriora ad aliquid, sicut signum ad signatum[4], vel alteri manifestare quae ha-

---

1 Spencer irridet hujusmodi Salvatoris praeceptum reputatque exaggeratum. Véase *El precepto del amor* por el P. Silverio de Sta. Teresa, c. XLII.

2 II-II, q. XLIV, a. 7.

3 Cfr. S. August., lib. *De Mendacio*; alter *Contra Mendacium*; D. Th., II-II, q. CIX-CXIII; Salmantic., Tract. XXVII, c. II, Punct. I-III; Lessius, *De Just. et Jure,* lib. II, c. XLVII; Waffelaert, *Dissertation morale sur la malice intrinseque du mensonge;* Taparelli, *Ensayo,* n. 365-373; Meyer, loc. cit. c. III, a. 1, § 1; Pacetti, p. III, sec. I, c. I, a. 1; S. Schiffini, *Ethic. Spec.,* sect. VIII; Bautain, *Philos. Morale,* t. 1, chap. X, § 118; Castelein, *Philos. moralis et Soc.,* pag. 158 et sqq.

4 II-II, q. CIX, a. 2.

bentur in mente. Quia tamen deficit a propria et perfecta ratione justitiae quantum ad rationem debiti, attendit enim ad debitum *morale* potius quam ad *legale*, «in quantum scilicet ex honestate unus homo alteri debet manifestationem veritatis», ut loquitur *S. **Doctor***[1], ideo adnectitur justitiae sicut virtus secundaria principali.

2. Ex quo sequitur *a)* hominem, ut alter ei veritatem manifestet, jus quidem habere, non tamen strictum seu juridicum, sed imperfectum tantummodo enascens ex illo naturali principio, quo officia *humanitatis* et *beneficentiae* regulantur quodque Christus Dominus hisce verbis expressit: *Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis*[2]. *b)* Jure perfecto ab altero exigere posse ne unquam decipiatur; id enim evidenter infertur ex principio negativo: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris;* quod et ***Tobias*** pater filio suo ***Tobiae*** commendavit dicens: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*[3]. Huic autem debito et virtuti opponitur mendacium.

3. **Mendacii notio.** Mendacium definiri debet per oppositionem ad veritatem moralem seu ad veracitatem, cujus conceptum negat. Est autem veritas moralis *conformitas sive adaequatio sermonis externi cum judicio interno*. Si quis autem sciens et volens aliud verbis proferat, aliud in mente gerat, mendacium dicit, quoniam ex communi usu loquendi et omnium gentium acceptione *mentiri est voluntarie contra mentem ire. Voluntarie* dicimus, quia mendacium cum sit actus moralis ex intentione voluntatis dependet. Quamobrem non est idem *mentiri* ac *falsum* dicere. Sermo namque prolatus potest tum a re, tum a mentis judicio dissonare proindeque *falsum* enuntiare, quin tamen subjectum ad praefatam sive realem sive logicam disconformitatem animum vertat, quo in casu non mentitur[4]. E contra, potest dicere verum cum intentione tamen dicendi falsum vel credens enuntiare falsum, et tunc verum profert mendacium, quia est vera et realis *deliberata locutio contra mentem*. Igitur mendacium qualificatur et constituitur in suo esse formali per *intentionem enuntiandi falsum. Ille mentitur,* inquit ***Augst.,*** *qui aliud habet in animo, et aliud verbis,* vel *quibuslibet significationibus enuntiat*[5].

4. Presse igitur mendacium definitur a philosophis post *S. **Thomam:*** *Sermo prolatus cum intentione dicendi falsum.* In qua definitione

---

1 II-II, q. CIX, a. 3.

2 *Math.* VII, 12.

3 *Tob.*, IV, 16.

4 Sta. Teresa escribe de sí: «Podrá ser que en estas cosas interiores me contradiga algo de lo que tengo dicho en otras partes; no es maravilla, porque en casi quince años que ha que lo escribí quizá me ha dado el Señor más claridad en estas cosas de las que entonces entendía, y *ahora y entonces puedo errar en todo, mas no mentir*, que por la misericordia de Dios antes pasaría mil muertes, digo lo que entiendo». *Morada* IV, c. 2.

5 *De mendac.*, c. 3.

ponitur tanquam genus *sermo prolatus,* id est, enuntiatio alicujus conceptus verbis, factis, vel quolibet signo facta; «unde ille qui aliquod falsum nutibus significare intenderet, non esset a mendacio immunis»[1]: verba *cum intentione dicendi falsum* locum tenent differentiae, quibus existentibus salva consistit mendacii natura.

5. Tria enim reperiri possunt in locutione mendaci: 1) *falsitas seu dissonantia inter id qnod dicitur et rem de qua enuntiatur,* v. gr. cum interroganti respondeo esse diem jovis cum sit feria sexta; 2) *intentio seu voluntas falsum dicendi,* ut, cum sciens et volens, ne reprehendar a superiore, deliberate nego me fecisse quod feci; 3) *intentio fallendi,* sive sequatur in audiente deceptio sive non. Primum *materialiter* se habet ad mendacium; tertium est *effectus* falsae locutionis; ergo secundum, id est, voluntas falsum enuntiandi, constituit *formale* mendacii; quamobrem, etiamsi falsitas a locutione abesset, imo et nullam intentionem fallendi subjectum proferens mendacium haberet, integra tamen consisteret mendacii turpitudo. Legatur *S. Thomas* loc. infra cit., mendacii naturam profunde non minus quam eleganter exponens[2].

6. **Mendacium dividitur** *a)* secundum *ipsam rationem mendacii;* quae est propria et per se mendacii divisio, quia mendacium, in quantum hujusmodi, opponitur veritati. Veritas autem aequalitas quaedam est, cui per se opponitur majus et minus; hac ergo ratione dividitur in mendacium quod transcendit veritatem in majus, quod pertinet ad *jactantiam,* et in mendacium quod deficit a veritate in minus, quod pertinet ad *ironiam; b)* in quantum habet *rationem culpae,* secundum ea quae aggravant vel diminuunt culpam mendacii ex parte finis intenti. Aggravat autem culpam mendacii si aliquis per mendacium *intendat alterius nocumentum,* quod vocatur mendacium *perniciosum;* diminuitur culpa mendacii *si ordinetur ad aliquod bonum,* vel *delectabile,* et sic est mendacium *jocosum,* vel *utile,* et sic est mendacium *officiosum*[3].

7. Ad mendacium revocantur *simulatio,* qua facto vel signo externo proximum decipimus, et *hypocrisis* qua quis simulat personam alterius, sicut cum peccator simulat personam justi. Nam «ad virtutem veritatis pertinet ut *quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora qualis est.* Signa autem exteriora non solum sunt verba sed etiam facta»[4]. Ergo veritati opponitur quod aliquis per signa factorum vel rerum aliquid significet contrarium ejus quod in eo est, ut accidit in simulante qui facto vel signo proximum in errorem inducit, et in hypocrita qui intimam cor-

---

1 II-II, q. CX, a. 1 ad 2.
2 II-II, q. CX, a. 1.
3 D. Th., ib. a. 2.
4 D. Th., q. CXI, a. 1.

dis malitiam tegit bonum se palam ostendendo, ut res nomini respondeat, hypocrita namque falsum judicium interpretatur [1].

8. **Quaestio. De intrinseca mendacii malitia.** Rem *historice* considerantes certo sciunt non unam fuisse philosophorum et theologorum sententiam circa intrinsecam mendacii turpitudinem. Nam *a)* quidam ex ethnicis, inter quos *Plato*, generatim affirmarunt mendacium non esse peccatum. *b)* Haereticis Priscillianistis licitum visum fuit mentiri etiam cum juramento. De his scribit *S. Aug.* quod «ceteris haereticis convincuntur esse pejores. Ipsi enim *soli*, vel certe *maxime* ipsi reperiuntur, ad occultandam suam, quam putant, veritatem, dogmatizare mendacium» [2]. *c) Clemens Alexandrinus, Origenes, Theodorus, Theophilactus*, plures *Graeci*, nec non ipse *S. Chrysostomus, S. Hilarius* et *Cassianus* mendacium quidem modo generali reprobarunt, sed in casu necessitatis et ad extremum malum vitandum docuerunt licere uti mendacio tanquam *medicamine*. «Taliter de mendacio sentiendum, atque ita eo utendum est, inquit *Cassianus*, quasi natura ei insit *ellebori;* quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre; ceterum, absque summi discriminis necessitate perceptum praesentis exitii est» [3]. *d)* Machiavellus (1469-1527) audacter asseruit licere, non omnibus indiscriminatim, sed principibus ceterisque in dignitate constitutis proximum fallere. *e)* Ultra progressi recentiores non pauci illud tantum vocant proprie mendacium quod *juri aut bono alterius repugnat*. Quando autem nec veritas aliis debetur, nec ullum patiuntur detrimentum ex falsa assertione, vel etiam nobis aliquod damnum est adlatura deliberata nostra locutio contra mentem, tunc haec nedum licita est sed nec mendacii naturam attingit. Hinc modo generali docent mendacium jocosum et officiosum non esse proprie mendacium sed *falsiloquium*, ut ipsi ajunt. Hanc doctrinam data opera exposuit post *Grotium* [4] et *Puffendorfium* [5] *Heineccius* [6], cui plerique inter Protestantes et Rationalistas, ut *Taylor, Milton, Paley, De Wette, Sidgwick, Paulsen, Wundt, Lipps* et partim unus vel alter catholicus, ut *Dubois* [7] et *Fonsegrive* [8], adhaesere. *f)* Cunctis audacior *Talleyrand* dixit *sermonem a natura datum esse ad occultandas mentis sententias. g)* Denique eamdem doctrinam sequuntur politici illi quibus *diplomatia* nihil aliud est quam *ars simulandi vel proximum decipiendi.*

9. Concors autem catholicorum sententia tenet, post *D. Augustinum* et *S. Thomam,* omne mendacium esse intrinsece malum ita

1 S. Isidor, *Etymolog.*, lib. X, § 119.
2 *Contra mendacium*, c. 2.
3 *Collat.* XVII, c. 17.
4 *De Jure belli et pacis*, lib. III, c. 1.
5 *De Jure natur.*, lib. IV, c. 1.
6 *Elementa juris Natur. et Gentium*, lib. I, c. 7.
7 *Une theorie du mensonge.*
8 *Elements de Philosophie*, t. II, pag. 475.

ut nunquam liceat eo uti nec ad extremum damnum avertendum nec pro summo bono, ut esset salus aeterna proximi, comparando. Retenta ergo tanquam propria et adaequata supradicta mendacii definitione ex *D. Thoma* desumpta, sequentem probabimus veritatem.

Thesis. **Mendacium est perse et intrinsece malum.**

Prob. *Ex natura locutionis.* Actus cadens super indebitam materiam est perse et intrisece malus; atqui hujusmodi est mendacium. «Cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum quod aliquis voce significet id quod non habet in mente. Unde Philosophus dicit in IV Ethic. c. VII. quod «mendacium est per se pravum et fugiendum: verum autem est bonum et laudabile» [1].

Paulo aliter ipsemet S. Doctor. «Cum malum omnifariam contingat, cujuslibet circumstantiae perversitas, etiam aliis circumstantiis debitis existentibus, peccatum in moribus facit, ut si aliquis accipiat unde non debet, quantumcumque bonum intendat, vel aliae circumstantiae ordinatae videantur, peccatum non evitabit. Cum autem locutio sit ad exprimendam conceptionem cordis, quandocumque aliquis loquitur quod in corde non habet, loquitur quod non debet. Hoc autem contingit in omni mendacio. Unde omne mendacium est peccatum, quamtumcumque aliquis propter bonum mentiatur» [2].

Idipsum confirmatur *a) ex fine locutionis* et *b) ex sensu communi* *a)* Nam ad hoc institutus est sermo, ut in societate vivere et cum aliis communicare possimus mentis conceptus; atqui, admissa liceitate mendacii, societas, quae in mutua fiducia fundatur, consistere nequit; evanesceret siquidem fides in humano commercio, quoniam *mentienti in uno fides non habetur in aliis,* ut loquitur *S. Aug.* in lib. Contra mend. Ad rem iterum *S. Thomas*: «Quia homo est animal sociale naturaliter unus homo debet alteri sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus. Et ideo virtus veritatis aliquo modo attendit rationem debiti» [3].

b) Apud omnes gentes detestatione digni sunt mendaces, nec ullus, nisi Stoicus, patienter fert ab aliis mendacem appellari. Quod quidem signum vehemens indicium praestat ad concludendum menda-

1 D. Th. II-II, q. CX, a. 3.
2 III *Sent.*, Dist. XXXVIII, q. I, a. 3.
3 II-II, q. CIX, a. 3 ad 1.

cium esse per se et intrinsece turpe naturaeque repugnans, *nec minus malum quam adulterium,* ut docet ***S. August.,*** loc. cit.

10. Hisce non obstantibus et integra manente intrinseca mendacii malitia, uti licet, prudenter tamen et non sine causa, *aequivocatione, amphibologia, necnon lata restrictione mentali* ad occultandas quandoque mentis sententias. Est autem aequivocatio *verbum vel signum quod ex communi usu loquendi plura eaque diversa significare potest,* sicut amphibologia est *sermo dubiam sententiam involvens.* Restrictio vero mentalis definiri potest: *actus quo verbum, sententia, vel factum ad alium sensum quam naturalem et obvium significandum, ex intentione loquentis, detorquetur.* Si sensus subjectivus ex contextu vel ex adjunctis determinari nequeat restrictio vocatur *pure mentalis,* quod si ex adjunctis signis aut factis sensus loquentis cognosci possit, tunc dicitur restrictio *late,* seu *non pure mentalis.*

Ex quibus definitionibus clare colligitur: 1) tam in aequivocatione quam in amphibologia et lata restrictione mentali plures vel saltem binos latere sensus, alterum conformem, alterum menti loquentis difformem. Quod autem audiens ambiguam sententiam decipiatur per accidens est respectu loquentis, qui solum intendit verum dicere usurpando sermonem eo sensu quem sibi magis expedire cognoscit et mente gerit, quemque vir prudens detegere potest. Hinc merito laudatur sollertia ***D. Athanasii,*** qui persecutoribus obviam exiens, ipsisque interrogantibus an ***Athanasium*** fugientem vidisset, respondit, ambigue quidem, sed veraciter: *Festinate, non enim a vobis multum distat;* haec igitur sunt licita absolute loquendo et justa interveniente causa; frequenter autem et indiscriminatim eadem adhibere non licet, quia tunc pessumdaretur mutua inter homines fiducia et ipsa humana societas periret;

2) idem dicendum de prudenti occultatione veritatis. Celare namque mentis sententias non opponitur directe et per se virtuti veracitatis. Aliunde tamen potest aliquis teneri ad revelationem veri; v. gr. si a *legitimo superiore et judice* interrogaretur, vel ex *officio* ei tale munus incumberet;

3) restrictionem prorsus internam, seu pure mentalem neutiquam licere, est enim purum mendacium, nam sensus loquentis percipi non potest;

4) quid denique sentiendum sit circa sex illos casus, quos ***Grotius*** disserte enumerat et in quibus docet hominem posse impune mentiri seu falsum scienter enuntiare; videlicet: 1) si quis loquatur cum infante vel amente; 2) si ille ad quem sermo dirigitur de facto non decipiatur, quamvis tertius inde falsam hauriat persuasionem; 3) quan-

do praessumitur quod ille qui decipitur non est aegre laturus praedictam deceptionem; 4) si sermo dirigitur ad hostes; hi namque, juxta *Grotium,* nullum jus habent veritatem exigendi; 5) si quis habeat jus supereminens in jura aliorum, v. gr. principes vel personae in aliqua dignitate constitutae; 6) denique si vita innocentis aliter quam per mendacium salvari non possit. Vel leviter inspicienti patet *H. Grotium* essentialem mendacii naturam tantummodo venari ex jure perfecto ad veritatem existente in eo quocum loquimur atque ex effectu, reali nempe deceptione, non autem ex formali falsitate locutionis a qua omnes gentes, habita nominis ratione, mendacii malitiam desumunt.

Difficultatibus satisfit.

11. Plura congerunt argumenta Theologi et Juristae illi, de quibus supra, ut mendacium ab intrinseca et essentiali malitia immune pronuntient. Verum fere omnia soluta videri possunt apud *D. Augustinum*[1] et *Thomam*[2], ex quibus quatuor tantum, speciminis gratia, seligimus.

I.m Lege naturae prohibetur homicidium; atqui eo non obstante, quibusdam in casibus, v. gr. in injusta aggresione, licet proximum occidere; ergo et proximum fallere.

Resp. conc. maj. et min., sed nego paritatem. Nam in occisione causata propter injustam aggressionem, dummodo servetur moderamen inculpatae tutelae, nullum committitur veri nominis homicidium; et ideo occidere injustum aggressorem quando aliter servari nequit proprii corporis vita non prohibetur lege naturae. Sicut ergo homicidium directum privatumque semper et pro semper est prohibitum, ut infra dicemus, ita pariter verum mendacium. Eo autem modo quo permittitur occisio injusti aggressoris permittitur et «licet occultare prudenter veritatem sub aliqua dissimulatione»[3].

II.m Ex duobus malis minus est eligendum ut vitetur majus; atqui minus malum est quod aliquis mentiatur quam quod innocens damnetur ad mortem; ergo licitum videtur mendacium ad salvandam vitam proximi.

Resp. conc. maj. et nego min. consequens et conseq. Bonum siquidem quod per mendacium amittitur est altioris ordinis quam vita corporalis proximi. Imo nec licet, ut in articulo praecedenti demonstratum reliquimus, propriam salutem spiritualem exponere ut liberetur proximus a peccato. Insuper, quamdam haberet vim praefatum argumentum si mendacii malitia penderet tantum ex effectu seu ex detrimento quod inde tertio proveniret; sed «mendacium non solum habet rationem peccati ex damno quod infertur

1 Lib. *De mendacio*, et in altero *Contra mendacium*.
2 II-II, q. CX, et seqq.
3 Aug. *De mendac.*, c. 10.

proximo, sed ex sua inordinatione, inquit *Angelicus*. Non licet autem aliqua illicita inordinatione uti ad impediendum nocumenta et defectus aliorum; sicut non licet furari ad hoc quod homo eleemosynam faciat, nisi forte in casu necessitatis, in quo omnia sunt communia. Et ideo non est licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium a quocumque periculo liberet»[1].

III.m Ad virtutem veritatis requiritur quod homo sese exhibeat exterius verbis et factis qualis est; atqui licet quandoque factis non implere quod verbo et mente promisit; ergo licitum est aliquando contra virtutem veritatis operari, seu mentiri.

Resp. conc. maj. et dist. min. *mutatis circumstantiis,* conc.; secus justa non interveniente causa, nego, et nego conseq. et conseq.; quia non est paritas inter *fidelitatem* in promissis servandam et *veracitatem* in deliberata locutione. Nam ut sit veritas in promissis sufficit ut quis, dum promittit, habeat voluntatem illud implendi, quamvis postmodum facto non impleat vel ob aliqua impedimenta vel quia non vult. In posteriori casu erit quidem infidelis, verus autem fuit in promittendo et dicendo, quoniam ad veritatem locutionis nihil ultra requiritur quam quod dictio actu respondeat intellectui loquentis[2].

IV.m Laudabile est peccatum abscondere ne alii scandalum patiantur; sed abscondere vel occultare peccatum ad simulationem pertinet, quae est mendacium quoddam, nam qui simulat aliud facto facit, longe vero diversum intendit mente et voluntate; ergo laudabile pariter est aliquando mentiri.

Resp. conc. maj.; nego min., consequens et conseq. Nam «sicut aliquis verbo mentitur quando significat quod non est, non autem quando tacet quod est, quod aliquando licet; ita etiam simulatio est quando aliquis per exteriora signa factorum vel rerum significat aliquid quod non est, non autem si aliquis praetermittat significare quod est: unde aliquis potest peccatum suum occultare absque simulatione»[3]. Ita *D. Thomas*.

---

1 Praeclare S. Thomas, ib. a. 3 ad 4. Videatur.
2 S. Th., ib.
3 q. CXI, a. 1 ad 4.

Articulus III

De homicidio [1].

Summa rerum. 1. *Tria corporis bona;—totidem jura.* 2. *Notio et species homicidii.* 3. Thesis I. *Homicidium directum lege naturae prohibetur.* Prob. Thesis II. *Non licet ponere actionem ex qua mors alterius sequatur nisi ex causa proportionate gravi.* Thesis III. *Inter peccata quae in proximum committuntur gravius est homicidium.* Thesis IV. *Servato moderamine inculpatae tutelae, licita est injusti aggressoris occisio ad propriae vitae defensionem.* 4. *Errores.—Vera sententia.* 5. *Exponuntur thesis nostrae termini* (conditiones ad moderamen inculpatae tutelae—expenditur 5.ª sententia;—*Lugo, D. Th.)* 6. Probatur thesis. 7. *Enodantur objectiones.* 8. *Scholion.—An praecedens doctrina valeat pro defensione bonorum quae plurimum aestimantur.*

1. Juxta ordinem superius praefixum consequens est ut de officiis hominis erga vitam corporalem alterius modo tractemus. Tria autem sunt nocumentorum genera quibus laeduntur totidem hominis jura in proprium corpus. Nam «in bonis corporis, ajente ***Angelico Praeceptore,*** tria per ordinem considerantur. Primo quidem *integritas corporalis substantiae,* cui detrimentum affertur per *occisionem* vel *mutilationem;* secundo *delectatio* vel *quies sensus,* cui opponitur *verberatio* vel *quodlibet sensum dolore afficiens:* tertio *motus* et *usus membrorum,* qui impeditur per *ligationem* vel *incarcerationem* seu *quamcumque detentionem*» [2]. Heic pauca tantum subjicimus de homicidio, ut de ceteris, debita proportione servata, judicet candidatus lector.

2. *Homicidium* idem sonat ac hominis occisio, et definiri potest: *mors alteri violenter illata, auctoritate privata.* Dicimus *auctoritate privata,* quia cum quis ex legitimo judicis mandato alterum occidit non committit homicidium, tunc enim utitur potestate auctoritativa societatis, cujus est minister et vindex. Est duplex: *directum* nempe et *indirectum,* prout causatur actione directa et ex intentione, vel sequitur ex positione vel omisione alicujus actionis. Quid autem sentiendum sit de homicidii malitia sequentes theses ostendunt.

---

1 D. Th., II-II, q. LXIV; Soto, *De Justitia et Jure,* lib. V, q. I, a. 1; Victoria, *Relect. de homicidio;* Lugo, Disp. X, sect. II-XI; Salmantic., Tract. XXV, c. I; Lessius, lib. II, c. IX; Ballerini-Palmieri, Tract. VI, sect. V, c. I, *(Opus Theolog. Morale,* Prati 1889-93); Lehmkuhl, *Theolog. Mor.,* n. 831 et sqq.; Haine, *De praeceptis Decalogi,* p. II, c. II; Tanquerey, *Synopsis Theolog. Mor., De Virtute Justitiae,* n. 311 et sqq.

2 II-II q. LXV, a. 3.

3. **Thesis I. Homicidium directum lege naturae prohibetur.**

Eisdem fere argumentis demonstratur quibus damnatur suicidium; est enim *a)* Deo, *b)* proximo *c)* et societati injuriosum.

Thesis II. Non licet ponere actionem ex qua mors alterius sequatur nisi ex causa proportionate gravi.

Patet ex doctrina de voluntario indirecto.

Thesis III. Inter peccata quae in proximum committuntur gravius est homicidium.

Probatur pulcherrima *S. Thomae* ratione: «Peccata quae committuntur in proximum sunt pensanda per se quidem secundum nocumenta quae proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpae. Tanto autem est majus nocumentum, quanto majus bonum demitur. Cum autem sit triplex bonum hominis, scilicet bonum animae, et bonum corporis et bonum exteriorum rerum; bonum animae, quod est maximum, non potest aliter ab alio tolli nisi occasionaliter, puta per malam persuasionem, quae necesitatem non infert; sed alia duo bona, scilicet corporis et exteriorum rerum possunt ab alio violenter auferri. Sed quia bonum corporis praeeminet bono exteriorum rerum, graviora sunt peccata quibus infertur nocumentum corpori quam ea quibus infertur nocumentum exterioribus rebus. Unde inter cetera peccata quae committuntur in proximum homicidium gravius est, per quod tollitur vita proximi jam actu existens» [1].

Thesis IV. Servato moderamine inculpatae tutelae, licita est injusti agressoris occisio ad propriae vitae defensionem [2].

4. Hanc propositionem communi philosophorum et teologorum calculo probatam acriter impugnat *Buddeus,* qui contendit nos lege naturae *teneri* ad occidendum injustum invasoren. Ex opposito *Henricus a S. Ignatio* [3], cui praeiverant, juxta plures, *Gerson, Richardus a S. Victore* et *Norisius,* strenue defendit illicitam esse rectaeque rationi adversam injusti aggressoris occisionem. Hujus sententiae patrocinium novissimis diebus

1 II-II, q. LXXIII, a. 3; Cfr. Vaffelaert, *de Justitia*, II, n. 49.

2 Cfr. Ballerini-Palmieri, loc. cit. Dub. III; Haine, a. 3, q. 132-135; Liberatore, *Just. Nat.*, p. I, c. III, a. 3; Mancini, q. III, a. 2; Ferretti, sect. III, a. 1, § 1; De Bie, c. III, a. 3; Schiffini, *Ethic. Spec.*, sect. VI; Pacetti, p. III, sect. I, c. II, a. 1.

3 *Ethica amoris*, tom. II, lib. X, p. V, c. 4 (opus Jansenistica labe infectum).

suscipit *Arhens*[1]. Catholici autem, utrumque vitantes extremum, docent *neminem teneri* lege naturae, saltem ut privata persona, *ei tamen licere* propriam defendere vitam etiam cum injusti aggressoris nece, ut ex praestabilita conclusione liquido apparet.

5. Quapropter ad rectam hujus doctrinae intelligentiam notanda sunt sequentia theseos verba: 1) *servato moderamine inculpatae tutelae,* 2) *licitam* esse 3) *injusti aggressoris* occisionem.

1) Ut autem moderamen inculpatae tutelae servetur quinque conditiones simul requiruntur: 1.ª ut adhibeatur defensio *non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam,* ut loquitur ***Innocentius III***[2], tum quia vis physica solum inducitur ad injuriam propulsandam propriumque jus repetendum, cum aliter repeti non potest, tum quia vindicta ad publicam tantum auctoritatem spectat; 2.ª quod *aggressori non plus damni inferatur quam quod necessarium sit ad repellendam vim illatam;* vel, ut alii malunt, quod invasus non utatur majori violentia quam sit opus ad frustrandam aggressionem. Ratio est, quia media debent esse fini proportionata et justitiae aequalitas, in quantum potest, semper est servanda; 3.ª ut *invasus nec ante, nec post aggressionem, sed in actu,* vel *saltem dum signa imminentis aggressionis* apparent, vim inferat; si enim ante aggressionem vel postquam destitit aut fugit invasor aggrederetur, id non fieret ad repellendam injuriam sed ad vindictam sumendam, quod privatis personis communiter non licet. Unde nonnisi *ex necessitate* uti potest propulsatione cum occisione aut mutilatione aggressoris; 4.ª *Ut bonum quod defendimus praevaleat,* vel *saltem proportionaliter aequetur, malo quod infertur;* esset quippe contra rationem grave damnum proximo inferre ad bonum parvi momenti salvandum; 5.ª denique *ut per se non intendatur mors aut vulnus aggressoris sed sola suipsius defensio,* quia ut docet ***S. Th.*** «occidere hominem non licet nisi publica auctoritate propter bonum commune»... unde «illicitum est quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad sui defensionem refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes et in ministro judicis pugnante contra latrones, quamvis etiam et isti peccent, si privata libidine moveantur»[3].

Quoad priores conditiones nulla inter auctores thesim nostram probantes existit dissensio, nonnihil tamen discrepant circa conditionem quinto loco positam.

1 *Curso completo de Derecho natural,* p. espec. sec. I, c. IV, § 3 (2.ª ed. españ.)
2 c. *Significasti,* 18, *De homicidio.*
3 II-II, q. LXIV, a. 7.

Quaerunt scilicet Moralistae liceatne aggressoris occisionem intendere quando necessaria existimatur ad propriae vitae defensionem ita ut ipsamet occisio sit directe voluntaria.

Nonnulli post *Vazquez*[1], *Molina*[2] et *Lugo*[3], quibus novissime adstipulantur *Ballerini-Palmieri*[4], *Waffelaert*[5] et de *Bie*[6], partem affirmativam (quae communis et vera sententia vocatur a *Lugo*) strenue tuentur, asserentes hominem privatum posse occisionem injusti invasoris intendere ut medium necessarium ad sui defensionem sicque ipsam occisionem esse directe voluntariam.

E contra plurimi recentiones post *Cajetanum*[7], *Salmanticenses*[8], *S. Ligorium*[9], ut *Roselli*[10], *Signoriello*[11], *Zigliara*[12], *Mancini*[13], *Meyer*[14], *Schiffini*[15], *Cathrein*[16], *Farges* et *D. Barbedette*[17], *Lehmkuhl*[18], *Haine*[19] aliique sentiunt non licere homini privato necem invasoris unquam intendere, sed tantum suam defensionem, ad quam sequitur occisio injusti aggressoris, idcirco voluntatem invasi non ferri ad occisionem illius, sed solum *permissive* ad illam se habere.

Assertores primae sententiae eam demonstrare conantur sequenti ratiocinatione ad litteram ex *Lugo* desumptam. «Id totum intendere possumus quod necessarium est ad vitae nostrae defensionem. Sed aliquando ad hunc finem percussio sola non sufficit, sed necessaria est mors adversarii, qui propter animum obstinatum non desistit a te invadendo, vel per se, vel per alios, nisi moriatur. Ergo intendere poteris mortem illius, non solum ut percussio sed ut mors est, quia non aliter nisi ut mors utilis est ad tuam tutelam..... Mors aggressoris non est solum connexa cum alio medio quod intenditur sed ipsa per se, et ut mors est, utilis et necessaria judicatur ad tuam defensionem; haec ergo mors intenditur, sicut qui abscindit manum putridam propter sanitatem intendit ipsam abscisionem manus; neque in hoc potest esse controversia de re, sed de nomine»[20].

Qui autem negativam tenent sententiam eam plane congruere putant «tum ipsi rei veritati, tum etiam intentioni, qua communiter in cruenta defensione timorati homines ducuntur. Sufficit enim ut homo possit se defendere, obstacula, quae suae vitae objiciuntur, removendo, ac sese reddendo inaccessibilem et quasi a se emittendo virtutem destructivam contra quaelibet, si quae sibi damnum illatura sint; quare quando homo aggressor,

---

1 *De Restit.*, c. II, Dub. 6.
2 Molina, Disp. II, n. 3.
3 Disp. X, sect. VI, n. 148.
4 loc. supra cit.
5 *Dissertation morale sur la malice du mensonge*, pag. 33 et sqq.
6 loc. cit. n. 403.
7 In II-II, q. LXIV, a. 7.
8 loc. cit. Punct. IV, § 2.
9 *Theolog. Mor.*, lib. III Tract. IV, c. I, Dub. III.
10 *Ethica*, q. X, a. 4.
11 *Ethica Spec.*, sect. I, c. II, a. 3.
12 *Just. Nat.*, lib. I, c. III, a. 1.
13 loc. cit.
14 loco cit. a. 3.
15 *Disp. Philos. Mor.*, tom. II, pag. 81.
16 *Philos. Mor.*, p. II, lib. I, c. III, a. 3.
17 *Ethica Spec.*, c. IV, a. 1.
18 *Theolog. Mor.*, n. 833.
19 loc. cit. Q. 132.
20 loc. cit. n. 149.

si accedat, perimitur, culpa accedentis est, non ejus qui se defendit, neque ab hoc illius occisio intenditur, sed permittitur.....

..... Verum si sufficit, ut defensor *indirecte* velit necem aggressoris, non est ratio cur asseratur plus licere, et cur unquam vitam alterius quasi medium ad propriam salutem ordinari liceat; nisi forte plus licere dicas ex concessione publicae auctoritatis, quae *directe* occidendi malefactoris potestatem facere sane potest» [1].

His pro utraque sententia quam brevissime recitatis, posteriorem esse amplectendam judicamus. Ad cujus intelligentiam praenota sequentia: 1) Utriusque sententiae doctores ultro libenterque fatentur non licere occisionem injusti invasoris intendere *propter se ut finem;* 2) communiter quoque docent licitam esse aggresoris internecionem quando apparet eam esse medium necessarium ad propriam vitam salvandam. Et hoc bene nota; 3) omnes pariter concedunt id *in corde esse juris naturalis,* ut loquitur *Dom. Soto.* Sed haec ipsamet occisio potestne *intendi* ab homine privato ut *medium ad finem?* In hoc praecise discrepant auctores. Nam juxta priorem sententiam potest, et ideo ipsa occisio est *directe* voluntaria; juxta nostram sententiam, non potest intendi neque ut finis neque ut medium ad finem, idcirco est tantum *indirecte* voluntaria. Atque huc faciunt quae tradita sunt de voluntario in causa quaeque summatim tradit *Angelicus* in textu infra citando.

Ad argumentum autem pro priori sententia prolatum, respondeo in forma: Id totum intendere possumus *per se* vel *per accidens, directe* aut *indirecte* quod necessarium est ad vitae nostrae defensionem, concedo; semper *directe* et *per se,* nego. Nam ad repellendam aggressionem non sunt alia jura invaso concedenda quam quae necessaria videantur. At vero nunquam probabunt adversarii non sufficere intentionem indirectam ad propriam vitam efficaciter tuendam.

Sed aliquando, subjiciunt, ad hunc finem percussio sola non sufficit, sed necessaria est mors adversarii, qui propter animum obstinatum non desistit a te invadendo, nisi moriatur; concedo; id enim non negamus, ut patet ex praenotamine 2), et hic ni fallor, invenitur adversariorum aequivocatio. Fatemur namque posse aggressorem occidi quando id est medium necessarium ad nostram defensionem; sed inde logice infertur praedictam mortem posse *directe* intendi etiam ut medium tantum ad finem? Et quod inde proveniat illorum acquivocatio patet ex exemplo ab eis adducto: «qui abscindit, inquiunt, manum putridam propter sanitatem intendit ipsam abscisionem manus»; id sane vult, sed propter sanitatem; ergo indirecte et per accidens; primo enim et directe intendit finem (et si proprie loqui velimus, solum *intenditur* finis), aliud vero, in casu abscisio manus, tantummodo ex necessitate finis. Quod si haec libenter concedant, vere controversia erit non de re, sed de nomine.

Quod attinet mentem *S. Thomae* audiatur *Dominicus Soto,* quem *Lugo*

---

1 Lehmkuhl, *Theolog. Mor.*, p. I, lib. II, Tract. II, c. I, n. cit.

pro sua adducit sententia [1]: «Mens ergo, inquit, *S. Thomae* clara est et plane physica. Censet enim tunc dumtaxat *homicidium ex intentione fieri* propter defensionem quando quis alterum aggreditur ipsum praeveniens vel ad vindicandam praeteritam injuriam, vel ad cavendam futuram. Et ideo optime ait (in 3.ª conclus.) id tantum licere publicae potestati vel per bellum respectu exterorum hostium, vel per executionem justitiae respectu pestilentium civium, per quorum punitionem respublica sese defendit. *Atqui hoc proprie censetur medium eligere ad illum finem, quod quidem privatae personae non licet.*

At vero quando quis invaditur, tunc quomodocumque invasorem occidat inculpata tutela, puta, quia videt aliter non posse ejus manus evadere *etiamsi directe sagitta aut alio jaculo jugulum aut cor petat, censetur id non intendere, sed solum sui defensam.* Et hoc sensu bene potest teneri quod illa occisio non est medium sed conservationis effectus. Tametsi consueto sermone recte etiam appellatur medium, eodemque nomine utitur *D. Thomas* (in 1.ª et 2.ª concl.)» [2]: at non *directe* intentum sed *propter* suam defensionem et unice propter eam. Ad thesim autem nostram sufficit ut mors non intendatur propter se et directe, in quo omnes praefati doctores conveniunt.

His conditionibus servatis dicitur 2) *licere* injustum aggressorem vulnerare aut interficere, quia nemo *tenetur* hoc modo se defendere, nam potest quis ex caritate propriam mortem permittere ne invasor vita temporali aut eterna privetur, seu juri sese defendendi renuntiare. 3) Consulto additur *injustum* aggressorem necare, neque enim jure ulla opponi potest activa resistentia ei qui ex mandato judicis vel ut minister publicae auctoritatis nocentes invadit ut debita puniantur poena, tunc enim nullatenus est *injustus* invasor sed injuriae vindex. Verum ut quis reputetur injustus aggressor sufficit ut sit talis *materialiter;* unde ebrii et amentes possunt etiam in injusta aggressione vulnerari aut interfici.

6. **Probatur thesis.** Jus unicuique natura concessit servandi propriam vitam et integritatem membrorum; ergo et sese praecavendi a causis mortem inferentibus, nisi praedictum jus elidatur jure superiori. Atqui in injusta aggressione saepe contingit aliter non posse mortem vitari quam per necem aut mutilationem injusti invasoris.

---

1 Lugo patronis suae sententiae adnumerat etiam Franciscum Victoria; sed egregius auctor Dominicanus haec tantum ad propositum habet: «Dupliciter potest occidi homo. Uno modo ex intentione et certo proposito, ut judex intendit privare vita malefactorem. Alio modo praeter intentionem, non dico solum a casu et involuntarie, sed etiam propter alium finem, quem si posset occidens aliter consequi, non occideret, sicut cum quis in defensionem sui vel etiam Reipublicae occidit invasorem, quem non occideret, si aliter posset se defendere». *Relect.* De homicidio, n. 17.

2 *De Just. et Jure* lib. V. q. I, a. 8.

Ergo, servato moderamine inculpatae tutelae, licet ad propriam defensionem cruento modo injustum invasorem repellere.

Item. Secundum jura ab omnibus admissa et rationi maxime consona licet vim vi repellere cum moderamine inculpatae tutelae. Atqui occidere injustum invasorem cum moderamine inculpatae tutelae est vim vi repellere. Ergo licet occidere injustum aggressorem quando aliter vis illata propulsari non potest [1].

7. Neque objicere queunt adversarii solidam rationem qua ostendant id non licere. Nam *a)* in injusta aggressione adest quidem collisio jurium; unde si possit utriusque vita salvari ad id tenetur invasus. Nihilominus nemo lege naturae aut praecepto caritatis adstringitur ad subeundum grave malum ut aequale alterius bonum salvetur; praecipit quippe natura proximum diligere non tamen plus vel quantum nosmetipsos; *b)* cum injustus invasor sponte se conjiciat in periculum, malum ex repulsione acceptum sibi imputet; sufficeret namque ad praedictum damnum vitandum ab aggressione desistere; *c)* qui injuriam servato moderamine inculpatae tutelae repellit non sibi arrogat jus divinum in vitam alterius; permittit quidem mortem aggressoris removendo nempe obstacula vel causas, quae propriam mortem inferre poterant, sed eam directe et per se minime intendit, et ideo, *d)* nec humanae personalitatis jura proculcat, nec agit contra bonos mores et caritatis ordinem propriam vitam tuendo, cruenta quoque defensione, quia occidere injustum aggressorem nec est verum homicidium nec ut tale gentes unquam agnoverunt.

Nitide pro more suo hanc doctrinam exposuit *Aquinas* inquiens: «Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit praeter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ab eo quod est praeter intentionem, cum sit per accidens, ut ex supra dictis patet. Ex actu ergo alicujus seipsum defendentis duplex effectus sequi potest; unus quidem conservatio proprie vitae; alius autem occisio invadentis. Actus ergo hujusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriae vitae, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale quod se conservet in esse quantum potest. Potest tamen aliquis actus, ex bona intentione proveniens, illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia quam oporteat, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio, nam secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandum occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitae suae providere quam vitae alienae» [2].

1 «Irrationale, importabile ac communi bono contrarium id esset (negare hujusmodi jus); tunc enim pessimi quique justos invaderent, ut eos spoliarent ac occiderent, scientes non posse ab eis in talibus circumstantiis interfici». Molina, Disp. XIII.

2 ib. q. CVIII, a. 2.

8. **Scholion.** Praesens doctrina valet non tantum pro vita membrorumque integritate servanda, sed etiam *pro defensione bonorum maximi momenti, seu quae tanti quanti vita aestimantur, et quorum amissio irreparabilis est,* servato semper moderamine inculpatae tutelae. Sic v. c. liceret mulieri invasorem pudicitiae etiam cum occisione repellere, si aliter castitatem defendere nullatenus posset; domino bona fortunae magni momenti et *jam possessa* tueri cruenta defensione, si valde utilia aut moraliter necessaria reputantur ad vitae sustentationem. Nec in his et similibus casibus requiritur auctoritas publica, sed sufficit naturae vis efficaciter inducens hominem ad praecavenda mala quae communiter mortem inferunt. «Est quaedam specialis inclinatio naturae, inquit ***D. Thomas,*** ad removendum nocumenta, unde et animalibus datur vis irascibilis separatim a vi concupiscibili. Repellit autem homo nocumenta per hoc quod se defendit contra injurias, ne ei inferantur, vel illatas jam injurias ulciscitur, non intentione nocendi, sed intentione removendi nocumenta»[1]. *Non tamen licet defendere defensione occisiva bona* vel *minoris momenti,* ut esset conservatio unius scuti, vel ad quae *jus inchoatum* habemus, seu *nondum possessa,* vel quorum amissio *reparabilis* est per recursum ad judices, vel multis aliis modis. Ratio est quia, deficiente *necessitate* et *causa proportionate gravi,* salvari nequit moderamen inculpatae tutelae.

Exinde sequitur haec altera thesis:

Cruenta fame vel honoris defensio aut vindicatio cum occisione, vel etiam gravi infamantis vulneratione, juri naturae aperte adversatur.

Nam etsi mediis honestis cuique optimo jure liceat boni nominis aestimationem defendere aut amissam vindicare, cruenta nihilominus occisio aut vulneratio est medium suapte natura ineptum et improportionatum ad famam vel honorem defendendum, aut amissa recuperandum; eo ergo uti non licet ad jus proprium tuendum aut vindicandum. Hinc e vestigio oritur quaestio de duello, de quo in a. seq.

---

1 ib. q. CVIII, a. 2.

Articulus IV

De duello[1]

Summa rerum. - 1. *Historica duelli initia*. 2. *Duelli natura*. 3. *Duelli species - simplex et solemne, ad primum sanguinem et ad mortem, privatum et publicum.—Recensentur celebriora duella publica* (in nota). 4. *In duplici casu licet acceptare duellum privatum*. 5. *Quid tenendum quoad duellum publicum*.—Cajetani *sententia*. 6. Thesis. *Duellum privatum est per se pravum et ideo lege naturae prohibitum*. Probatur. 7. *Duellum privatum est illicitum in suis causis finalibus.—Quatuor causae recensentur; —expugnantur*. 8. *Corollaria*. (Ecclesiae doctrina et modus agendi). 9. *Scholion* (tria pro coronide animadvertenda).

Cum praecedenti quaestione arcte conjungitur disquisitio de intrinseca duelli turpitudine, eo namque vel periculo exponitur vel violenter et de facto vita alterius abscinditur.

1. Duellum, graece *μονομαχία*, singulare certamen, *a barbaris gentibus, auctore diabolo, invectum*, ut loquitur *Benedictus XIV*, potissimum ab irruptione *Longobardorum* in Imperio Romano initia sumit historica. Sunt tamen qui cum *Below* duellandi morem in Hispania ortum fuisse docent. Frequenter deinceps eo utebantur equites medii aevi, et hodie late grassatur per universam Europam inter milites praesertim virosque politicos. A barbaris invecta est singularis haec pugna tanquam *demonstratio judicialis*, litem scilicet finiendi causa, ab equitibus *ad ostensionem dexteritatis et fortitudinis* necnon ad innocentiam *saepe saepius vindicandam;* a recentioribus autem *ad honorem per privatam vindictam resarciendum*. Media aetate barbaries ista, ut pluries, bona fide exercebatur; namque tam duellum quam probationes (pruebas) rudiores illi populi tanquam media divinitus approbata ad veritatem justitiamque detegendam habebant. Eadem aetate ad finem vergente et deinceps per plures annos *torneamentorum* usus (torneos) apud nobiles adeo percrebuit ut solum in *Gallia*, ne multiplicemus exempla, ab electione *Henrici IV* in

---

1 Salmantic., tract. XXV, c. I, Punct. VII; Ludovicus Caspensis, *Cursus Theologicus*, tract. XVII, Disp. VII, (Lugduni 1643); Reiffenstuel, *Jus. Can. univ.*, Tit. XIV, lib. V; Ballerini-Palmieri, loc. cit., c. II; Lehmkuhl, loc. cit., a. IV; Tanquerey, loc. cit., c. II, § III; Haine, loc. cit., 2. 138-140; Debreyne, *Del suicidio.—Algunas reflexiones sobre el duelo considerado bajo los puntos de vista religioso, social y legal*; Taparelli, *Ensayo*, lib. II, c. IV, n. 393-398; Pacetti, p. III, c. II, a. 4; Costa Rossetti, p. II, sect. III, § 2; Boylesve, § 141; Noget-Lacoudre, *Ethica*, p. III, c. II, § 1, n. 2; Ferretti, sect. III, § 2; Willems, loc. cit. § 2; Farges et Barbedette, c. IV, a. 1; De Bie, *Jus. Nat.*, c. 1, a. 4, § 1; Letainturier-Fradin, *Le duel a travers les ages*, (París, 1892).

Francorum regem usque ad 1607, id est, tredecim annorum spatio, quatuor mille perierint; mos siquidem erat his aliisque similibus ludis in civicis solemnitatibus populorum animum relaxare, neque Ecclesia potuit barbarum duellandi morem penitus extinguere, quamvis nihil intentatum unquam a *Nicolao I Pontifice* usque ad *Leonem XIII* reliquerit ad hujusmodi cruentam barbariem convellendam[1].

2. Jam vero, duellum presse sumptum definitur: *Singulare certamen inter duos vel plures, armis ad occidendum vel ad graviter vulnerandum aptis, ex condicto susceptum.* Est ergo pugna unius contra unum vel plurium contra plures, paucos tamen; namque si numerus ex utraque parte pugnantium adeo excresceret ut exercitum seu multitudinem componeret, non esset duellum, sed veri nominis bellum. Exempla ex antiquis commemorat ***Grotius*** inter singulos utrinque ***Aeneam*** et ***Turnum, Menelaum*** et ***Paridem;*** inter binos utrinque ***Eatolos*** et ***Eleos;*** inter ternos utrinque ***Horatios Romanos*** et ***Curiatos Albanos;*** inter tricenos utrinque ***Lacedaemonios*** et ***Argivos***[2]. *Ex condicto,* id est, *pacto initum,* seu mutuo consensu, non autem casu et ex improviso, ut distinguatur a rixa vel suipsius defensione; debent ergo convenire duellantes de loco, tempore et armis; duelli tamen naturam non exuit etiamsi armorum electio fiat in ipso congressionis loco. *Arma* debent esse ad occidendum aut graviter vulnerandum idonea, v. gr. ensis, scopletum; pugnare autem baculo, virga, pugillo aut alio levi instrumento non induit rationem duelli.

3. Duplex distinguitur duellum, *solemne,* quod non debet cum publico identificari, nam et privatum potest esse solemne, et *simplex.* Primum celebratur sub certa forma certisque caeremoniis, adhibitis nempe testibus, patrinis, missis litteris provocatoriis etc. Alterum quod his caret caeremoniis. Essentiale in duello est pactum praecedens.

Utrumque potest esse *ad mortem* quando suscipitur vel provocatur cum intentione occidendi licet mors de facto non sequatur; vel ad *primum sanguinem,* si nempe duellatur adjecta conditione litem finiendi vulnere vel levissimo inflicto.

Praecipua autem duelli divisio est in *publicum* et *privatum.* Primum est quod auctoritate publica et ob bonum commune initur; alterum vero quod a privatis et pro privata causa suscipitur[3].

---

1 Legantur Epist. Nicolai I *ad Carolum Calvum*; Concil. Later. de *Torneamentis*; Const. Pii IV. *Ea quae a Praedecessoribus*; Bened. XIV, Const. *Detestabilem*; Leon. XIII, *Pastoralis officii*, 12 Sept. 1899, ad Episcopos Imperii Germanici et Austrio-Hungarici, *Acta S. Sedis*, vol. XXIV, pag. 203.

2 *De Jure belli et pacis*, lib. III, c. 2, § 43.

3 Publica fuere duella inter Davidem et Goliath, inter S. Wenceslaum et Corimensem pluraque alia. Ex historia hispanica tria celeberrima commemorare possumus.

4. His positis quaeritur ***an duellum sit necne licitum.*** Duellum *privatum* privata vel etiam publica auctoritate susceptum est illicitum, tum in se, tum in suis causis finalibus. Duobus tamen in casibus potest esse licitum *acceptare* duellum: *a)* «quando scilicet accusator evidenter calumniatur et praevalet contra me innocentem ad mortem vel mutilationem. Tunc enim ex quo accusator impetit me judicis gladio injustissime et sine dubio occidet vel mutilabit me, ego, non habens aliud refugium, habeo justum bellum defensivum contra eum et propterea, si ipse offert mihi duellum, ego possum acceptare de consensu Principis et tueri me meliori modo quo possum. Hoc enim, licet secundum apparientiam sit duellum, secundum veritatem non est nisi defensio contra invadentem me personaliter ad mortem vel mutilationem» [1]; *b)* quando injustus invasor velit me occidere nisi duellum acceptem. Tunc, si aliter non possum evadere, licite admitto duellum tanquam medium necessarium ad meam defensionem [2].

5. Quoad duellum publicum, *a)* communiter conceditur licitum esse, dum modo *ob bonum commune,* seu pro causa publica sumatur, v. gr. ad finiendum bellum inter duas nationes, annuentibus summis potestatibus [3]; *b)* nec de ejusdem liceitate ambigere fas est cum initur ex manifesta Spiritus Sancti motione, ut in ***Davide*** adversus ***Goliath*** et in ***S. Wenceslao Bohemiae*** duce contra ***Corimensem,*** quo in casu vere fuisse, ut in primo, ex impulsu Spiritus Sancti patet ex eo quod visi sunt angeli arma ministrantes et dicentes adversario:

I. Refert Archiepiscopus D. Rudericus Jimenez de Rada, quod cum Alfonsus VI, precibus, ut creditur, sponsae suae Constantiae motus, vellet Romanum Ritum inducere et Gothicum abrogare, populo recusante, appellatum est ad duellum. Joannes Ruiz de Matanzas qui nomine populi pugnabat pro Ritu Toletano (Muzárabe) victor evasit. Rex tamen noluit acquiescere, quamobrem lis finienda proponitur ignis probatione. Igni ergo tradita sunt duo exemplaria unum romanum ritum, aliud ritum gothicum continens, ex quo incolumis evadit codex toletanus proindeque magis firmatur populi votum; nihilominus per regium edictum, episcopis annuentibus, abolitum est gothicum officium: hinc natum est illud adagium: *Allá van leyes do quieren reyes.* Hist. lib. VI, c. 5. II. Aliud celeberrimum duellum provocatum paratumque fuit inter Carolum Anjevinum et Petrum Aragoniae regem in civitate Burdigalensi, quae tunc temporis subjecta erat ditioni Eduardi Angliae regis. Cum autem Anjevini insidias Petro pararent in ipso congressionis loco, Petrus, re cognita, Burdigalem adiit, locum duelli per gyrum circuivit, gestorum acta levavit et post actuum scriptionem rediit in Hispaniam. Martinus autem IV duellum sub poena excommunicationis prohibuerat. *Historia de España* por D. Victor Gerbhart, tom. III, c. 34. III. Speciem duelli publici quoque prae se fert factum illud quod ipsemet auctor tradit ad an. 980, nobilis scilicet militis christiani exercitum Almanzoris per diem exprobantis dum e castris hispanicis exiens ut fortis armatus clamabat: Quis mecum certare quit? certavitque de facto cum pluribus mahumetanis singillatim glorioseque.

1 Cajet. in II-II, q. XCV, a. 8.

2 Cfr. De Lugo, *De Just. et jure,* Disp. X, n. 173.

3 Lugo, ib.; Tanquerey, *Synopsis Theolog. Moralis, De Virtute Justitiae,* c. II, § III.

Ne ferias; *c)* ***Cajetanus*** docet alienam esse naturam duelli a natura justi belli tam defensivi quam vindicativi; et ideo generatim loquendo duellum publicum, etiam ob bonum commune susceptum, v. gr. «cum inter duas patrias est bellum et, parcendo multitudini, resolvitur de consensu partium totum bellum in duellum, ut legitur de ***Cosroe*** filio et ***Heraclio***», illicitum esse. *d)* Fatetur tamen clarissimus ***D. Th.*** interpretes, «quod in casu quo pars habens justum bellum cognoscit vires suas, et quod oportet aut confligere et succumbere aut acceptare duellum, quod licite acceptat duellum. Transfert enim quasi certum casum in dubium et in spem victoriae utendo omnibus suis viribus. Nec solum licitum est tali parti in praedicto necessitatis articulo constitutae acceptare sed etiam provocare tale duellum, resolvendo bellum in duellum. Quoniam ex parte sui utitur omnibus viribus suis melius in duello quam in bello, et propterea non peccat. Ex parte vero alterius partis supponit quod habeat bellum injustum et non solum ille qui in duello comparebit sed omnes parati sunt ad invadendum injuste patriam vel exercitum, personas etc. At per hoc offerendo duellum abducuntur a majori malo, auferendo materiam majoris mali, non ut faciat totum hoc, scilicet minus malum, sed ut facturi malum peccent minus» [1].

6. Jam, quaestionem ad duellum privatum restringentes, sit

Thesis. Duellum privatum est per se pravum et ideo lege naturae prohibitum [2].

Prob.

1) Duellum privatum intrinsecam praesefert tum *homicidii*, tum *suicidii* malitiam; nam duellantes absque gravi et proportionata causa et de propria vita pro libito disponunt, dum facultatem sibi mutuo conferunt in proprium corpus, et vitam alterius eripere, vel vulnus saltem infligere, intendunt [3]; ergo duellum est per se pravum et lege naturae prohibitum.

2) Adversatur naturali hominis inclinationi. «Hoc enim, ajente

---

1 In I-II, q. XCV, a. 8.

2 Cfr. Bautain, *Philos. Morale*, tom. II, § 114; Taparelli, *Ensayo*, n. 303 et sqq.; Waffelaert, *De justitia*, n. 78-80.

3 «Qui ad privatum certamen provocant vel oblatum suscipiunt, hoc agunt, huc animum viresque intendunt, nulla necessitate adstricti, ut vitam eripiant aut saltem vulnus inferant adversario». Leo XIII, loc. cit. «Quare obscurum nemini ant dubium esse potest, in eos, qui privatim praelium conserunt singulare, utrumque cadere et scelus alienae cladis, et vitae propriae discrimen voluntarium». ib. Cfr. Stadler, S. J., *Tract. de duello*, (Ingolstadii 1751); Cauchi, *Du duel* (Paris 1846).

Cicerone, et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent».

3) Qui duellum init, etiam ad *primum tantum sanguinem,* ipso facto, temere propriam vitam vel membrorum integritatem periculo exponit; atqui exponere propriam vitam vel membrorum integritatem absque justa et gravi causa illicitum evadit; nam «quando periculum nascitur ex ipso facto, tunc factum illud non est expediens» [1], ut docet ***Angelicus;*** ergo. Solus Deus, qui in Deuteronomio ait: *Ego occidam et ego vivere faciam* [2], est arbiter vitae et mortis; hominibus ergo non licet de ea quando et quomodocumque voluerint disponere.

4) Duellantes item injuriam irrogant societati, triplici potissimum ratione *a)* quia est de ratione partis quod concurrat ad integritatem et bonum totius; per occisionem autem vel mutilationem, quam duellantes intendunt, quamvis non semper sequatur, destruunt quantum in se est integritatem et bonum societatis; *b)* quia usurpant judicium et facultatem quae nonnisi ad publicam auctoritatem spectat. Nam «occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis, et ideo ad illum solum pertinet cui committitur cura communitatis conservandae, sicut ad medicum pertinet praecidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem. Et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis» [3]; *c)* perturbatur ordo socialis et barbarorum mores denuo regnare inciperent, si privata manu et libidine ulciscendi, jura tueri liceret [4].

7. **Confirmatur.** Duellum privatum est illicitum in suis causis finalibus. Quatuor potissimum numerantur causae propter quas ordinarie provocatur vel suscipitur privatum certamen nempe, *a) manifestatio veritatis, b) ostentatio virium, c) reparatio honoris laesi* ex parte provocantis et *evitatio ignominiae* ex parte acceptantis et *d) terminatio litis;* atqui duellum nequit esse medium ordinatum ad praedictos fines consequendos; ergo est illicitum, cum ad hoc quod actus moralis sit licitus oporteat medium esse fini proportionatum. Minor ostenditur per partes.

a) Singulare certamen, de quo loquimur, nequit esse medium natura

---

1 II-II, q. LXXXVIII, a. 4, ad 2.

2 XXXII, 39.

3 II-II, q. LXIV, a. 3.

4 «Vix ulla pestis est quae a civilis vitae disciplina magis abhorreat et justum civitatis ordinem pervertat quam permissa civibus licentia ut sui quisque adsertor juris privata vi manuque, et honoris, quem violatum putet, ultor existat». Leo XIII, loc. cit.

sua proportionatum ad manifestandam veritatem, justitiam aut innocentiam duellantium. Qui enim confidit quod victoria ex adversario reportata testis erit veritatis, inducit in testimonium quod non est testimonium; constat siquidem habentem jus saepe saepius succumbere in duello. Et ratio est quia victoria *vim, dexteritatem,* aut *fortunam* nonnunquam consequitur.

b) Pariter esse contra rectam rationem mortis aut vulnerum periculo vitam exponere ob solam vanitatem vel exercitationis causa, quis consulto negabit? «Ea etiam animi elatio, inquit *Tullius,* quae cernitur in periculis et laboribus, si justitia vacat propugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est, non enim modo id virtutis non est, sed potius immanitatis omnem humanitatem repellentis»[1].

c) Finis autem principalis ob quem hodie tot provocantur et suscipiuntur duella est reparatio honoris laesi ex parte provocantis et evitatio ignominiae ex parte acceptantis, ne scilicet tanquam vilis, timidus aut formidolosus habeatur; quo fit, ut in morem quoque inductum videamus hujusmodi crimina, non duella, sed, pulchro nomine intrinsecam eorumdem turpitudinem celante, *lances de honor* nuncupari.

Verum hujusmodi certamina admodum desproportionata sunt ad honorem provocantis reparandum. «Quamvis enim e certamine victor decedat qui, injuria accepta, illud indixit, inquit pulcherrime *Leo XIII,* omnium cordatorum hominum hoc erit judicium, *tali certaminis exitu viribus quidem ad luctandum, aut tractandis armis meliorem lacessentem probari, non ideo tamen honestate potiorem;* quod si idem ipse ceciderit, cui rursus non inconsulta, non plane absona haec honoris tuendi ratio videatur?»[2] Item, ajente *Angelico Praeceptore,* «honor est testimonium de virtute ejus qui honoratur, et ideo sola virtus est causa honoris»[3]; non igitur reparatur honor duello, sed ratione et virtute[4].

Nec ex parte suscipientis provocatum certamen vitatur ignominia, sed potius augetur; quoniam, etsi acceptatio duelli influere tantillum possit in rudes, ne scilicet ab eis tanquam segnes aut ignavus habeatur, cordatorum tamen animum minime commovebit, quippe qui, optimo sane consilio ducti, eos speciali honore dignos censent qui inania vulgi judicia spernere et officia erga Deum, erga seipsum et proximum adimplere sciunt. Patet autem honorem *haud secundum stultorum opinionem sed secundum rei veritatem* et judicium sapientum aestimandum esse[5]. Namque «si officia

1 *De Offic.* lib. I, 19.

2 loc. cit. Unde ipsemet Rousseau: «Gardez-vous de confondre le nom sacre de l'honneur avec ce prejuge feroce qui met toutes les vertus a la pointe d'une epée et n'est propre qu'afaire de braves scelerats. En quoi consiste ce prejuge? Dans l'opinion la plus extravagante qu'on n'a jamais tort avec un homme, pourvu q'un le tue». Apud Farges, loc. cit.

3 II-II, q. LXIII, a. 3.

4 Pluribus in locis instituta sunt *tribunalia honoris* ad duellorum praxim extirpandam. In eumdem finem conspirant recentes *societates antiduellistae* (Ligas contra el duelo), quae ab an. 1900 optimos fructus ferunt, in Germania opera principis Caroli de Löwenstein, adlaborante in Italia marchione Crispolti, in Hispania baron de Alby et in Austria domina de Schwartzenberg.

5 D. Th., II-II, q. CXXX, a. 2 ad 3.

hominum, inquit *Leo XIII*, ex falsis vulgi opinionibus dimetienda essent, non ex aeterna recti justique norma, nullum esset naturale ac verum inter honestas actiones et flagitiose facta discrimen. Ipsi sapientes ethnici et norunt et tradiderunt fallacia vulgi judicia spernenda esse a forti et constanti viro»[1]. Timidi quippe et degeneris animi est provocantis audaciam patienter et fortiter non sustinere. «Nec vero audiendi, scribit ipsemet *Cicero*, qui graviter irascendum inimicis putabunt idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia»[2]. Brevius *S. Bonaventura:* «Virtus fortitudinis consistit per modum supportationis et tolerantiae»[3].

d) Demum. Inire duellum ad finiendam litem sive civilem sive criminalem prorsus irrationale videtur. Etenim cum ad dissidia inter cives componenda plura suppetant media licita, nullumque possit excogitari litigium quod humanissime terminari nequeat vel amica dissentientium compositione vel judicum arbitrio sententiaque, pugnat certe cum ratione eligere tanquam medium certamen illud quod a *suicidii* et *homicidii* reatu expers non est atque *bestialitatis* notam haud fugit. Nonne hi sunt mores belluarum, quae unguibus ac dentibus lites finiunt?

8. **Corollarium primum.** Quae cum ita se habeant jure *Bened. XIV* damnavit «*exitiosam* duellorum licentiam, qua regnorum tranquillitas, populorum securitas atque incolumitas, neque corporum solum, sed, quae nullo modo aestimari potest, aeterna animarum vita certo periclitatur» (loc. infra cit.)[4].

Corollarium alterum. Ergo Ecclesia Catholica bene meretur de societate, cum jus naturae muniens, excommunicationi ipso facto incurrendae et R. Pontifici simpliciter reservatae subjecit «duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permitentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint etiam regalis vel imperialis»[5]. Hodie in omnibus fere nationibus parantur

---

1 loc. cit.

2 *De Offic.*, lib. I, 25.

3 III *Sent.* Dist. XXXIII. Dub. 5. Merito Alexand. VII, sequentem damnavit propos.it: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Et Bened. XIV: Vir militaris qui nisi offerat vel acceptet duellum tanquam formidolosus, timidus, adjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum». Const *Detestabilem* 10 Nov. 1752. Id hodie prosequuntur docere nonnulli cum Paulsen. Verum ratio ipsa demonstrat duellum etiam in hoc casu esse lege naturae prohibitum.

4 Cfr. *Concil. Trid.* Sess. XXV, c. XIX.

5 Const. Pii Pp. IX, *Apost. Sedis.*

aut jam promulgatae sunt leges poenales ad hujus criminis extirpationem [1].

9. **Scholion.** Denique pro coronide sequentia subjicimus: 1) non licere simulare seu fingere duellum; cum enim hujusmodi singulare certamen sit actio per se prava et inhonesta planum est vetitam esse lege naturae ipsius quoque simulationem; 2) rationes supra expositas vim pariter habere contra duella ad *primum sanguinem*, quae *non fatalia* quandoque vocantur; 3) etiam si quis certo sciret duellum ab aliis esse impediendum, illicitum esse illud offerre aut acceptare; 4) demum prohibita quoque jure naturae censenda esse duella *academica*, quae in nonnullis regionibus praesertim in Germania exercendi causa iniri solent inter scholares, et vulgo dicta *mensurae*. Ea sic breviter describit ***Tanquerey:*** «Academiarum scholares, parvo quodam cultro utentes, sibi in faciem incisionem seu vulnus inferre conantur, ceteris partibus corporis bene tectis; in his non intenditur mors aut mutilatio, nec semper vindicta aut honoris reparatio, sed saepe fortitudinis ac roboris exhibitio; rarissime mors aut grave vulnus exinde sequitur» [2].

Articulus V

De Jure Proprietatis (Quaestio socialis) [3]

Claritatis gratia in plures paragraphos articulum dividimus, ne immensa materiarum seges, quae ad hanc quaestionem solvendam necessario congeruntur, coacervatim tradita, mentem discipulorum obruat.

---

1 Cfr. *Questions actuelles*, 18 Jan. 1913. La repression du duel. En España está penado el duelo por los arts. 439-437. *Código Penal*, lib. II, tit. VIII.

2 loc. cit. n. 343; Cfr. Disceptat. Synopt. scriptam occasione infrascriptae resolutionis S. C. Concilii. *Acta S. Sedis* vol. XXIII, pag. 235 et sqq. Proposito dubio, an et a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur quando duellum ea ratione committitur qua his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solent in casu. S. Congregatio Conc. re disceptata sub die 9 Augusti 1890, censuit respondere: Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia juris. Ex quibus infert inter alia Auctor Disceptationis Synopticae: «Duellis in themate omnia esse elementa quae veris duellis conveniunt haud dubitari posse videtur; nam effera sunt certamina quae rectae rationi et legibus Ecclesiae repugnant ex iis motivis ac si cum periculo occisionis aut mutilationis instituerentur».

3 Cum impossibile sit omnia opera alicujus momenti quae circa praesentem quaestionem variis linguis edita reperiuntur in notula recensere, aliqua dumtaxat ex his quae gallico vel hispano sermone scripta circumferuntur indicabimus. Inter ea cfr. Balmes, *La Sociedad*, t. 4, (Barcelona 1873); Donoso Cortés, *Ensayo sobre el Catolicismo, el Liberalismo y el Socialismo*, (3.ª ed. Madrid 1880); Liberatore, *Principios de economía política*, (vers. esp. Madrid 1890); P. Félix, *El Socialismo ante la sociedad*, trad. de José M.ª Carulla (2.ª ed. 1879); Henry Eward Manning (Cardin.), *La question ouvrière et social* (trad.) París, B. M.; L. Naudet, *Le Christianisme social, Proprieté, Capital et Travail* (París 1898); Carpart, S. J., *La proprieté individuelle et le Collectivisme* (Namur 1898); F. Play, *La*

§ 1

ADUMBRATUR QUAESTIO

Summa rerum.—1. *Quaestionis socialis notio et ambitus.* 2. *Causae ex quibus proxime orta videtur ingens, quam patimur, jactura (crisis) oeconomico-socialis.* 3. *Momentum quaestionis.* 4. *Prompta ejusdem solutio unde exspectanda.* 5. *Principium fundamentale.* 6. *Punctum controversiae Ecclesiam inter et Socialismum.*

1. Quamvis nonnulli doctores universam pene Sociologiam, integrum nempe tractatum de societate, sub nomine et ambitu sic dictae *quaestionis socialis* comprehendant, alii tamen ad justam salarii definitionem, vel ad mutuas inter opifices dominosque relationes quaestionem socialem contrahendam esse arbitrantur. Crediderim vero primam sententiam justo latiorem, alteram strictam nimis praefato vocabulo significationem imponere. Unde eo nomine, attenta vulgari ejusdem acceptione, *omnia problemata designanda* censemus *quae ad jus proprietatis spectant, et ad ipsum propius accedunt,* ut quaestio de opificum labore justoque laboris pretio[1].

---

organisation du travail (París 1878); Antoine, S. J., *Cours d'Economie sociale*; Georges Goyau (Leon Gregoire), *Le Pape, les catholiques et la question sociale* (París, Perrin); Max Turmann, *El desenvolvimiento del Catolicismo social desde la Enciclica «Rerum novarum»*, trad. de Severino Aznar; Gutiérrez de la Peña, *Breves consideraciones acerca de la cuestión económica social en nuestro tiempo*; Amando Castroviejo, *El problema social y su solución* (Granada 1893); *El programa económico cristiano* (Madrid 1904); J. Toniolo, *Orientaciones y conceptos sociales al comenzar el siglo XX* (versión castellana de S. S., S. J.); Onclair (l'Abbé), *Causes et Remedes du Socialisme*; G. Ballerini, *Análisis del Socialismo contemporaneo*, traducción de D.ª Paulina Crusat de Eguiluz (Madrid 1902); J. Biederlack, S. J., *La cuestión social*, trad. de la 7.ª ed. alem. por el P. Antonio de Madariaga y D. Pedro de Obregón (Burgos 1908); Ernesto Guitart, *Nociones de Ecomía social* (Barcelona 1910); L. Garriguet, *Tratado de Economía social según los principios de la Teología católica. La propiedad* (versión española de A. Suárez Malfeito); *El trabajo* (vers. de Juan García Bote); Brants (Victor), *Las grandes líneas de la economía contemporánea* (versión española y prólogo de D. Juan de Hinojosa); Rossignoli, *La familia, el trabajo y la propiedad en el estado moderno*, trad. de Damián Isern (1911); M. Arboleya, *Balmes precursor de Ketteler* (Barcelona 1912); Weis, *Apolog. del Cristian.*, t. VII, Confer. XII; Claudio Jannet, *Le socialisme d'Etat et la Réforme social* (París 1889); Schwalm, O. P., *Leçons de Philosophie social*, t. 1. *La famille ouvriére* (París 1910), t. 2. *Le Patronat et les Asociations. La societé politique* (París 1912); José Schrijvers, *Manual de Economía política* (Barcelona 1912); Teodoro Rodríguez, O. S. A., *Estudios sociales* (Madrid 1912).

1 «La cuestión social. De todas las cuestiones actuales es la más vasta y compleja, ya que es resumen y recapitulación de todas las cuestiones peculiares de la época. Y es al propio tiempo consecuencia necesaria de todas las situaciones creadas por las ideas modernas, en los diferentes dominios de la vida industrial, comercial, intelectual, moral y jurídica». Alberto M.ª Weiss, O. P., *Apolog. del Crist.*, p. V, Conf. XXI.

«Es la cuestión social una parte de la economía política. La cuestión social ni en sí mis-

2. Praesentem revolutionem socialem tres praecesserunt causae hodiernum Socialismum generantes, scilicet: *a)* revolutio *industrialis, b) philosophico-politica* et *c)* revolutio *religiosa.*

a) Recens perfectiorum *machinarum* inventio earumque ad artes mechanicas applicatio magnam induxit revolutionem in rebus artefactis. Illae siquidem machinae novaque scientiarum naturalium inventa, vapor, electricitas, et sexcenta hujus generis alia, *laborem mechanicum,* manuum labori ex parte substituunt productionemque multiplicant. Exinde *machinismus* 1) minuit in fabricis operariorum numerum, opes vero patronorum supra modum auget; 2) multi ex illa causa dimissi, necessitate coacti, ne fame pereant, pro salario ad se suosque alendos plane insuficienti, conducuntur; 3) destruit etiam exiguas illorum artificum industrias qui, nec nova inventa comparare, nec bellum seu *competentiam* magnis fabricis indicere possunt[1], proindeque ex hac quoque parte adauget proletariorum exercitus, qui graviorem in dies penuriam patientes, ira excandescunt adversus dominos et actualem societatis constitutionem susdeque vertere conantur. Hinc superbus luxus, cui divites indulgent. Hinc invidiae et cupiditates pauperum. Inde enascitur execrandus *plutocratismus* et ferox *pauperismus,* illa denique funesta civitatis divisio in duo hominum genera invicem mortaliter infen-

---

ma ni atendiendo a su origen y desarrollo, debe identificarse con el socialismo... Tampoco comprenden la naturaleza y el alcance de la cuestión de que tratamos, los que creen que se confunde con la cuestión obrera o la cuestión del salario». Biederlack. El entiende por «cuestión social la que trata de la naturaleza, causas y remedios de la actual crisis económica y social». Idem docet Gratacós, n. 275.

Para la *escuela socialista,* la cuestión social es la cuestión de saber si una clase será indefinidamente explotada por la otra, y si el obrero está condenado o no a permanecer hasta el fin paria o ilota de nuestra sociedad carcomida». Lasalle.

Para la *escuela liberal,* «la cuestión social consiste en la busca de los medios que permiten a la clase obrera alcanzar su más grande desenvolvimiento y una participación en los bienes materiales de la civilización». L. Brentano.

Para la *escuela católica.* «Bajo el nombre de cuestión social, se busca el modo de remediar los numerosos males económicos que la sociedad contemporánea sufre, para establecer un orden social mejor». Cathrein. Apud Garriguet, P. S. S., *Introducción al Estudio de la Sociología,* t. I, p. I, § II, pag. 7. Libenter subscribimus sequentis ejusdem auctoris sententiae: «Todos los problemas sociales que se agitan a nuestro alrededor pueden enlazarse con estas dos grandes cuestiones, a saber: la cuestión de la *propiedad* y la del *trabajo.* Si no ha de ser insuficiente un ensayo de sociología debe tratar ambas a fondo y para ser completa le basta concretarse a ellas, porque en ambas se resume toda la materia y no se puede discutirlas seriamente sin tocar por eso mismo todos los puntos que tienen alguna importancia sociológica». L. Garriguet, *Tratado de economía social según los principios de la Teología católica. La propiedad,* pag. 13.

1 Acerca de los inconvenientes que ofrece el trabajo con las máquinas en el orden físico y moral, véase el P. Antoine, *Curso de Economía social,* y el citado Garriguet, I p. de los *Estudios sociales,* § III, en las notas. «*La vida de la fábrica, desenvuelta por el maquinismo, hiere gravemente a la familia, que es la célula madre de la Sociedad*».

sa, in *capitalistas* et *proletarios* seu opifices, inde scilicet hodiernus *Socialismus* [1].

b) Norunt omnes Gallicam Revolutionem quae circa finem saec. XVIII cunctas Europae civitates graviter concussit, praeparatam fuisse philosophica Encyclopedistarum opera. Verum tum illa philosophiae traditionalis immutatio, tum *novi juris*, uti dicunt, principia ad regendas societates applicata viam *Socialismo* complanarunt. Revolutio namque cum philosophica tum politica 1) omnium civium aequalitatem, 2) exaggeratam cogitandi, scribendi, loquendique licentiam, 3) autonomam et inalienabilem populi suprematiam, deletis Cleri nobilitatisque privilegiis, velut totidem sacratissima jura proclamavit; 4) odium quoque proletariorum in dominos et principes excitare non destitit; 5) ecclesiastica demum bona, pauperum scilicet patrimonium, usurpavit dissipavitque. Quibus positis, nova necessario successit civitatis constitutio, nova inter dominos opificesque relatio. Verum haec in malum proletariorum plusquam divitum cessit [2].

Praedictam revolutionem philosophico-politicam originem dedisse *Socialismo* non obscure indigitat ***Leo XIII*** in Epistola Encyclica de *Conditione Opificum* pereleganter incipiens: *Rerum novarum semel excitata cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecuturum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent* [3].

c) Demum inter praecipuas Socialismi causas recensenda videtur religionis defectus tam in dominis quam in operariis multis.—Et re quidem vera. Quemadmodum sola religio divina obnoxiam illam delevit servitutem, qua ante Cristum Dominum major pars humani generis in vinculis tenebatur, licuit enim poetae dicere

paucis humanum vivit genus,

1 A estas causas añade L. Garriguet otras pertenecientes al orden ecouómico, a saber: La revolución que se ha operado en los medios de transporte.—El desenvolvimiento creciente de la grande industria y del comercio.—El advenimiento del capital anónimo e irresponsable.—El amor al lujo, el gusto del derroche y la sed de hacer fortuna en poco tiempo.—La creciente omnipotencia de la alta banca.—El predominio de las ideas manchesterianas y de las teorías paganas de la Escuela liberal.—La inseguridad en que vive el obrero, pág. 20-33. Añádase a estas causas «la *voraz usura* que vino a aumentar el mal, como dice León XIII, la cual, aunque más de una vez condenada por sentencia de la Iglesia, sigue siempre bajo diversas formas la misma en su ser ejercitada por hombres avaros y codiciosos». *Rerum novarum*.

2 Cfr. P. Ant. Vicent, *El problema agrario resuelto por los Sindicatos agrícolas.*—Manual práctico para la fundación de Sindicatos agrícolas, arreglo, prólogo y notas de R. Iranzo Goizueta, pág. 28 y sigs. (Conferencias pronunciadas en la Asamblea social de Zaragoza, Oct. 1908); Augusto Nicolás, *Del Protestantismo y de todas las herejías en su relación con el Socialismo* (trad. de D. Joaquín Roca y Cornet, 2.ª ed. Barcelona 1863). Ern. Guitart, *Nociones de Economía social*, c. V.

3 15 Maii 1891.

sic adjecta religione, quae tot tantaque bona memoratu digna attulit societati, consequens erat, ut haec in profundum malorum praeceps dilaberetur, bellum atrox inter paucissimos divites et ingentes pauperum turbas excitando. Pax enim inter opifices dominosque diu subsistere neutiquam potest absque mutua eorumdem consideratione et reverentia. Verum 1) domini haud raro humanitatis expertes, aequioribus justitiae caritatisque officiis posthabitis, operarios, non ut fratres hominesve rationali dignitati pollentes, sed tanquam *mera productionis instrumenta,* quibus, instar machinae, frequenter abutuntur ad augendas divitias explendasque insaciabiles appetitus voluptates considerant. Horum conditio pejor nonnunquam est veteri mancipiorum conditione [1].

2) Opifices vero, quibus fidem in Deum et christianam in adversis sufferentiam impii substraxerunt, non solum haud reverentur dominorum auctoritatem, sed eos uti veros salarii pauperum depraedatores crudelesque tyrannos spectant. Nihil autem mirum si, sublata religione, et domini crudeliores in pauperes et pauperes infensiores in dies dominis fiunt, sola quippe religio christiana utrosque in officio continere valet, e contra religiosa morum immutatio certe *Socialismum* invexit [2].

3. Ergo quaestionem socialem, uti hodie per antonomasiam passim vocatur haec de jure proprietatis disputatio, silentio praeterire nostris hisce procelosis temporibus nefas esset. Nam, «quanta rerum momenta (in ea) vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri expectatione suspensos; idemque ingenia exercet doctorum, consilia prudentum, conciones populi, legumlatorum judicium, consilia principum, ut jam causa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia vehementius» [3]. Denique momentum hujus quaestionis satis ostendunt

---

1 «Desde el punto de vista económico, dice M. de Molinari—uno de los representantes de la escuela económico liberal—los trabajadores deben ser considerados como verdaderas máquinas; son máquinas que suministran cierta cantidad de fuerzas productivas y que exigen, en cambio, ciertos gastos de sostenimiento y renovación, a fin de que pueda funcionar de manera regular y continua». Apud L. Garriguet, loc. cit. pag. 14 in nota. Se pueden leer, añade este, sin emocionarse profundamente, esas entristecedoras palabras, sin asombrarse de que haya quien exponga tal doctrina?

2 Ad rem Leo XIII. «Plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna undique versentur. Nam veteribus artificum collegiis superiore saeculo delectis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit». *Rerum novarum.*

3 *Rerum Novarum.* La cuestión social es grave: 1.° por razón del número y condición de los individuos a quienes afecta; 2.° por razón de los intereses que pone en juego; 3.° por razón de las cuestiones con que se relaciona (se trata precisamente de la existencia de la *sociedad*, de la *familia*, de la *propiedad* y tal vez se discute la *religión* misma); 4.ª si

et promptam solutionem expostulant, innumera quae in dies augescunt, contra proprietatem crimina [1].

4. Quod si omnibus, divitibus et proletariis, reipublicae moderatoribus subditisque officium incumbit totam hanc pertractare quaestionem et secundum jura suas cuique tribuere partes, id ad philosophum christianum potiori jure spectat, «propterea quod, ajente *Leone XIII,* causa agitur ea, cujus exitus probabilis quidem nullus nisi advocata religione Ecclesiaque reperietur..... Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec causa desiderat, principum reipublicae intelligimus, dominorum ac locupletium, denique ipsorum, pro quibus contentio est, proletariorum; illud tamen sine dubitatione affirmamus, *inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita.* Videlicet Ecclesia est quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius, eademque est quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit; quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis; quae vult atque expetit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur» [2].

---

se atiende a las dificultades que para solucionarla se presentan. (Causa est ad expediendum difficilis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri jura et officia quibus locupletes et proletarios, eos qui rem, et eos qui operam conferant inter se oportet contineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum judicium veri concitandamque seditiose multitudinem passim detorquetur. Leo XIII, loc. cit.) 5.° la cuestión social es grave, en fin por causa de los peligros que demorar su solución entraña. Véanse desenvueltas estas razones en el ya citado Garriguet, § IV.

1 Según una estadística oficial publicada por *La Gaceta del Norte* el 6 de Septiembre de 1911.—Hubo en España en el año 1910: 2.108 disparos de arma de fuego, 15.022 lesiones, 22.957 robos, hurtos y estafas, 20.000 delitos contra las personas, 29.000 contra la propiedad, 24.000 restantes. Resultando de un cuadro comparativo que, de los delitos cometidos en dicho año, fueron: Contra la honestidad 2 %, contra el honor, la libertad, el orden público 18 %, contrabando, imprenta, caza, etc., 7 %; delitos contra las personas 36 %; delitos contra la propiedad 39 %. Desde 1.° de Julio de 1911 a 30 de Junio de 1912 se incoaron en España 29.074 causas por delito contra la propiedad.

2 ib. «El gran defecto de la mayor parte de los que se ocupan en las cuestiones sociales consiste en que con mucha frecuencia atacan el mal superficialmente y á medias, por cuanto el conocimiento que de él tienen es muy limitado. Nadie investiga más que hechos externos fortuitos y razones económicas. Se procede como si toda la cuestión social se redujese á una cuestión de valor, de salario y de estómago. Pero nadie quiere reconocer que en las cuestiones morales basadas en las relaciones sociales la raíz alcanza una profundidad mucho mayor y que todas las mejoras de la situación económica se asentarán en base deleznable hasta tanto que el lazo religioso, moral y jurídico de la sociedad no se restablezca sólidamente y por modo duradero. La mayor, por no decir la única, desdicha de la sociedad consiste en que, en la vida pública están profundamente quebrantadas las bases del orden moral.

Hace ya muchos siglos que se investiga la sabiduría suprema, la prudencia y el talento

5. Porro ad quaestionem socialem rite solvendam *hoc in primis haberi fundamenti instar oportere,* docet Ecclesia, *privatas possessiones inviolate servandas.* E contra, *Socialistae «sollicitata egentium in locupletes invidia, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere,* procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rempublicam gerant. Ejusmodi translatione bonorum a privatis ad commune mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo». Sed eorum ratio est valde injusta et ad contentionem dirimendam prorsus inepta, ut infra videbimus.

6. Quaestio igitur *primaria* inter nos et socialistas, quaeque totius ordinis socialis fundamentum merito dici valet, ad hoc tandem reducitur: *An et quo jure homini competat dominium proprietatis in res materiales exteriores;* vel, aliis verbis: *Sitne licitum privatum possidere dominio perfecto stabiles proprietates.* Affirmant cordati quique philosophi, negant vero socialistae. Sed ante solutionem nonnulla praemittamus.

§ 2

PRAENOTANDA *(Historice)*[1].

Summa rerum. 1. *Communismus ante Christum. a) Plato. b) Cretenses.—Spartiatae, Lacedaemones. c) Romani.* 2. *Critica.—Veterum recentiorumque Communistarum differentia.* 3. *Doctrina christiana.* 4. *Communistae post Christum natum. d) Gnostici, Apotactici. e) Manichaei, Pelagiani, Waldenses, Albigenses, Wicleffitae, Hussitae. f) Protestantes. g) Anabaptistae. h) Thomas Morus. i) Thomas Campanella. j) Encyclopedistae. k) Babeuf. l) Saint Simon hujusque discipuli. ll) Fourier. m) L. Blanc, P. Leroux, Proudhon, Cabet,—hodiernus Socialismus in Gallia, n) in Anglia, o) in Germania, p) in Italia, q) in Rusia, r) in Hispania, s) in Belgio.* 5. *Nihilismus Communismi sequela.—Ex qua parte timendus est Socialismus.*

1) **Communismi ac Socialismi historia.** Hujus erroris semina apud quosdam antiquos philosophos, quorum fuit opinio *omnia bona debere*

político únicamente en la separación del derecho de la moral y de la religión y en la separación de la economía política del derecho, de la moral y de las leyes contenidas en el símbolo de la fe. Esta tendencia ha acabado por producir sus frutos». Weiss, p. V, Confer. XXI.

1 Praeter philosophos et historiographos alias citatos speciatim consuli possunt: Winterer, *Le socialisme contemporain* (4.ª ed. Paris 1904); V. Pareto, *Les systemes socialistes* (Paris 1902); Victor Cathrein, *El socialismo*, versión de la 8.ª ed. alemana por el R. P. Sabino Aznárez, S. J. (Barcelona 1907); J. Rambaud, *Histoire des doctrines econo-*

esse communia, sparsa inveniuntur. Verum maxima inter veteres recentioresque Communistas reperitur differentia: illi siquidem theoretice tantum et intellectualis exercitationis causa, neoterici vero propria divulgarunt placita ut ad praxim statim deducerentur. *a*) Inter antiquos eminet *Plato* (De republica) qui *Socratem* inducit asserentem oportere ad rectam civitatis constitutionem unitatemque servandam liberos, uxores, rei familiaris facultates ac fortunas esse communes, quem nervose refutat *Aristoteles*[1]. *b*) Nonnulli auctores altius Communismi radices fixas inveniunt; putant siquidem circa an. 1300 ante Christum quamdam communismi speciem in insula Creta in usu fuisse, quamque *Licurgo* pro Spartiatis et Lacedaemoniis mutuavit. *c*) Alii constitutionibus communistis adnumerant leges agrarias *Licini* et *Tiberii Gracchi;* nec desunt inter socialistas hujus temporis qui in servorum sublevationibus, uti quae, duce *Spartaco,* locum habuit in Italia ante Christum an. 71, recentis proletariorum conatus pro libertate a locupletium tyrannide acquirenda fausta videant initia.

2. Verum 1) hujusmodi servorum rebelliones in Italia, quemadmodum et Penestarum apud Thessalios et Ilotarum in Lacedaemones, non fuerunt ortae ex intentione privatam proprietatem convellendi sed libertatis individualis recuperandae causa[2]. 2) Roma nunquam lege aliqua sancivit communismum; nam, praeter agrum publicum, aderat simul ager privatus, nec cum *Tiberius Gracchus* magnatum divisit proprietates aliud fecit quam servos et plebeios mediocri ditare fortuna. 3) In Creta aliqua certe fecit legislator communia, sed eo tantum fine, juxta Aristotelem[3], ut fierent quaedam convivia publica civibus secundum aliqua tempora ad hoc instituta ut inter eos major familiaritas esset. 4) Idem dicendum de legibus latis pro regimine civitatum a *Solone, Hyppodamo, Phalea* aliisque, quos reprehendit ipsemet *Aristoteles*. 5) Nullus ergo ante Christum docuit proprie et systematice Communismum nec potuerunt diu subsistere leges plus minusve communistae, nec ad praxim reduci. Nam Lacedaemonia v. gr., post bellum Peloponense adeo a vi, qua cohibita erat, sese extrincavit ut aequalitas illa constituta a *Licurgo* in civitate militari potius quam sociali in maximam inaequalitatem evaserit[4]. Et de Republica Platonis loquens *Cicero* ait: «Princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, arcam sibi sumpsit in qua civitatem extrueret arbitratu suo, praeclaram quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et a moribus»[5]. Et breviter

---

miques (Paris 1899); Castelein, S. J. *Le socialisme et le droit de proprieté* (Bruxelles 1899); P. Ant. Vicent S. J., *Socialismo y anarquismo* (Valencia 1895) p. I, c. VI; Vermeersch, *De justitia*, q.V, c. I, a. 1; L. Garriguet, P. S. S. *Introducción al Estudio de la Sociología*, traducido de la 2.ª ed. francesa por Ricardo de Iranzo Goizueta; Idem *La Propiedad*; Llovera (J. M.ª) C. C., *Tratado Elem. de Sociología cristiana* (Barcelona 1909) c. IV, a. III, § 3; Weiss, loc. cit. Confer. IV y Apéndice; Engelbert Käser, *Los socialistas pintados por sí mismos*, vers. españ. de la 4.ª ed. alem. por Domingo Miral.

1 II *Polit.* per totum.

2 Vide sermonem ab Spartaco prolatum apud P. Lacordaire, Confer. XXV.

3 II *Polit.* Cfr. ib. S. Thom., lect. V.

4 Arist. ib.

5 *De Republic.*, lib. II, c. 2.

Arist. dixerat: «Homini duo sunt vitae seu sollicitudinis incitamenta: proprietas et affectus. Nulla autem haec in Platonis Republica» [1].

3. Adveniente vero Redemptionis tempore, Christus Dominus veram germanamque proclamavit omnium hominum libertatem, aequalitatem fraternitatemque universalem, imo cunctis notum est apud primaevos christianos inductam fuisse bonorum communitatem, non quidem in perpetuum duraturam aut ex praecepto servandam, sed tantum ex consilio et ut conveniens et possibilis est. «Multitudinis autem credentium, ait *S. Lucas,* erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia... Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant. Et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erant» [2]. Hujusmodi est altior ille Communismus, quem supposito voto castitatis, paupertatis et obedientiae, excolunt religiosi, quos tamen atroci persequuntur odio recentiores socialistae [3].

4. Verum et infandum Communismum docuerunt *d) Gnostici* illique haeretici de quibus *S. Epiphanius:* «dici se *apostolicos* voluisse qui et *apotacticos,* id est, renuntiatores sese nominant, hoc enim diligenter observant, ne quidquam possideant» [4]; dicuntur autem haeretici, inquit *D. Th.,* quia «se ab Ecclesia separantes nullam spem putant eos habere qui utuntur ipsis rebus, quibus ipsi carent»: pertinaciter namque asserebant apostolico mandato omnibus praescriptam fuisse communitatem bonorum, damnatam vero esse proprietatem individualem. *e)* Horum doctrinam probarunt Manichaei et Pelagiani labente saeculo IV et V, quam renovarunt saeculo XII, XIII et XIV Waldenses, Albigenses, Wicleffitae et Hussitae familiae et proprietati infensissimi, juxta *A. Nicolas* [5]. *f)* Saeculo XVI non minus impie quam stulte Communismum propugnarunt *Gulielmus Postell, Joannes Bodin* et quotquot tunc temporis Protestantismo adhaesere, quippe qui huic maxime favet eumque fovet doctrina *Lutheri* de abolitione proprietatis ecclesiasticae deque absoluta a quavis auctoritate independentia. «Redemptis a Cristo, inquit, jam neque principem superesse neque regem vel gladium». Iisdem concedebat libertatem a Papa, a principe et a 7.° decalogi praecepto. E contra, Principum gratiam captabat dicens: «Para-

1 II *Polit.*, c. I.

2 *Act.* IV, 32, 34, 35.

3 Ahrens Sanctos Ecclesiae Patres Communistis adnumerat. *Curso completo de Derecho natural,* II part. espec., sec. II, lib. II.

4 *De haer.*, lib. II, c. 1.

5 Ab hac tamen labe purgatos videt Alfredo Sudre, *Histoire du Communisme* (París 1856); véase la obra citada del P. Silverio de S. Teresa, c. XIII.

disum mereatur princeps sanguinem late fundens. Insonuit hora vindictae; qui pugnando in rusticos moritur beatus efficitur et martyr, qui in reges est diaboli membrum et inferni mancipium. Perge, fili, rape, occide, incende nomine Dei, bona conscientia ac fide. Nemini parcito, nec viduis nec pupillis». Ex qua *Lutheri* doctrina *g)* Anabaptistae haec logice deduxerunt, juxta *Alfredo Sudre,* et ipse Protestans: 1) Christum redemptione sua perfectam illam fraternitatem et aequalitatem mundo intulisse qua unusquisque sibi sit rex et sacerdos nec ultra ulla habeatur distinctio inter divitem et pauperem, dominos et servos; 2) proclamandam esse omnium emancipationem a quavis ecclesiastica et civili potestate, quae duo appellabant tyrannidis capita; 3) abolitionem proprietatis individualis bonorum omnium, uxoribus et filiis non exceptis; 4) regni carnalis instaurationem familiaeque destructionem; 5) artium et litterarum proscriptionem, ut omnes eidem labori incumbant[1]. Inde odio excandescentibus Anabaptistis in propietarios, sive clericos sive laicos, natum est bellum scelestissimum Rusticorum in Germania qui, fanatico furore ducti, brevi tempore plura destruxerunt monasteria arcesque nobilium, necnon, uti ipsemet fatetur *Alf. Sudre,* quatuordecim tantum annorum spatio omnia Communismi principia formularunt, ducibus *Stork, Munzer, Carolo Stadt, Hutter* et *Gabriele* (Fratres Moravi), et praesertim *Mathia* et *Joan. de Leyden,* quae quidem principia exposita reperiuntur in ipsorum dicta *Fidei professione de Zolicona.*

h) Eodem saeculo XVI, sed diverso plane modo ac ratione, *Thomas Morus,* Angliae Cancellarius, Communismum in systema scientificum reducere molitus est. Verum nihil cum Socialistis et Communistis hujus temporis habet commune. Vir enim sanctitate et doctrina conspicuus fortiter obstitit *Henrici VIII* tyrannidi fidemque demum catholicam proprio signavit sanguine. In sua autem *Utopia* rempublicam descripsit communistam per modum *legendae,* nec omnia quae imaginatus est praeclarus auctor tanquam approbanda proponit, cum in fine ipsius *Utopiae* absurdas pronuntiet plures Utopicorum institutiones[2]. *i)* Saeculo XVII theorias communistarum

---

1 Si hubiera sido posible, nota Bienvenido Comín *(Influencia del Cristian. en el Derecho Romano),* que las costumbres creadas y secundadas por los Anabaptistas se hubieran arraigado y trascendido a la ciencia jurídica, seguramente que ésta habría sido la ley de la prostitución y de la anarquía, y el mundo se hallaría convertido en un lupanar y en un caos. La vida de Juan de Leyden es una demostración irrefragable de esta verdad, compendio tristísimo de fraude y de malicia, de audacia y de fanatismo, de licencia y de crimen, de contradicción y de mentira. Exterminadora y salvaje llama Augusto Nicolás a la guerra promovida por los Anabaptistas. Cfr. p. IV, c. XXIX.

2 «La república imaginada por Tomás Moro en la isla Utopia constaba de 54 ciudades, las cuales tenían la misma lengua, las mismas leyes, unas e idénticas instituciones y construídas bajo el mismo plano. En ella se condenaba la vagancia y el exceso de trabajo. Cada ciudad de Utopía, según él, tiene cuatro cuarteles y en medio de cada uno hay una plaza donde se hallan todos los productos de la tierra y de las artes. Todo padre de familia lleva para sí y los suyos lo que necesita sin dar dinero por recompensa.—Los ciudadanos tienen mesa común.—Desprecian el oro y la plata.—Los esclavos son más que libres.—No hacen guerra sino para defender sus tierras en caso de extrema necesidad». Balmes, *La sociedad. —El socialismo.*

renovavit *Thomas Campanella* (1568-1639), de quo varia admodum atque inter se contraria judicia proferunt historiographi [1].

j) Verum ut Socialismus inter nos altas egerit radices opus fuit diabolica Encyclopedistarum principia ubique vulgare, ab iis siquidem in Gallia initia sumpsit ac deinceps per alias Europae nationes sub eodem Revolutionis Gallicae influxu celerrime propagatus. Nam ipsemet *J. J. Rousseau* (1712-1778) damnare non veretur tanquam veram usurpationem actum quo primo quis terrae partem uti propriam sibi conjunxit, ab ea docet omnia mala esse generata proindeque abrogare oportere omnem omnino proprietatem, cuncta bona omnibus aequaliter distribuendo et in futurum communem administrationem creare. Nec aliud est celebris *jurium hominis declaratio* quam synthesis summaque excerpta ex operibus *Rousseavii*. *k)* Primus tamen qui ipsius Revolutionis tempore recentis socialismi vexillum erexit fuit *Franciscus Noël Babeuf*, seu *Gracchus Babeuf*, ut sese nominat (1760-1797) [2]. Cum Constitutio an. 1793 absolutam omnium civium aequalitatem proferret, maximam tamen inaequalitatem *Babeuf* inter eos videret, id proprietati attribuit et ideo in foliis periodicis contra proprietatem clamare coepit, causam egit quarti ordinis civium pro quibus jus ad fructus laboris omniumque bonorum prout cuique opus esset a Directorio Reipublicae, ei vehementius minando, creata quoque quadam societate secreta, exigebat. Verum ab eodem Directorio, conspiratione detecta, capite damnatus, extremum diem clausit. *l)* Post *Babeuf*, comes *Henricus Saint-Simon* (1760-1825) praesentem societatis statum evertere aut modificare desiderans, ut reipublicae pacem et felicitatem ab omnibus expetitam crearet, ad id quippe divinitus se missum esse dictitabat, tanquam basim et fundamentum hujus restaurationis sequens stabilivit aeconomicum principium: *A labore dumtaxat, tanquam ab unico fonte et radice, omnis rerum valor omnesque derivantur divitiae.* Ergo *operariorum classis principem locum occupare debet in societate.* In iis organizandis et industria promovenda totus incubuit praedicavitque indefesso labore mulieris emancipationem, divortii libertatem, pantheisticam religionem christiana superiorem, tanquam media omnino necessaria ut verum Dei regnum cum pacifica omnium civium conviventia, quod cito venturum sperabat, stabiliret; verum spe deceptus, attentato suicidio, paulo post vita decessit. Plures post se reliquit discipulos, inter quos *Augustinus Thierry, Olinde Rodriguez, Aug. Comte;* ardentiores tamen fuere *Enfantin*, et *Aman Bazard*, qui publicis sermonibus et libellis periodicis magistri doctrinam haud modice auxerunt veramque Saint Simonianam scholam efformarunt, quae tamen extincta desiit per sententiam judicialem an. 1833. Ex his, *Enfantin* novum felicissimum societatis statum per philosophiam emancipatae carnis et matrimonii abolitionem completurum ire auspicabatur. *Bazard* necessarium

---

1 Cfr. P. M. Brin, *Histoire Gen. de la Philos.*, III p., ch. 1; González, *Historia de la Filosofía*, tom. 2, § 116.

2 Cfr. F. Hitze, *El problema social y su solución*, Disc. II pag. 125.

putabat ad aequam bonorum distributionem jus privatum hereditarium abrogare, ita ut in bona parentum succedat Status, qui mox bona distribuet non filiis, sed *dignioribus*, id est, operariis, utpote unicis factoribus divitiarum. *ll*) Eodem fere tempore (1768-1837) *Carolus Fourier* novam excogitavit societatis organizationem[1]. Rempublicam divisit in plures associationes familiarum, quas *phalanges* appellavit; pro unaquaque associatione, quae bina hominum millia superare non poterat, propriam et communem habitationem (phalansteria) propriumque terrae fundum, in quo agriculturam, artes et scientias sub alicujus praepositi directione exercerent, assignavit. Quaelibet associatio familiarum seu phalanges, imo ipsa individua possunt nunc unam, nunc alteram exercere industriam vel laborem. Beneficia autem communia, sive lucra ex labore provenientia, dividuntur in duodecim portiones sive partes, quarum quatuor ordinantur ad capitalis augmentum, tres ad remunerationem ingenii, et quinque labori attribuuntur. Phalansterianum systema propagarunt in Gallia per organa periodica *La Democratie pacifique* et *La Phalange* potissimum *Victor Considerant, Pellerin, Hennequin* et *Laverdan,* quorum ultimus ad Catholicismum denuo rediit. Fourierismi patroni frustra tentarunt phalansterium fundare in *Conde-sur-Vesgre. m*) Socialismo novum impulsum dedere in Gallia *Ludovicus Blanc* († 1882), qui, in Opere *Organisation du travail* Statum constituit supremum laboris et productionis moderatorem; industriam exercendam tantum in officinis et fabricis publicis nationalibus cunctisque operariis aequale salarium esse tribuendum asseruit; *Petrus Leroux* († 1871) novam erigens scholam, *Humanitariam* dictam, et *Joannes Reynaud* (1806-1863). Radicalius autem revolutionem socialem meditatus est *Petrus Joseph Proudhon* (1809-1864) qui, plus aequo exaggerans praesentis societatis mala civiumque inaequalitatem, Communistarum animos incendit contra dominos, sive clericos sive laicos, audacter scribens: ***la proprieté, c'est le vol,*** quemadmodum paulo supra blasphemaverat dicens: ***Dieu c'est le mal***[2]. Denique *Stephanus Cabet* (1788-1857) Communistarum doctrinas ad praxim reducere tentavit, creatis in hunc finem quibusdam coloniis communistis. Sed frustra. Nam post primam, cujus fundamenta jecit in *Texas* an. 1848, altera, irrito conatu, in *Ilinois* (Nauvoo) creata et *Icariam* dicta, tertiam erexit *Cheltenhan* (1856) quae, sicut praecedentes, internis colonorum dissensionibus existere desiit.

Novam, nostris hisce diebus, ingreditur viam Socialismus in Gallia potentique ope demonstrat magnum, quem exercet, influxum in rerum publicarum moderatione. Ab abstracto et utopico praecedentium Communistarum systemate ad actionem popularem descendens, incoeptum renovationis socialis opus tenaciter persequitur, socialistico spiritu comitia, tribunalia,

---

1 Cfr. Jos. Kachnik, *Ethica socialis* (Olomucii 1909), c. III, § 10.

2 Inter ejus scripta prae ceteris famosiora sunt: *Qu'est-ce que la proprieté. De la creation del'ordre dans l'humanité. Systeme des contradictions économiques ou Philosophie de la misère. Solution du probleme social. Confessions d'un revolutionaire. De la justice dans la Revolution et dans l'Eglise.*

scholas, municipia omnesque Status organismos informando, potissimum supremo eorumdem regimine per fas aut nefas arrepto. Hodierni socialistae Gallicani in diversas quidem partiuntur factiones, omnes tamen conspirant contra praesentem rerum ordinem accommodatamque civium classem (capitalistas y burgueses). Praecipui factionum duces sunt *Vaillant, Sembat, Benoit Malon, Allemane* et *Hervé,* qui praesunt factioni radicaliori (*Parti socialiste revolutionaire); Julius Guesde, Lafargue, Chauvin,* quibus placent principia marxista (*parti ouvrier francais*); *Brousse,* doctor eorum qui *moderati* et *opportunistae* vocantur; *Millerand, Jaures, Viviani,* aliique moderatores foederationis *des socialistes independents de France.* Denique *Anarchistarum* directionem assumpsit cum aliis *Sebastianus Faure* [1].

n) In Anglia *Rodbertus Owen,* (1771-1858) practice volens ostendere Communismi theorias posse, post breve tempus, prosperum felicemque societatis statum creare, propriam, quam possidebat in New-Lanard, fabrilem officinam secundum principia Communistarum coepit administrare. Ratus est anteactam vitae socialis conditionem fato infelicissimo subjectam fuisse proindeque historiam generis humani vocari posse *periodum irrationalem humanae existentiae;* oportere igitur praesentem statum subvertere, ut nova aetas aurea antiquae et irrationali succedat. Owen sese ostendit theoretice et practice materialista, sensualismo addictus, atheus et revolutionarius. Juxta ipsum, homo nihil est aliud quam quaedam pars materiae plus minusve organizatae; felicitas humana est effectus educationis corporalisque salutis; cultus hac lege regulatur: sequere impulsum naturae, te ipsum dilige, utere vita ducque felicem, quantum possis. Quoad regimen republicae: Status debet proclamare absolutam conscientiae libertatem, cujusque praemii et poenae abolitionem, perfectam aequalitatem, civium omniumque actuum individualium imputabilitatem, nam quidquid homo operatur ex impulsu naturae procedit [2].

Hisce constitutis, paradisiacam vitam ducere posse putat omnes cives novamque futuram fore prosperamque societatem, cujus praecipua felicitatis capita erunt *vita communis, eadem pro cunctis educatio, omnimoda aequalitas, proprietas individualis nulla.* Plures suis sumptibus associationes communistas fundavit [3], inter quas celebrior *New-Harmony* erecta

1 Hoy pueden clasificarse así con la *Année social Internationel de la Action populaire* de Reims, 1910: 1.° Herveistes (anarcho-socialist.); Confed. Gen. du Travail. 2.° Syndicalistes purs antietatistes-Hubert Lagardelle. 3.° Socialistes syndicalistes parlamentaires, Eduard Vaillant. 4.° Guedistes, Jules Guesde. 5.° Les reformistes. Le reformisme est le socialisme des moderes. 6.° Les independents appartiennet moralement au reformisme. 7.° Les Jauresistes ou conciliateurs. 8.° Parti socialiste français, Millerand, Viviani, Briand. *(Le socialisme francaise 1908-1909)* pag. 539.

2 «La humanidad, dice Balmes, si por desgracia pudiese llegar a tener un solo día estas horribles convicciones, se sentiría degradada de repente, su frente se abatiría al suelo como la de los brutos; el corazón cesaría de latir con nobleza, apagaríase la luz del entendimiento, relajaríase la energía de la voluntad y abandonado el hombre a los instintos más brutales abdicaría el hermoso título de rey de la creación» *La sociedad,* t. IV, a. *Socialismo.*

3 Véase la organización de estas sociedades apud Balmes, loc. cit.

fuit an. 1824 in Indiana (America), sed infelici exitu, diu namque subsistere non potuit. Id autem *Owen* attribuit, pravis colonorum inclinationibus! Hisce diebus post *Hyndman, Aveling, Bax, R. Blatchford* et *Morris,* vexillum Socialistarum ducunt in Anglia *Ramsay Mac Donald, Kier Hardie, Philip Snowdem, Bruce Glasier, Tom Mann, Wats Morgan,* aliique[1]. Celebre quoque nomen sibi fecit hac aetate *J. Ruskin,* qui spiritualem quamdam socialismi formam invexit.

o) In Germania magnum exercet imperium *Socialismus* seu *democratia socialis*, uti nunc vocitatur[2]. Inter socialismi germani fautores nominari merentur *Vinkeblech* († 1855), *Carolus Rodbertus* († 1875), *Becker, Schweitzer* et *Ferdin. Lassalle* origine judaeus, religione atheus, mortuus Genevae in duello an. 1864, quem tanquam martyrem et prophetam nonnulli socialistae venerantur. Praecipuus tamen democratiae socialis fundator et doctor in Imperio Germanico fuit *Carolus Marx* (1818-1883), cujus principia fusius infra exponemus. Ipsi successit *Frid. Engels* († 1895) post cujus obitum, licet omnes democratae in eumdem conspirent finem, praesentis scilicet status socialis abolitionem, divisi sunt inter se quoad practicam procedendi methodum. Quidam enim *(factio radicalis)* aperta violentaque revolutione socialisticum scopum consequi pertentant; alii *(factio moderata)* mediis politicis et legalibus; alii tandem *(factio media)* utrisque ex parte consentiunt. Inter recentes socialistarum moderatores et duces in Germania memorantur *Bebel, Liebknecht, Kautsky, Bernstein, Werner, Auerbach, Singer, Vollmar, Heine, Molkenbuhr, Grillenber, Hasselmann,* aliique non pauci[3].

p) Simili modo in Italia sub duplici forma evolvitur socialismus, altera *revolutionaria* vel *semi-anarchica,* praeeuntibus *Ferri* et *Labriola,* altera *reformista* sub directione *Turati, Chiesa, Loria, Bonomi* et *Bisolati.* Ceterum, programma socialistarum Italiae per majorem partem suffragiorum approbatum *Smola* an. 1902 communia complectitur Socialistarum Germaniae principia[4].

---

1 Cfr. *Année Social Internationel*, pag. 14.

2 Cfr. F. Hitze, loc. cit. pág. 142-161.

3 Para apreciar la potencia del socialismo alemán y su progresión ascendente basta fijarse en el cuadro siguiente donde aparecen el número de diputados socialistas y el de votos obtenidos en las elecciones generales de 1898, 1903, 1907 y 1911 en relación con el centro católico que es el más numeroso de todos los partidos que toman parte en el Reichstag.

Año	Votos socialistas	Dip. soc.	Votos del Centro	Dip. catol.
1898	2.107,076	58	1.455,199	100
1903	3.110,771	80	1.875,273	100
1907	3.259,020	53	2.190,876	105
1912	4.227,000	110	2.011,990	93

4 In Italia habuerunt socialistae an. 1904, 27 deputat. cum 297,123 suffragiis; an. 1909, 37 deputat. cum 318,985 votis.

Post *Anselee* et *Pœpe* eadem quoque mutuant principia in Belgio hodierni socialistae quibus praeest *Vandervelde*[1].

q) In Rusia revolutionariam et anarchicam formam praeferunt socialistae, imo *Nihilismum* aperte profitentur anarchistarum doctores *Bakunin* et *Kropotkin*[2].

r) In Hispania post *Larra, Cajet. Cortés, Xystum Cámara, Rochum Barcia,* qui uti discipuli *Car. Fourier* socialismum professi sunt, et *Pi y Margall* vertentem hispano sermone plura *Proudhonis* opera, nonnulli socialisticis theoriis modo delectantur. Horum doctrina, si fidem damus socialistae *Francisco Mora*[3], principiis *Marxistis* imbuitur. Vexillum ducit *Paulus Iglesias*. Non desunt tamen qui cum *Lerroux, Nakens,* aliisque discipulis *Franc. Ferrer* socialismum revolutionarium et acratam invehere conantur. Scopus, principia, practica procedendi methodus factionis hispanicae, dicta *partido socialista obrero español,* summatim videri possunt collecta in *Catechismo doctrinae socialistae* a *Pilippo Carretero* an. 1906 ad usum opificum accommodato.

5. Haec historice. Nemo autem non videt *Nihilismum* logicam esse Communismi sequelam. Omnia bona, inquiunt *Communistae,* sunt omnium; violentia proprietatem fecit; proprietas individualis est fur-

---

1 En Bélgica se compone la actual Cámara de Diputados de 101 católicos, 44 liberales, 39 socialistas y 2 daensistas.

2 Bakunin, autor del *Catecismo Revolucionario*, señala en él las cualidades que deben caracterizar a sus adeptos. Un revolucionario, dice, no ocupa un lugar en la sociedad actual; no vive sino en la esperanza y creencia de la pronta y completa destrucción de la misma. No debe retroceder delante de la destrucción de ninguna institución, de ningún bien, de ningún hombre perteneciente a esta sociedad. Si los lazos del parentesco, de la amistad y del amor detienen su brazo no es revolucionario. Convencida de que no se puede esperar la emancipación y felicidad del pueblo sin una revolución popular y destrucción universal, la Liga debe por todos los medios posibles aumentar la desgracia y los sufrimientos para acabar con la paciencia del pueblo y acelerar la emancipación de las muchedumbres..... Nuestro fin es la destrucción implacable, completa y universal. Nosotros debemos acostumbrarnos a la vida de los malhechores y asesinos, porque estos son los verdaderos y únicos revolucionarios.

Cui quidem doctrinae plane consentiunt mores Anarchistarum nostrorum temporum eamque docet Barcinone sic dicta *Schola Moderna* a Franc. Ferrer fundata.

3 *Historia del Socialismo obrero español*, Introd. § 1. Votos que obtuvieron los socialistas españoles en las elecciones generales:

1891.....	5.000	1898.....	20.000
1893.....	7.000	1899.....	23.000
1896.....	14.000		

Cfr. *El Socialismo Español*, lecciones expuestas en la Semana Social de Pamplona 1912 por el P. Juan Antonio Zugasti. La Unión General de Trabajadores contaba

En 1895 secciones	39	Federados	6.276	En 1905 secciones	373	Federados	56.905
» 1900 »	126	»	26.088	» 1906 »	274	»	36.557
» 1902 »	251	»	40.087	» 1909 »	307	»	43.593
» 1904 »	363	»	55.817	» 1911 »	328	»	77.749

El Socialismo Español, § VI. Hoy cuenta con 360 sec. y 127,098 afiliados. *Archivo Social*, 20 Agosto 1912.

tum; ergo si omnium sunt, o divites, quas habetis, opes, infert *Socialismus,* cur alii divitiis abundant, alii fame pereunt? Destruendus igitur est actualis rerum ordo novaque societas creanda. Venit hora, et nunc est, quando cunctis aequa jura sunt tribuenda ut regnet *absoluta aequalitas, omnimoda libertas, universalisque fraternitas.* Quod si reges et praesides classiumve accommodatarum potentia revolutioni obsistere operariosque opprimere non desistant, violentas in eos manus injiciamus, deleantur de terra viventium, concludit *anarchismus.* Verum *nihil violentum stabile,* idcirco non ex hac parte, inquam cum ***Card. Zigliara,*** timendus est Communismus; timendum tamen ne pedetentim viaque legali, politica scilicet constitutione, socialistarum placita populis imponantur ex abusu civilis potestatis. «Eo enim tendimus, subdit claris. auctor, ut civilis principatus, auctoritate abutens vere constituatur dominus rerum omnium et cives nomine quidem possideant ac tot tantisque oneribus graventur in dies, ut revera non sint nisi *phalanges industriales* et simplices administri Status»[1]. Idipsum pariter ostendunt conatus recentium politicarum factionum ad universalem centralizationem manufacturarum fabrilium artiumque operum inducendam et administrandam sub tutela et directione gubernii, veteribus jam deletis associationibus particularibus.

Nec aliud sibi proponit Socialismus qui ultimis hisce diebus celerrime propagatur sub forma *syndicalista.* Major enim Socialistarum pars, rejecto Marxismo puro (socialismo político intransigente), qui Statum potentiorem (el Estado burgués) nedum non subvertit, ut pollicebatur, sed diu subsistere permittit, factioni reformistae (partido político reformista) pariter valedicens, utpote nimis lente pro optata pauperum elevatione laboranti, *Syndicalismum* operariorum tanquam unicum efficaxque remedium ad classes populares levandas viritim propugnat. Qua de causa plane rejicit omnem Status Politici interventionem, proclamat fundamentale principium socializationis mediorum productionis et commutationis, et ubique gentium pervulgare studet proletariorum syndicatos, id est, associationes unice ex proletariis constitutas[2].

---

1 *Jus. Nat.*, lib. I, c. III, a. IV.

2 El poder colosal de los Sindicatos se ha palpado recientemente en la llamada *huelga negra* de Inglaterra (Marzo 1912) en la cual quedaron parados 1.550,000 obreros. Las pérdidas económicas son incalculables; solamente la cantidad que han perdido los obreros en salarios gira al rededor de 250 millones de francos. Cfr. J. W. Hamilton, *Revista Social Hispano Americana*, Abril 1912.

§ 3

NOTIONES.

NATURA ET SPECIES COMMUNISMI [1]

Summa rerum.—1. *Quid est Communismus et quotuplex.* 2. *Communismi positivi subdivisio.* 3. *Socialismus et Anarchismus.* 4. *Explicatur data Socialismi definitio.* 5. *Socialismus agrarius et democraticus.* 6. Alia praenotanda.—*Nominalis realisque proprietatis definitio—Notio possessionis.* 7. *Proprietas subjective et objective spectata.* 8. *Dominium quid et quotuplex. — Bona quae possunt esse objectum dominii.* 9. *Deus primarius rerum auctor ac dominus.* 10. *Jus proprietatis in abstracto et concreto.*

1. **Communismus** a communione bonorum dictus, est systema oeconomico philosophicum privatam proprietatem uti injustam rejiciens. Dividitur in communismum *negativum* et *positivum*. Negativum qui arbitratur omnia bona ita debere esse communia et nemini propria ut, cuilibet liceat re qualibet uti, prout ei placuerit, idcirco de una eademque re omnes possunt pro libito disponere. Brevius: est *jus omnium ad omnia,* et ideo qui rem aliquam sibi appropriat verum committit latrocinium. *Positivus* jus proprietatis penitus non rejicit, illud tamen soli Reipublicae seu Communitati attribuit.

2. Communismus positivus est duplex: *radicalis* seu *absolutus* et *moderatus*. Prior censet omnia omnino bona eorumque distributionem oportere esse penes communitatem, ita ut domos, prandia, dormitoria, etc. maneant communia toti societati civili, eo fere modo quo fit in religiosis familiis. Alter bona tantum *productiva,* quae ad aliorum scilicet procreationem deserviunt, uti fundus, fodinae, fabricae, instrumenta etc., communia esse cupit, aliis bonis penes privatos relictis. Qui autem docent *omnia omnino media productionis* debere esse communia dicuntur *Collectivistae universales*. Qui vero censent aliqua solummodo oportere esse communia *Collectivistae particulares*.

3. Communismus positivus moderatus subdividitur in *anarchismum* (*a*, privatio, et ἀρχή, auctoritas, imperium) et *socialismum*. Anarchismus theoreticus, rejecta omni auctoritate publica, omnia bona pro-

1 Cfr. Meyer, *Instit. Juris. Nat.*, p. II, sect. II, lib. II, c. I, a. 2 et 3; Cathrein *Philos. Mor.*, p. II, lib. I, c. IV, a. 1 et 2; *El socialismo*, c. I; Garriguet, *La Propiedad*, c. I; Schrijvers, *Manual de Economia politica*, p. I, c. II, a. 2; Kachnik, *Ethica soc.*, § 10.

ductiva in dominium societatum independentium (autónomas) operariorum aut municipiorum *violenter* conatur redigere. Hujus communismi patroni odio penitus insito abominantur exercitum, tribunalia, comitia, omnem denique status organizationem[1]. His autem deletis classibusque socialibus supressis, absoluta omnium civium aequalitate post depopulantem revolutionem stabilita, candide sperant ordinem pacemque regnaturos in terra vi solius inclinationis *solidariae,* quae cunctorum corda voluntatesque subjiciet, tunc enim lubenter operas suas praestabunt omnes in commune commodum. Anarchismus vero practicus nihili pendit has illasve theorias, sed vim totam suam confert violenterque nimis pertentat praesentis societatis destructionem: vox bellica est: *ni Dios ni amo. Socialismus* autem vult omnia bona productiva et productionis media, modo legali et politico transferre in societatem civilem. Hinc deducitur communismum latius patere quam socialismum, omnes quippe socialistae sunt communistae, non viceversa; socialismus igitur est species communismi et presse definiri potest cum cl. ***P. V. Cathrein:*** *Est systema oeconomico-politicum, quod, translato in totam rempublicam dominio bonorum productivorum, totam productionem et distributionem bonorum per ipsam rempublicam democratice constitutam ordinandas esse statuit*[2].

4. Vocatur systema *oeconomicum,* quia essentia et finis primarius socialismi est bona omnia productiva *nationalizare* seu communi dominio et administrationi reipublicae tradere, ut deinceps administri Status summopere curent omnibus distribuere, prout cuique opus sit; *politicum,* quia ad finem praestitutum obtinendum mediis utitur politicis v. gr. electionibus, foliis periodicis, associationibus foederalibus etc.;

---

1 Comunismo y Revolución son dos lemas de la bandera del Anarquismo. Con todo, el holandés Domela-Nieuwenhuis rechaza el Comunismo y Reclús, Ibsen y Tolstoy proscriben el empleo de la fuerza. Tolstoy ha dicho: *Suyo propio* no puede uno llamar nada más que su trabajo.—Somos ateos en religión, positivistas en filosofía, deterministas en moral, negadores de todo dogma en economía, modernos, supremamente modernos, en el arte. Gustavo La Iglesia, loc. cit. pag. 311. El socialista revolucionario Henkell ha dicho: Somos los bárbaros modernos, los vándalos modernos, cambiamos el orden y las costumbres, la ley y la justicia. Véase *El Evangelio y el Socialismo* por el P. Samuel de Sta. Teresa, C. D., Santiago de Chile 1909. Las etapas recorridas por el socialismo las indica el P. Félix en estas palabras: El socialismo fué en un principio la idea de la reforma, después de la transformación, hoy es la de la destrucción. Confer. *Cristianismo y Socialismo.*—El socialismo conduce a la anarquía y ésta al comunismo. Kropotkin. Esto mismo sostiene Ludholm. *El Anarquismo,* versión castellana de E. Miñana, Madrid 1906. Véase *El Anarquismo* por D. M. Polo y Peirolón (Valencia 1894).

2 *Philos. Mor.*, p. II, lib. I, c. IV, a. 2. La quinta esencia de la economía política socialista consiste en reemplazar el capital privado por el capital colectivo. «El alfa y la omega del socialismo es la transformación del capital privado sometido a la ley de la concurrencia en capital colectivo único». Schaffle, *Quinta esencia del Socialismo.* Cfr. Winterer, *El socialismo contemporáneo,* et Benoit Malon, *Precis du socialisme.*

translato in totam rempublicam etc., per quod satis clare dignoscitur socialismum non omnem privatam proprietatem penitus rejicere, velle tamen bona productiva sub reipublicae dominio et directione administrativa collocari; *democratice constitutam,* id enim expostulat socialismi lemma: *aequalitas, libertas, fraternitas,* quod aperte pugnat, ut ab eo intelligitur, cum regimine monarchico aut aristocratico. Quidam autem vellent ut omnia media productionis quae intra singulorum municipiorum continentur non ad totam rempublicam sed ad municipia invicem et a republica independentia pertinerent *(socialismus municipalis).* Si autem *vi* hujusmodi collectivismum inducere tentat, vocatur etiam *anarchismus,* ut supra diximus.

5. Duplex distinguitur socialismus, *democraticus* nempe et *agrarius,* secundum quod *bona omnia productiva* in societatem democratice constitutam transferre vult, vel bona tantum productiva *immobilia,* agros, sylvas, fodinas, latifundia, etc., alia, v. gr. capitalia, in privatorum dominio relinquendo. Inter socialistas agrarios eminent ***H. George*** († 1897), ***Russel*** et ***Wallace*** in América, ***H. de Colins*** in Gallia, ***Laveleye*** († 1893) in Belgio, in Germania ***M. Flürscheim*** et in Austria ***Hertzka***[1].

Duplex igitur elementum, negativum unum, alterum positivum continet Anarchismus. Inficiatur namque futuram existentiam Status, prout hoc nomine venit apud philosophos et juristas auctoritas in determinatis subjectis residens, imperans subditos eosque ad agendum morali obligatione compellens; spondet vero plenam hominum libertatem et absolutam bonorum omnium communionem.

Supresso autem Statu, cives vitam pacifice ducturos sperant quidam *(foederales)* sub norma quadam *juridica* singulis edicente praestandum esse quod pacto spoponderunt; alii *(spontaneistae),* prae-

---

1 En 1826 Bernardino Rivadavia, Presidente socialista de la República Argentina, enseñaba que el Estado, único propietario del suelo, de la tierra, debía confiarla a labradores por arriendos fijados cada diez años para proporcionar de esta manera los ingresos necesarios al sostenimiento del Estado. Esta doctrina fué recogida por Devyr y otros agrarios de la América del Norte y apoyada más tarde por Collins. Pero el gran Apóstol del Socialismo Agrario fué el citado Henry George quien expuso sus ideas en su obra *Progres and Poverty* en 1879 y después en su *Cuestión obrera y Carta abierta a León XIII* sobre la condición de los obreros. Síguenle, además de los citados, Stamm, Glinn, Dawson, Stout y Syme. Cfr. L. Garriguet, *Introducción al estudio de la Sociologia.*

Algunos socialistas agrarios como Laveleye conceden al hombre el derecho de poseer el terreno donde está construída su casa y un pequeño cercado que la rodee: pero la mayor parte no consienten ni aun esta modestísima propiedad fundamental. L. Garriguet, *La Propiedad,* pag. 47. Los *socialistas agrarios* combaten la propiedad rústica, pero dejan subsistir la mobiliaria y la industrial privadas. Los colectivistas dicen: nada de propiedad privada: el Estado socialista es el propietario exclusivo del suelo y de todos los demás medios de producción.

dictam normam, qua futura conviventia humana innitetur, dicunt *non juridicam*. Communismus quem invehere conatur major pars Anarchistarum est verus Collectivismus[1].

Quamvis anarchistae, carbonarii, acratae, libertarii, vel quocumque alio nuncupentur nomine, qui actualis societatis machinantur eversionem per activa destructionis media[2], libertatem ipsamque vitam abjicere non dubitent pro juramento, quo devinciuntur, adimplendo, interim, aliis quoque non parcentes laboribus, associationibus, tenebrosis conventibus, publicis concionibus (*meetings*), foliis periodicis, scholis aliisque mediis ad exitum perducere conantur sua insanae mentis placita.

Universas Europae et Americae Provincias Anarchismi pestis grassatur. Hujus autem systematis asseclas enumerare quis poterit? Praecipuos damus. *Godwin* († 1836), *Proudhon* († 1865), *Max Stirner* († 1856), *Bakunin* († 1876), *Kropotkin* (n. 1842), *Tucker* (n. 1864), *Reclus* († 1905), *Luisa Michel* († 1905), *Tolstoy* († 1910); alios quoque inferioris ordinis recensere possumus, ut *Car. Malato, Henr. Malatesta, Joan. Grave, Seb. Faure, Alex. Maximovich Pechkof* (alias *Max. Gorki*), *Jos. Most, Brosa, And. Girard, Domela Nieuwenhuis, Molinari, Cafiero, Angiolillo, Henr. Mackay*, et inter *Hispanos Franc. Tárrida del Marmol, Ans. Lorenzo, Leop. Bonafulla, Joseph. Lopez de Montenegro, Jos. Mas-Gomeri, Jos. Prat, Ricard. Mella, Montseny* (alias *Feder. Urales*) *Fran. Ferrer Guardia, Nakens, Morral, Firm. Salvoechea, M. Rey, J. Maria Blazquez, Teresa Mañé* (*Soledad Gustavo*), *Soledad Villafranca* etc. Ex his plurimi nullum opus mentione dignum scripsere, colaborantes vero in ephemeridibus vel foliis periodicis anarchismi principia late propagarunt[3].

---

1 El Colectivismo, en sentir de los anarquistas, es la nacionalización del capital mueble e inmueble desde el suelo hasta la máquina puestos a disposición de los grupos productores. Véase su refutación apud Gustavo La Iglesia, loc. cit. pag. 112.

2 Entre los atentados del anarquismo en España pueden contarse, contra Martínez Campos por Paulino Pallás en Barcelona (24 Set. 1893); en el Liceo de Barcelona dos bombas. arrojadas por Santiago Salvador que causaron numerosas víctimas (6 Nov. 1893); el de la calle de los Cambios Nuevos (7 Jun. 1896) en la misma ciudad; el de Ramón Sempare contra Portas individuo de la Policía Barcelonesa (4 Set. 1897); el de Angiolillo contra Cánovas del Castillo en Santa Agueda (Guipúzcoa, 8 Agosto 1897); el de Miguel Artal contra el señor Maura (11 Jun. 1904); otros dos en el mismo año y en la misma Ciudad de Barcelona; el de 3 Set. de 1905 en la Rambla de las Flores; el de Mateo Morral contra D. Alfonso XIII, el 31 de Mayo de 1906 en Madrid; el de Pardiñas contra Canalejas (12 Nov. 1912); y el de Sancho Alegre (13 Abril 1913) contra D. Alfonso XIII.

Pro anarchismo refutando cfr. José Buxadé, *La razón contra la anarquia*, Barcelona 1906; *El anarquismo y los medios de represión* por Fernando Cadalso, Madrid 1896; Gustavo La Iglesia, loc. cit. titulo III, p. I, n. 23-41.

3 *La España Moderna*, tradujo el libro de Gaspar Schmidt (Max Stirner) *El único y su propiedad*, La Revista Blanca *Dios y el Estado* de Bakunin. Corren entre nosotros *Palabras de un rebelde; Campos, fábricas y talleres; La conquista del pan; Catecismo del Revolucionario*, etc. de Kropotkin; y de Tolstoy, *Mi confesión; Breve exposición del Evangelio; Sobre la vida; En qué consiste mi credo*, etc. José Mas-Gomeri escribió su libro *E pur si*

Inter Anarchistas alii sunt aliis radicaliores: hi communi vocabulo dicuntur *Ultra-anarchistae.* Ex his autem quidam, ut inter hispanos ***Suñé*** (Catalaun.) et ***Joachim Julius Fernandez*** (Hispalens.), *autonarquismum* defendunt, cujus tessera vox illa diabolica: Yo soy Dios; alii vero *naturismum* propugnantes mundum ad statum naturae purae redigere exoptant.

6. **Alia praenotanda.** Proprietas dicitur a prope stare; quamobrem quaecumque habent aliquam cum rei substantia conjunctionem vocantur proprietates, ut potentiae respectu animae, et accidentia rem circumstantia. Etymologice igitur definiri potest: *Arcta rerum conjunctio cum earum domino.* Realiter vero: *Facultas disponendi pro libito et cum exclusione aliorum de re aliqua ejusque utilitate.* Tria igitur proprietas importat: a) *Jus fruendi,* quo nempe facultas tribuitur proprietario omnem utilitatem ex re percipiendi; b) *jus excludendi,* quo interdicitur ne quis, invito domino, ea utatur neque turbetur ipse in sua pacifica possessione; quare legitimus dominus facultatem habet vindicandi, et repetendi vel reparationem exigendi si quis invadat quietam ejus possessionem; c) *jus disponendi* de ipsa, quo eam vel aliis tradere, vel consumere, vel alienare, vel quomodocumque uti potest. Et quia in his et ex his possumus facere quod velimus, inde possessiones dictae sunt *facultates,* quia in dominio sunt possidentis. *Possessio* autem est *actualis detentio rei cum intentione eam habendi ut propriam,* idcirco distinguitur a jure proprietatis quod, sicut cetera jura, non amittitur per violentiam aut factum consummatum, dum possessio, quamvis legitima, amittitur invito domino[1].

7. Quatenus proprietas, *subjective* accepta, significat facultatem moralem seu jus disponendi pro libito de re aliqua ejusque utilitate, confunditur cum dominio; sed quia extenditur insuper ad rem ipsam propriam nominandam *(objective* sumpta), hac ratione a dominio quadantenus distinguitur. Item et a *jurisdictione,* quia haec ad personas proprie ordinatur, quae non sunt objectum proprietatis neque ut res possunt possideri; hinc antiquitus definiebatur proprietas *jus utendi atque abutendi,* quod jurisdictioni minime convenit.

8. Porro *dominium,* seu jus in re seu reale, dividitur in *plenum*

---

muove.—Refutación al libro: *La razón contra la Anarquía,* Barcelona 1906. Son innumerables los periódicos y revistas anarquistas que se publican en lengua española; así en Badajoz existen *tres* publicaciones ácratas, en Madrid *tres.* en Barcelona *cinco,* en Lima *tres,* en la Habana *cuatro,* en Santiago de Chile *tres,* en Buenos-Aires *diez.* La célebre Escuela Moderna fundada por Ferrer cuenta con 14 sucursales en Barcelona y 34 en provincias. Los centros revolucionarios en España suben a algunos cientos. Véanse los nombres y domicilios de algunos en el c. II, pag. 293 y sig. de la citada obra *Los Caracteres del Anarquismo.*

1 Cfr. L. Garriguet, *La propiedad,* c. 1.

seu *perfectum* et *non plenum* seu *imperfectum*. Primum est facultas disponendi de re sua quovis modo possibili pro libito, id est, tum de usu tum de re; *imperfectum* vero dicitur quod alterutro caret. Quod si est facultas disponendi solummodo de re absque usufructu, vocatur dominium *directum* et *nudum;* si tantum de usu, non vero de rei substantia, *indirectum* seu *utile*. Aliud est dominium *altum* quod habet respublica in casu necessitatis publicae, (quod magis ad jurisdictionem quam ad proprietatem spectat); et *humile* seu *bassum* quod in privatis bonis singulis personis convenit.

Res omnes exteriores possunt cadere sub humano dominio quas etiam homo legitimo titulo possidere quit. Bona autem quae dominii objectum constituunt alia sunt *mobilia*, alia *immobilia*. Posteriora dicuntur quae sine sui mutatione loco moveri non possunt v. gr. fundus, sylva, fodina, domus; cetera vero mobilia vocantur. Item alia usu consumuntur, alia ad novorum procreationem ordinantur: illa *consumptibilia*, haec *productiva* dicuntur.

9. Praenotandum pariter est Deum esse primarium ac principalem rerum omnium auctorem ac dominum, proindeque hominem relate ad Deum non esse nisi usufructuarium. Impraesentiarum autem loquimur de jure proprietatis seu de dominio quatenus ad alios homines refertur. Qua in re perspicue et pedetentim procedendum est, quoniam intimam societatis organizationem attingit totamque oeconomicam scientiam pervadit haec de jure proprietatis sane gravissima quaestio[1].

10. Ne quis autem in errorem labatur et res inter se longe diversas in perniciem doctrinae catholicae confundat, distinguere oportet jus proprietatis *in abstracto* et *in concreto*, seu *facultatem possidendi* et *exercitium* hujus facultatis; item *jus ipsum* proprietatis et hujus *fundamentum*.

---

1 «En la actualidad es más necesario que en otros tiempos el estudiar a fondo el principio del derecho de propiedad, porque se halla vivamente combatido por escuelas disolventes y amenazada por sectas audaces que probablemente causarán profundas revoluciones en el porvenir de las sociedades modernas». Balmes, *Filos. Elem., Etica*, c. XXIII, sección I.

§ 4.

UTRUM HOMO JUS HABEAT POSSIDENDI DOMINIO PERFECTO STABILES PROPRIETATES [1]

Summa rerum.—1. *Distinguuntur quaestiones.* 2. Thesis.—Probatur. A) *Directe. Ex jure hominis ad ea quae vitae sunt necessaria, ad corporis animique perfectionem et ad propriae activitatis explicationem.* 3. B) *Solutio adhibita a Socialistis ipsorum adversatur commodo, cum naturali justitia pugnat, perturbatque societates.* 4. *Eadem conclusio indirecte probatur—Exploduntur quatuor Marxii principia;—notanda circa singula;—Rerum valor; superpretium;—Marxiana valoris theoria;—S. Thomae doctrina.—Argumenta quibus quatuor supra memorata Socialismi principia exibilantur.* 5. *Tria jura quae sibi vindicant socialistae.*

1. Praesens quaestio suficienter dilucidata, meo quidem judicio, certo manebit, si quatuor haec rite exponantur: 1.° An homo possit possidere dominio privato bona mobilia et immobilia, productiva et consumptibilia; 2.° An jus adquirendi proprietatem in abstracto consideratum sit naturale necne; 3.° An conveniens et necessaria sit divisio proprietatum; 4.° denique quo jure vel titulo determinetur in concreto jus ad hanc illamve proprietatem. Primo enim et principaliter refutandi sunt Communistae et Socialistae, et hoc duplici via: *directe,* probando nostram doctrinam, et *indirecte,* solvendo praecipua Socialistarum argumenta. Secundo rejicienda pariter sunt eorum systemata qui, licet jus privatae proprietatis admittant, falsa tamen assignant fundamenta. Posito jam quod homo jure naturae possit dominium privatum habere, agendum est de officio et necessitate dividendi proprietates, et cujus generis sit illud officium investigare. Postremo autem quaestio solvenda est in concreto, cur scilicet sit haec *Petri* possessio potius quam *Pauli.*

---

1 D. Thomas, II-II, q. LXVI, a. 1 et 2; Soto, *De Justitia et Jure,* lib. IV, q. I-V; Lugo, *De Just. et Jure,* Disp. VI, sect. I-IX; Salmantic. (Comp.), Tract. XVIII, c. II; Pottier, *De Jure et Justitia* (Leodii 1910); Vermeersch, *Quaestiones de Justitia,* loc. cit.; Meyer, loc. cit c. II; Severino Aznar, *Nuestro primer curso social,* tom. I, c. III; De Bie, *Jus Naturae indiv.,* c. IV, a. 1, § 1; Liberatore, *Principios de Economia politica,* p. II, c. I; S. Schifini, *Ethica Spec.,* Disp. II, sect. II; Pacetti, p. III, sect. II, c. III; Biederlack, *La cuestión social,* p. gen., c. IV; Rossignoli, *La familia, el trabajo y la propiedad,* p. III, c. 2; D. Gratacós, *Etica,* c. 4, n. 160 y sqq.; F. Hitze, loc. cit., Disc. III; Garriguet. *La propiedad,* c. IV; Leo XIII, Encycl. *Quod Apostolici; Rerum Novarum* et *Graves de Communi.*

2. **Thesis. Homo jus habet acquirendi et possidendi dominio perfecto stabiles proprietates.**

Probatur directe. Indicabimus tantum argumenta, quibus bonorum stabilium proprietas firmatur, id enim a Socialistis potissimum impetitur; quo posito, rerum earum quae usu consumuntur dominium naturaliter homini congruere demonstratum relinquitur.

A) Homo jus habet *a)* ad ea omnia quae necessaria sunt ad vitae conservationem, *b)* ad perfectionem animae et corporis et *c)* ad explicationem propriae personalitatis. Ergo jus habet acquirendi et possidendi dominio perfecto stabiles proprietates. Prob. conseq. [1]

a) Ad vitae humanae conservationem non solum requiritur usus rerum corporearum sed earumdem stabilis proprietas. Siquidem homo per suam ipsam rationem divinae providentiae fit particeps qua sibi suisque prospiciat, non tantum in praesenti sed etiam in futurum; atqui sibi suorumque necessitatibus in futurum satis providere non potest absque stabilium bonorum proprietate; tot namque sunt mortalis hujus vitae vicissitudines, puta senectus, infirmitates, fortunae casus, ut his mederi non valeat absque stabili bonorum possessione. Ergo [2].

b) Perfectio hominis, animae praesertim, quae in officiorum adimplemento scientiarumque cultura maxime viget, id omnino expostulat ut nonnulli saltem a labore diurno ad quotidianum victum sibi procurandum, liberentur, quo artium studio rerumque contemplationi expeditius incumbant. Quod item absque pacifica et stabili bonorum possessione haberi non potest.

c) Homo jus habet non modo in propriam substantiam sed in omne quod ad propriam pertinet personalitatem; ergo et in explicationem suae activitatis, seu in fructus laboris sui; atqui stabiles proprietates ultimo non sunt nisi fructus laboris humani; quia «cum in parandis naturae bonis industriam mentis viresque corporis homo insumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturae corporeae partem, quam ipse percoluit, *in qua velut formam quamdam personae suae impressam reliquit*», ut loquitur ***Leo XIII;*** ergo fructus laboris humani ad hominem pertinent, sicut effectus ad causam, opus ad auctorem [3].

3. B) Paulo aliter ex ejusdem Pontificis doctrina. Ratio a Socia-

1 Cfr. *Derecho civil Español común y foral* por D. Felipe Sánchez Román. «El derecho de propiedad, dice, t. 1, pag. 191, representa una de las esencias del derecho natural; contiene dos elementos: el derecho a la vida y el trabajo»; Ramiro Vieira, *La cuestión social*, Madrid 1901; P. Samuel de Sta. Teresa, *El Evangelio y el Socialismo*; Toniolo, *Orientaciones y conceptos sociales al comenzar el siglo XX.*

2 Eleganter praefatum argumentum evolvit Leo XIII. Encycl. *Rerum novarum.*

3 Cfr. Garriguet, *La propiedad*, c. II-V.

listis adhibita ad contentionem dominos inter et proletarios dirimendam *a)* ipsum opificum genus afficit incommodo; *b)* eademque praeterea est valde injusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae penitusque miscet civitates.

a) «Sane, quod facile est pervidere, ipsius operae, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestosa versantur, haec per se causa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi quaerere privatoque possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industriam suam alteri commodat, hanc ob causam commodat, ut res adipiscatur ad victum cultumque necessarias: ideoque ex opera data jus verum perfectumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quidquam ipse comparsit, fructumque parsimoniae suae, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud quam merces ipsa aliam induta speciem; proptereaque coemptus sic opifici fundus tam est in ejus potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre *Socialistae* ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant».

b) Socialistae remedium proponunt cum justitia aperte pugnans. Nam 1) «qui usum quidem soli, variosque praediorum fructus homini privato concedunt, at possideri ab eo ut domino vel solum, in quo aedificavit, vel praedium quod excoluit, plane jus esse negant..... fraudatum iri partis suo labore rebus hominem non vident. Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longe mutat, e sylvestri frugifer, ex infoecundo ferax efficitur. Quibus autem rebus est melior factus, illae sic solo inhaerent miscenturque penitus, ut maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui id quemquam potiri illoque perfrui, in quo alius desudavit, utrumne justitia patiatur? Quomodo effectae res causam sequuntur a qua effectae sunt, sic operae fructum ad eos ipsos qui operam dederint, rectum est pertinere».

2) «Sanctisima naturae lex est, ut victu omnique cultu pater familias tueatur quos ipse procrearit; idemque illuc a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodammodo producunt personam, acquirere et parere, unde se honeste possint ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuosarum possessione rerum, quas ad liberos haereditate transmittat».

3) «Ac praeter injustitiam, nimis etiam apparet qualis esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutura. Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtrectationes et discordias patefieret: ademptis ingenii singulorum sollertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent: eaque, quam fingunt cogitatione,

aequabilitas, aliud revera non esset nisi omnium hominum aeque misera atque ignobilis, nullo discrimine conditio». Vere ergo *Pius Pp. IX* Socialistarum ac Communistarum placita «infandam ac vel ipsi naturali juri maxime adversam doctrinam» appellat, «qua, semel admissa, omnium jura, res, proprietates, ac societas funditus everterentur»[1].

4. **Probatur indirecte eadem thesis.** Hodierna democratiae socialis constitutio hisce capitalibus ***Marxii*** principiis innititur:

I. *Lex suprema, qua tota regitur historia, est continua et indefinita materiae evolutio.* Ut certum quippe supponunt Marxistae *a)* nihil esse in mundo praeter materiam motumque materialem: hinc perpetuum, quod gerunt, bellum cum spiritualismo christiano; *b)* nihil pariter in humanis inveniri fixum et stabile, sed relationes sociales, ideas, principiaque scientifica, politica et religiosa continuo ab uno in alium transire statum; omnia scilicet, quibusdam veritatibus mathematicis exceptis, legi aeternae evolutionis subjici; *c)* hujusmodi historicae socialisque evolutionis causam directivam et impellentem esse bonorum productionem commutationemque. Novis igitur in dies inventis mediis productivis et commercialibus, novae quoque ideae morales, politicae et religiosae formantur respondentes oeconomicae cujusque temporis conditioni. Hinc *d)* diversa pro variis temporum circumstantiis societatis structura ultimaque omnium revolutionum politicarum causa nonnisi in commercii mediorumque productionis mutatione reperitur.

Verum hujusmodi evolutionis materialistica theoria explosa manet ex his omnibus quae, contra Fatalistas et Atheos in Theodicea, contra Pantheistas et Darwinistas in Cosmologia et Psychologia exponuntur, et adversus Materialistas fere in toto hujus Operis decursu dicta et probata reliquimus.

II. *Misera proletariorum conditio necessario promanat ex privatae proprietatis instituto, quod humanam societatem in duas classes, sibi invicem perpetuo infensas, dividit,* diminutum scilicet capistalistarum numerum et ingentem mercenariorum turbam. Nam, juxta ***Marxii*** gregales, praefatam evolutionem materialisticam teterrimo classium bello semper verificatam fuisse usque in hodiernum diem universa pene commonstrat historia, quae nihil aliud est quam jugis et perpetua inimicarum classium discordia.

Nihilominus haec nullo pacto probari possunt. E contra: ajente ***Leone XIII,*** «est illud in causa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensum alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura

1 *Qui pluribus*, 9 nov. 1846.

comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit, quomodo in corpore diversa inter se membra conveniunt unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecepisse ut geminae illae classes congruant inter se concorditer sibique convenienter ad aequilibritatem respondeant. Omnino altera alterius indiget; non res sine opera, nec sine re potest opera consistere». Pauperum locupletiumque inter homines differentiam natura fecit. «Pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia istiusmodi incommoda evellere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt», inquit ipsemet Pontifex. Demum, invocare historiae testimonium in confirmationem ejus, quod est socialismi democratici basis et fundamentum, scilicet, superiorum saeculorum progressus classium dissidio unice deberi, nefas est; nam omnes omnino paginae veritatem hujus effati testantur: *concordia omnia crescunt; discordia maxima dilabuntur.*

III. Porro lugendam societatis humanae in duas classes divisionem *injusto capitalizationis systemati* uno ore tribuunt socialistae; ajunt enim actuale capitalismi systema cum naturali justitia evidenter pugnare, eo quod divites operarios spolient fructu laboris sui, indeque majora debitis accumulant bona.

Hanc autem in capitalistas accusationem probare conatur *Marx* nova quadam theoria ab ipso in hunc finem excogitata [1]. Duplicem quippe *valorem* distinguit, *usualem* nempe et *commutativum* (valor en cambio). Prior consistit in aptitudine rei ad usus personales hominis, v. gr. valor *usualis* vestis consistit in hoc quod homini deservit ad tegendum corpus. Alter in aptitudine rei ad usum *communem*, id est, ad commutationes in humano convictu faciendas; sic vestis habet *valorem commutativum* in quantum potest cum aliis mercibus commutari. Hoc posito, quasi ex cathedra loquens, valorem *usualem* constitui docet qualitatibus ipsis physicis et chimicis rei, *commutativum* vero solo *humano labore.*

In ipso autem opificum labore duplicem quoque distinguit valorem, *commutativum,* nempe, qui ex labore necessario ad res conservandas dimetiendus est, et aequivalet pretio earumdem rerum, seu salario quo operarius indiget ad diurnam sustentationem: et *usualem,* quo opifex valorem commutativum rerum, circa quas labor exercetur, auget. Hoc autem augmentum vocatur a *Marxistis capitale* seu *superpretium.* Cum autem operarius non solum valorem commutativum laboris sui, sed etiam usualem domino praestet, eidem locat non tantum pretium sed superpretium: dominus autem

1 A esta teoría de Marx dió origen la teoría del valor expuesta por Ricardo, Smith, Tracy, Bastiat, Say, etc.

valorem tantum commutativum operario rependit tanquam mercedem seu salarium; ergo capitalistae magnam partem laboris operariorum sibi gratis acquirunt et majora debitis accumulant bona. Sunt igitur veri pauperum *expropriatores*. Capitale nascitur et crescit *furto*[1]. Ut autem capitalium *monopolium* imperiumque locupletium efficacius subverteret, instituit *Societatem internationalem operariorum* (La internacional). Verum crescente in dies proletariorum turba, naturalis aequitas expostulat ut ipsi expropriatores bonis omnibus injuste acquisitis spolientur et aequabiliter inter opifices distribuantur. Ut autem aequabilitas haec novusque socialis ordo succedens permanenter conservetur hoc alterum statuunt principium:

IV. *Aequale jus et aequale officium omnibus.*

Age vero. Tertium principium supra enuntiatum nititur, ut patet, in praefata *valoris theoria* a ***Marxio*** inventa ut funditus everteret aut tanquam reale furtum verumque latrocinium traduceret privatas quascumque possessiones. Atqui theoria valoris Marxiana est omnino falsa. Substractum enim totius hujusmodi theoriae illo effato continetur, scilicet: *valorem commutativum rei labore humano tantummodo constitui.* Nam merces diversissimae, ait ***Marx,*** v. gr. ferrum et triticum, possunt abs dubio inter se commutari; ergo debent inter se convenire seu aliquid habere *commune,* ratione cujus commutantur. Hoc autem esse non possunt qualitates physicae aut chimicae, his namque differunt, et valorem usualem constituunt; ergo valor commutativus mercium nihil est aliud quam hominis labor in eis producendis reficiendisque impensus, qui quidem independens omnino est a valore usuali.

Sed vehementer fallitur ***Marx*** asserendo valorem commutativum unice dependere ex humano labore nihilque praeter illum esse commune inter merces quae sunt commutationis objectum. Nam 1) facile ostendi potest unam rem altera majorem valorem commutativum habere, licet in utriusque productione eumdem impendamus laborem. Id autem quandoque dependet ex proprietatibus physicis rerum, sicut «aurum et argentum non solum cara sunt propter utilitatem vasorum, quae ex eis fabricantur, aut aliorum hujusmodi, sed propter dignitatem et purita-

---

1 El capital nace al mundo, dice Marx, manando sangre y cieno por todos los poros de la cabeza a los pies. *Das Kapital*, I, 276. Cathrein, *El socialismo*, c. II, a. 2. Propuesto el ejemplo del comerciante que vende un par de botas por 160 chelines, hace la cuenta siguiente: la tienda está alquilada en 7 chelines, el cuero cuesta 30 chelines, la utilidad del comerciante se evalúa en 5, la del obrero en 30 igual a 72. Aquí hay 88 chelines que no sabemos de donde salen... es vuestro trabajo robado, dice a los obreros. Volved y revolved este pensamiento: *Cada vez que el patrono os da treinta chelines pensad que le habéis dado un billete de 120 chelines y que se embolsa 3 libras y 12 chelines a cambio de lo que os da.* Cfr. Garriguet, *La propiedad*, pag. 122 y sig. Exposición de la gran teoría de la *plus-value* y su refutación pag. 135 y sig.; idem. *Capital y capitalismo* (traduc. de D. Juan Pablo Biesa) c. IV; Berthold Missiaen, O. Cap., *L'appauvrisement des masses. Essai de critique sociale.*

tem substantiae ipsorum»[1]; alias propter quarumdam rerum abundantiam vel inopiam[2], et, si de productivis loquamur, ex situ, fertilitate etc. ita ut generatim majorem habeant valorem commutativum quo sunt meliora. Exemplis plena sunt omnia: sic gemma casu inventa pluris aestimatur quam sculptile arte elaboratum: varii fructus ejusdem aequalisque laboris, v. gr. triticum, avena et hordeum, longe differunt venali pretio. Ergo valor commutativus non constituitur unice humano labore, sed primo et principaliter utilitate. Audiatur ***S. Thomas.*** «Sicut ***August.*** dicit (XI de Civit. Dei, c. 16), pretium rerum venalium non consideratur secundum gradum naturae, cum quandoque pluris vendatur unus equus quam unus servus, sed secundum quod *res in usum hominis veniunt.* Et ideo non oportet quod venditor vel emptor cognoscat rei venditae qualitates occultas, sed illas solum per quas redditur *humanis usibus apta,* puta quod equus sit fortis et bene currat et similiter in ceteris»[3]. Certe, «uniuscujusque rei duplex est usus, sicut duplex est usus calceamenti; *unus quidem proprius,* scilicet calceatio: alius *communis* scilicet commutatio; ad hunc enim usum non factum est calceamentum, ut homo commutet ipsum, sed tamen homo sic potest uti calceamento, ut commutet ipsum vel pro pane, vel pro cibo[4].

In mercium quoque commutatione oportet aliquid esse commune ratione cujus commutentur; sed plane inficiamur id esse tantum laborem humanum in ipsis rebus contentum seu crystallizatum, ut loquitur ***Marx,*** sed, secundum ***Aristotelem***[5] et rei veritatem, potissimum esse ipsarum rerum *utilitatem* sive ad indigentiam sublevandam sive ad ornatum et splendorem status servandum. «Ideo possunt omnia adaequari, inquit ***S. Th.,*** quia omnia possunt commensurari per aliquid unum, ut dictum est; hoc autem unum, quod omnia mensurat secundum rei veritatem est *indigentia,* quae continet omnia commutabilia, in quantum omnia referuntur ad humanam indigentiam: non enim appretiantur secundum dignitatem naturae ipsorum, alioquin unus mus, quod est animal sensibile, majoris pretii esset, quam una margarita, quae est res inanimata: sed rebus pretia imponuntur, secundum quod homines *indigent eis ad suum usum.* Et hujus signum est, quod si homines nulla re indigerent, nulla esset commutatio»[6]. «Inducta enim est pro communi utilitate, dum scilicet unus indiget re alterius et converso»[7]. Ergo praecipuum elementum valoris commutativi est utilitas seu apti-

1 D. Th. II-II, q. LXXVII, a. 2 ad 2.
2 ib. ad 1.
3 loc. cit. a. 2 ad 3.
4 S. Th. in I *Polit.*, lect. VII.
5 V *Ethic.* c. V.
6 In V *Ethic.*, lect. VIII.
7 II-II, q. LXXVII, a 1.

tudo ad satisfaciendum necessitatibus humanis, quae maxime dependet ex qualitatibus physicis et chimicis rerum. Concurrunt etiam labor humanus, raritas et affectio, ac proinde falsum omnino est IV principium, scilicet: *valorem commutativum rei humano tantum labore constitui*[1].

Ex his facile exploditur sententia *Physiocratismi* circa rerum commensurationem (evaluación de riquezas) quam inter alios exponit ***J. Baptista Say***[2].

Demum cum natura aperte pugnare fundamentum illud, quo tota consistet futura societatis constitutio, nempe *aequale jus et aequale officium omnibus,* adeo evidens fit, ut id velle demonstrare sit tempus et operam ludere. Homines quippe, natura licet pares, omnes tamen aetate, ingenio, moribus, solertia, conditione differimus; ergo aequalitas jurium et officii, quam buccis crepitantibus praedicant socialistae, est inane imaginationis commentum, ideoque socialismus democraticus pro tota humana communitate practice est impossibilis prout clare et plenissime probant tot illa tentamina, quibus saeculo elapso nostrisque diebus nonnulli frustra conati sunt ordinare, juxta placita socialistica, quasdam colonias exemplares opificumque laborem[3].

5. His positis principiis, tria praesertim jura vindicant sibi recentiores Socialistae.

1) *Jus ad laborem.* Ipsi enim tum dominis tum Statui officium adscribunt conducendi opifices eisque sufficiens saltem salarium praestandi. Inde Socialistae laicam beneficentiam, cum laborare non possunt, ex justitia exigentes, eleemosynam et opera caritatis christianae, tanquam suae dignitati probrosam, longe repellunt. In hoc autem valde injusti et superbi se ostendunt Socialistae. Nam operarius, si aptus inveniatur, officium quidem habet laborandi et, cum non invenit occupationis locum, ab Statu, ut eidem laborem praebeat, expostulandi. Sed quo jure potest ab aliquo particulari repetere ut eum ad laborandum salario conducat? Nec honesto et bene morato opifici unquam utilis occupatio deerit, quia si probi opificis interest laborare,

1 Cfr. Kachnik, loc. cit. pag. 591.

2 *Tratado de economía política,* lib. II, c. I, traducido por D. Juan Sánchez Ribera. También nos parecen poco exactas las palabras de Garriguet: «El verdadero fundamento del valor es el *deseo*. Una cosa vale tanto más cuanto más se la desea; se la desea más o menos según que se encuentre en cantidad más o menos insuficiente para las necesidades; y es más o menos insuficiente, según sea más o menos difícil de multiplicarse». *La propiedad,* pág. 138 en la nota.

3 Los experimentos hechos en el pasado siglo alcanzan a un centenar; todos han fracasado, dice el P. V. Cathrein, *El socialismo,* c. IV, a. 1, §. I, nota. «Inter inaequalia, ait Plato, (De Leg. VI), aequalitatem inducere sine justa proportione iniquitas foret. Extrema aequalitatis et inaequalitatis regna seditionibus implent». Ergo extrema seu excessus inaequalitatis, v. gr. antiqua populorum servitus, quemadmodum et excessus aequalitatis, quam modo socialistae proclamant, regna dissolvunt.

id et dominis maxime convenit. Si ergo fabricae et officinae saepissime clauduntur, id non raro opificum improbitati debetur[1].

2) *Jus ad integrum laboris productum.* Sed insaniunt profecto Socialistae nihilo habentes jus dominorum in propria, et rerum valorem solo labore aestimantes, ut supra dictum est.

3) *Jus ad existentiam,* ratione cujus a patronis constanter reclamant salarii augmentum simulque horarum laboris diminutionem.

Equidem *a)* memoratum jus nemini denegandum est, ex quo Deus vitam homini concessit, ut sua adimpleret officia; *b)* ulterius, negari non potest usuale salarium non semper sufficere subveniendis perentoriis familiae necessitatibus; sed *c)* fatendum quoque Socialistarum exigentias nonnunquam justitiae limites supra modum excedere; *d)* postremo notandum est Socialistas ex jure ad existentiam illegitime inferre jus omnium ad omnia et individuae proprietatis injustitiam. Et de prima quidem propositione satis abundanter, ut arbitror, disputatum est. Sed res tanta paucis absolvenda non erat.

§ 5

EXPENDITUR PRIVATAE PROPRIETATIS FUNDAMENTUM[2]

Summa rerum. 1. *Status quaestionis.*—Thesis. 2. *Philosophorum sententiae*—(*a)* eorum qui jus proprietatis ex lege civili repetunt; *b)* ex pacto implicito aut explicito; *c)* ex jure hominis ad fructum laboris sui;—Evolutionistarum aliorumque recentiorum theoria; *d)* exponitur doctrina tenenda). 3. *Erronea philosophorum opinamenta redarguuntur.* 4. *Veritas enuntiatae conclusionis ex dictis infertur.*

1. Jure hominis ad possidendum stabiles proprietates in tuto collocato, gradum facimus ad praefati juris fundamentum investigandum. Mens autem nostra hisce ***Leonis XIII*** verbis aperitur:

---

1 «Del mismo modo que el derecho al producto íntegro del trabajo trae consigo el reconocimiento de un principio fundamental del Socialismo, a saber, que todos los medios de producción han de pasar a la propiedad colectiva, así también el derecho al trabajo sustituye la sociedad actual por el Estado socialista, cuya pretensión es la organización autoritaria de la vida económica». Hertling, *Política social,* pag. 96. Cfr. Garriguet, *La propiedad privada* c. IV

2 Cfr. Zigliara, *Jus Nat.*, lib. I, c. III, a. 4; Cathrein, *Philos. Mor.*, loc. cit. c. IV, a. 4; Reinstadler, *Ethic. Spec.*, lib. I, c. un. a. 2, § 2; Garriguet, loc. cit. pag. 147 y sigs.; Schiffini, *Ethic. Spec.*, Disp. III, sect. III; Ferretti, vol. II; sect. III, a. 1, § 3; Liberatore, *Principios de econom.*, lib. I, c. 2; Willems, *Philos. Mor.*, p. II, lib. II, c. III, Tract. II, a. 3 et 4; Fernández Concha, *Filosofía del Derecho,* lib. II, c. III, a 2; Jorge Hertling, *Política social,* VIII y IX; Ern. Guitart, *Nociones de Economía social,* c. VII.

Thesis. Possidere res privatim ut suas jus est homini a natura datum.

In praesenti conclusione non agitur, ut patet, de ipsa proprietatis existentia, quam modo contra Socialistas vindicavimus, sed de fundamento proprietatis privatae et quidem in abstracto consideratae.

2. Ad quatuor autem reduci possunt eorum sententiae qui, etsi privatas possessiones inviolate servandas doceant, diversa tamen assignant fundamenta.

a) Quidam enim cum *Babeuf, Bentham, Robespierre* ceterisque Revolutionis Gallicae fautoribus *a legibus civilibus* jus privati dominii derivant. Sic, *Mirabeau* in Conventu Nationali clamabat: «privatum dominium vi et facultate legum est acquisitum: sola lex proprietatem fecit»; et *Tronchet:* leges tantum proprietatis jus induxerunt.

Praeiverant *Montesquieu*[1], qui jus privati domini a lege civili unice pendere arbitratur, imo longius procedens, «jubet lex naturalis, scribit, ut parentes filios nutriant, non vero ut haeredes instituant»: et *Hobbes* qui, postquam statuit omnes omnino homines jus habere in omnia, impudenter affirmat in praesenti statu antinaturali auctoritatem politicam privatas possessiones intulisse. Nec mitior est sententia *Rousseau* asserentis non a natura sed ab hominum cupiditate et usurpatione ortam fuisse proprietatem. Accedit *Jouillier* qui, etsi jus privati dominii a lege civili non derivet, ab ea tamen pendere docet ejusdem *stabilitatem*[2]. Saeculo XIX plures docuerunt jus proprietatis ortum fuisse a legibus civilibus, ut *Destutt de Tracy, Laboulaye, Say,* et *Stuart Mill,* quibus adstipulantur hodie plures oeconomistae Germaniae.

b) Locke, Grotius, Puffendorf, Wolffius, Burlamachius, Heineccius[3] aliique facultatem qua homo potest possidere stabiles proprietates repetunt *ex pacto aliquo implicito vel explicito* quo, urgente necessitate, gentes inter se connivere; nam intelligi nequit quomodo, posita aequali omnium facultate possidendi res communes, unus possit ceterorum facultati praejudicari nisi ii, communi consilio, renuntiarent juri suo, inquit *Puffendorf*[4]. Duae recitatae sententiae quoad substantiam inter se non differunt[5].

c) Alii recentiores cum *H. George* sententiam *Locke* renovantes praefatam facultatem possidendi bona, sive mobilia, sive immobilia, *unice ex jure hominis ad fructum laboris sui* provenire arbitrantur.—Missas

---

1 *Esprit des lois,* lib. XXVI, c. 6.
2 *Le droit civil francais.*
3 *Elem. jur. nat. et gent.,* lib. I, c. 9.
4 *Jus Nat. et Gent.,* lib. IV, c. 14.
5 Vide Lichtenberger, *Le socialisme au XVIII siecle,* pag. 160; Vermeersch, q. V, c. II, a. 1; Rodriguez Cepeda, lect. 32.

facimus sententias, 1) evolutionistarum qui cum *Spencer* aliisque fundamentum juris proprietatis inveniunt in naturali instinctu quo animalia et ipsaemet plantae sibi aliquid appropriant. Nihil enim inquit *Guyot,* existere potest nisi ea conditione ut quosdam actus proprietatis exerceat; 2) *Mr. Letorneau* qui fundamentum illud collocat in primordiali animalium instinctu ad capiendum quidquid eis pro alimento deservire valet; 3) *Dalloz* asserentis jus proprietatis non esse innatum, sed a jure innato, hoc est, a libertate, derivatum; et 4) *Ahrens* qui immediate ex dignitate humana infert jus hominis ad proprietatem [1].

d) Demum sententia a catholicis tenenda, praesertim post. Encycl. *Leonis XIII. Rerum Novarum,* docet jus acquirendi privatas proprietates generatim inspectum esse jus naturale seu *lege naturali sancitum* et *ab ipsa natura profectum,* ut loquitur clarissimus Pontifex [2].

3. **Tres priores sententiae breviter refutantur.** Jam ex dictis in I.ª conclusione liquet *a veritate nimis aberrare qui ex humana conventione, vel ex legibus civilibus, aut ex connato jure ad fructum laboris sui derivant primum et originale fundamentum proprietatis.* Erit igitur satis nonnullas rationes indicare. Et primo quidem *quoad pactum a)* gratis asseritur, nam hujus conventionis memoria apud historiographos reperitur nulla; *b)* falso nititur fundamento, quippe supponunt hujus sententiae patroni res omnes initio fuisse *in communione positiva* ut, qui aliqua re cum jure excludendi ceteros pro libito uteretur, posset illis nocere: id autem nunquam probabunt; *c)* pactum quod non natura sed libere initur non potest alios praeter contrahentes obligare; ergo non explicat jus universale et constans existens apud omnes populos singulisque individuis competens possidendi stabiles proprietates.

Quod attinet leges civiles a) theoria inde repetens dominium proprietatis mutabile nimis, ut patet, eidem assignat fundamentum; *b)* item ad Communismum recta ducit via. Nam jure proprietatis humana tantum auctoritate constituto, ab ea omnino dependeret in existendo. Fac igitur ut Socialistae violentia mediisve politicis ad reipublicae gubernacula accedant, condantque leges privatam proprietatem in *communalem* transferentes aut totaliter abrogantes, tunc in casu valida justaque esset proprietariorum spoliatio; quoniam, vera existente *legis civilis* theoria, legislatores minime tenerentur leges ferre ad praescriptum jus proprietatis, sed possent pro libito praefatum jus limitare vel penitus

---

1 Cfr. Antoine, *Curso de Economía social,* pag. 475; Garriguet, *La propiedad,* pag. 165.

2 Encycl. *Quod Apostolici* 28 Dic. 1878; J. Hertling, *Política social,* IX. *El fundamento del derecho natural de la propiedad,* pag. 63; Garriguet, *La propiedad privada,* c. III.

delere; *c)* demum, opponitur naturali societatum exordio. Societas quippe domestica, etsi perparva, verae tamen societatis rationem participat eademque est omni civitate antiquior; ergo ante cujusque reipublicae ortum constitutionemque jus habet ad suipsius conservationem, ex quo sponte et naturaliter fluit jus acquirendi antiquius pariter omni politica auctoritate proindeque ab ea independens in sua origine et constitutione [1].

Postremo, *theoria, quae jus proprietatis in abstracto unice repetit ex jure ad fructum laboris, a)* nequit explicare cujusque dominii primaevum et generale fundamentum. Etenim plura homini obveniunt, v. gr., fructus terrae naturales, quae donatione accepit, vel fortuito invenit, etc., quae tamen nullo indigent labore; ergo labor hominis nequit esse unicum et universale proprietatis fundamentum. *b)* Labor humanus alium titulum praesupponit, scilicet jus uniuscujusque ad propriam vitam conservandam; sequitur enim: *habeo jus ad vitam, ergo et ad fructum laboris mei;* sed non e converso; *c)* ipsis Socialistis Agrariis adversatur; possumus namque contra ipsos ita argumentare: Labor est unicus titulus justus proprietatis; atqui bona quaedam mobilia sine ullo humano labore acquiruntur; ergo *injuste,* id est, absque legitimo titulo possidentur.

4. Ex his aliisque superius enucleatis probata manet nostra sententia. Omnes siquidem rationes pro I.ª conclusione adductae satis superque demonstrant jus acquirendi in abstracto esse a natura profectum. «Merito igitur, concludimus cum ***Leone XIII,*** universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus, nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum possessionesque privatas, ut quae, cum hominum natura paccatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit» [2].

---

1 «Patria potestas est ejusmodi, inquit Leo XIII, ut nec extingui neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsi hominum vita principium: *Filii sunt aliquid patris* et veluti paternae amplificatio quaedam personae: proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem». «Velle igitur ut pervadat civile imperium arbitratu suo usque ad intima domorum, magnus ac perniciosus est error».

2 Erronee igitur catholicus scriptor Ott Scholasticis adscribit sententiam, quam et ipse amplectitur, asserentem jus propietatis in legibus civilibus fundari.

§ 6

AN ET QUO JURE TENEANTUR HOMINES AD DIVISIONEM STABILIUM PROPRIETATUM [1].

Summa rerum. 1. *Duo in hac quaestione distinguenda, scilicet: jus et officium.* 2. *Duplex bonorum communitas; – duplex quoque dominium.* 3. *Socialistarum sententia.* 4. *Conficiuntur argumenta in favorem conclusionis nostrae.* 5. *Incommoda quae ex bonorum communitate, sensu socialistico accepto, sequuntur.* Thesis. *Socialismus est practice impossibilis.* 6. *Solvuntur object.* 7. *Quae bonorum communitas sit a natura intenta.*

1. Praecedens doctrina sequenti conclusione magis illustratur.

Thesis. Nedum licitum sed necessarium est homini rem aliquam quasi propriam possidere [2].

Verba, quibus exprimitur thesis nostra, hunc sensum praeseferunt: Non tantum *possunt* homines privatas possidere proprietates, sed spectato jure gentium sensu scholastico accepto [3], *tenentur* ad divisionem stabilium proprietatum.

Haec igitur duo sunt accurate distinguenda, prout, more suo, cautissime distinxit ***Angelicus*** [4], scilicet: *jus* possidendi, seu *facultas procurandi et dispensandi,* ut ipse loquitur, et *officium* seu *necessitas* partitionis bonorum. Primum quidem, et hoc bene nota, est *juris naturae,* uti jam probavimus; alterum vero fundamentum pariter habet in rerum natura, est tamen *conclusio juris gentium,* ut infra demonstrabimus.

2. Dein, interest maxime prae oculis habere duplicem illam *communionem* bonorum, quam scholastici *negativam* unam, alteram *positivam* dixere. Tunc habetur communitas *negativa* quando bona in *nullius* sunt potestate, adeo ut, si quis labore vel occupatione mediante rem aliquam faciat suam, nemini injuriam irroget. *Positiva* autem cum verum et actuale dominium alicujus rei existit penes communitatem, vel plures unam eamdemque rem ex indiviso possident, ita quod, citra injuriam, nullus e sociis absque aliorum assensu, nec altera communitas eam tanquam propriam habere queat. Inde colliges dominium *com-*

1 Cfr. Arist., II *Polit.*, per totum; D. Thomas, ib.; Signoriello, *Philos. Mor.* p. II, n. 124; Taparelli, *Ensayo*, lib. II, c. IV; Cathrein, *El Socialismo*, c. IV; Llovera, *Tratado Elem. de soc.*, c. IV, § 3.

2 D. Th. II-II, q. LXVI, a. 2.

3 Cfr. *Ethica*, Disp. IV, q. II, a. IV.

4 loc. cit.

mune positivum, non licere cum publico identificare; nam dominium privatum, quod contra publicum dividitur, potest esse *individuale* et *commune,* melius dixeris *collectivum,* prout subjectum dominii sit persona *physica* individua vel persona *moralis,* v. gr. communitas religiosa.

3. Age vero: communitas negativa, in qua ex institutione Creatoris cuncta naturalia bona initio fuerunt collocata divisioni bonorum minime adversatur, ut arbitrantur Socialistae, nec est de jure naturae praecipiente aut prohibente rerum communitatem vel divisionem sed tantum utrumque permittente. «Deus enim, inquit ***Leo XIII,*** generi humano donavisse terram in commune dicitur, non quod ejus promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione».

Postremo, argumenta adducenda probant simul necessitatem divisionis bonorum et moralem impossibilitatem reducendi ad praxim socialistica principia pro tota humana communitate.

4. Hisce constitutis, ratio in favorem nostrae conclusionis ita conficitur: In dispositione et gubernio civitatum «aestimandum est quod in longitudine praecedentium temporum fere omnia inventa sunt circa conversationem humanam quae excogitari possunt: sed quaedam eorum non sunt inducta, id est, non est usque ad hoc in eis processum quod lege statuerentur, quia statim eorum inconvenientia apparebat; quaedam vero sunt quidem statuta, sed recesserunt ab usu dum cognoverunt homines quod non erant utilia» [1]; id autem contingit, ut universa demonstrat historia, in communitate bonorum adstruenda; nam pluries pluribusque in locis conati sunt homines communitatem bonorum inducere, infelici tamen exitu; ergo communitas positiva bonorum pro universo genere hominum practice est moraliter impossibilis; necesse est ergo, concludit Philosophus, quod fiat distributio bonorum communium quantum ad rem seu facultatem possidendi.

Brevius: Universum genus humanum semper et ubique in id unum devenit, ut, ad humanum convictum et civitatum subsistentiam necessario dividendas esse proprietates putarit: atqui in re maxime practica securus judicat orbis terrarum; ergo stat nostra conclusio.

5. Multigena incommoda quae ex communitate bonorum sequuntur, si-

---

1 *II Polit.* D. Th. ib. lect. IV. Totum argumentum historice et philosophice egregie demonstrat Aristoteles ab initio usque ad finem lib. II, ubi varias antiquarum rerum publicarum et civitatum dispositiones et statuta politica describit, ex quorum lectione id colliges: *nihil novum excogitatum esse a modernis Socialistis,* quippe universa eorumdem placita refutata ibidem reperiuntur.

cut et bona quae ab humano convictu exularent[1], ipsa ad praxim deducta, nitide exponit et luculenter probat *Stagirita*, loco citato. Ea tamen sic resumit *Angelicus:* Est necessarium ad humanam vitam quod homo propria possideat propter tria «*Primo* quidem, quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit quam id quod est commune omnibus vel multorum, quia unusquisque laborem fugiens relinquit alteri id quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum[2]. *Alio* modo, quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis imminet propria cura alicujus rei procurandae; esset autem confusio, si quilibet indistincte quaelibet procuraret. *Tertio*, quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est: unde videmus, quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur»[3]. Haec autem incommoda generatim loquendo inseparabilia sunt a praesenti hominum conditione; ergo necessaria est partitio bonorum.

Haec igitur conclusio procedit ex jure naturali praecipiente pacificam conviventiam, ut societas constare possit, et ex facto communi et universali testante pacem et tranquillitatem ab humana conversatione exulare, inducta communitate bonorum; ergo conclusio est juris gentium sensu scholastico accepti. Ex his logice infertur veritas alterius

Thesis. Socialismus est practice impossibilis.

Prob. Ad communitatem bonorum inducendam duo inter alia essent omnino necessaria. Primum, ut quisque pro posse laboraret. Secundum, ut nihil praeter necessaria suis necessitatibus sublevandis

---

1 Inter quae *a)* stimulos seu incitamenta ad agrorum culturam artesque exercendas. «Nemo dicendo consequi possit quantum referat ad voluptatem existimare aliquid esse proprie suum»; *b)* virtutem liberalitatis. «Non enim poterit esse manifestum de aliquo an sit liberalis, nec aliquis poterit actum liberalitatis exercere ex quo non habet proprias possessiones in quarum usu consistit opus liberalitatis. Providus homo propria expendit et dat. Quod autem aliquis det communia non est multum liberalitatis». D. Th. ib.

Dijo una gran verdad el fisiócrata J. Bautista Say cuando escribió: la propiedad ofrece al hombre el más poderoso estímulo pora adquirir riquezas y por consiguiente para la producción» loc. cit. t. 1, pag. 91. Que el socialismo impida el desarrollo de la riqueza, cfr. A. Dechaux, *Les écoles socialistes* (París 1912). Brevius Philosophus, loquens de Republica Platonis, ut supra diximus: *Λύο γάρ ἐστιν ἃ μάλιστα ποιεῖ κήδεσθαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ φιλεῖν, τό τε ἴδιον καὶ τὸ ἀγαπητόν· ὧν οὐδέτερον οἰόντε ὑπάρχειν τοῖς οὕτω πολισευομένοις.* II *Polit.*, c. I, (ed. Didot).

2 Delira sin duda Bebel, cuando afirma que en el Estado socialista «desaparecerán la ociosidad juntamente con la pobreza y la miseria», que «el trabajo organizado sobre la base de la libertad e igualdad absoluta, en que uno vive por todos y todos por uno, despierta el sentimiento más elevado de solidaridad, un espíritu de regocijo y ansia de producir, una emulación, nunca en ninguna parte vista en el presente sistema económico». Apud Cathrein, *El socialismo*, c. IV, a. 3, § 2. ¡Si los hombres no fuesen hombres!

3 II-II, q. LXVI, a. 2.

acciperet nec desideraret, secus, si aliqui vel non laborarent, aut laborantes plus justo ex communi acciperent, omnes idem facere vellent, ex quo inaequalitas et jurgia orirentur maxima. Hinc religiosi, qui hanc colimus bonorum communitatem, duo illa principia libenter amplectimur et servamus[1]. Atqui haec duo, attenta humana conditione, sunt practice impossibilia pro communi hominum genere; nam si modo non pauci laborem fugiunt, quid si homo de bonorum communium acervo victum sumpturus esset? Quid ad haec Communistae? Inducta, inquiunt, bonorum communione omnes mira alacritate et solo honestatis et communitatis amore, quantum possent, laborarent. Sed haec sunt imaginationis commenta. Nam labor, utpote poena homini post peccatum imposita, violentiam subaudit viresque debilitat, unde naturaliter refugimus laborem. Quae Socialistae comminiscuntur propria fuere priscae Protoparentum felicitatis, quam cecinit *Ovidius* hisce carminibus:

> Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
> Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
> Poena metusque aberant.....
> Ver erat aeternum; placidique tepentibus auris
> Mulcebant zephyri natos sine semine flores.
> Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
> Nec renovatus ager gravidis canebat aristis:
> Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant;
> Flavaque de viride stillabant ilice mella[2].

At beatissimam illam vitam, ab aerumnis, quibus nunc premimur, omnino liberam, Adamo peccante, amisimus, nec nisi somniando novam aetatem auream in praesenti saeculo sperare possumus. Insuper *gratis* asserunt Socialistae in Statu communista omnes justo tantum et necessario futuros fore contentos; gratis proinde negatur. Otio namque dediti vitiis omnibus indulgerent; exinde vera anarchia. Demum, negabit profecto nemo quae in communi et pro communi fiunt remissius fieri, nisi adsit ratio vel motivum supernaturale[3]. Quid enim prosit humano generi philantropia quaeque opera beneficentiae generet altruismus, lugenda experientia edocemur. Sed de his ad Apologistas[4].

---

1 In *Regula* Carmelitana, haec duo praecepta inveniuntur: 1) si quis non vult operari, non manducet (§ 12) et desumitur ex II ad Thesal. III. 10: 2) Nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat: sed sint vobis omnia communia et distribuantur unicuique... prout cuique opus erit, inspectis aetatibus et necessitatibus singulorum (§ 6).

2 *Metamorph.*, l. I.

3 Inde nata sunt vulgatissima adagia: Con tres amos el caballo se muere de hambre, porque cada uno cree que el otro le ha echado el pienso.—Prado común, yerba corta.—El ojo del amo engorda al caballo.—Muchos pastores ganado mal guardado y guardanía cara.

4 Cfr. P. Silverio de Sta. Teresa, *El precepto del amor*, c. XLI.

Hic obiter notamus magnam existere differentiam inter Religiosos, qui quamdam speciem communismi profitentur, et Socialistas. Hi namque jus proprietatis impugnant, ipsas vero proprietates surripere optant[1]. Religiosi vero jus proprietatis ut rem sacram et societatis fundamentum defendunt, proprietatibus tamen libenter renuntiant. Socialistae divitias et saeculi dignitates ambiunt ut voluptuosiorem vitam agant. Religiosi eodem semper habitu iisdemque alimentis ex praescripto regulae utuntur, sive multum sive parum domus possideat. Emittant Socialistae vota obedientiae, castitatis et paupertatis et viam vero sternent Communismo.

6. **Objicies.** *S. Thomas* et cum eo veteres *Scholastici* indubitanter asserunt bonorum divisionem *jure positivo humano* esse introductam. Exponens siquidem ille quomodo rerum communitas ad jus naturae pertineat, inquit: «communitas rerum attribuitur juri naturali, non quia jus naturale dictet *(positive)* omnia esse possidenda communiter, et nihil esse quasi proprium possidendum; sed quia secundum jus naturale non est distinctio possessionum (*communitas negativa*) sed magis *secundum humanum condictum, quod pertinet ad jus positivum,* ut supra dictum est. Unde proprietas possessionum non est contra jus naturale, sed juri naturali superadditur per adinventionem rationis humanae»[2]. Ergo.

Resp. neg. antec.; et ad probationem, *S. Thomas* docet distinctionem possessionum factam fuisse secundum humanum condictum *liberum,* nego, *necessarium hypothetice,* id est, supposita morali impossibilitate pacifice convivendi absque divisione proprietatum, concedo. Unde illud jus positivum, de quo *Angelicus* in adducto testimonio, non est, juxta ipsum, jus simpliciter humanum; propterea docet esse juri naturali supperadditum per adinventionem rationis humanae, prout supra[3] dixerat.

Instabis. Negari non potest *S. Thomam* bonorum divisionem ad jus gentium revocare; atqui jus gentium ex mente *Scholasticorum* est jus simpliciter positivo-humanum; ergo.

Resp. conc. major. et neg. minor. Alibi expendimus hanc quaestionem. Nunc autem sufficiat iterum exscribere verba quibus *S. Doctor* mentem suam aperit, atque declarat quid per jus gentium intelligat. «Quia ea quae sunt juris gentium, naturalis ratio dictat, puta ex propinquo habentia aequitatem, inde est quod non indigent aliqua speciali institutione, sed ipsa naturalis ratio ea instituit»[4]. Nihilominus quia proprietas possessionum

---

1 Socialistae et Communistae «jus proprietatis naturali lege sancitum impugnant; et per immane facinus, cum omnium hominum necessitatibus consulere et desideriis satisfacere videantur, quidquid aut legitimae hereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parsimonia adquisitum est, rapere et commune habere contendunt». Leo XIII, *Quod apostolici muneris,* 28 Dec. 1878.

2 II-II, q. cit. a. 2, ad 1.

3 ib. q. LVII, a. 2 et 3.

4 loc. cit. a. 3 ad 3.

non est homini commensurata secundum absolutam sui considerationem, sed secundum aliquid quod ex ipso sequitur, «si enim consideretur iste ager absolute, non habet unde magis sit hujus quam illius, sed si consideretur per respectum ad opportunitatem colendi et ad pacificum usum agri, secundum hoc habet quamdam commensurationem ad hoc quod sit unius et non alterius»[1], ideo recedit a jure naturae, ipsum tamen ex propinquo participat. Si qui tamen afferantur *Scholastici* asserentes jus possidendi proprietates a lege civili pendere benigne eorumdem verba accipiantur, non quasi *jus ipsum* proprietatis, sed *actuationem* juris legi civili attribuant.

7. **Alia bonorum communitas a natura quadantenus intenta.** Illa erit ex mente Philosophi praestantior civitatis constitutio quae *commodum ex utroque proficiscens,* et *quod ex bonorum* nempe *communione* et *quod ex proprietate oritur*, consequatur. *Oportet enim bona quodammodo esse communia, simpliciter et universe propria*[2]. Propria quidem quantum ad facultatem possidendi, communia autem quantum ad usum, non tamen ita quod homini auferatur jus ad usum, nam qui vere est dominus alicujus rei potest ea uti pro libito, sed ut inter alios voluntarie et ex virtute bona distribuat. Nam, ajente *Angelico Praeceptore*, «circa rem exteriorem duo competunt homini: quorum unum est *potestas procurandi et dispensandi;* et quantum ad hoc licitum est quod homo propria possideat..... Aliud vero quod competit homini circa res exteriores *est usus ipsarum;* et quantum ad hoc non debet (*non quod non possit*) homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit I ad *Timoth.*, ultimo, 17: *Divitibus hujus saeculi praecipe..... facile tribuere, communicare* de bonis, etc.»[3].

Haec autem rerum exteriorum communicatio, qua miserorum indigentiae subvenitur, ab ipsa natura, quae caritatis et beneficentiae officium erga alios homines imponit, quadantenus intenditur, eo vel maxime quod, ipsa deficiente, gravissimae quaestionis inter patronos et proletarios nulla videatur speranda solutio.

---

1 ib. in corp.

2 *Δεῖ γὰρ πῶς μέν εἶναι κοινάς, ὅλως δ' ἰδίας.* II *Polit.*, cap. II (ed. Didot).

3 II-II, q. LXVI, a. 2. En duplex proprietatis aspectus; est enim *jus individuale*, et simul *functio socialis*. Cfr. J. Verdier, *La Proprieté*. Revue pratique d'Apolog. 15 Fevr. 1913.

§ 7

DE INDIVIDUA JURIS PROPRIETATIS ACTUATIONE [1]

Summa rerum. 1. *Duo apprime notanda ad quaestionis intelligentiam.* 2. *Proprietatis individualis historia* (apud Graecos et Orientales;—inter Romanos;—Feudalismus;—Ecclesiae Catholicae influxus ut omnes individuas aliorum proprietates revereantur;—Socialistarum adversus proprietatem conatus). 3. *Titulus.—Species.* 4. *Restringitur quaestio.* 5. Thesis.—*Explicatur* (notio laboris et occupationis). 6. *Auctorum sententiae.* 7. *Probatur conclusio.* 8. *Eadem doctrina bonorum translationibus applicatur.*

Postrema quaestio. Sequitur ut agamus *de determinatione* vel, ut alii loquuntur, *de actuatione individua juris proprietatis,* quibus nempe modis acquirantur determinatae et individuae possessiones. Modi autem acquirendi dominium seu jus in re determinata et singulari sunt *tituli vel causae ex se habiles ad tale dominium conferendum.*

1. In hac vero quaestione illud imprimis animadvertendum est cum Emo. Card. ***Zigliara,*** «hanc vel illam determinatam proprietatem non esse essentialiter connexam cum jure abstracto proprietatis; non enim valet ratiocinium: Jus naturale mihi est acquirendi stabilem proprietatem; ergo haec proprietas A mea est. Ergo determinatio juris abstracti ad determinatam proprietatem stabilem est factum contingens» [2].

Notatu secundo dignum censemus ad rectam quaestionis solutionem, res mundanas considerari posse in triplici statu, quemadmodum paulo supra indicavimus. 1.° in statu *communionis negativae,* quando scilicet omnia sunt penes omnes et apud neminem jus excludendi alios; et haec est existentia rerum primitiva: 2.° in *communione positiva,* quando nonnullae sunt penes aliquam communitatem, puta familiam, municipium, adeoque habet certum jus excludendi alias communitates vel individua aliarum communitatum; et sic sunt *bona* quae in populis dicuntur *communalia,* vel quae possident familiae religiosae: 3.° in *statu individuo* seu verae proprietatis, quando res est penes unam personam cum jure excludendi alios. Porro secundum hunc tri-

---

1 Cfr. Taparelli, *Ensayo,* n. 412 et sqq.; Audisio, lib. II, tit. VII; Pacetti, p. III. sect. II, c. III, a. 3; Vermeersch, q. V, c. II, a. 2, § 2; Liberatore, *Ethica,* c. IV, a. 2, prop. 4; Balmes, *Philos. Elem., Ethica,* c. XXIII, sect. II; Signoriello, loc. cit. n. 140; Tongiorgi, *Jus. Nat.,* c. II, a. 3; Meyer, loc. cit. c. III, a. 1; L. Garriguet, *La Propiedad,* c. VI; Waffelaert, *De Just.,* n. 33; Lottini, *Ethica,* n. 486.

2 *Jus. Nat.,* lib. I, c. III, a. IV.

plicem statum sunt diversi modi acquirendi dominium. Alii enim sunt *naturales* seu *juris gentium dicti,* alii *civiles:* et naturales alii *originarii,* alii vero *derivativi.*

2. Nulli dubium quin proprietas individualis seu in concreto apud omnes populos fuerit in usu [1]; res est adeo necessaria ut sine illa cives pacifice convivere non possint. Recolatur historia *Abraham* et *Loth* [2]. Non tamen ubique eadem viguit ratio et juris proprietatis extensio.

Apud Graecos et Orientales, si populum Israeliticum excipias, jus proprietatis individualis diminutum erat per reipublicae constitutionem. «Terram et domus sibi cives partiantur, inquit *Plato,* sed quaecumque illis pars contigerit, minus ad se quam ad rempublicam spectare meminerint» [3]. Unde cum servi in utilitatem civium, cives, id est, familia in utilitatem tantum reipublicae laborarent, sicut fere evanuerat individualis personalitas ita et proprietas in concreto, cum hac tamen differentia quod apud Orientales despotismus in populum jure absolutissimo et nomine Dei exercebatur a principe, apud Graecos vero respublica nomine populi populum opprimebat [4].

Apud Romanos semper quoque viguit proprietas individua, nonnihil tamen legibus imperantium coarctata. Ipse enim *Romulus* terras exercitus occupatione depraedatas civibus partim concessit. Postea quoque *Numa* possessiones distinxit, limitibus praefixit «singulisque civibus *viritim,* ajente *Cicerone,* divisit»; et quamvis primo ritibus et formulismo reipublicae subjecta fuerit proprietas individua, dein, opera potissimum ipsius *Ciceronis,* ad eam libertatem pervenit qua possessor posset vendere, locare, etc., reipublicae vel summis imperantibus *eminenti dominio solum-*

---

1 Cfr. Audisio, *Jus. Nat. et Gent.,* lib. II, tit. VI.

2 Falluntur ergo Socialistae Agrarii asserentes primitus ubique extitisse possessionem communem fundorum. Mientras Laveleye, Viollet, Maurer, Antón Menger y otros impugnan todavía la legitimidad de la propiedad privada del suelo fundándose en las enseñanzas de *la Historia,* Henri George y otros socialistas agrarios la combaten en nombre del *Derecho Natural,* y de la *Economía política.*

En nombre del *Derecho* formula George dos objeciones: La propiedad rústica privada es injusta: 1.º porque la tierra ha sido concedida a la humanidad como patrimonio común: apropiarse una parte de ella, por ínfima que sea, es ir contra el orden establecido por el Creador y cometer un verdadero robo en perjuicio del género humano. 2.º porque Dios ha concedido a todos los hombres igual derecho de vivir; y excluir a cualquiera de la posesión del suelo equivale a privarle de ese derecho, colocarle en la imposibilidad de proporcionarse normalmente lo que es necesario para la existencia.

A nombre de la *Economía política* formula contra la legitimidad de la propiedad rústica privada críticas que serían muy graves si tuvieran fundamento. Acusa a la propiedad de ser, si no la causa única, la primera cuando menos, de las intolerables desigualdades que existen entre los hombres y que producen el malestar profundo que sufre el cuerpo social. Garriguet. *La propiedad,* pag. 80.

3 *De Leg.,* lib. V.

4 Cfr. Aristot. I et II *Polit.*

modo relicto, ut ex his *Senecae* verbis colligitur. «Jure civili omnia regis sunt, et tamen illa, quorum ad regem pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt, et unaquaeque res habet possessorem suum» [1]. «Ad reges enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas»: et «omnia rex *imperio* possidet, singuli *dominio*» [2]. Hinc Romanorum *Orator* uti rem sacram tuebatur proprietatem, atque id «imprimis videndum est ei, qui rempublicam administrabit, ajebat, ut suum quisque teneat, neque in bonis privatorum publice diminutio fiat» [3].

Religione christiana feliciter per universum orbem propagata, jus proprietatis individuae firmiorem accepit sanctionem per virtutem illius praecepti: *Non concupisces uxorem proximi tui; non domum, non agrum, non ancillam, non bovem, non asinum et universa quae illius sunt* [4].

Nihilominus per irruptionem Barbarorum in Imperio Romano magna consequuta est rerum publicarum subversio, indeque paulatim natus est *feudalismus,* in quo servi suas domino locabant operas, a quo vicissim quasdam frequenter accipiebant proprietates, quas tamen alienare, transmittere etc. non poterant invito aut inconsulto domino. Haec autem dominorum feudalium jura in proletarios sensim sine sensu sibi arrogarunt imperantes. Pugnabat tamen populus pro adquirenda libertate, atque in hunc finem, et ut inviolata servaretur individuorum proprietas, suas quoque operas, nec minimas, contulit Ecclesia Catholica. Hinc celebratur illud *Joannis Juvenalis,* Archiep. Remensis, ad *Carolum VII,* Francorum regem: «Quidquid de ordinaria tua potestate nonnulli dictent, scito tibi meum arripere non licere, quod enim meum non tuum est. In justitiae administratione te principem fateor. At sicut tibi tuum patrimonium est, ita unicuique suum». Regalium vero jurium patrocinium deinceps susceperunt quidam juristae haec et similia scribentes: «Rex est dominus universalis terrarum quae in regno sunt quaeque a majoribus suis concessa presumuntur, nisi contrarium demonstretur». Quam doctrinam ipsemet *Ludovicus XIV* an. 1692 non est veritus firmare. «Memento, inquit, reges, uti absolutos dominos, plena ac libera pollere facultate disponendi de bonis quae ab *Ecclesia* vel a laicis possideantur, ea tamen ratione ut sapientes oeconomi per omnia solent».

Nota quoque sunt tentamina Socialistarum quibus jus proprietatis funditus convellere cupiunt, necnon Liberalium Constitutionum ad bonorum centralizationem tendentium cum immensa proprietatis individuae jactura. Verum Pontifices Ecclesiae Romanae nunquam a tuenda proprietate destitere. Sed ad rem.

3. Haec individualis proprietas, quae, ex dictis, semper viguit et a qua societas humana recedere non potest, legitimos praeseferat titulos necesse est, ut omnes eam revereantur et sarta tectaque servetur.

---

1 *De Benef.*, VI.
2 ib. VII.
3 *De Offic.*, II, 21.
4 *Deut.*, V, 21.

Jam: tituli *originarii* seu *primaevi* quibus nanciscimur dominium earum rerum quae in *nullius* sunt potestate de facili ad *occupationem* reducuntur. Res vero quae sunt in communitate positiva acquiruntur potissimum per *cessionem* et *divisionem*. Quae autem subsunt dominio alicujus personae privatae fiunt alterius propria generatim per gratuitam vel onerosam *transmissionem*, ad quam omnes tituli *derivativi* quodammodo spectant. His demum adjungitur titulus *juris positivi*, scilicet *praescriptio*, qua dominium acquiritur *in re possessa et praescriptibili per tempus a lege definitum bona fide continuata*. Praescriptio inducta est *ob bonum commune*, ne scilicet quarumdam rerum dominium diu et fere semper incertum permaneret.

4. Patet autem quaestionem non esse nisi de titulo originario seu de facto primigenio, quo res *nullius* fiunt propriae hujus vel alterius hominis. Alii namque tituli supponunt rem jam in privato dominio constitutam, proindeque jus abstractum proprietatis ad hanc vel illam possessionem applicatum.

5. **Thesis. Factum primigenium jus proprietatis in concreto determinans est labor sive occupatio.**

Explicatur: *laborem* dicimus sive *occupationem*, quoniam, etsi diversa prima fronte videantur, re tamen non differunt, imo occupatio supponit et implicat laborem circa rem occupatam, definitur quippe a Jurisperitis: *Apprehensio possessionis rerum domino vacuarum, nemini nocens, atque animo eas sibi proprias retinendi;* occupatio igitur fit animo simul et corpore.

6. Censent tamen plures auctores hominem per occupationem et non per laborem seu exercitium propriae activitatis res *nullius* facere suas. Verum, ut multis aliis rectius videtur, quando res sunt in communitate negativa ita eas disponere debemus per occupationem ut cognoscatur nos aliquid nostrum in eis posuisse, quo nobis arcte conjungantur, in qua conjunctione proprietas consistit. Sic v. gr. dum quis pervenit ad insulam inhabitatam non potest statim dicere sociis illuc una pervenientibus: *terra, quam conspicimus, mea est;* sed necesse est eam vallo saepire, rivulos dirigere, vel quid simile facere, ut possit tanquam propriam possidere. Stulte igitur docet *Ahrens* ocupationem non esse justum proprietatis titulum, quia secus unus homo totam posset occupare terram, ceterique essent illius coloni.

7. **Probatur thesis.** Proprietas est arcta rerum conjunctio cum earum domino; ergo per illud primitus determinatur in concreto jus propietatis, quo homini conjunguntur res quae vere sunt nullius;

atqui id nihil aliud esse potest quam exercitium propriae activitatis (el trabajo), quo eas quadantenus transformat et ad se unum e statu communali trahit; ergo.

Confirmatur. Eo injuria commissa per laesionem proprietatis possessorem attingit, quia in possessione reperitur quasi crystallizatum aliquid propriae personalitatis; sed nihil proprium hominis inveniri potest in re possessa praeter laborem; ergo labore determinatur jus proprietatis in concreto. «Fingendo nullum esse dominium, scribit *Balmes*, patet justiorem titulum futurum laborem productioni vel formationi objectorum adhibitum. Arbor inter selvaticos ad maris oram posita nullius est; at si aliquis illam excidit et effodit, naviculam faciens, num justior titulus excogitari potest illo, quo gaudebit selvaticus nauta naviculae constructor? Hoc jus in rerum natura fundatur. Arbor nullius erat, sed, labore adhibito, arbor non permanet; est objectum novum; ligno naviculae forma addita est, et, quam habet utilitas ad navigandum, effectus est opificis laboris. Haec forma laborem exprimit, nisum, privationes, sudorem construentis; quapropter dominium in naviculam est veluti continuatio dominii in facultates quibus homo rem conficiebat»[1].

8. **Eadem doctrina applicatur translationibus gratuitis vel non gratuitis.** «Homo non sibi soli vivit sed affectu sibi similes complectitur, praesertim cognatos, mulierem et maxime filios. Laborans non propriae utilitati solum consulit sed etiam illorum, quos amat. Id natura fundatur; et fructus laboris extensio ad alios, quorum laborans curam gerit, conservationi familiarum necessaria est. Parentum bona ad filios transferri jure naturali innititur; nec id tolli posset quin societas domestica everteretur et periret laboris amor. Translatio bonorum ad descendentes, ascendentes et collaterales eodem principio fundatur.....

Praeter familiae amorem homo diversas affectiones experitur. Gratitudo, amicitia, misericordia, admiratio et alia hujusmodi hominem ligant cum aliis qui ad ejus cognationem non pertinent..... Utilitas publica, famae desiderium et alia hujusmodi illum impellunt, ut, quae acquisivit bona, monumento assignet. In his omnibus domini voluntas interest, quae rationibus aequitatis et utilitatis maxime est habenda. Quo magis leges tueantur hanc voluntatem fortius erit laboris incitamentum: cum enim homo naturaliter de futuris cogitet, vires deficiunt ac languescunt semel ac viderit libertatem restringi, qua de laboris fructibus disponebat. Hinc emanant justitia et utilitas verendi donationes et testamenta, hoc est, translationes laboris fructus, domino vivente vel mortuo. Habemus igitur dominii fundamentum esse laborem; ac illius translationes lege sancitas, esse quasi tributum quod leges primi possessoris labori solvunt». Hucusque clarus philosophus hispanus[2].

---

1 *Philos. Elem.* (ab ipsomet in latinum versa), *Ethic.* c. XXIII, sect. II.

2 loc. cit. sect. III, n. 188, 189, 190.

§ 8

PRACTICA REMEDIA AD PROBLEMA SOCIALE SOLVENDUM [1].

Summa rerum. 1. *Principia ethico-religiosa sunt imprimis populo commendanda.* 2. *Patienter ferenda est humana conditio.* 3. *Officia justitiae a proletariis servanda.—De intermissione operum.* 4. *Officia justitiae ad dominos spectantia.* 5. *Officia christianae caritatis tum opificum tum patronorum.* 6. *Actio socialis Ecclesiae.* 7. *De Status interventione. - Socialismus Status. — Individualismus* (Physiocratae, Oeconomistae Liberales).—*Scholae catholicae* (Andegavensis, Leodicensis, democratico-christiana). 8. *Reipublicae partes in solvenda quaestione sociali, juxta Leonem XIII.* 9. *Alia media.*

Praecedens juris proprietatis theoretica expositio ad proletarios et dominos aeque descendens apta videtur solaque sufficit, meo quidem judicio, ad eorumdem vetustissimum dissidium componendum. Verum ut plenis numeris absolvamus problema sociale alia remedia sunt impraesentiarum addenda. Qua in re breviter et compendiose exscribemus ea, quae nitide simul ac prudentissime exposuit ***Leo XIII*** in suis Litteris Encyclicis. [2]

1. Et primo quidem *remedium petendum esse edicimus ex principiis ethico-religiosis.*

«Quorumdam enim opinio est, quae in vulgus manat, *quaestionem socialem*, quam ajunt, *oeconomicam* esse tantummodo: quum contra verissimum sit eam moralem in primis et religiosam esse, ob eamdemque rem ex lege morum potissime et religionis judicio dirimendam..... Deme animis sensus, quos inserit et colit christiana sapientia; deme providentiam, modestiam, parsimoniam, patientiam ceterosque rectos naturae habitus; prosperitatem, etsi multum contendas, frustra persequere» [3].

---

1 Cfr. Leo XIII, locis infra cit.; Dehon, *Manuel social chretien*; Onclair, *Causes et Remedes du Socialisme*; Garriguet, *La Propiedad*, c. IX; Jorge de Hertling, *Politica social*, XIV y XV; A. Pavissich, *La acción social*; Biederlack, *La cuestión social*, c. IV; Llovera, *Trat. elem. de soc. crist.*, Epilogo, § 3; P. Vicent, *El problema agrario resuelto por los sindicatos agrícolas*: R. de Iranzo y Goizueta, *Las asociaciones profesionales industriales* (Trade-Unions); Vermeersch, *Manuel Social*, *La legislation et les Oeuvres en Belgique*; Martin Saint-Leon, *Cartells y Trusts*, (versión española de Benito Ordoñez).

2 De his egit, directe quidem in Encycl. *Quod Apostolici*, *Rerum novarum* et *Graves de communi*, et indirecte saepius, inter alia, *Quod multum*, *Auspicato*, *Quamquam pluries*, *Ab Apostolici*, *Charitatis* et *Saepe numero*. Cfr. Juan Maura y Gelabert, Obispo de Orihuela, *La democracia cristiana* (Barcelona 1909), Pastoral VI.

3 Leo XIII, *Graves de communi*, 18 Jan. 1901. Inde dimanat officium sacerdotum edocendi populum in sociologia christiana, eo praesertim, quia socialistae inter po-

2. Illud secundo loco statuatur: «*ferendam esse conditionem humanam; ima summis paria fieri in civile societate non posse.* Agitant id quidem *Socialistae:* sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar» [1].

Quo posito, ad dirimendum certamen inter divites et proletarios ipsasque ejus radices amputandas juvat eisdem mutua praescribere officia, sive quae a justitia, sive quae a religione et caritate ducuntur.

3. *a)* **Officia justitiae,** quae *proletarium* atque opificem attingunt, haec inter alia recenset *Leo XIII:* 1) quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id integre et fideliter reddere; 2) non ullo modo nocere, non personam violare dominorum; 3) in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec ad seditionem inducere unquam, nec commisceri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose jactantibus, quod fere habet poenitentiam inutilem et fortunarum ruinas consequentes.

De jure intermittendi operas ex condicto (derecho a la huelga). Socialistae omnem a labore cessationem justam esse defendunt, nullam habentes rationem malorum, quae vel ipsis operariis saepissime ex ea imminent; a qua sententia plane recedunt omnes catholici, quamvis in determinandis specialibus circumstantiis, in quibus secessio ex condicto sit licita, quandoque forte dissentiant. Mens autem nostra ex sequentibus fiet manifesta.

Imprimis notandum est *a)* cessationem ab opere esse malum gravissimum; pleraque incommoda oeconomica et moralia ex ea imminere tum societati, tum heris ipsisque operariis; *b)* Bona, quae ex justa etiam operum intermissione quandoque exoriuntur, ut mercedis augmentum, major opificum aestimatio etc., nunquam mala ex eadem communitati obvenientia exequare, ut quotidiana experientia testatur.

Igitur operarii, antequam a labore secedant, omnia media, quae eis praesto sint, ad jus suum repetendum adhibere satagant. Id quo-

---

pulares ignaros semina erroris spargunt. *Id al pueblo,* decía Leon XIII. «Le siecle qui vient (XX) appartiendra, non aux capitalistes ni a la bourgeoisie, mais au peuple». El Card. Manning, Carta al Conde de Mun. Es celebre y puede tenerse por exacta en alguna manera la ecuación fundamental de Brunetiere: Sociología=Moral, Moral=Religión. Luego Sociologia=Religión. Anatolio Leroy-Beaulieu dice que la cuestión social «es, ante todo, una cuestión religiosa y moral». M. Claudio Janet que «no es una cuestión de organización económica, sino una cuestión religiosa». M. Keller que la causa del mal social es sobre todo moral. Cfr. Teodoro Rodriguez, *Estudios sociales,* vol. I, c. I.

1 *Rerum novarum.*

que maxime incumbit dominis et reipublicae moderatoribus. «Qua in re, mónet *Leo XIII,* illud magis efficax et salubre, antevertere auctoritate legum, malumque ne erumpere possit prohibere, amotis mature causis unde dominorum atque operariorum conflictus videatur exiturus». *(Rerum novarum).*

Si autem operariis nullum aliud suppetit medium praeter hoc extremum et periculosum ad suam conditionem tolerabilem efficiendam, eo uti moraliter posse, dummodo justitiam in mediis seligendis non laedant, affirmant communiter Sociologi catholici, ut ***Ballerini-Palmieri, Lehmkuhl, Noldin, Gury-Ferreres, Vermeersch, Millendorff, Rossignoli, Antoine, Garriguet, Llovera, Kachnik, Schrijvers*** aliique.—Sic, cum operarii v. gr. minimam mercedem justam non accipiunt, vel in locis insalubribus, aut diebus dominicis, vel plusquam vires ferre possunt laborare coguntur, operas ex condicto intermittere aliosque, non quidem vi, minis, fraude aut mendaciis, sed consiliis aut declamationibus, ad secessionem inducere, etiam si tempus conductionis nondum sit finitum. Si tamen contractus justus est nequeunt a labore cessare usque dum tempus condictum finiatur.

Violentiam dominis, aut aliis operariis, ut a labore secedant, inferre nunquam licet[1]. Hinc maxima prudentia et consilii maturitate opus est ut in praxi secessio a labore licita declaretur, difficile namque erit operariorum multitudinem continere ne violenter laedant res et personas dominorum.

Secessiones generales, quamvis non sint violentae, adprobari non posse nobis probabilius videtur, siquidem manifeste cedunt in detrimentum societatis ipsisque nocet proletariis[2].—Pacifice ergo diffe-

1 La huelga particular sino es violenta, con tal que el objeto que se proponga sea lícito y legítimo, no es punible; cuando hay violencia no es lícita y es punible. Tal es la legislación de casi todos los paises. En España rige la ley de 1909. Cfr. Ricardo Ventosa, *Las huelgas de trabajadores* (Madrid 1882); Alfredo Robles, *Estudio del Problema anarquista*; Leo XIII, *Rerum novarum;* Hertling, *Politica social*, pag. 107; Liberatore, *Principios de economia politica*, p. II, c. V, a. 4.

2 Huelgas habidas en España desde 1905 á 1909, según estadística publicada por el Instituto de Reformas sociales.—1905—130 con 20.176 huelguistas,

1906—122 con 20.176 huelguistas	1908—127 con 12.748 huelguistas
1907—118 » 12.671 »	1909— 78 » 6.683 »

De estas solo tuvieron resultado positivo para los obreros 186; perdieron 295 y ganaron solo en parte 94. Solucionáronse por gestión directa entre obreros y patronos 73, por patronos y sociedades obreras 30, por asociac. patron. y asoc. obreras 6, por intervención de autoridades 253, sin intervención alguna 209, por conciliación 4. *El Social*, 28 Oct. 1911. Cfr. Miguel Sastre, *Revista Social Hisp. Amer.* 1910 y 1911. En las 123 huelgas que hubo en Barcelona desde 1903 á 1905 pararon 73,897 obreros, perdiendo en el paro 7.563,527 pesetas y los patronos 2.391,380, sin contar las grandes pérdidas que de las huelgas sobrevienen. En Inglaterra la cantidad gastada por las Trade-Unions en las huelgas de 1892 fué de 10.413,700 francos. Véase á Ricardo de Iranzo Goizuete, *Trade Unions*, pág. 105 y ss.; *Razón y Fé*, t. XXI, pág. 466 y ss.

rentiae solvantur componanturque dissidia, erectis in hunc finem collegiis seu tribunalibus mixtis, seu ex operariis et patronis constitutis, quorum justis decissionibus cuncti sponte obedire satagant[1].

4. **Ad divites spectant ac dominos**[2] 1) non habendos mancipiorum loco opifices; 2) vereri in eis dignitatem personae utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem. 3) Illud vero turpe et inhumanum abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris quam quantum nervis polleant viribusque. 4) Similiter praecipitur religionis et bonorum animi habere rationem in proletariis. Quare dominorum partes sunt *a)* efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex; *b)* non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi; *c)* neque ullo pacto cura domestica parsimoniaeque studio abducere; *d)* item non plus imponere oneris quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat. *e)* In maximis autem officiis dominorum illud *eminet, justa unicuique praebere.....; f)* postremo religiose cavendum locupletibus ne proletariorum compendiis quidquam noceant nec vi, nec dolo, nec fenebribus artibus: idque eo vel magis quod non satis illi sunt contra injurias atque impotentiam muniti, eorumque res, quo exilior, hoc sanctior habenda.

His obtemperatio legibus nonne posset vim causasque dissidii vel sola restinguere?[3]

5. **Officia caritatis christianae.** *a)* «Fortunati certe non jubentur aliis opitulari de iis quae ad usus pertinent cum suos tum suis necessarios; imo nec tradere aliis quo ipsi egeant ad id servandum quod personae conveniat. Sed ubi necessitati satis et decori datum, officium est de eo quod superest gratificari indigentibus. *Quod superest, date eleemosynam*[4]: proindeque monentur rationem de usu fortunarum Deo judici severissime aliquando reddendam.

---

1 In Hispania per regium Decretum 23 Apr. an. 1903 creatum fuit *Institutum de Reformis socialibus et* 19 Maji an. 1908 lex lata super coetibus conciliationis et compromisso industriali *(conciliación y arbitraje.)* Cfr. Gabriel Maura Gamazo, *Jurados mixtos para dirimir las diferencias entre patronos y obreros y para prevenir o remediar las huelgas* (Madrid 1901); F. de las Cases, *El paro forzoso*, (vers. cast. de José Menéndez Novella); C. de Fromont de Bouaille, *Conciliación y arbitraje* (vers. de Carlos Frontaura); Nemesio Fernández Cuesta, *La vida del obrero en España desde el punto de vista higiénico*, § XX; T. Rodriguez, *Estudios sociales*, vol. II, c. XVI; Kachnik, *Ethica soc.* c. II, § 8.

2 A este simple deber reduce Balmes todas las obligaciones de los ricos para con los pobres: *hacerlos buenos y hacerlos bien. La sociedad*, a. Cataluña. Cfr. A. Pavissich. *La acción social*, II; L. Harmel, *Catechisme du Patron* (Paris 1889).

3 Leo XIII, *Rerum novarum.* 4 Luc. XI, 41.

b) Bonis autem fortunae qui careant ii ab Ecclesia perdocentur non probro habere, Deo judice, paupertatem, nec eo pudendum quod victus labore quaeratur. Idque confirmavit re et facto Christus Dominus qui pro salute omnium *egenus factus est, cum esset dives* [1]; cumque esset filius Dei ac Deus ipsemet, videri tamen ac putari fabri filius voluit; quin etiam magnam vitae partem in opere fabrili consumere non recusavit: *Nonne hic est faber, filius Mariae?* [2]. Hujus divinitatem exempli intuentibus, ea facilius intelliguntur: veram hominis dignitatem atque excellentiam in moribus esse, hoc est, in virtute positam, virtutem vero commune mortalibus patrimonium, imis et summis divitibus et proletariis aeque parabile; nec aliud quidpiam quam virtutes et merita, in quocumque reperiantur, mercedem beatitudini aeternae sequuturam»..... [3]

6. **Ecclesiam Catholicam** non tantum viam inveniendae curationis ostendere, sed sua quoque manu plagis socialibus admovere medicinam, non potest in quaestionem vocari, quippe omnes Historiae Ecclesiasticae paginae evidenter domonstrant Instituta catholica ejus semper aemulasse caritatem, *qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes* [4].

7. **De interventione Status.** In hac quaestione duo extrema sunt accurate vitanda, ne scilicet *nimis*, aut ne *parum* auctoritati civili concedatur. Qua in re peccant 1.°) *Socialistae* plenam rerum privatorum administrationem Statui conferendo; 2.°) *Physiocratae*, ut *Quesnay, Dupont de Nemour, Gournay, Morellet et Turgot*, dum omnimodam libertatem, tum quoad productionem productionisque modum et mensuram, tum quoad admi-

1 II, *Cor.* VIII, 9.

2 Marc. VI. 3.

3 *Rerum novarum.*

4 *Act.* X, 38; Cfr. L. Garriguet, *La propiedad*, pag. 16 y sig.; *Introducción al Estudio de la sociología*, p. I, § V. La Iglesia y la cuestión social, y § VI. El Clero y la cuestión social; Hertling, *Politica social*, X y XV. «Ou est sur la terre, la puissance assez fortement constituée ametttre en parallele avec celle de l' Eglise? Aujourd'hui comme hier, n'est ce pas la seule qui, a l'organisation internationele du socialisme, puisse oposer une organisation aussi vaste? Au maux des societés modernes oú donc est le remede et quel sera le medecin? Le remede, repond le Pape, l'Eglise le possede; le medecin, le seul qui nous puisse guérir, c'est le Christ. Il sait l'huile que adoucit les plaies, le baumé qui cicatrise les blessures. Allez a lui et vous serez guéris. Le Crist seul est capable de vous rendre la paix et de faire regner parmi vous la justice, car seul il en connait les lois. Les questions sociales qui vous tourmentent, réches et pauvres, effrayant les uns et irritant les autres, vous ne saurier leur trouver de solution en deshor de Dieu et de la religion. Sans Dieu tous les efforts des hommes son vains: *inania conata hominum*». Anatole Leroy-Beaulieu *La papauté, le socialisme et la Democratie*, apud Garriguet, *La propiedad*, pág. 21. Cfr. J. Scheicher, *La Iglesia y la cuestión social*, traducción de Navarro Palencia (Madrid 1906): D. Juan Maura, Obispo de Orihuela, *La cuestión social*. (Madrid 1902) V. Brants, *Las grandes lineas de la economia contemporánea*, lib. I, c. 9; Schrijvers, loc. infra cit. a. 3; Maximo Sabatier, *La Iglesia y el trabajo manual*, (traduc. de la 6.ª ed. franc. por Juan de Hinojosa) I, II y IV.

nistrationem singulis concedunt quin Status unquam possit praepotentium libertatem (libre concurrencia) vel paulisper temperare[1]. His proxime accedunt Oeconomistae liberales et universa schola *Manchesteriana*, ut *Adam Smith, Ricardo, Malthus, Stuart Mill* et *Mac-Culloch* in *Anglia; Say, Bastiat, Dunoyer, Molinari, Leroy-Beaullieu, Passy* et *Julius Rambaud* in Gallia; *Rau, Roscher* et alii in Germania; *Ferrara, Luzzati* et *Ciccone* in Italia; *Florez Estrada, Madrazo, Posada, Olozaga, Sanz Escartin* et *Carreras y Gonzalez* in Hispania. Recens theoria *individualista* recte descendit a schola *Darwiniana et Spenceriana* propugnante, tanquam legem supremam perfectae evolutionis et progressus vitae tum individui tum societatum, luctam viventium pro existentia et superviventiam fortiorum. Negant pariter interventionem Status Anarchistae cum *Godwin, Proudhon, Tucker, Stirner, Bakunin* etc.[2]

Sed neutra sententia approbari potest. Nam prima 1) laboris incitamenta stimulosque penitus extinguit; 2) familiares industrias evertit, et per ipsam Status jura privatorum absorbet. Altera autem ad praxim deducta, id certe sequendum est, ut per liberam concurrentiam debiliores opprimantur a potentioribus, atque exinde necessario consurget *pauperismus* et *proletarismus* ex una parte, ex altera vero execrandus *plutocratismus*. Utrumque extremum ex aequo refugit doctrina catholica[3].

Verum intra ambitum ortodoxae doctrinae tres reperimus scholas sociales, scilicet *Andegavensem* (Angers), *Leodicensem* (Lieja)[4] et *democratico-christianam*.

Schola Andegavensis Status actionem coartat 1) ad tutanda jura singulo-

1 La libertad, dicen, es la única que puede curar los abusos de la libertad.

2 Cfr. Alfonso Ruiz de Grijalva, *El contrato de trabajo ante la razón y el Derecho* (Madrid 1902), p. I, c. I y II.

3 La Iglesia católica abomina por igual manera el individualismo y el socialismo; se halla equidistante de los dos extremos opuestos. Cfr. P. Rodriguez, *Estudios sociales*, vol. II, c. XI y sigs. En Alemania el partido progresista, al cual perteneció Schulze-Delitzsch, pretende resolver las conflictos sociales sin la intervención del Estado con solo el poder del *Self-Help* y el ejercicio del derecho de asociación. W. Kunzer. *Revista Social*, Febrero 1912, pag. 141.

Cualquiera opinión que se mantenga en la cuestión del intervencionismo, el *hecho* de la intervención es evidente. Véase la legislación referente á las asociaciones obreras en *Revista Social*, Enero 1912, pág. 13 y sig. Vermeersch, *Manuel*, pág. 10 y sigs.; Schrijvers, *Manual de Economia Politica*, p. II, c. III, a. 2; Antoine, *Cours. de Econ. soc.*, ch. VI; Toniolo, *La parole du Papa a cette heure solemnelle*, Lieja 1901; F. Hitze, loc. cit pág. 328 y sigs.

4 Sic vocantur praefatae scholae sociales quia praecipua capita ab eis propugnata in respectivis Congressibus Andegavi et Leodii exposita fuere. Cfr. Schrijvers, p. I, c. II, a. 3; Pedro Sangro Ros de Olano, *La intervención del Estado y del Municipio en las cuestiones obreras segun los principios católico-sociales* (Lecciones dadas en V.ª Semana Social de España, Barcelona 1910).

rum, cum privati nequeunt per seipsos illa tueri; 2) ad repressionem abusuum legi morali aperte repugnantium; 3) exigit ab Statu exemplum moderationis in administrandis negotiis ab ipso dependentibus. Ex quo manifeste sequitur Statum intervenire non posse nisi in quaestionibus strictae justitiae. Igitur trium elementorum concursu, scilicet actionis Status jura singulorum tuentis et defendentis, libertatis laboris et christianae caritatis, quae humanae legislationis defectus pravasque hominum inclinationes sola supplere potest, ad placitum solvitur quaestio socialis. *Justitia, caritas, libertas.*

Hanc theoriam inter alios defendunt *Mons. Freppel, Claudius Janet, Carolus Perin, Thery, Onclair, PP. Castelein et Fristot, S. J., Delassus, P. Ludovicus de Besse, O. Min., A. Roussel, Arturo Loth* aliique non pauci.

Schola Leodiensis ampliorem interventionem tribuit Statui. Hic enim potest laborem, privatas industrias, commercium omnemque productionis modum justis opportunisque legibus moderare in bonum commune, premiis aliisque incitamentis fovere, cooperare, cunctis, praesertim inferioribus, auxilium praebere, salva nihilominus oeconomica familiae, Municipii et Provinciae autonomia. Aeque ergo damnat *Centralismum* Status et *liberam concurrentiam*. Quatuor proinde elementa requiruntur ad quaestionem socialem plene solvendam: *Justitia, libertas, cooperatio, caritas.*

Plures nobilissimi Sociologi, *reformatores catholici* dicti, huic scholae nomen dederunt. Recenseri possunt inter alios: in Gallia *M. de Mun, de la Tour-du-Pin, Goyau, Nogues, P. Antoine et Dehon;* in Anglia *Card. Manning, Bagshawe, Devas et Lilly;* in Germania *Ketteler, Korum, Winterer, Lehmkuhl, Cathrein, Meyer, Pesch, Hitze et Ratzinger;* in Austria *Vogelsang, Zalinger, et Patres S. J. Costa-Rossetti et Biederlack;* in *Belgio Doutreloux* Episcopus Tornacensis, *P. Rutten O. P., Vossen* aliique plures; in Helvetia *P. Weiss, Max-Turmann*, et schola Friburgensis; in Hispania P. *Antonius Vicent S. J., Palau, Lizardi et Noguer* ejusdem Societatis alumni, *P. Joseph M. Llovera*, Carmel. Calc., *Gich, Pujol-Lalaguna, Chalbaud y Errasquin, Severino Aznar, Rodriguez de Cepeda, Castroviejo, Casanova, Sangro y Ros de Olano et* Ephemerides *La Paz Social* et *Revista Social Hispano Americana.*

Juxta *democratas-christianos*, Status omnium classium bonum procurare tenetur, specialiter tamen inferiorum, quibus proinde singularem debet protectionem. Tessera autem quae illam ab aliis Scholis potissimum secernit stat in mediis ad optatam societatis reformationem seligendis. Exigit nempe democratia christiana concursum vel actionem 1) Ecclesiae, 2) Status, 3) praesertim vero populi, *seclusa superiorum classium* (clases directoras y acomodadas) *cooperatione;* ait enim: *Para el pueblo y por el pueblo: pour le peuple et par le peuple.* Apparuit tanquam schola ab aliis distincta an. 1896. Inter hujus scholae patronos nominari merentur in Gallia presbyteri *Naudet* (primus qui hac voce *democratia christiana* usus est in Conventu Operariorum Parisiis an. 1896 celebrato), *Lemire, Gayraud,*

Six, inter saeculares *Leon Harmel, Sabatier, Fonsegrive;* in Belgio *Mons. de Harlez, Poittier, Helleputte, Verhaegen* aliique; in Austria *Falkenstein Liechtenstein et Liiger*; in Helvetia *Decurtins;* in Italia *Toniolo, Dardano, Sturzo, Luccini, Minoretti, Cappellazzi* cum pluribus aliis; et in America *Mons. Ireland*[1].

Cum tanta sit hominum tendentia inclinationeve ad excludendum Ecclesiae auctoritatisque civilis interventum in regimine populorum, catholici pedetentim hac in re procedere debent, ne limites veritatis et justitiae praetereuntes ob nimium plebis amorem a tuta traditionalique doctrina, uti jam pluribus evenit, praesertim in Gallia et Italia, pertinaciter devient. (*Sillonistae, Modernistae*).

8. Jam vero quota pars remedii *a republica* expectanda sit, modo ostendemus exscribentes praeclara ***Leonis XIII*** verba.

a) Imprimis «illi, per quos civitas regitur, primum conferre operam generatim atque universe debent tota ratione legum atque institutorum, ut ex ipsa conformatione atque administratione reipublicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat».

b) «Illud praeterea considerandum, quod rem altius attingit, unam civitatis esse rationem communem summorum atque infimorum... Cum igitur illud sit perabsurdum, parti civium consulere, partem negligere, consequitur, in salute commodisque ordinis proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportere, ni fiat, violatum iri justitiam, suum cuique tribuere praecipientem. Qua de re sapienter ***S. Thomas:*** *sicut pars et totum quodammodo sunt idem, ita id, quod est totius, quodammodo est partis*[2]. Proinde in officiis non paucis neque levibus populo bene consulentium principum, illud in primis eminet *unumquemque civium ordinem aequabiliter tueantur, ea nimirum, quae distributiva appellatur, justitia inviolate servanda*».

c) «Si igitur quid detrimenti allatum sit aut impendeat rebus communibus, aut singulorum ordinum rationibus, quod sanari aut prohiberi alia ratione non possit obviam iri auctoritate publica necesse est.

Atqui interest ad salutem cum publicam tum privatam pacatas esse res et compositas: item dirigi ad Dei jussa naturaeque principia omnem convictus domesticae disciplinam; observari et coli religionem; florere privatim ac publice mores integros: sanctam retineri justitiam, nec alteros ab alteris impune violari; validos adolescere cives, juvandae tu-

1 Cfr. L. Garriguet, *Introducción al estudio de la sociologia*, t. II, p. II, et José M. Llovera, *Tratado Elemental de Sociologia Cristiana*, Preliminares, a. 2. Circa democratiam christianam legi debet Encycl. Leon. XIII, *Graves de communi*, 18 Jan. 1901 et *Ordinamento Fundamentale dell'azione populare christiana* Pii Pp. X.

2 II-II, q. LXI, a. 2 ad 2.

tandaeque, si res postulet, civitati idoneos. Quamobrem si quando fiat, ut quidpiam turbarum impendeat ob secessionem opificum, aut intermissas ex composito operas, ut naturalia familiae nexa apud proletarios relaxentur, ut religio in opificibus violetur non satis impertiendo commodi ad officia pietatis: si periculum in officinis integritati morum ingruat a sexu promiscuo, aliisve perniciosis incitamentis peccandi; aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat operibus vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat: si valetudini noceatur opere immodico nec ad sexum aetatemve accommodato, in his causis plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. Quos fines eadem, quae legum poscit opem, causa determinat, videlicet: *non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum quam incommodorum sanatio vel periculi depulsio requirat.*

d) Verum non civem, non familiam absorberi a republica rectum est; suam utrique facultatem agendi cum libertate permittere aequum est, quantum incolumi bono communi et sine cujusquam injuria potest».

e) Inter omnia autem quae socialem quaestionem quoquomodo attingunt caput illud est, ut probant multiplices opificum revolutiones et a labore violentae secessiones (huelgas) [1], justum definire salarium. Qua in re Status suas quoque operas patronis et proletariis praestare debet. Quae autem ex dicendis constabit.

9. Demum, *a)* caritas patronalis, *b)* multiplices operarium associationes (gremios, sindicatos, centros, cooperativas, cajas de ahorros etc, etc.) *c)* Statusque protectio, una cum *d)* educatione sociali populorum spiritu christiano informata, mala gravissima, quibus nunc premitur misera ingensque proletariorum turba, quantum in hac lacrimarum valle fas est, propellere sane possunt.

a) Requiritur imprimis *caritas christiana*, quia cum problema so-

[1] D. Pedro Sangro y Ros de Olano, en su Opúsculo *Sistemas de retribución del trabajo*, da el siguiente cuadro:

Años	CAUSAS	España	Alemania	Bélgica	Francia	Inglaterra	Italia
1903	Total de huelgas. .	»	1.405	70	576	387	549
	Idem por salario. .	»	1.115	39	427	232	310
1904	Total de huelgas. .	116	1.908	81	1.026	354	531
	Idem por salario. .	25	1.773	56	716	207	412
1905	Total de huelgas. .	130	2.448	133	830	358	641
	Idem por salario. .	66	2.157	84	64	235	304
1906	Total de huelgas. .	122	3.378	220	1.309	486	1.370
	Idem por salario. .	41	3.115	103	834	332	793
1907	Total de huelgas. .	142	2.266	227	1.169	349	2.279
	Idem por salario. .	45	1.993	144	876	322	1.314

(No existe estadística de España antes de 1904).

ciale sit partim oeconomicum, hujus solutio, magis quam ex febrili et abundanti rerum productione, dependet a tali bonorum *repartitione* ut omnibus ad vitam sufficiat. Satis enim compertum est *Plutocratismum* seu bonorum accumulationem penes aliquos tantnm praedivites iras ambitionemque proletariorum concitare, classes abysso in dies profundiori sejungere et publicae saluti, quae partium prosperitate consistit, manifeste adversari. Hinc pauperismus, emigratio, rapinae, furta, homicidia, hinc ruina civitatis: etenim *latifundia*, teste *Plinio*, *Latium perdidere*.

Sed aequa et sufficiens opum distributio christiana dumtaxat caritate et divitum abnegatione effici potest. Inconsulto igitur et contra bonum societatis operantur gubernantes qui Instituta religiosa operibus beneficis dicata e civitatibus expellunt.

b) At caritas malis omnibus hujus perditae societatis mederi non potest, nec tale remedium a Socialistis accipitur, quia justitiam quaerunt, non caritatem, nec Status modernus necessariam Ecclesiae concedit libertatem ut suum opus perficiat, proinde ad miseram pauperum conditionem levandam ulterius exigitur efficax ipsorum operariorum cooperatio; haec autem potentior evadit associatione, quae vires conjunctas miro modo multiplicat. Id apprime novere Socialistae qui non tantum syndicatos partiales sed unam omnium Foederationem (international) instituerunt [1].

c) Verum experientia novimus nihil profuturos operariorum conatus, obsistentibus classibus superioribus (directrices), maxime vero Statu. Saepissime enim aetate nostra evenit ut Status legibus onerosis et absorbenti centralismo florentem plurium associationum vitam pessumdederit. Igitur ad problema sociale solvendum Status ne impediat sed associationum expansionem mediis omnibus procuret augeatque [2].

d) Ad haec postremo requiritur aliqualis populi sociologica institutio quae, ut salutares optatosque fructus afferat, sana sit oportet et spiritu christiano informata. In hunc finem vulgentur Manualia Sociologiae christianae et multiplicentur conferentiae populares [3].

---

1 En 1909 contaban solo en Alemania los Sindicatos Socialistas 1.832,667 asociados; en 1911, cuentan 2.000,009; En 1910 las entradas ascendían a 80.000.000 de marcos elevándose los gastos solo a 72 millones. El fondo de reserva está formado por 65.080,000.

Los Sindicatos Cristianos en 1904 agrupaban 118,917 obreros, en 1909, 280.061; en 1910, 316,115; en 1911, 360,000 G. Cety, *Revista Social Hisp. Americana*, Enero 1912 pag. 48.

2 Véase lo que ha hecho el centro católico alemán en favor de los obreros. ib. W. Kunzer, Febrero 1912, pag. 140.

3 «Sin cultura en el pueblo no puede realizarse la verdadera reforma social». Passivich, *La acción social*, VI. Camino nuevo, pag. 185.

«El mejor modo de educar al pueblo es enseñarle a ayudarse a si mismo». Rosselvel, apud Passivich, Obra. cit. pag. 210.

§ 9

DE SALARII DEFINITIONE [1]

Summa rerum.—1. *Socialistarum theoriae.—Anarchistae. Media ab iis adhibita ad actuale systema evertendum* (huelgas, boycotage, sabotage);—*exponitur Marxii et Lassalle delirium* 2. *Commoda Liberalium sententia.* 3. *Oeconomistae catholici rejiciunt Capitalistarum placita.* 4. *Binae humani laboris notae.—Judicium ferendum de aequitate salarii offerentium et acceptantium* (oferta y demanda) *pacto definiti, his suppositis notis. Regulae generales ad justam mercedis aestimationem.* 5. *Salarium individuale, absolutum, collectivum.* 6. *Quod ex justitia laboranti debeatur.* 7. *An status possit salarium minimum pro singulis industriis definire.* 8. *Valor socialis Evangelii.* 9. *Actio socialis catholica.*

1. Quoad mercedem pro labore taxandam abundant Socialistarum theoriae.

Radicales, post *Aeratas* et *Libertarios*, mordicus tenent salarium suapte natura justitiam socialem graviter laedere [2]. Quodlibet ergo systema ad definiendum salarium, praeter radicalem ejusdem negationem, a priori rejiciunt et a societate expungere conantur.

---

1 Vermeersch, *Quaestiones de Jure et justitia* (Brugis 1904) n. 386 et sqq.; A. Pottier, *De Jure et justitia* (Leodii 1900), Diss. II, a. 5; Waffelaert, *Collationes Brugenses*, VI, Jan. 1901; De Gryse, *De contractu conductionis* (Rollarii Flandrorum 1895); Liberatore, *Principios de Economia politica*, p. II, c. V, a. 3; Rafael Rodriguez Cepeda, *Concepto cristiano del Derecho de propiedad* y Amando Castroviejo, *El trabajo y el salario*, Crónica del curso breve de cuestiones sociales (Madrid 1907); Garriguet, *El Salario* (Traducción de Larramendi); Antoine, *Cours d'economie sociale*, ch. XVIII et XIX; Biederlack, *La cuestión social*, c. IV, § 2, n. 101-105; Haine, *De praeceptis Decalogi*, p. II, c. I, a. 5; Tanquerey, *De Contract. in specie*, c. II, § III, n. 813 et sqq.; Mgr. Turinaz, *Le salaire familial et le Card. Zigliara* (Nancy 1895); Verhaegen, *Le minimum de salaire* (Gand. 1892); A. Ryan (John), *El salario vital* (versión española del inglés por Antonio Balbin); Theod. Cotelle, *El sweating-system* (trad. de Francisco P. Salcedo); Pedro Sangro y Ros de Olano, *Sistemas de retribución del trabajo*; L. Garriguet, *El trabajo*, tom. I, c. II-V; Georges Meny, *El trabajo a domicilio y el trabajo barato* (vers. de Cristobal de Reyna); Hertling, *Politica social*, XIII; R. de Iranzo y Goizueta, *Las Asociaciones profesionales* etc. II y III; Llovera, *Tratado Elem. de Soc.* c. IV, a. 3; Paul Boyaval, *La lutte contre le Sweating-system*, (Paris 1912). M. Arboleya, *Balmes precursor de Ketteler*, c. VII; Rosignoli, *La familia, el trabajo y la propiedad en el Estado moderno*, II, p. c. I; Ernesto Guitart, *Nociones de Economia social*, c. XXVII; Brans, *Las grandes lineas de la economia contemporánea*, lib. III, c. III; Teodoro Rodriguez, *Estudios sociales*, vol. II, c. II—X, et multi alii.

2 El salario ha nacido, dice Kropotkin, de la apropiación personal del suelo y de los instrumentos para la producción por algunos. Era condición necesaria para la producción capitalista y para el desarrollo de esta y morirá con ella, aunque se trate de disfrazarla bajo la forma de *bonos de trabajo*. Cfr. Gustavo La Iglesia, loc. cit. p. I, tit. II.

Cum vero impraesentiarum nequeant, uti vellent, uno ictu et revolutione mediante salarium penitus delere, aliis mediis aeque violentis optatum finem consequi intendunt, et 1.° quidem generali ab opere secessione (huelga general); 2.° bellum oeconomicum (boycotage) adversus patronos palam indicendo, et 3.° labores et operas pacto promissas diminutim reddendo (sabotage)[1].

Omnibus, inquiunt plurimi, assignetur merces *secundum operas viresque in laborando exsertas;* alii, salarium *laboris producto respodeat;* alii *aequam cuique partem esse tribuendam* autumant: nonnulli censent laborem esse gratificandum *juxta uniuscujusque necessitates. Marx* et *Lassalle*[2], ab illo suo exordientes principio *valorem commutativum solo humano labore constitui,* injustum omnino proclamant actualem modum paciscendi salarium dominos inter et proletarios. Hi namque, salarium *minimum,* quod illi tantum offerunt, necessitate constricti acceptantes, vix eo miseram vitam sustentare valent. Inter valorem autem infimum rerum procreatarum salario *minimo* respondentem et valorem totalem earumdem rerum magna intercedit differentia quam domini injuste sibi reservant, est enim labor et sudor operarii. Fac, inquiunt, ut injustitia clare pateat, quod opifex trium horarum spatio laborando producat valorem pacto salario aequivalentem. Si per decem horas, ut solet, quotidie labori incumbit, totum quod producit septem horarum spatio, et in actuali rerum ordine domino cedit, est merces operario fraudata (trabajo robado). Quid ergo? Post praesentium rerum publicarum subversionem, societate democratice jam constituta, cuique reddetur juxta mensuram laboris saltem in prima socialismi phasi, in ultima vero perfectaque omnes sponte libenterque operabuntur secundum aptitudines, gratificabitur autem labor prout cuique opus fuerit.

2. Sunt etiam aliqui recusantes hac pertractare qnaestionem relin-

---

1 El boycotage (de la palabra inglesa *boycottor*, poner en entredicho) consiste en declarar guerra económica a muerte a los patronos comerciantes juramentándose los obreros v. gr. para no acudir a sus talleres, o no concurrir ni gastar nada de las tiendas fábricas etc. patronales. Sin embargo el boycot pudiera volverse contra los obreros, si los patronos se unen para obrar de común acuerdo contra los obreros, ya con reducciones del salario, con el cierre o despido en masa (*Lock out*, cerrar con llave) ya con la privación de gratificaciones, socorros no obligatorios etc. etc.

El *sabotage* es el arma de que se vale el obrero cuando no le es posible la guerra abierta al patrono; «a trabajo mal retribuido, dice, trabajo mal efectuado». De donde sordamente arruina las industrias y el capital y compromete tan gravemente como la huelga general la riqueza de un pueblo.

2 Lassalle, ut operarios contra dominos instigaret, sic dictam *aeneam mercedis legem* audacter proposuit asserens salarium laboris nunquam posse stabiliter ascendere ultra quantitatem operario ad vitae conservationem et prolis procreationem absolute necessariam, nec infra eam stabiliter diminui. Non primum, quia propter meliorem conditionem oeconomicam cresceret operariorum numerus et sic merces ad quantitatem vitae necessariam reduceretur. Non alterum, quia tunc operarii decrescerent, matrimonia non contrahendo, emigrando etc. Hanc theoriam strenue impugnarunt Marxistae. Cfr. Polo y Peyrolón, *El trabajo y el salario según la doctrina católica* (Valencia 1894).

quentes temporum locorumque circumstantiis determinatam solutionem: *Laissez faire, laisser passer.*

Capitalistarum theoria est salarium libero dumtaxat consensu definiendum esse; unde, pacta mercede persoluta, liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam eis videtur.

3. Verum huic «argumentationi, inquit ***Leo XIII*** capitalistarum ratiocinationem expendens, aequus rerum judex non facile neque in totum assentietur, quia non est absoluta omnibus partibus: momentum quoddam rationis abest maximi ponderis. *Hoc est enim operari, exercere se rerum comparandarum causa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae.* **In sudore vultus tui vesceris pane.** *(Gen. III,* 19).

4. Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut *personalis* sit, quia vis agens adhaeret personae, atque ejus omnino est propria, a quo exercetur et cujus est utilitate nata, deinde ut sit *necessarius,* ob hanc causam quod fructus laborum sit homini opus ad vitam tuendam: vitam autem tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura jubet. Jam vero, si *ex ea dumtaxat parte spectetur quod personalis est, non est dubium quin integrum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum;* quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede vel tenui vel plane nulla contentus esse voluntate potest. Sed longe aliter judicandum si *cum ratione personalitatis ratio conjungatur necessitatis,* cogitatione quidem, non re, ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc jus reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur, quarum rerum facultatem intimo cuique nonnisi quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur *ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant, subest tamen semper aliquid ex justitia naturali, idque libera paciscentium voluntate majus et antiquius,* scilicet, *alendo opifici frugi quidem et bene morato haud impar em esse mercedem oportere.* Quod si necessitate opifex coactus, aut mali pejoris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui justitia reclamat...

Mercedem si ferat opifex satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat, facile studebit parsimoniae si sapit, efficietque, quod ipsa videtur natura monere, ut detractis sumptibus, aliquid etiam redundet, quo sibi liceat ad modicum censum pervenire. Neque enim efficaci ratione dirimi causam, de qua agitur, posse vidimus, nisi hoc sumpto et constituto, jus privatorum bonorum sanctum esse oportere.» Hucusque laudatus Pontifex.

En regulae generales quibus justum salarium definire oportet; generales dicimus, nam ad particularia descendere nostrum non est sed scientiae oeconomicae, ea tamen cautione adhibita, ut salvae semper sint, accedente quoque si opus fuerit tutela praesidioque reipublicae, aequitas naturalis et mercenariorum aeque ac patronorum dignitas. Animi ergo levitate ducuntur asserentes *R. Pontificem* litteris Encyclicis *Rerum novarum* quaestionem socialem intactam reliquisse cum ea tota potissimum consistat in definitione salarii temporisque labori dicandi; quod in illis determinatum minime reperitur. Nihil a veritate magis alienum.

Quod enim leges praescripserit quibus justum stipendium definiri oportet patet legenti totam Encyclicam, signanter illa quibus exsibilat placitum *scholae liberalis*, juxta quam, *salarium a sola et libera contrahentium voluntate seu pactione regulari debet*, et ita *justum haberi debeat stipendium quod herus offert et operarius acceptat;* pariterque Socialistarum theoriam nervose non minus ac eleganter confutatam in ea quisquis videre amat reperire potest [1].

6. **Quaestio de salario familiari.** Litteris apostolicis de *Conditione opificum* vix publicatis, orta est controversia inter doctores catholicos contendentes nonnulli ex mente ***Leonis XIII*** *salarium familiare* opifici ex *justitia deberi*, asserentes alii patronos in statu normali industriae solum teneri ex *caritate* praefatum salarium operario persolvere. Res ad Sanctam Sedem defertur et ad *tria dubia* proposita a ***Card. Goossens, Archiep. Mechlin.*** respondit *Theologus Romanus* ***(Card. Zigliara)*** *jussu Pontificis Max. Leonis XIII,* litteris datis a Secretario Status ***(Card. Rampolla)***, die 25 Sept. 1891.

En dubia cum suis responsionibus doctrinae *Angelici Doctoris* mire consentientibus [2].

Dubium I.—Num verbis *justitia naturalis* intelligitur justitia commutativa, an vero aequitas naturalis?

---

1 En la cuestión del salario, aceptada la definición de S. Tomás, *id merces dicitur quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius....; recompensare mercedem vel laborem est actus justitiae»* (I-II, q. CXIV, a. 1), hay una parte negativa en la que convienen todas las escuelas católicas y esa parte abraza tres puntos: 1) que hay una teoría del justo salario en la cual debe estar basada la práctica, *(contra los positivistas)*; 2) que no es solo el trabajo elemento esencial de producción y por lo tanto el producto no corresponde a él solo, *(contra los socialistas)*; 3) que el derecho de contratación no es absoluto, sino condicionado por otra multitud de derechos propios y ajenos; luego no basta que el patrono y el obrero convengan en un salario para que sea justo, *(contra la escuela liberal)*. En la parte afirmativa las escuelas católicas convienen en lo esencial, se diferencian en algunas cuestiones accidentales, como en las siguientes; ¿porqué título se puede exigir el salario familiar? y ¿qué clase de salario familiar? Cfr. Teodoro Rodriguez, *Estudios sociales*, loc. cit.

2 Apud. *Nouv. Rev. Theol.*, XXIV. Omittimus, brevitatis gratia, explanationes *Theologi romani*, quae videri possunt ib., pag. 287.

Ad dubium I.—«Per se loquendo intelligitur justitia commutativa».

Dubium II.—An peccabit herus qui solvit quidem mercedem opificis sustentationi sufficientem, imparem ipsius familiae alendae, sive haec constet uxore et numerosa prole, sive haec non ita numerosa sit?

Ad dubium II.—«Non peccabit contra justitiam, poterit tamen quandoque peccare vel contra charitatem, vel contra naturalem honestatem».

Dubium III.—An et qua ratione peccant heri, qui, nulla vi aut fraude utentes, minus dant salarium, quam opera praestita meretur, ac honestae sustentationi sufficit, ideo quod plures operarii sese offerunt, qui parvo illo stipendio contenti sunt seu in illud libere consentiunt?

Ad dubium III.—«Per se loquendo peccant contra justitiam commutativam».

Praejacta responsa clara videntur. Nihilominus post haec adhuc perdurat doctorum divisio quod salarium *familiare*.

P. Vermeersch, Waffelaert, Verhaegen, Pottier, Nicotra, Steccanella, Marres, De Bie, Rodríguez de Cepeda, Brans, Perin, Dehon, J. A. Ryan et alii post *Manning, Liberatore, Esbach, Lehmkuhl* et *Noldin*, strenue defendunt mercedem tantam *ex justitia commutativa* opifici bene morato deberi ut totam familiam suam convenienter sustentare valeat [1]. Alii non pauci cum *Zigliara, Godts, Haine, Willems, Tanquerey* et *Theodoro Rodríguez* negant salarium *familiare* deberi opifici *soli* laboranti ex titulo *justitiae commutativae* [2]. *P. Antoine, Biederlack, de Gryse, Genicot* cum aliis asserunt salarium *familiare* deberi ex sola justitia legali [3]. Quidam vero cum *Castelein* et *Xav. Vales Failde* illud imponunt dominis ex *aequitate*, quae est virtus media inter strictam justitiam et caritatem christianam [4].

Praenotanda. 1) Negari non potest praefata responsa, utpote *jussu* Romani Pontificis per litteras Secretarii Status ***Em. Cardinali Goossens*** transmissa, praeter intrinsecum rationum, quibus fulciuntur, valorem, *extrinsecam* auctoritatem realem magnamque

---

1 Cfr. Vermeersch, n. 417-453; Waffelaert, pag. 15-23; Steccanella, *De communismo*, lib. II, c. XV; Marres, *de just. et jure*, II, 333; Liberatore, p. II, n. 89; Ryan, *El salario vital*, c. VI; De Bie, *Jus. soc. priv.* c. III, a. 2; Brans, lib. III. secc. II; Cepeda, *Elementos*, lecc. 49; Noldin, *De praeceptis*, n. 600 et sqq; Ernesto Guitart, *Nociones de Economía*, c. XXVII; Peña, *Conferencias de Economía política* (Sevilla 1908) pag. 532; Castroviejo, *El trabajo y el salario*, en el Curso breve de cuestiones sociales, pag. 53-76; Cepeda, ib. pag. 28-51 (Madrid 1907); Sangro y Ros de Olano, *Sistemas de retribución*, pag. 24 y 25; Max Turmann, *El desenvolvimiento del catolicismo social*, c. III.

2 Cfr. Haine, *De praeceptis*, p. II, c. I; Teodoro Rodriguez, *Estudios sociales*, vol. II, c. VI.

3 Cfr. Genicot, *Theolog. mor. Instit.* (ed 3.ª Lovanii 1900), n. 640 et sqq.; Antoine, *Cours. d'Economie soc.*, pag. 570.

4 Cfr. Castelein, *Droit naturel*, pag. 329 (ed. Bruxelles 1904); idem *Philosophia moralis et socialis*, Thesis XX^{a}, pag. 250-272; Vales Failde, *Crisis de la familia obrera*, III, p. 2964.

habere; proinde, etsi omnia et singula doctrinae capita in memorato documento contenta non sint explicite rata et adprobata a Romano Pontifice per *authenticam et officialem decisionem,* ab iis tamen nonnisi ex gravissima ratione recedendum esse arbitror[1]. 2) Ut omnis controversia ad finem rite perduci possit, necesse est ut auctores sibi invicem adversi in explicatione terminorum conveniant. Itaque species salarii modo definiamus ad aequivocationes vitandas[2].

Vocatur imprimis salarium *individuale* merces alendo opifici frugi quidem et bene morato haud impar. Salarium *familiare* dicitur stipendium sufficiens ad honestam sustentationem non tantum ipsius opificis sed suae quoque familiae, uxoris nempe et filiorum. Hoc autem *absolutum* audit, si definiatur attenta ordinaria et communi familiae constitutione, quin sit variationibus numeri, valetudinis et necessitatum membrorum subjectum: *relativum* vero, si pro numero filiorum familiaeque necessitatibus augeri debeat salarium. Item stipendium familiare considerari potest relate ad laborem ipsius opificis tantum, vel etiam ad operas praestitas ab omnibus familiae membris in praesenti vel in futuro proportionate quidem ad eorum aetatem, sexum et officia, et *collectivum* familiare appellari solet.

6. Quibus praemissis, doctrinae in praelaudato documento traditae inhaerentes, sequentia statuere possumus.

a) Opifici bene morato et habili debetur *ex justitia commutativa* stipendium quod ad victum et vestitum convenientem sibi sufficiat, attentis quantitate, qualitate, necnon operis duratione simul ac pretio rerum, quas emere debet, secundum communem aestimationem *(salarium individuale).*

b) Per se loquendo *justitiam commutativam* laedunt patroni, qui minus dant salarium quam opus praestitum meretur ac congruae sustentationi sufficit, *ob eam solum rationem* quod plures operarii sese offerunt et inadaequata mercede contenti sunt (salarium individuale infra minimum *lege liberae concurrentiae* pactum).

«Per accidens, possunt dari casus particulares, in quibus heri conducere licite valeant operarios inadaequata mercede contentos. Puta si herus aut nullum aut omnino suae vitae convenienter sustentandae insuffienciens beneficium retraheret, si mercedem adaequatam largiretur imo etiam damnum exinde caperet». ***(Zigliara,*** loc. cit.)

c) Salarium *familiare absolutum caritatis officio* et ex naturali qua-

---

1 Cfr. *Nouv. Revue Theol.*, pag. 286. Fatemur cum P. Gafo, O. P. *(Ciencia Tomista,* Julio-Agosto 1912), Vermeersch (*Le mouvement social,* Mai 1912) aliisque praefatum responsum fuisse unius theologi *opinamentum,* at theologi qui sine dubio partes non minimas habuit in conscriptione Encyclicae.

2 Cfr. Teodoro Rodriguez, *Estudios soc.*, vol. II, c. 3.

dam honestate certo opifici debetur, juxta omnes scholae catholicae doctores.

d) Probabile videtur, et menti ***Leonis XIII*** conformius, herum non teneri ex *justitia commutativa* opifici individuo salarium *familiare absolutum* persolvere.

—**Ratio intrinseca.** Est enim salarium retributio operis; ergo dummodo merces oblata adaequet *opus* in gratiam domini praestitum, dominus reddit quantum debet. Sed cum agimus de salario familiari *absoluto* supponimus solum individuum laborare, non uxorem neque liberos; ergo operarius nequit ex justitia commutativa exigere nisi stipendium suo labori respondens.—Adde quod si justitia in contractu laboris per se respicit familiam habitam vel habendam, non videtur cur operario denegandum foret salarium familiare *relativum;* nam ratio intrinseca est eadem. Sententia autem, quae ex titulo justitiae commutativae heris imponit salarium familiare *relativum*, nocet ipsis patribusfamilias quibus opitulari intendit, cum in casu nemo vellet eos conducere qui numerosam prolem haberent.

— **Ratio extrinseca** favet nostrae conclusioni. Etenim cum praefatum *documentum* jussu R. Pontificis Emo. consultanti fuerit transmissum habendum est ut legitima Encycl. *Rerum Novarum* interpretatio et ipsi minime contraria; atqui in laudato documento clare et aperte negatur familiare salarium ex justitia commutativa deberi; ergo stat nostra conclusio.

e) Ex dictis sequitur *non peccare contra justitiam commutativam,* licet officium caritatis nonnunquam possit offendere, herum qui stipendium honestae ipsius opificis sustentationi proportionatum, impar tamen alendae familiae, confert. Quia, ut modo cum pluribus catholicis affirmavimus, merces solum debetur ex justitia commutativa *labori personali,* qui nullam relationem, nisi secundariam et accidentalem ad familiam habet, ideoque stipendium stricte justum videtur dummodo sit sufficiens ad personalem artificis sustentationem. Verum tamen

— *f)* traditis minime opponitur sed cum iis apprime concordat *justitiam commutativam* exigere *salarium familiare collectivum* opifici solvendum ad honestam sui suorumque sustentationem sufficiens; quia hoc in casu non tantum caput sed etiam membra, licet non ex aequo, laborant et ad opus retributione dignum quodammodo concurrunt. Igitur familia spectari potest ut persona moralis, quae, laborando, jus habet, sicut quilibet operarius, ad debitam sustentationem[1]. Notare juvabit

1 Javier Vales Failde sostiene que la constitución normal de la familia obrera requiere un salario mixto familiar absoluto y colectivo, añadiendo al primero el trabajo de los hijos o restando del último el trabajo de la mujer, loc. cit. Cfr. Garriguet, *El Salario*, pag. 51.

honestam sustentationem comprehendere victum, vestitum, habitationem aliaque necessaria ad communem vitam ducendam secundum prudentum aestimationem, non autem extraordinarias expensas, etiamsi in specialibus rerum adjunctis sint inexcusabiles [1].

g) Salaria singulis operariis solvenda nequeunt *lege aliqua universali* definiri, quoniam diversa debent esse secundum diversas regionum, temporum, laboris et personarum circumstantias, maxime vero secundum actualem statum oeconomicum civitatis vel oppidi et rerum usualium pretium [2].

h) Inter media ad augendum salarium excogitata, uti praemia et subsidia operariis interdum concessa (primas, subvenciones), collegia (sindicatos cooperativos) sive mixta ex patronis et operariis vel ex solis proletariis composita, *optimum sane et valde commendabile, heris tamen nunquam ex justitia imponendum,* est systema *justi salarii familiaris* una cum *beneficiorum participatione,* id enim cum operariorum industriam et fidelitatem efficaciter stimulet, productionem multiplicat, lucrum auget, dominos et operarios intimiori relatione devincit pacemque diu spectatam progignet [3].

i) Demum Schola democratico-christiana ulterius exoptat e societate omnino pellere systema salarii et *cooperatismum* inducere [4].

7. **Statum *posse* mercedem *minimam* pro labore taxare,** affirmant plures Oeconomistae catholici ex schola ***Leodiensi.*** Alii efficaciorem reputant actionem directam privatorum, vel *indirectam* Status ad elevandam salarii taxam. Plane vero negant Statui illam potestatem, definiendi scilicet minimum salarium, tum schola ***Andegavensis,*** tum schola ***Pacis socialis*** a ***Le Play*** (1806-1882) fundata, unice caritati christianae reservantes officium supplendi insufficientiam salarii [5] E

---

1 Landry considera como necesidades, el lujo, el juego y la riqueza de que disfrutan las gentes acomodadas. *Manuel d' Economie,* (Paris 1908) pag. 69.

2 La escuela psicológica con Stanley Jewons en Inglaterra, y Bohm-Bawert en Austria y Clak, Carver y Fitter en los Estados-Unidos sostiene que la parte que en la distribución de los bienes cambiables corresponde al trabajo ha de fijarse por medio de la productividad final de los obreros.—Los Estados-Unidos dan a sus obreros un jornal medio de 15 francos; Inglaterra, 6'50; Francia. 6; Alemania, 5; Bélgica, 4; Italia, 2'50; España, 2'25; Rusia, 2; Japón, 1'80; China, 0'75. Schrijvers, *Manual de economia,* p. IV, c. I, pag. 421.

3 Cfr. Vanlaer, *La participatión aux benefices,* Paris 1898; compendiose Sangro y Ros de Olano, *Sistemas de retribución del trabajo,* p. II, salario por tiempo—por piezas—Sweating-system—salario en dineros y en especie—tarea destajo—la contrata—sistema de primas—participación en los beneficios, etc.; *Revista Social Hispano Americana,* Dic. 1910; P. Bureau, *La participación en los beneficios,* trad. de Cristobal Reyna.

4 Id apud nos strenue defendit inter alios Amando Castroviejo. *La cooperación como futura organización económica,* (Madrid 1902). Cfr. P. Vicent, *Cooperatismo católico,* (Valencia 1906).

5 «El socialismo, escribe Donoso Cortés, debe su existencia a un problema, humanamente hablando insoluble. Se trata de averiguar cual es el medio de regular en la socie-

contra recens schola Austriaca Statui *officium* imponit: 1) dum praesens vigeat contractationis systema, salarii taxam definiendi [1]; 2) instituendi societates *cooperativas* ejusdem protectione assecurandas, ut paulatim removeatur contractus laboris et locum cedat contractui cooperationis. Actuale systema salarii in praesenti rerum conditione nequit ut injustum absolute damnari, non est tamen habendum ut *definitivum* et perfectum, sed potius tanquam parum accommodatum ad pacem socialem firmandam; igitur enixe adlaborandum est, concludit, ut quantocius actuale systema salarii per contractum cooperationis substituatur. Ita in Austria ***Lichtenstein, Vogelsang, Lueger*** aliique; nec dissentiunt plures Sociologi aliarum nationum. Hoc autem systema universalem oeconomiae revolutionem expostulat.

Mihi sane videtur Statum posse et quandoque debere minimam definire mercedem, ad eripiendos scilicet miseros opifices e saevitia hominum cupidorum «personis pro rebus ad quaestum intemperanter abutentium», ut loquitur ***Leo XIII;*** non tamen est jus absolutum aut functio propria Status legislatoris, et ideo non semper, sed tunc solum debet ea uti facultate cum necessitas cogit proletariorum tueri causam ob manifestum dominorum abusum. Sic an. 1912 Status Anglus necessitate coactus minimum salarium statuit lege sic dicta *Coal Mines Minimum Wage* [2].

---

dad la distribución más equitativa de la riqueza. Este es el problema que no ha resuelto ningún sistema de economía política..... El sistema de los economistas políticos liberales va a parar al monopolio por el camino de la libertad, por el camino de la libre concurrencia que produce fatal e inevitablemente ese mismo monopolio. Este problema sin embargo ha sido resuelto por el Catolicismo. El Catolicismo ha encontrado su solución en la limosna. En vano se cansan los filósofos; en vano se afanan los socialistas; sin la limosna, sin la caridad no hay, no puede haber distribución equitativa de la riqueza. Solo Dios era digno de resolver ese problema que es el problema de la humanidad y de la historia».

1 Como deber del Estado lo tiene también entre nosotros Alfonso Ruiz de Grijalba, *El Contrato del trabajo ante la razón y el Derecho* (Madrid 1902), p. II, c. IV. Esta teoría la juzga peligrosa Eduardo Sanz Escartín en el prólogo de la obra citada, pag. 15.

2 «Ignoro qué protestas pueden hacerse contra la intervención del Estado para fijar un *salario mínimo* con objeto de hacer imposible esta explotación del obrero y evitar que una parte de los gastos de producción recaigan injustamente sobre la colectividad. La dificultad de intervenir no puede ser tomada en consideración después de los difíciles problemas, cuya solución han tenido que abordar y resolver los poderes públicos. Todo se reduciría a determinar autoritariamente el *quantum* necesario al obrero para su vida diaria, habida consideración de la diversidad de localidades, países etc.

«Una duda de otra índole surge aquí. Ignoro si con el tiempo esta regularización legal no redundaría en perjuicio del obrero sujetando el salario al mínimum fijado, aun cuando por efecto de la ley de oferta y demanda el salario normal resultara mayor. Incuestionable me parece el derecho del obrero a este *mínimun* indispensable para su existencia, así como la competencia del Estado para fijarlo. Creo sin embargo que en la práctica la asociación y la sindicación de los obreros producirán frutos más positivos que la legislación civil». Hertling, *Política social*, XIII, pag. 103. Cfr. Garriguet, *El trabajo*, t. I, c. IV.

Primus conatus determinandi salarium minimum pro operibus publicis Status locum habuit Bruxellis. an 1853. Cfr. *Le minimum de salaire et les administrations publiques en Belgique* publié par le office du travail belge, Bruxelles 1911.

— Eodem modo et sub iisdem conditionibus taxare potest *maximum* durationis laboris, habita ratione temporum, personarum, aetatum, sexus etc. *Tantum exigi operis ut hebescat animus labore nimio unaque corpus defatigationi succumbat, non justitia, non humanitas patitur*, inquit ***Leo XIII.*** «Intervalla vero quiescendi quanta esse oporteat ex vario genere operis, ex adjunctis temporum et locorum, ex ipsa opificum valetudine judicandum est». «Universe autem statuatur tantum esse opificibus tribuendum otii, quantum cum viribus compensetur labore consumptis, quia detritas usu vires debet cessatio restituere» [1].

— 8. **Circa valorem socialem Evangelii** non parum dissentiunt Sociologi [2]; eorum tamen opiniones ad tres, totidem scholas efformantes, reduci queunt.

1.ª tenet Christi doctrinam in Evangelio contentam esse primo et principaliter (fere exclusive) socialem. Ita ***Cabet, Meunier, Renan, Proudhon, Tolstoi*** et Socialistae communiter, nullam agnoscentes in Christo Domino missionem divinam ad dogmata edocenda religionemque inter homines fundandam, sed eum doctiorem quidem omnibus suae aetatis philosophis dicunt, purum tamen hominem, cujus praedicatio eo tota spectabat ut completam, diu ab ipso meditatam, aeconomicam transformationem ad exitum perduceret [3].

2.ª Plures alii socialistae, praesertim discipuli ***Engels, Lassalle*** et ***Car. Marx,*** tuentur ex adverso doctrinam a Christo praedicatam fuisse exclusive religiosam lucemque, qua problemata socialia solvantur, attulisse nullam. Hi autem dividuntur: quidam propugnant disciplinam christianam esse *asocialem,* alii vero *antisocialem* [4].

---

1 *Rerum novarum.* «La fuerza y la capacidad humanas tienen un límite natural. Toda tensión excesiva, toda exagerada duración del trabajo conduce al agotamiento del trabajador (violación de su derecho a la existencia, tan condenable como el trabajo en locales insalubles o el manejo de sustancias nocivas sin la debida protección). De aquí la necesidad de que el Estado fije el máximum de la duración del trabajo. Este máximum será diferente según se trate de varones o de hembras, adultos o niños etc.» Hertling, pag. 77. Quod facere enitique vir adulta aetate beneque validus potest, id a femina puerove non est aequum postulare». Leo XIII, loc. cit. Cfr. Rodriguez de Cepeda, *Elementos de Derecho natural*, lec. 57; Cathrein, *Philos. Moralis*, n. 690 (ed. 7.ª).

2 Cfr. Garriguet, *El valor social del Evangelio* (traducido por Angel Avilés), c. II; A. Lugan, *La enseñanza social de Jesús*, (traducción del francés por Norberto Torcal, Barcelona 1909), Introducción.

3 Tolstoi, y antes que él Proudhon, ha dicho que entre el socialismo moderno y la doctrina de Cristo descarnada de las terribles superfetaciones de la jerarquía eclesiástica y de la tiranía sacerdotal, existe una afinidad evidente, y que después de 19 siglo sla una no es más que la reaparición y continuación lógica e histórica de la otra. Rodolfo Todt no ve en el Evangelio más que un puro socialismo. Fué Cristo, dice Renan, citado por Garriguet, un anarquista en cierto modo, pues no admitía el poder civil que consideraba como un abuso Lo mismo afirman Labanca, Nitti y otros. Cfr. Lugan, pag. 11.

4 «El Evangelio no contiene ninguna declaración formal en favor o en contra de la constitución de la sociedad humana en el tiempo. Mas bien ha hecho abstracción del derecho

3.ª Schola socialis catholica, mediam viam tenens, jure defendit praecipuam et essentialem missionem Christi fuisse religiosam et spiritualem, non autem unicam et exclusivam. Venit enim peccatores salvos facere et in hunc finem Ecclesiam instituere, ac proinde mundum, id est, individuum, familiam et societatem instaurare. Equidem non est in Evangelio quaerenda plena et undique perfecta sociologica institutio vel integer Oeconomiae Politicae tractatus in concreto definitus, verum foecundissima doctrinae socialis semina huc illucque in eo sparsa facile reperiuntur [1].

9. **Actio socialis catholica.** «Parum profecto interest quaestiones multas subtiliter agitari, deque juribus et officiis eleganter dissertari, ubi haec ab actione fuerint sejugata: *postulant enim actionem tempora*», inquit egregie ***Pius Pp. X*** [2]; et ideo meminerint catholici perquam maxime necessarium esse ad quaestionem socialem solvendam ubique locorum catholicas instituere opificum associationes (Círculos, Sindicatos, Patronatos, etc.). *Catholicas* diximus; nam aperta ***Pii Pp. X*** mens est ut praefatae associationes sint et appareant *confessionales* et *primo ac potissimum quotquot in illas cooptantur christiano more constanter vivant* [3]. «*Il non erubesco evangelium,* poi che tanta franchezza ripeteva

humano y de la Economía Política y social, que no ha tenido intención de regenerar a no ser por la transformación radical que entraña el ideal de su reino». Loisy, *L'Evangile et l'Eglise*, apud Garriguet, loc. cit. pag. 25. Es una doctrina antisocial, antihumana, ha escrito Zola, una doctrina de muerte que suprime la vida y la tierra en provecho de una existencia supraterrestre, cebo falaz con cuyo auxilio se persigue un fin de dominación demasiado tangible. ib. pag. 16. «No existen ciencia social ni económica política Evangélicas». H. Lesetre, ib. pag. 19.

1 «Si Jesucristo, dice Laboulaye, no hubiese aparecido sobre la Tierra no se me alcanza cómo habría resistido el mundo al despotismo que le ahogaba. No hablo aquí como cristiano; dejo a un lado toda cuestión religiosa y no soy más que historiador y en esta cualidad afirmo que, tanto en política como en economía social, lo mismo en moral que en filosofía, el Evangelio ha renovado las almas. Con razón contamos los años por la nueva era, toda vez que ha salido del Evangelio una nueva sociedad». Garriguet, *El valor social del Evangelio*, pag. 31. Cfr. Leo XIII, *Graves de communi*; P. Estanislao de la Virgen del Carmen, Obras, t. 1. (Santiago 1908), Confer. J. C. el gran Sociólogo.

2 *E supremi Apostolatus cathedra*, 4 Oct. 1903.

3 ib. En España se han desarrollado prodigiosamente los Círculos, Cajas rurales y Sindicatos católicos como lo demuestra el cuadro siguiente:

Año	Círculos obreros	Mutualidades	Sindicatos agrícolas.	Cajas rurales.
1907	225	45	50	112
1908	250	22	187	250
1909	282	205	450	373

En 1904 solo había en España 38 cajas rurales. Schrijvers, loc. cit., pag. 89. Cfr. Luis Chaves Arias, *Las cajas rurales de Crédito del sistema Raiffeisen* (Zamora 1907, 2.ª ed.); Rivas Moreno, *Las cajas rurales, el crédito agrícola, la cooperación, el ahorro y el problema agrario* (Valencia 1904); Narciso Noguer, S. J., *Las Cajas rurales en España y el extranjero* (Madrid 1912). La estadística de los Sindicatos y Cajas rurales de todas clases en España, publicada en 1911, hacía subir su número a 1771. Noguer, obra cit. pág. 583.

gia *S. Paolo* nella sua lettera ai Romani, sia impresso a grandi ed indelebili caratteri sulla bandiera di tutte le Istituzioni catholiche, ed una aperta e franca professione cristiana formi la loro gloriosa divisa e la sintesi luminosa del carattere che la informa e le distingue[1].— Igitur actio catholica socialis moderanda est juxta normas a *Leone XIII* traditas per litteras encyclicas, praesertim *Quod Apostolici muneris, Rerum novarum,* et *Graves de communi,* quarum omnium doctrinam ac praecepta in unum collecta ac digesta reperiuntur in *Motu proprio Pii Pp. X* edito 18 Dec. 1903, a quibus neutiquam discedendum est[2], ut sic «recta et concordi et progrediente catholicorum omnium opera, eo pateat illustrius tranquillitatem ordinis veramque prosperitatem in populis praecipue florere, moderatrice et fautrice Ecclesia; cujus est sanctissimum munus sui quemque officii ex christianis praeceptis admonere, locupletes ac tenues fraterna caritate conjungere, erigere et roborare animos in cursu humanarum rerum adverso»[3].

Articulus VI

De usura

Summa rerum. 1. *Usura quaestionem socialem aggravat.* 2. *Definitur contractus.* 3. *Quatuor essentialia ad contractum.* 4. *Origo et necessitas contractuum.* 5. *Species contractuum.* 6. *Praenotamina ad quaestionem de usura solvendam* (I. Quid mutuum. II. Natura pecuniae. III. Usura. IV. Historia hujus quaestionis). 7. *Nostra sententia.* 8. *Tituli extrinseci.* 9. *Thesis. Illicitum est pretium accipere pro pecunia mutuata, vi mutui.* 10. *Objectiones.* 11. *Balmesii verba.*

1. **Quaestionis ratio.** Innumerae paene recensentur causae a quibus miser praesentium adversorum temporum proletariorum status exordium sumpsit: nullo tamen negotio ad tres reduci valent omnes, videlicet: ad revolutionem *industrialem, philosophico-politicam* et *reli-*

1 *Epist.* ad Stanislaum Medolago, 15 Mart. 1910. (*Acta Apost. Sedis*, vol. II, pag. 222).

2 Hac in re lucem quisque mutuare poterit ex litteris encyclicis ejusdem Pontificis *Il fermo proposito* (11 Jun. 1905), *Notre charge* (25 Aug. 1910) et praesertim ex Encyclica ad Episcopos Germaniae, *Singulari quadam caritate* (24 Sept. 1912).

3 Leo XIII, *Graves de communi.* El verdadero iniciador de la escuela católica social fué Ketteler, Obispo de Maguncia (1811-1877), a quien han seguido en todos los paises innumerables católicos sociales. Descuellan entre otros León XIII, Le Play (1806-1882), Claudio Janet (1844-1894), Manning, Wosson, Walterbach, Kolping, Lorenzo Pipper, Vermeersch, Rutten, y en España el P. Vicent, Castroviejo, Chaves Arias, Rodriguez de Cepeda y Severino Aznar.

giosam superioris aetatis, quae relationes inter dominos et proletarios penitus et in deterius immutarunt.— «*Malum autem auxit usura vorax*, quae non semel Ecclesiae judicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestosis per aliam speciem exercetur eadem»[1]. Non tamen novam hanc speciem usurae iterum improbandam aggredimur, de ea quippe satis in articulo praecedenti, sed usuram sub forma communi exercitam, scilicet, exigendo a mutuatario aliquid *ultra mutuum*, legi naturali plane repugnare ostendemus, ut ex hac parte remedium quaestioni sociali pariter afferamus.

Verum mutuum est quoddam genus contractus; nonnulla ergo praemittere oportet de contractibus.

2. **Contractus definitur:** *Duorum vel plurium in idem placitum consensus, signo sensibili manifestatus, pariens obligationem saltem in uno contrahentium*[2].

Explicatur. In hac definitione 1.° exponitur causa *efficiens* cum dicitur *consensus duorum* vel *plurium*, tanquam primum elementum contractus; quippe contrahere importat obligationem tum activam tum passivam; obligatio autem abest, absente explicito aut saltem implicito consensu duorum; 2.° declaratur causa *materialis* per particulam *in idem placitum;* conventio namque duorum circa idem versari oportet, secus si quis de una, alter vero de alia re distincta cogitaret et consentiret, non contraherent, pactum siquidem vel contractum convenientiam in unum significat; 3.° subintelligitur causa *formalis* dum additur *paries obligationem*, vinculum enim seu obligatio, quatenus est effectus consensus, jus ab una ad aliam personam transfert et firmat contractum nectitque contrahentes; 4.° Causa *finalis* implicite continetur, quia contractus pacificam conviventiam et partitionem necessariorum tanquam generalem scopum respicit: fines vero particulares determinare proprium est contrahentium; 5.° adest insuper in praedicta definitione *conditio sine qua non*, assumptio nempe alicujus signi sensibilis ad manifestationem consensus; homines siquidem nonnisi signis externis invicem communicari queunt.

3. Ad contractum *quatuor* sunt *essentialia: a)* personae habiles, *b)* materia apta, *c)* partium consensus et *d)* obligationis acceptatio.

a) Cum ad validum contractum ex parte subjecti nihil aliud requiratur praeter liberum consensum, *jure naturae* habiles sunt ad valide contrahendum omnes qui *usu rationis* expedito fruuntur, quo possint cognoscere

---

1 Cfr. Encycl. *Rerum novarum* et L. Garriguet, *Introducción al Estudio de la Sociologia*, I.ª parte, pág. 11-33.

2 Cfr. Salmantic., *Tract.*, XIV; Lugo, Disp. XXII; Billuart, in II-II, *Tract. de Contrat.*, Diss. IV.

obligationem suscipiendam; ideo *inhabiles jure naturae* habentur infantes nondum rationis usum attingentes, perpetuo amentes et ebrii, sicut et furiosi eo temporis momento quo expedito rationis usu carent. *Qui enim non sentit,* ait effatum, *nec consentit.* Jus autem civile ad vitandas fraudes debilesque tutandos hanc conditionem pro diversitate contractuum determinavit certisque limitibus circumscripsit.

b) materia apta, quae, ut talis sit, exigit: *a)* quod sit *possibilis* non tantum physice sed etiam moraliter, id est, honesta in se, non repugnans juri naturae vel divino, quia ad turpia contra legem naturalem aut divinam *nemo promittendo obligari potest,* et ideo contractus de re illicita vel sub conditione turpi, v. gr. promitto tibi nummos si interficias Petrum, est tam ante quam post patratum opus omnino invalidus. Potest tamen post patratum opus pretium stipulatum repeti retinerique, non tam vi actionis pravae quam titulo incommodi vel laboris. *b*) Ad validitatem contractus requiritur pariter quod materia *existat in re vel in spe* cum probabilitate eam habendi; *c*) item quod sit *propria* contrahentis ut queat de illa disponere plenoque jure pacisci. Nam, ajente *Angelico Praeceptore,* «nullus potest per promissionem se firmiter obligare ad id quod est in potestate alterius, sed solum ad id quod est omnino in sua potestate» [1]; *d)* denique quod sit *determinata* vel saltem *determinabilis,* secus nullum esset contractus objectum, non tamen necessarium omnino est ut *mathematice* rei quantitas definiatur, sufficit quod moraliter determinetur.

c) Consensus ad validitatem contractus jure naturali debet esse *a) internus,* scilicet cum animo faciendi quod promittit, non ficte aut solum externe; qui enim ficte aut jocando v. gr. consentit, quamvis verba externe pronuntiet, et in *foro externo* ut validus habeatur donec contrarium probetur, revera contractum non perficit, quia deest voluntas contrahendi et idcirco non est actus humanus; *b*) *liber,* ita ut illa adsit deliberatio et cognitio quae necessaria est ad peccatum mortale committendum. Hinc error substantialis contractum irritum facit jure naturae; *c) mutuus,* id est, ab utroque contrahente de eadem re praestitus consensus; nequeunt enim duo convenire nisi unus acceptet quod alter ei offert. Ex quo sequitur utriusque consensum debere esse *simultaneum;* non tamen necessarium est ut ambo eodem temporis momento suum eliciant consensum, sed sufficit ut consensus unius virtualiter perseveret quando alter suam voluntatem acceptandi manifestat; *d) externus* seu *signo sensibili manifestatus;* id exigit ipsa consensus simultas, nequit enim unus alteri suam manifestare voluntatem nisi per signa sensibilia.

d) Obligationis acceptatio sine qua invalidus est contractus; nam ad essentiam contractus requiritur intentio obligationem suscipiendi, quae in voluntate contrahendi includitur; obligatione siquidem non acceptata, vel admissa facultate eam non suscipiendi aut pro libito frangendi, nemo sane promitteret vel contraheret; lege ergo naturae tenetur homo solvere pro-

1 II-II, q. LXXXVIII, a. 8.

missa, nam *vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis*. Posita vero intentione sese obligandi, valide contraheret qui animum haberet praejactam obligationem non implendi; illud enim ad contractus essentiam spectat, istud vero initum contractum sequitur.

4. **Contractuum origo et necessitas** ex ipsa sociali natura hominis repetenda est. Cum enim homo jus habeat ad vitam conservandam, nequeat tamen proprio labore sibi de omnibus necessariis providere, fecit auctor ille, Deus, ut intra societatem nasceretur, in qua cum aliis hominibus pactum iniret ut opem sibi invicem ferrent praesertim media translatione bonorum. Et ideo, supposita rerum divisione, necessitas contractuum inde potissimum apparet quod sine illis proprietas unius in immensum abiret cum grandi aliorum nocumento, nullusque sibi sufficeret ad proprias necessitates sublevandas, cum non possint omnes omnibus artibus, scientiis et laboribus vacare[1].

5. **Contractuum species.** Inter contractus, quibus unus ad alterum obligari contingit, alii dicuntur *nominati*, qui proprium scilicet nomen in jure habent, v. gr. emptio, venditio, locatio, feudum etc.; alii *innominati*, quia proprio nomine carent et ad quatuor species reducuntur: *a) do ut des; b) do ut facias* vel *omittas facere; c) facio ut des; d) facio ut facias* aut *non facias*.

Ratione *effectus* contractus dividuntur in *bilaterales*, qui *synallagmatici* et *aequales* quandoque audiunt, et in *unilaterales*, qui et *inaequales* dicuntur, quatenus scilicet vel in utroque contrahente vel in uno tantum obligationem pariunt. Primi generis sunt *venditio, locatio, conductio, census, cambium, emphytheusis, feudum* et *assecuratio:* alterius vero *mutuum, commodatum, hypotheca, fideijussio* etc.

Ratione *causae* vocantur *onerosi* contractus illi qui utrique parti imponunt obligationem transferendi jus suum, v. gr. in emptione et locatione; *gratuiti* vero in quibus nihil rependitur ab acceptante, quoniam offerens gratis seu absque proprio emolumento jus suum alteri transfert, v. gr. in donatione.

Ratione *rei praestandae* quidam dicuntur *certi eventus*, seu *commutativi*, si res transferenda est certa et determinata; alii vero *aleatorii* seu *incerti eventus*, si res praestanda vel saltem rei quantitas pendet a casu vel fortuito eventu, uti evenit in ludo.

Denique ratione *interpretationis* vocantur *stricti juris*, quando ad rigorosam verborum significationem, *bonae fidei* vero quando ad intentionem contrahentium potissimum attenditur in eorumdem interpretatione.

Hisce de contractibus in genere pro modulo nostro praejactis, inter quaestiones a philosophis agitatas circa contractus in specie principem

---

1 Cfr. Audisio, *Juris Nat. et Gent.*, lib. II, tit. XII.

locum occupat quae mutuum respicit: ***An scilicet usura sit necne lege naturae prohibita.*** Ad eam ergo solvendam accedimus[1].

6. **Praenotamina.** I. Mutuum est *contractus onerosus*[2] *quo quis rem suam sic alteri tradit ut statim fiat accipientis cum obligatione reddendi postea eamdem rem, non numero, sed specie et bonitate.* Qui rei fungibiliis dominium alteri transfert vocatur *mutuans;* qui eamdem rem mutuo traditam acceptat *mutuatarius*. Porro mutuum natura sua differt a simplici *permutatione* in qua res cum re mutatur; ab *emptione et venditione* in quibus res pro pecunia traditur: a *conductione* et *locatione*, quia in his usus rei cum pecunia mutatur. Differt quoque a *commodato* in quo usus rei non consumptibilis gratuito alteri conceditur cum obligatione reddendi statuto tempore eamdem identicam rem. Mutuum autem est contractus *a) realis*, cujus obligatio fundatur non quidem in eo quod a re producitur, sed in re ipsa; *b)* est contractus *unilateralis:* solus quippe mutuans objecti restitutionem exigere potest; mutuatarius est vere debitor; *c)* objectum mutui nequit esse quod ad consumptionem non ordinatur; si ergo res datur prout consumptiva, habetur *mutuum;* verum si usus tantum conceditur cum obligatione reddendi eamdem rem numero erit *commodatum*. Sed *commodatarius* nequit se in dominum erigere; nam non efficitur verus rei dominus, et ideo si periit res commodanti periit; at *d)* in mutuo translatio juris proprietatis a mutuante in mutuatarium est adeo essentialis ut sine illa nec concipi valeat mutuum. Et hoc bene nota. *c)* Quidquid mutuatarius, utpote verus dominus rei mutuatae, agat in et ex ea nequit influere in contractu jam ratihabito; id est, sive lucrum inde mutuario obveniat sive non, id contractum nullatenus afficit.

II. Mutuum praecipue exercetur in locatione vel quasi locatione pecuniae (dinero)[3]. Pecunia autem est pretium quo res aestimantur. Cum enim ad humanum convictum plura eaque magnae molis commodare, transferre etc. necesse sit, inventum est pretium eminens quo cuncta mensurantur in humano commercio et quod loco rerum, pro quibus supponit, et quorum aequat aestimationem transfertur. Ideo pecunia reposita est in metallis quae apud homines cujusvis regionis maximi momenti reputantur, et repraesentat omnia quae humano sujiciuntur dominio. «Totum quidquid homines in terra habent et omnia quorum sunt domini pecunia vocatur, quia antiqui quae habebant in pecoribus habebant, inquit *D. Augustinus*. Et Philosophus: «pecunias omnia dicimus quorum dignitas numismate mensuratur»[4].

---

1 Quaestionem hanc egregie juxta Angelici doctrinam videbis pertractatam a Bened. XIV. *De Synod. Dioeces*, lib. X, c. 4 et in Encycl. *Vix pervenit*, et ab Alb. M.ª Weis O. P., *Apologia del Cristian.*, part. IV, Conf. XXIV y apéndice.

2 Alii aliter sentiunt: sic Waffelaert hanc statuit prop.: *Est igitur mutuum contractus essentialiter gratuitus*, ut commodatum, loc. infra. cit. n. 752.

3 Cfr. egregium S. Th. Opusc. LXVI (ed. Rom. LXXIII), *de usuris in communi et de usuris in contractibus.*

4 Apud D. Th., II-II, q. CXVII, a. 2 ad 2.

Circa pecuniam diligenter nota: *a)* eam sumi posse dupliciter: ut *medium commutationis*, quatenus est mensura rerum venalium, et ut *medium productionis; b)* primaevum tamen et originarium pecuniae usum fuisse ad commutationes faciendas (ser un medio de cambio); dein signum vel mensuram valoris; *c)* pecuniam monetatam vel ut est signum valoris inter merces non esse computandam; si enim accipitur ut merces desinit esse moneta. *d)* Pecuniam secundum communem usum (dinero como dinero) et pecuniam prout industriali negotiationi subest (como capital) essentialiter differre et inter se opponi eo fere modo quo opponuntur ideae *sterilitatis* et *fecunditatis*. Nam *e)* pecunia ex se *sterilis* est; quod si quis velit ex ea fructum percipere debet illam cum re productiva commutare vel de ea aliter disponere. *Capitale* vero ex se non solum *productibile* est sed etiam *productivum*, et, ut vere dicatur *capitale*, necesse est quod de facto sit in via productionis.

III. *Usura* definitur a *S. Th. pretium usus rei mutuatae*[1]. Juxta *Benedictum XIV*, in eo reposita est quod quis *ex ipso mutuo*, plus sibi reddi velit quam est receptum, ideoque ultra sortem lucrum aliquod, *vi ipsius mutui*, sibi debere contendat[2]. Et generatim apud veteres *Scholasticos* quidquid praeter sortem percipiebatur nomen usurae praeseferebat. Hodie vero *immodicum* auctarium perceptum ex capitali mutuato designat.

IV. **Brevis conspectus historicus hujus quaestionis.** *a)* Quamvis apud antiquos plerosque populos immodicum foenus ex mutuatione pecuniae exciperetur, summi tamen Philosophi usuram tanquam a natura abhorrentem condemnarunt[3]. *b)* Hebraeis severe prohibebatur usura in lege Mosaica:

---

1 Cfr. D. Th. II-II, q. LXXVIII; III *Sent.*, Dist. XXXVII, a. 6; *de Malo*, q. XIII, a. 4; Quodlib. III, a. 19; Opusc. XXI, q. III; Soto, *de Just. et Jure*, lib. VI, q. I, a. 1 et sqq.; Antonius a Spiritu Sto., *Directorium Confessariorum* (ed. 2.ª Lugduni 1680) p. II, continens decem praecepta Decalogi et totam materiam de Justitia et Jure, Tract. X, Disp. XV, sect. I-XVII; Layman, lib. III, Tract. IV, c. 15 et 16; Valentia, Disput. V, q. XXI, Punct. 1-4; Lugo, Disp. XXX, sect. I-XI; Bossuet, *Traité de l'usure*; Zech, *Rigor moderatus doctrinae Pontificiae circa usuras* et Biner, *Diss. juridica de usuris*, apud Curs. Theolog. complet. Migne, t. XVI; H. Van Roy, *De justo auctario ex contractu crediti* (Lovanii 1903). *Tratado de la usura* por el abate Marco Mastrofini, traducido del original italiano por D. Mariano José Ibarguengoitia. (Barcelona 1859; Lehmkuhl, Theolog. Mor. vol. I, n. 1003; et sqq.; Guitart, *La Iglesia y el obrero* (Barcelona 1908) c. VII; Alejandro Ciolli, *Directorio práctico del Confesor* (traducción de Cayetano Soler (Barcelona 1901), c. VI, § 30; Victor Brants, *La lucha contra la usura en la legislación contemporánea* (versión española de D. José Menendez Novella) et *Revue de Histoire Eccles.*, 15 Abril 1912 pag. 305 et sqq., Roselli, *Ethica*, q. XI; a. 3; Liberatore, *Jus. Nat.*, p. I, c. IV, a. 3; Mendive, *Jus. Nat.*, c. II, a. 3, § 6; Waffelaert, *De justitia*, n. 749-778; Willems, *Philos. Mor.*, lib. II, Tract. II, § 3, a. 2, c; Farges et Barbedette, *Ethic. Spec.*, lib. I, c. IV, a. 2.

2 Encycl. *Vix pervenit*, § III. «Ea propria est, inquit Concil. Lat. V, usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumpto, nullove periculo lucrum foetusque conquiri studetur».

3 *Εὐλογώτατα μισεῖται ἡ ὀβολοστατικὴ δία τό ἀπ' αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τήν κτῆσιν καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ ἐπορίσθη.* Arist., I *Polit.*, c. III (ed. Didot). Legatur totum caput.

«Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem»[1]. *c*) In Ecclesia Catholica non varia sed eadem semper immobilis exstat doctrina circa usuras. «Omne lucrum ex *mutuo,* praecise *ratione mutui,* uti loquuntur theologi, inquit *Benedictus XIV,* hoc est, lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico, illicitum esse perpetua fuit et est Catholicae Ecclesiae doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, Theologorum unanimi consensione firmata»[2]. *d*) Sancti Patres, nominatim *S. Basilius* in Homil. *contra Foeneratores, S. Gregor. Nisenus* in Orat. contra *usurarios, S. Chrysost.* in Genes. Homil. 56, *S. Ambrosius* in lib. de Tobia[3], *S. Hieronymus* in Ezech.[4] et *S. August.* in Psalm. 36, non solum immoderatas usuras a pauperibus et indigentibus extortas sed etiam moderatas a divitibus exigendas reprobant. *e*) *Scholastici* medii aevi, praeeunte *S. Thoma,* qui doctrinas veterum Patrum in unum collegit, usuram ut illicitam et juri naturae adversam uno ore propugnarunt: *f*) Plura Concilia Generalia cum *Lateran. III* usurarios excommunicatione plectunt et Patrum doctrinam mordicus tuentur. - Dein clarius exponere ceperunt theologi titulos extrinsecos ex quibus juste modicum foenus ex pecunia mutuata mutuans accipere potest. Sed *g*) Ecclesiae doctrinam, cui contradixere Graeci Schismatici, qui, teste Guidone Carmelita in *Catalogo haereticorum,* quodcumque lucrum ex mutuo permittunt[5], acriter impugnarunt *Calvinus, Carolus Molinaeus, Salmasius, Oecolampadius* aliique Reformatores asserentes usuram juri naturali esse permissam. Ultra progressus est Montesquieu affirmando «commercium impossibile fore absque mutuo oneroso». Omnium tamen audacissimus *H. Bentham* scribere non est veritus: «foenoris quantitatem libera paciscentium voluntate unice definiri debere». *h*) Hodiernis vero temporibus *Socialistae,* post *Adam Smith* aliosque Liberalis Scholae fautores, ex falsissimo illo principio exordientes «laborem humanum unicum esse valoris fontem», opinantur nihil unquam ex pecunia mutuata a mutuante ultra sortem vel capitale repeti posse: in quam sententiam, etsi contraria prorsus ratione, devenerunt *Physiocratae,* duce *Quesnay,* arbitrantes unicam productivitatis causam esse naturam. Alii vero Oeconomistae, spectata hodierna societatis oeconomica constitutione, non solum justitiam sed etiam necessitatem auctarii pro viribus tuentur, vel quia pecunia, juxta quorumdam sententiam, *vere fecunda* redditur induitque naturam capitalis dum ad res novas producendas applicatur, vel quia *usus pecuniae,* juxta alios, quamvis ipsa per se productiva non sit, jus confert mutuanti ad aliquam retributionem exposcendam, vel, ut rentur alii, quia auctarium est veluti *pretium anteacti laboris. i*) Theologi vero recentiores generatim

1 *Deut.* XXIII, 19.
2 Bened. XIV, *De Synod. Dioec.* lib. X, c. IV.
3 c. VI.
4 lib. VI, c. 18.
5 Apud Bened. XIV, loc. cit. n. 2.

affirmant omne lucrum *ex mutuo, vi mutui,* seu ex titulo foenebri contractui intrinseco, usurarium esse. Nihilominus 1) quidam ex eis censent auctarium moderatum percipi posse *vi tituli extrinseci;* 2) alii *vi locationis pecuniae;* 3) alii vi tituli *intrinseci* non quidem mutuo sed *pecuniae mutuatae,* ex hodierna scilicet oeconomica conditione, quae naturam pecuniae quadantenus mutavit, quaeque proinde titulum generat semper cum pecunia prout hodie accipitur conjunctum; 4) alii denique propugnant sententiam praecedenti affinem. Considerantes namque pecuniam ut *instrumentum negotiationis* vel repraesentationis rerum omnium, *virtualiter productivam* vel *quasi fragiferam* dicunt; qua de causa moderatum foenus seu *interesse* ex ejusdem mutuatione exigere posse putant.

7. Nos autem redeuntes ad sententiam *Bened. XIV* et *S. Thomae,* quam explicarunt «Cardinales, ac Theologi et viri Canonum peritissimi, quorum consilium, inquit laudatus Pontifex, in hoc gravissimo negotio postulavimus» [1], sequentia statuimus: 1) omne lucrum ex mutuo, vi mutui, illicitum et usurarium est; 2) «neque ad istam labem purgandam ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens et nimium sed moderatum sit; vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus»; 3) lucrum sic acceptum, vi solius mutui, justitiam commutativam laedit; 4) «per haec nequaquam negatur posse quandoque una cum mutuo contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime innatos et intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi» [2].

8. **Tituli extrinseci.** Nonnullas rationes mutuo extrinsecas propter quas, si vere existant, licet modicum foenus percipere, libenter admittimus. Hujusmodi causae sive tituli sunt quinque sequentes:

Damnum emergens in mutuante ex traditione pecuniae, quia ex ejus defectu malum aliquod, v. gr. vendere proprias merces viliori pretio forte subire cogitur; sed, salvis officiis caritatis, nemo tenetur ad mutuandam pecuniam; potest ergo foenus moderatum inde repetere quo suae consulat indemnitati. «Ille qui mutuum dat, inquit *D. Th.*, potest absque peccato in pactum deducere, cum eo qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod substrahitur sibi aliquid quod

1 *Vix pervenit,* 1 Nov. 1745. A quibusdam habita est praefata Encycl. tanquam documentum *ex cathedra,* aliis id negantibus.

2 ib.

debet habere; hoc enim non est vendere usum pecuniae, sed damnum vitare» [1].

Lucrum cessans in mutuatore; hic enim poterat, negotiando cum pecunia mutuata, lucrum aliquod reportare vel saltem probabiliter sperare, quo lucro se privat mutuo tradendo pecuniam absque foenore; licet ergo moderatum auctarium a mutuatario repetere, in cujus favorem lucro illo probabiliter sperato privatur.

Periculum sortis seu pecuniae mutuatae. Ob hodiernam quippe fortunarum instabilitatem et crebras industriae commutationes mutuator exponitur gravi periculo sortem amittendi; munitur autem contra probabilem praedictum eventum aliquid ultra sortem exigendo. Tale vero periculum non debet esse tantum commune, cui subest merces etiam in manu ipsius domini, sed, ut diximus, grave et distinctum a communi.

Poena conventionalis, qua scilicet ex voluntate contrahentium exigitur aliquid ultra sortem, si mutuatarius culpabilem moram traxerit in reddendo. Pactum vero foenus oportet ut semper culpabili dilationi proportionetur.

Lex civilis, permittens moderatum lucrum accipere pro pecunia mutuata, est titulus extrinsecus quo hodiernis temporibus fundantur mutuantes ad rite exigendum interesse determinatum in omni casu [2]. Et quidem practice hanc sequuntur doctrinam omnes theologi praecipue postquam *S. Officium* et *S. Poenitentiaria* pluries declararunt Presbyteros, qui contendunt licitum esse percipere auctarium quinque pro centum, solius vi legis Principis, absque alio titulo vel damni emergentis vel lucri cessantis, *non esse inquietandos quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere.* Sed speculative disputari potest de justitia hujus tituli. Nam voluntas Principis nequit esse prima regula justi et injusti, sed objectivae rationi innitatur oportet, et ideo admittentes praefatum titulum tanquam justum ad fecunditatem pecuniae recurrunt. Hinc fundamentum hujus tituli, si quod sit, praeter damnum emergens, lucrum cessans et periculum sortis, est *bonum commune* societatis, ut scilicet pecunia non maneat immobilis et in arcis inclusa sed negotiationi tradatur. Tunc autem induit naturam capitalis,

---

1 II-II, LXVIII, a. 2 ad 1.

2 En España rige la ley de 23 de Julio de 1908. La ley de 12 de Agosto de 1899 fijaba el interés legal de 5 por 100 al año para los casos en que no hubiera mediado pacto expreso La tasa ha desaparecido de casi todas las legislaciones. Cfr. Ernesto Guitart, *Nociones de Economía* c. 28. Sin embargo los Códigos debieran poner tasa a la usura y señalar límites al interés. Cfr. Tredelenburg, *Diritto naturale*, § 108; Ahrens, *Curso de Derecho Nat.*, p. espec., sec. III. lib. II, c. II; Rodríguez de Cepeda, *Elementos de Derecho Natural*, lecc. 38.

et contractus inde resultans non est mutuum sed *crediti commercialis,* ex quo potest quis moderatum auctarium percipere. *Moderatum* dicimus; nam si excessivum esset usurae labe sordesceret, etiamsi lex illud permitteret, quo in casu dicendum foret cum *S. Thoma:* «Non humana, sed divina lege ac lege naturali, quae aequitatis tenax est, hominum actiones pensandae sunt». Hisce praelibatis sit

9. **Thesis. Illicitum est accipere pretium pro pecunia mutuata, vi mutui** [1].

Prob. Illicitum est et jure naturae prohibitum vendere eamdem rem bis, vel vendere id quod non est; atqui accipere pretium pro pecunia mutuata, vi mutui, est vendere eamdem rem bis, vel vendere quod non est; ergo.

Minorem hujus argumenti egregie demonstrat ***Angelicus*** his verbis: «Sciendum est quod quaedam res sunt quarum usus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo utendo ad potum et triticum consumimus eo utendo ad cibum. Unde in talibus non debet seorsum computari usus rei a re ipsa; sed cuicumque conceditur usus, ex hoc ipso conceditur res; et propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, et vellet seorsum vendere usum vini, venderet eamdem rem bis, vel venderet id quod non est, unde manifeste per injustitiam peccaret.....

Pecunia autem secundum Philosophum principaliter est inventa ad commutationes faciendas; et ita proprius et principalis usus pecuniae est ipsius comsumptio sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur. Et propter hoc secundum se est illicitum pro usu pecuniae mutuatae accipere pretium quod dicitur usura» [2].

Confirmatur thesis. Nemo potest exigere fructus illarum rerum quae in alterius sunt potestate, nam res fructificat domino; atqui mutuum transfert in mutuatarium dominium rei mutuatae; id enim ex ipsa natura mutui, quae longe diversa est a natura aliorum contractuum, v. gr. societatis, commodati, deducitur; ergo etiamsi pecunia productiva foret, mutuator nequit exigere fructus pecuniae mutuatae, cum non sit ulterius hujusmodi pecuniae dominus; fructus ergo non mutuanti sed mutuatario cedunt.

---

1 Lottini, (n. 537-540), cum aliis reputat id fuisse illicitum, quando pecunia non erat fructifera, sed hodie, attenta magna expansione commercii, per se non esse illicitum accipere moderatum pretium pro pecunia mutuata.

2 II-II, q. LXXVIII, a. 1. Totam quaestionem de mutuo oneroso fuse pertractat Tanquerey *Synopsis Theol. Mor.*, De virtute Justitiae, p. altera, c. II, a. 2, § 4.

10. Objectiones.

I. Qui voluntarie se privat in favorem alterius re aliqua, ex qua lucrum aliquod poterat facere, potest pro hujusmodi onere aliquid ultra sortem accipere; ergo.

Resp Qui voluntarie se privat etc..... potest pro hujusmodi onere aliquid ultra sortem accipere et hujusmodi onus est titulus tum mutuo tum pecuniae mutuatae *extrinsecus*, concedo; *intrinsecus*, nego; mutuans autem pecuniam poterat lucrum aliquod acquirere *propria industria*, concedo; *pecunia ipsa*, absque propria industria et labore, nego [1].

II. Sed dices. Pecunia *repraesentat* res omnes quarum usus est in humano commercio et eisdem *quoad valorem aequivalet;* ergo, sicut licet pro aliis rebus lucrum accipere, ita, spectata oeconomica horum temporum conditione, potest aliquid ultra sortem repetere pro pecunia mutuata.

Resp. concedo antec. et nego conseq. Disparitas et idcirco illegitimitas consequentiae stat in natura speciali hujus contractus, qui dicitur mutuum, ab omnium aliorum contractuum natura plane diversa. Et ideo, quamvis pecunia rerum omnium frugiferarum sit *repraesentativa* et eisdem quoad valorem *aequivaleat,* non potest esse objectuum quorumdam contractuum sicut res quas repraesentat, quia in his utrumque seorsum potest concedi, scilicet usum et dominium. «Et propter hoc, inquit *Angelicus*, potest homo accipere pretium pro usu domus et, praeter hoc, petere domum commodatam» [2].

III. Argentum monetatum et in vasa formatum non differt specie; sed licet accipere pretium pro vasis argenteis ac commodatis; ergo etiam pro mutuo argenti monetati.

Resp. dist. maj., in esse naturae, conc.; in esse moris et contractus, nego. Argentum monetatum seu pecunia est objectum *mutui;* non monetatum objectum *commodati* [3].

IV. Ut ex dictis patet, tota *S. Thomae* ratiocinatio illo nititur principio pecuniam scilicet esse *sterilem* et ad consumptionem vel ad res consumptibiles emendas tantum ordinari. Atqui hodie pecunia est *instrumentum negotiationis* et ad *productionem* adhibetur, ideoque frugifera vocari potest; ergo ruit sententia superius propugnata.

Resp. Dist. maj. Tota *S. Th.* ratiocinatio..... pecuniam *secundum communem usum* (dinero como dinero) et *primariam atque essentialem ejusdem acceptionem* esse sterilem et ad emendas res consumptibiles ordinari, concedo; pecuniam, ut *subest negotiationi* (como capital) et in *secundaria sua acceptione,* ordinari tantum ad consumptionem, nego. Ipsemet namque *D. Th.* loco cit. ait: «Potest esse aliquis secundarius

---

1 Cfr. D. Th., loc. cit. a. 1 ad 5.

2 Lege D. Th., ib. a. 2 ad 5.

3 Cfr. D. Th. ib. ad 6; Garriguet sostiene que el fundamento verdadero del derecho al interés se halla en la productividad del dinero. *Préstamo, Interés, Usura* (trad. de Juan Pablo Biesa, Pbro.) pag. 56. Véanse las Obras del mismo autor, *Producción y provecho*, pag. 34 y sigs. y *El Trabajo*, t. 2. c. III.

usus pecuniae argenteae, ut puta si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem vel ad ponendum loco pignoris; et talem usum pecuniae licite homo vendere potest». Ad min. pariter dist., aliquando, concedo; semper, nego. Nemo quippe ignorat nostris hisce diebus haud paucas pecuniae summas mutuari cum usura, non quidem ad negotiandum, sed ad debita exactoribus solvenda, quo in casu non tantum lex caritatis sed jus quoque naturale aperte laeditur, juxta modum argumentandi adversariorum.

Sed insuper etiamsi pecunia adhibeatur quandoque ad productionem, emolumentum quod inde percipit homo non pecuniae sed industriae humanae debetur, et ideo in hujusmodi fructus, qui nec sunt nec possunt esse pecuniae sed laboris et industriae nullum jus habere potest mutuator.

11. Concludimus ergo cum *Balmes:* «Cum dominii primitiva origo sit labor, patet quam juste, sapienter et provide vetetur lege morali adquisitio absque labore: qui usurae prohibitionem impetierunt, levissimos in philosophia sese probarunt. Hujusce prohibitionis fundamentale principium est: *exigere non licet fructum a re non producente.*

Si igitur usurae prohibitio funditus expendatur, lex est impediens ne divites pauperum expensis vivant, ac non laborantes laborantium sudore nutriantur. Quaestione ita perspecta, atque debitis applicationibus factis, solvi possunt difficultates universae, iis non exceptis, quae oriuntur ab eo quod valores monetarii specialem utilitatem acquisivere, industriae et commercii exposcente necessitate»[1].

1 *Philos. Elem., Ethica*, c. XXIII, Sect. V. Cfr. Gustavus Théry aliter hanc quaestionem solvens in Ephemeride *Les Questions Ecclésiastiques*, Mars. 1913.

DISPUTATIO III

DE

JURE SOCIALI *(Sociologia)*.

Disputationis objectum atque divisio. Juribus et officiis, quae directe et immediate ipsam hominis personam physicam atque moralem sed individuam afficiunt, superius consideratis, modo ad naturam illius personalitatis, quae ex morali hominum conjunctione resultat, investigandam accedimus. En objectum hujus Disputationis. Jus enim sociale definitur: *Ea pars Juris Naturae quae intimam naturam societatis hujusque officia ac jura perscrutatur.*

Civilem scientiam, ut vocatur a ***D. Thoma*** doctrina de civitate, 1) esse maxime necessariam, 2) contineri sub scientia morali, 3) maxime praestare et 4) ex simplicibus ad composita procedere praeclare ostendit ipsemet ***Angelicus*** in Prologo ad I. *Polit.*

Momentum actuale hujus Tractatus qui a nonnullis haud incongrue *Sociologia* nuncupatur, licet de ejusdem ambitu et extensione plurimum disputent, missis rationibus intrinsecis, vel ex eo modo pendimus quod nostris diebus mira humani intellectus activitas qnaestioni sociali in in tota sua extensione solvendae potissimum incumbit. Sed quia abundant populorum duces et magistri qui, veteribus subversis principiis, *novi juris* pronuntiata, tanquam unicum regenerationis pharmacum, venditare non desistunt, opus est tutam traditionalemque Juris prudentiam naturalem, cui cuncti philosophi catholici haeremus, viritim tueri et propugnari.

Jus autem sociale aliud est *domesticum* seu *privatum,* aliud *civile* seu *publicum,* prout expendit jura et officia naturalia societatis domesticae vel civilis. Duabus igitur quaestionibus absolvemus praesentem Disputationem de *Jure sociali.*

QUAESTIO I

DE SOCIETATE DOMESTICA[1] *(Jus sociale privatum).*

Quaestionis materia. Quoniam primae et minimae partes domus, juxta Philosophum, sunt dominus et servus, maritus et uxor,

1 Cfr. D. Th. *I Polit.*, lect. I-XI; Thorel, *Del origen de las sociedades* (Madrid 1823, ed. 3.ª), t. 1, Cuestión cuarta, § 1; Taparelli, *Ensayo*, lib. VII, c. III y sigs; idem, *Curso Elemental de Derecho Natural*, lib. VII, c. III, a. 1 y 2; *Dicc. des sciences philosophiques*

pater et filii, societas domestica, quae et *familia* quoque dicitur, ex triplici simpliciori societate constat, scilicet conjugali, parentali et herili. De his ergo singillatim agemus.

Articulus I

De societate conjugali [1].

Hujus articuli argumentum in quinque paragraphos congrue dividitur, hoc ordine distributos: suppositis notionibus generalibus, tria consideranda se praebent scilicet: sanctitas, unitas et indissolubilitas matrimonii. Verum in ordine ad sanctitatem, matrimonium spectari potest ut est in officio naturae et quatenus sacramentum.

§ 1

NOTIONES GENERALES.

Summa rerum. 1. *Generica societatis definitio.* 2. *Matrimonii notio.* 3. *Duplex matrimonii consideratio.* 4. *Fines societatis conjugalis.* Thesis. *Finis primarius et essentialis matrimonii ab ipsa natura auctoreque naturae intentus est humani generis propagatio per debitam filiorum generationem et educationem.* Prob. 5. *Finis secundarius matrimonii.* 6. *Malthusianismus.* 7. *Socialistae et Libertini.—Evolutionismus moralis.* 8. *Vera sententia. Societatis conjugalis causa cum proxima tum remota.* Thesis. *Stabilis viri mulierisque conjunctio ad prolis generationem et educationem est maxime naturalis, idcirco matrimonium Deum auctorem habet.* Prob. 9. *Matrimonii proprietates.*

1. Societatis nomine generatim intelligimus *stabilem plurium conjunctionem in finem communem suis actibus conspirantium.* Omnium simplicior inter naturales hominum conjunctiones est domestica seu familiaris

(Paris 1845) v. *Famille*; P. Félix, *El progreso por medio del Cristianismo, Confer.* 1860-1861 (traducidas por D. J. M. Antequera) Madrid 1912; Sanchez y Castro, *Familia y Sociedad*; Le Play, *La reforme sociale*; Rossignoli, *La familia, el trabajo y la propiedad en el Estado moderno*; Weiss, *Apologia del Cristianismo*, p. IV, Conf. XIV; Pacetti, *Institut. Philos Mor.* p. III, c. III; Castelló, *Filosofía Moral*, p. II, c. V; Gaume, *Historia de la Sociedad doméstica e influencia del Cristianismo en la familia* (Barcelona 1855), traducida por J. M. y F.; Dalmau y Gratacós, *Etica especial social*, c. I, § 2 aliique *Philosophi Moralistae* infra citandi.

1 Cfr. S. Aug. *De nuptiis et concupiscentiis*; *De bono conjugali*; D. Thomas, *Supplem.*, q. XLI-LXVIII; *Contra Gent.*, lib. III, c. 122-125; Bellarminus, *Controv.*,

«quae inchoatur ex societatis maris et feminae, sine qua non posset genus humanum propagari aut conservari», ut scribit *Suarez*. Ab ea ergo jure exordimur.

2. Matrimonium in genere adunationem quamdam importat. Nam ea quae ordinantur ad aliquid unum dicuntur in ordine ad illud adunari. Et ideo, cum per matrimonium ordinentur aliqui, ut infra dicetur, ad unam generationem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domesticam, constat quod in matrimonio est aliqua conjunctio, secundum quam dicitur maritus et uxor, et talis conjunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquid unum est matrimonium [1].

3. Matrimonium dupliciter spectari potest: *in fieri*, prout est res transiens et dicit mutuum consensum, quo unio conjugalis perficitur; et *in facto esse*, sub qua consideratione matrimonium est res permanens et exprimit vinculum, quo conjugium ex viri mulierisque consensu ortum perdurat. Sub primo respectu definitur: *duarum idonearum personarum legitimus de conjunctione consensus:* [2] sub altero vero recte cum Magistro Sententiarum describitur: *Viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens* [3].

Differentia, matrimonii, sub distincta illa consideratione inspecti, non est levis. Nam 1) matrimonium *quoad fieri* dependet tanquam a causa a libera contrahentium libertate, *quoad esse* autem regitur jure naturae et a mutuo conjugum consensu est omnino independens; 2) *in fieri* est actus transiens, *in facto esse* importat stabilitatem suapte natura perpetuam.

Item matrimonium spectari potest 1) sub ratione *contractus* et 2) quatenus est *Sacramentum* a Christo Domino institutum. Modo nisi aliter notetur consideramus matrimonium sub ratione contractus et quidem prout est in officio naturae seu quoad internam ejusdem constitutionem et leges quibus independenter ab humana voluntate regitur.

4. Finis intrinsecus matrimonii est duplex: *primarius* et *essentialis*,

---

tom. III. De *Sacramento Matrim.* lib. unic.; Antonius a Sp. Sto., *Directorium Confes.*, Trat. XI; Liberius a Jesu, C. D. *Controvers. Scholastico-Polemico, historico-criticarum*. tom. VI. *De Sacram. Matrimonii* (Mediolani 1752); Omnes D. Thomae Commentatores et *Theologi Moralistae*, praesertim Carriére, *de Matrimonio* (Parisiis 1837); Perrone, *De Matrimonio Christiano libri tres* (Romae 1758); Palmieri, *Tract. de Matrimonio Christiano*; León Carbonero y Sol, *Tratado del Matrimonio, de sus impedimentos y dispensas* (3.ª ed. Madrid 1885); Leon XIII. *Encycl. Arcanum* 10 Febr. 1880; Monsabré, *El matrimonio cristiano* (traducción de D. Pedro Armengol y Cornel 2.ª ed. Barcelona 1908); Fernández Concha, *Filos. del Derecho*, lib. III, p. I, c. I; Pacetti, loc. cit. n. 2; Costa Rossetti, p. III, sect. I, § 1.

1 D. Th., *Supplem.*, q. XLIV, a. 1.

2 Hugo a S. Vict., *De Sacram.*, lib. II, p. II, c. 4.

3 IV *Sent.*, Dist. XXVII.

sobolis scilicet procreatio et educatio; *secundarius* et accidentalis, mutuum vitae auxilium, et, post Adae peccatum, concupiscentiae quoque remedium.

Pudet quidem vel paulisper dumtaxat immorari in demonstrando naturam, vel melius, auctorem naturae, Deum, primo et principaliter honestam prolis generationem tanquam essentialem finem in matrimonii institutione intendisse. Verum hodierna plurium conjugum immoralitas eo usque processit ut ipsi naturae contraire ausu voluntario praesumant, a liberorum procreatione sese abstinendo. Et id oeconomistae non pauci docent, et medici materialistae ad impediendam generationem pharmaca praebent ¿quid magis antisociale? Sane grave crimen in Deum, in patriam et in communem societatem. Sit igitur

Thesis. Finis primarius et essentialis matrimonii ab ipsa natura intentus est humani generis propagatio per honestam filiorum procreationem et educationem.

Indicantur argumenta. Conclusionem satis ostendunt 1) naturalis utriusque sexus physiologica constitutio; 2) vehemens connatumque ad maritalem conjunctionem studium; 3) fecunda omnium hominum cujusque regionis commixtio; 4) animalium inclinatio et exemplum, in qua quidem inclinatione ad speciei conservationem ordinata homo cum illis communicat; 5) gloria ex creaturis rationalibus a Deo in creatione mundi principaliter intenta. Haec et alia similia evidenter demonstram naturam intendere humani generis propagationem. Verum, *debito modo;* illa siquidem inclinatio ad procreationem, utpote animalis, ratione moderari debet ut congruat rationalibus creaturis; oportet igitur ut sit honesta; id autem consequitur per stabilem conjugum adunationem, sive per matrimonium, quo, non tantum *esse,* sed educationem quoque infantibus conferant.

5. Quantum ad finem *secundarium* matrimonii, patet etiam naturam intendere mutuum viri mulierisque subsidium; moralis enim et physica utriusque sexus diversitas certe innuit se mutuo indigere. Haec autem insufficientia absolute loquendo aliter quam per matrimonium obtineri potest, non autem honesta filiorum generatio et educatio; ergo illud secundario, istud autem primo et essentialiter a natura intenditur [1].

6. **Malthusianismus seu systema duorum liberorum.** In thesi praecedenti non solum damnatur *absoluta* matrimonii frustratio, sed etiam *rela-*

1 Cfr. D. Th., *Supplem.*, q. LXV, a. 1.

tiva illa qua plura matrimonia, variis ex causis, sed luxuria praesertim et mollitie, unius duorumve filiorum procreatione contenta, naturalem coitus finem uno vel altero modo impediunt.

Iam olim veteres philosophi, ut Plato et Aristoteles, nimiae populationis periculum timentes, docuerant numerum procreandorum arte, vel etiam lege restringendum esse; unde et infanticidium et expositionem praesertim informium et debilium non raro consulebant; atque illa in more gentilium populorum fuisse, et nunc etiam vigere apud barbaras nationes, historia testatur.—Novissime autem causas pauperiei et crescentis populationis exquirens Malthus († 1834), cum haec duo principia uti maximae evidentiae statuisset 1) populationem crescere ratione geometrica, 2) annonam vero (viveres, subsistencias) ratione arithmetica, grave periculum inde exorturum, futuram scilicet *luctam pro existentia*, societati denuntiavit; proportio igitur inter populationem et nutrimenta procreationis limitatione aequanda est. Infandum autem vitium per insanam et mollem *culturam* in dies nimis excrescens, praesertim inter divites civitatum, nationes immanitus depopulatur.

7. Gravissimum sane crimen committunt docentes et consulentes matrimonii frustrationem; sed ii parcunt saltem naturali matrimonii institutioni: alii vero ulterius progressi ipsum plane rejiciunt et *liberum*, uti ajunt, *amorem* sexuumque promiscuitatem proclamant, ita ut pro libito et sine lege omnes ad procreandos filios coire, et cum voluerint, se separare valeant. Ita Libertini, Socialistae et Anarchistae. [1] Recentiores evolutionistae, ut *Spencer, Mac Lennam, Morgan, Giraud-Teulon, Ploss, L. Stein* aliique aliunde acriter impugnant stabilem viri mulierisque conjunctionem, asserentes, ut serio scribit *J. Lubbock*, primaevos homines fuisse barbariae addictos et nonnisi post plura saecula vitam rationalem et socialem duxisse, subinde ex cathedra affirmant matrimonium non natura duce, sed civilitate decursu temporis progrediente, educatione, legibus moribusque paulatim introductum esse.

8. **Vera sententia.** Agitur impraesentiarum, ut patet, de origine societatis conjugalis, seu de causa matrimonii. Porro, causa *proxima* matrimonii *in fieri* est mutuus conjugum consensus, sicut in aliis contractibus. Ratio est per se manifesta. Nemo enim obligatur ad nubendum in genere, nec ad contrahendum cum hac alterave determinata persona; ergo conjugium libera voluntate contrahentium perficitur.

---

1 Oigamos a Pascual Peura, escritor ácrata, que, después de Bebel, B. Malon, Renard y Ch. Albert, dice: La familia tiene tres grandes pecados originales: nació con la propiedad, tomó forma con la esclavitud y firmó la derrota histórico-mundana de la mujer. Nosotros que queremos la propiedad común, nosotros que aspiramos a la igualdad, nosotros que queremos la rehabilitación moral de la mujer, nosotros debemos destruir la organización de la familia y no conservar nada de ella, en nada imitarla». *Victimas y Preocupaciones*, Reus (s. a.)

Deum autem esse immediatum auctorem matrimonii *quoad esse*, utpote generatim officio naturae praeceptum, mox est probandum.

Thesis. Stabilis viri mulierisque conjunctio est maxime naturalis, idcirco Deum habet auctorem.

Prob. 1) Natura per se intendit debitam humani generis propagationem per honestam prolis generationem, physicam moralemque ejusdem educationem et mutuum denique viri mulierisque auxilium et solatium; atqui unicum medium aptum ad haec obtinenda est stabilis viri mulierisque conjunctio; e contra, libera et soluta sexuum promiscuitas nullam vel incertam reddit prolem, officit congruae ejusdem educationi, et mutuo subsidio conjuges privat; ergo stabilis conjugum adunatio generatim a natura praecipitur; est ergo maxime naturalis; liberum vero et indeterminatum consortium ad filios procreandos eidem naturae aperte adversatur.

Quod promiscuus sexuum sine regula et ordine coitus ad filios procreandos non sit honestus, sed moribus brutorum potius assimiletur, non indiget probatione.

Stabilis quoque conjunctio requiritur ad debitam prolis educationem. «Est enim considerandum, inquit *Angelicus* quod in animalibus in quibus sola femina sufficit ad prolis educationem, mas et femina post coitum nullo tempore commanent, sicut patet in canibus. Quaecumque vero animalia sunt in quibus femina non sufficit ad educationem prolis mas et femina simul post coitum commanent quoadusque necessarium est ad prolis educationem et instructionem, sicut patet in quibusdam avibus..... Manifestum est autem quod in specie humana femina minime sufficeret sola ad prolis educationem quum necessitas humanae vitae multa requirat quae per unum solum parari non possunt. Est igitur conveniens secundum naturam humanam ut homo post coitum mulieri commaneat et non statim abscedat, indifferenter ad quamcumque accedens»[1].

Praeveniens autem adversariorum objectionem scribit infra: «Non autem huic rationi obstat quod aliqua mulier suis divitiis potens est ut sola nutriat foetum (idem dic de educatione); quia rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quae per accidens contingunt in uno indivi-individuo, sed secundum ea quae totam speciem consequuntur».

Stabilis demum conjunctio requiritur ad mutuum nubentium subsidium; quia maxime fovet verum et constantem amorem ad vitae labores sufferendos omnino necessarium, qui quidem amor inter eos qui ad diem tantum coeunt non invenitur, sed solum turpis et momentaneus amor rationales inclinationes vitae animali subducens.

---

1 *Contra Gent.*, lib. III, c. 122.

2) Id omnino naturale dicendum est ad quod natura inclinat; atqui homo naturalem habet inclinationem ad matrimonium, ineundum quidem non more brutorum, sed honeste, secundum rectae rationis dictamina, et imprimis cum stabilitate quadam; ergo matrimonium est maxime naturale. *Major* constat; *minor* autem egregie demonstratur luculentissimo ***Angelici Doctoris*** argumento infra § 2. adducendo. Tota quoque thesis plenariam accipiet confirmationem ubi actum fuerit de indissolubilitate matrimonii.

9. Proprietates matrimonii tres communiter recensentur, *sanctitas, unitas* et *indissolubilitas*. Libeat nunc quae de singulis philosophi christiani definire solent summatim lectori subjicere.

§ 2

DE SANCTITATE MATRIMONII PROUT EST IN OFFICIO NATURAE [1].

Summa rerum. 1. *Errores.* 2. Thesis I. *Matrimonium est per se licitum et honestum.* Prob. 3. Thesis II. *Nullum existit naturale praeceptum obligans singulos homines ad ineundum matrimonium.* Prob. 4. *Vindicatur verus caelibatus; —historia.* 5. *Solvuntur difficultates* — (adest praeceptum divinum? Quid sequitur ex hoc quod natura omnes aptos effecerit ad matrimonium. — Perit genus humanum inducto caelibatu? — *S. Ambrosii* testimonium. — Oeconomistarum doctrina circa populationis problema). 6. Thesis. *Verus caelibatus per se praestantior est matrimonio.* — (Notanda ante probationem. — Argumenta). 7. *Neo-Malthusiani.* 8. *Objectiones.*

1. Primis Ecclesiae temporibus nonnulli, ut *Tatianus, Marcion, Gnostici, Montanistae* et *Manichaei,* nuptias uti illicitas damnabant. Verum philosophi omnes cujusque aetatis tuentur e contra honestatem matrimonii, abstractione quoque facta a sanctitate sacramenti, quam necessario praesefert inter Christianos, (de qua in § 3), seu sistendo in ordine et fine a natura intento.

---

1 D. Th. *Supplem.*, q. XLI; *Contra Gent.*, lib. III, 136 et 137; Liberius a Jesu, loc. cit. *Tract.* VIII, *Disp.* I, *Controversia* II; Sattler, S. J. *De bono conjugali et sanctitate caelibatus;* Palmieri, loc. cit. *Thesis II* et sqq.; Weiss. *Apologia del Cristianismo,* p. V, Confer. VIII; Roskovany, *Coelibatus et Breviarium* (Vindobonae 1861); Felix, loc. cit., *Confer.* IV; Monsabré, *Confer.* LXXXV y LXXXIX; (Vergara 1892); J. Guibert, *La pureza;* Surbled. *La morale dans ses rapports avec la Medecine,* (Paris 1900). Hettinger, *Apolog. del Crist.,* Confer. XXXVIII.

2. Thesis I. Matrimonium est per se licitum et honestum.

Prob. Quod est maxime et omnino necessarium ad conservationem speciei et ad quod natura inclinat non potest non esse licitum et honestum; atqui matrimonium est medium plane necessarium ad conservationem speciei humanae et a natura intentum; ergo est per se licitum et honestum[1]. Major patet.

Minor quoad primam partem probatur tum ex ipsa utriusque sexus organica constitutione, tum ex tendentia omnibus viventibus quodammodo insita ad conjunctionem ut medium procreationis et conservationis speciei. Quoad alteram vero sic declaratur a *S. Th.*: «Ratio naturalis ad ipsum (matrimonium) inclinat dupliciter. Primo *quantum ad pricipalem ejus finem, qui est bonum prolis.* Non enim intendit natura solum generationem prolis, sed etiam traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis, in quantum homo est, qui est virtutis status. Unde secundum Philosophum tria a parentibus habemus, scilicet: *esse, nutrimentum et disciplinam.* Filius autem a parente educari et instrui non posset, nisi determinatos et certos parentes haberet; quod non esset nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quae matrimonium facit.

Secundo *quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est mutuum obsequium sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum.* Sicut enim naturalis ratio dictat, ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus quae ad ipsam vitam pertinent, ratione cujus dicitur homo naturaliter politicus, ita etiam eorum quibus indigetur ad humanam vitam, quaedam opera sunt competentia viris, quaedam mulieribus. Unde natura movet ut sit quaedam viri ad mulierem associatio in qua est matrimonium»[2]. Nihilominus

3. Thesis II. Nullum existit naturale praeceptum obligans singulos homines ad ineundum matrimonium.

Prob. Matrimonium est primo et per se ordinatum ex intentione naturae ad conservationem humanae speciei; ergo tunc solum singulis individuis esset in praecepto cum sine ipsorum matrimonio genus humanum periret; atqui ad generis humani propagationem et conserva-

---

1 S. Th. *Supplem.*, q. XLI, a. 3; Mosabré, Confer. LXXXIX; Bienvenido Comín, *El Cristianismo y la ciencia del Derecho en sus relaciones con la civilizaeión* (Madrid 1857) p. I, c. IV.

2 ib. a. 1; Cfr. *Contra Gent.*, lib. III, c. 122.

tionem non est plane necessarium quod singuli homines ineant matrimonium; ergo respectu individui non cadit in praecepto naturae.

Nitide, ut solet, Angelicus hisce verbis nostram confirmat sententiam: Natura inclinat ad aliquid dupliciter: uno modo sicut ad id quod est *necessarium ad perfectionem unius*, et talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes: alio modo inclinat ad aliquid quod est necessarium ad *perfectionem multitudinis;* et cum multa sint hujusmodi quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum praecepti; alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam et aedificatoriam, et ad hujusmodi officia quae sunt necessaria communitati humanae; sed inclinationi naturae satisfit cum per diversos diversa de praedictis complentur.» Atqui natura inclinat ad matrimonium prout est necessarium solummodo ad perfectionem multitudinis; ergo nullum existit naturale praeceptum obligans singulos homines ad contrahendum matrimonium. Cuique igitur liberum est nubere vel a nuptiis abstinere.

4. **Vindicatur caelibatus.**[1] Haec nostra conclusio vehementer impetitur ab iis qui verum caelibatum damnantes carnis redemptionem praedicant vitamque religiosam, perpetuae castitatis voto consecratam, tanquam humanitatis opprobrium legique naturae repugnantem persequuntur. Verum haec nova non sunt. Semper tamen haec contra nobilem caelibatum persecutio ortum habuit ex matrimonii relaxatione. Notum quippe est ante Christi adventum familiam nullum aliud fundamentum habuisse praeter absolutam patris potestatem. Mulier, quae, ipso jure approbante, non ut persona, sed ut res quaedam tantum ad familiam pertinebat, domino subjiciebatur unice libidinis explendae causa. Quapropter matrimonium vel in ipso Romano Imperio parum aut nihil differebat a concubinatu; inde commune factum est divortium multique vitam caelibem seligebant ad voluptates liberius explendas.

Ut igitur Imperii saluti prospiceret ***Augustus*** promulgavit leges ***Juliam*** et ***Pappiam Poppeam,*** quibus obligabat omnes cives ad matrimonium *liberorum quaesundorum causa,* caelibatum damnabat poenisque steriles subjiciebat. Caelibes enim, qui intra centum dies praefatae legi non obedirent, non poterant haereditare. Imo vir qui ad 25 annos et mulier quae ad 20 perveniret non habens unum saltem filium (orbus) *semissem relictorum tantum capiunto,* inquit lex. Concubinatum quoque sancivit ubi dicit quod qui non potuerit aliquam habere ut sponsam habeat illam ut concubinam...; et mulier quae sit domini concubi-

1 Cfr. Pedro Gual, *El equilibrio entre las dos potestades*, c. XXX; Rossignoli, *La familia, el trabajo*, etc., c. III; Pacetti, *Institut. Philos. Mor.*, p. III, c. III, a. 3; Orti y Lara, *El problema social y su solución*, tres discursos de F. Hitze, Disc. III. pag. 279.

na, non spectato ejusdem consensu, potest se alteri dare in matrimonium vel in concubinam. (Lex Poppea, c. 6).

Sola religio christiana potuit his malis radicitus mederi. Sed iterum Protestantes ad suam ipsorum libidinem specie virtutis tegendam et post ipsos multi Pseudopolitici et Libertini sub forma scientifica eamdem contra caelibatum doctrinam renovarunt. Acriter etiam impetunt caelibatum ***Montesquieu*** (Lettres Persanes, 117) et novelistae sensuales, ut ***Zola*** (Fécondité); plures quoque medici materialistae asseverantes perpetuum caelibatum innumeros generare morbos praesertim *hysteriam et amentiam* [1]. Solvemus ergo praecipuas, quas objiciunt, difficultates.

5. I.ª Jure positivo divino praeceptum de ineundo matrimonio omnibus et singulis hominibus perpetuo impositum est illis verbis *crescite et multiplicamini et replete terram* [2], adeo ut ab hujus praecepti obligatione sola impotentia physica aut moralis vel manifesta Dei dispensatio absolvere possit; ergo nulli liberum est a nuptiis abstinere [3].

Nego antec. Equidem praeceptum divinum impositum est naturae humanae nec unquam legitur tale praeceptum fuisse revocatum; sed non est omnibus et singulis impositum neque obligat unumquemque, inquit S. Th., nisi illo tempore quo paucitas hominum exigebat ut quilibet generationi vacaret [4]. «Praeceptum enim illud, subdit alibi, respicit inclinationem naturalem quae est in hominibus ad conservandam speciem per actum generationis; quod tamen non est necessarium per omnes exequi, sed per aliquos» [5].

II.ª Dices, excludendo rationem *D. Th.* Species humana est ens logicum quod non subsistit nisi in singulis individuis; ergo aut homines singuli ad connubium obligantur, aut nemo; atqui posterius dici nequit; ergo singulos ad id obligari tenendum est [6].

Nego antec. Species humana salvatur in uno individuo, nec necessarium est ut singuli concurrant ad generationem hominum ut genus humanum conservetur, secus dicendum foret speciem humanam impraesentiarum non existere, cum šat bene multi vitam caelibem ducant. Negatur igitur conseq. et conseq.

III.ª Iis omnibus singillatim matrimonium natura praescribit quos physice et moraliter ad officia conjugalia aptos effecerit, quemadmodum physica et moralis cujusque habitudo et inclinatio ad propriam conservationem

1 Quod quam alienum sit a veritate ipsae statisticae probant. Cfr. **Surbled**, op. cit. t. I. *Célibat et Mariage*, pag. 42 sqq.; **Descuret**, *Medicina de las Pasiones*. El vicio nefando de la lujuria es uno de los que más víctimas causa hoy a la humanidad; en cambio la continencia presta salud y longevidad. Puede comprobarse con la estadística puesta en la pág. 483.

2 Gen. I. 28. et IX, 7.

3 **Petrus Tamburinius**, *Lezioni di filosofia morale*, t. III. lib. XXIV.

4 *Supplem.*, loc. cit. a. 2 ad 1.

5 *Contra Gent.*, lib. III, c. 136 et II-II, q. CLII, a. 2.

6 **Petrus Tambur.**, loc. cit.

praeceptum de suipsius cura singulis determinate demonstrat. Licet enim cuique liberum sit sive ad agriculturum sive ad aedificatoriam sive ad alias artes excercendas manibus suis uti, quia manus ad plura factae sunt aptae, cum tamen dispositionem procreandi ad unum determinatam singulis natura dederit, singulos ad matrimonium obligavit [1].

Resp. Aliud est habere facultatem et aptitudinem et aliud longe diversum obligationem reducendi ad aptum hujusmodi facultatem. Ruit ergo tota adversariorum argumentatio. Audiatur *Angelicus*. «Ex divina Providentia, inquit, dantur homini ea quae sunt toti speciei necessaria; nec tamen oportet quod quilibet homo quolibet illorum utatur; data est enim homini industria aedificandi et virtus ad pugnandum; nec tamen oportet quod omnes sint aedificatores aut milites. Similiter licet sit homini divinitus provisa virtus generativa et ea quae ad actum ejus ordinantur, non tamen oportet quod quilibet actui generationis intendat» [2], sed necessarium est quod quidam abstinentes se ab hoc actu aliis officiis mancipentur, puta militiae vel contemplationi, ut idem docet *Angelicus*.

IV.ª Genus humanum nonnisi per matrimonium conservatur; ergo, libera existente facultate a nuptiis abstinendi, genus humanum extingueretur. Ita *Rousseau*.

Resp. conc. antec. et nego conseq. et conseq. Certe quidem periret genus humanum si universalis caelibatus induceretur; sed ex hac parte periculum nullum est. «Natura enim humana communiter ad diversa officia et actus inclinat. Sed quia est diversimode in diversis secundum quod individuatur in hoc vel in illo, unum magis inclinat ad unum illorum officiorum, et aliud magis ad aliud ex diversitate complexionum diversorum individuorum. *Et ex hac diversitate simul cum divina Providentia, quae omnia moderatur,* contingit quod unus eligat unum officium, ut agriculturam, alius aliud. Et sic etiam contingit quod quidam eligant matrimonialem vitam et quidam contemplativam. Unde nullum periculum imminet» [3].

V.ª Ex caelibatu societas prope innumeris privatur individuis; ergo caelibatus bono communi plurimum nocet.

Resp. neg. antec. et conseq. Namque verus caelibatus indirecte saltem cedit in bonum et multiplicationem civium. Res enim comperta est et apud recentes Statistas indubitanter recepta causam praecipuam imminutionis habitantium esse corruptionem morum praesertim matrimonii. Ubi autem viget caelibatus, morum quoque sanctitas splendet. Hinc fidenter scribere potuit *S. Ambrosius:* «*Si quis putat consecratione virginum minui genus humanum consideret quia ubi paucae virgines, ibi etiam pauciores homines; ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem*» [4].

---

1 P. Tambur., loc. cit.

2 *Contra Gent.* loc. cit.

3 D. Th. *Supplem.*, q. cit. a. 2 ad 4. Lege Balm., *El Protest.*, loc. cit., ubi ex hac ratione egregie vindicat existentiam Ord. Religiosorum.

4 *De Virg.* c. VII. Cfr. A. Knoch, *L'onanisme conjugal et le tribunal de la penitence.* (Lieja 1910); J. Nysten, *Le vice et le devoir conjugal*; P. Silverio, *El precepto del amor,*

A vero ergo deviant nonnulli Oeconomistae recentiores qui, ut efficacius clericalem caelibatum impeterent, ausi sunt statuere tanquam indubium principium *numerum individuorum* (la población) *esse proportionalem numero matrimoniorum*. Quod quidem alii sat bene multi post Destutt de Tracy et Malthus vehementer negant[1]. Malthus siquidem ad suam celebrem theoriam evolvendam duo demonstrata supponit: *a) populationem crescere secundum progressionem geometricam, necessaria autem vitae subsidia secundum progressionem arithmeticam: b) periculum grave imminere ex praefato individuorum augmento*. Interest ergo maxime societati, concludit, humanam generationem imminuere. Ad hoc, immemor caelibatus, sequentia excogitavit media: infirmos derelinquere ut pereant, claudere nosocomia, valetudinaria, permittere infanticidia, expositionem, abortus, denique matrimoniis praescribere numerum limitatum procreandorum (systema duorum liberorum). Hanc quoque doctrinam vulgarunt *Ricardo, Thomtson, Stuart Mill, Sismondi, Rümelin, Nietzsche, Schäffle* aliique non pauci[2]. Praeiverant post *Malthus, Franc. Palace et Car. Drysdale.*

6 Verum caelibatum nedum licitum et honestum, sed in praesenti rerum conditione medium esse optimum, et pro multis individuis necessarium, ut jus ad vitam secundum suas inclinationes et liberam electionem honeste exequantur, recentioribus statisticis comprobatur.

In tota Europa (exceptis Italia, Graecia et regionibus extremis Danubii) 300.000.000 incolae esse dicuntur, inter quos 4.500.000 feminae plures quam viri, quamvis sexus virilis ubique terrarum ex ipsa nativitate numero paulo praestet muliebri (106: 100)[3]. Et apud nos computantur 9.094, 644 viri et 9.532,797 mulieres: adsunt ergo 438,153 feminae plures quam viri; his

---

c. XXXIX. En 1902 el senador francés Piot recibió el honor de formar una comisión extraparlamentaria encargada de estudiar las causas de la disminución de la natalidad en Francia y de investigar sus remedios; y tanto la Comisión como el Congreso de la Sociedad de Economía social reunido en 1909 formuló sus conclusiones de esta manera: «Las causas de la disminución de nacimientos en Francia son: los vicios del régimen económico, la ruina del ideal doméstico y relajación de los vínculos de la familia, la creciente marea del vicio y el libertinaje, el desenfrenado egoismo de las nuevas generaciones y como base de todo y causa esencialísima la disminución del sentimienio religioso. Existe una relación de causa a efecto entre la relajación de los sentimientos religiosos y la despoblación. En apoyo de esto viene la experiencia a confirmarnos que las provincias donde mejor se defiende el espíritu cristiano, como sucede en Bretaña, son también aquellas en que hay mayor número de nacimientos. Trabajar por descristianizar a Francia es por lo tanto lo mismo que trabajar indirectamente por despoblarla.» En Francia el año 1901 hubo 857.274 nacimientos; en 1902, 845.378; en 1903, 826.712; en 1904, 818.229; en 1905, 807.291; en 1906, 806.847 y en 1907, 773.969 y como en este último año las defunciones fueron 793.889 resulta que el año último el excedente de los muertos sobre los nacidos fué 19.920.

1 Cfr. Weiss, loc. cit. Conf. XV-XVIII.

2 Cfr. Balmes, *El Protestantismo*, c. 26. Idem, *La sociedad. Reflexiones sobre el celibato del clero*, praesertim § V. Theoriam Malthusianam refutatam invenies apud Weiss, loc. cit.; Rossignoli, *La familia, el trabajo*, etc.c. III, § 5; Ernesto Guitart, *Nociones de Economia social*, c. 34; Liberatore, *Principios de Economia Politica*, p. I. c. V.

3 Willems sect. II, c. II, § 1. pag. 380 in nota.

addantur, si placet, viri caelibes (apud nos an. 1900 recensiti sunt 149,275 quadragessimum aetatis annum excedentes, inter quos inveniuntur 33,275 e clero saeculari et 12,123 religiosi), et habebimus in sola Hispania nostra 587,428 mulieres innubas [1]. Hae autem strictum jus ad vitam habent. Possuntne licite privari medio ad illud apto et plenissima libertate amplexo, vel impedire quominus vitam honestam ducentes sese moraliter perficiant et prosint civitati?

7. Thesis III. Verus caelibatus per se praestantior est matrimonio.

Ante probationem notanda sunt thesis verba. Loquimur de *vero caelibatu* amore virtutis suscepto; nam abstinere a conjugio unius prout modernis hedonistis placet, ut liberius concupiscentiae fraena relaxent, est turpissimum meretricium. Secundo dicimus *per se*, hoc est, comparando *statum* caelibatus cum *statu* matrimoniali, non autem relate ad unam vel alteram personam determinatam. Potest enim conjugatus majorem consequi perfectionem quam caelebs; sed, ut peracute notat ***Angelicus***, perfectio alicujus personae non est sufficiens argumentum ad perfectionem status [2]. Non igitur, inquit ibidem, quia ***Abraham*** vel ***Moyses*** perfectior fuit multis qui continentiam servant, propter hoc status matrimonii est perfectior quam status continentiae, vel ei aequalis».

Haec conclusio militat imprimis contra *Jovinianum* et *Novatores* contendentes nuptias statui caelibatus pro Deo suscepto aequiparandas vel anteponendas esse. Ferit quoque, post Encyclopedistas ludibrio dantes Ordines Religiosos, Rationalistas et Liberales qui matrimonii praestantiam supra verum caelibatum extollunt, et eos qui, ulterius progredientes, caelibatum naturae repugnare arbitrantur. Ita in Hispania *Tubino, Rico, Xaverius Galvete* [3] aliique.

Prob. Ille status est per se excellentior in quo bonum divinum praefertur bono humano et bonum animae bono corporis; atqui «virginitas ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quod est cogitare *ea quae sunt Dei;* conjugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est multiplicatio generis humani, et pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogita-

---

1 Cfr. *Razón y Fe*, tom. XXV. pág. 148; Severino Aznar, *Las grandes instituciones del Catolicismo*, c. 7. In Belgio computantur 430.000 feminae caelibes vigessimum quintum aetatis annum excedentes.

2 *Contra Gent.*, lib. III, c. 137.

3 Cfr. *Fragmentos y ensayos* por Javier Galvete con una noticia bibliográfica crítica por Francisco de Asís Pacheco, Madrid 1879. *El Matrimonio y la familia.*

re *quae sunt mundi*» [1] : ergo cum «per continentiam homo reddatur habilior ad mentis elevationem in spiritualia et divina et quodammodo supra statum hominis ponatur in quadam similitudine Angelorum» [2], caelibatus per se praestantior est matrimonio. Virginitas est bona, ajebat *Chrysost.*, id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior; et istud tibi assentior; ac si libet illud adjungam *tanto nuptiis eam praestare quantum coelum terrae, quanto hominibus angeli antecellunt*» [3].

Haec ipsamet caelibatus praestantia supra statum matrimonialem clarius apparet relate ad societatem in quam conspicua bona ex eo derivantur. Nam *a)* perfectio intellectualis et moralis individuorum, ob quam veri caelibes continentiam amplectuntur, indirecte cedit in bonum societatis cujus sunt membra; *b)* aptiores redduntur ad alios disciplina instruendos; *c)* expediti ab innumeris familiae negotiis artium studio liberius mancipantur; *d)* alios juvant exemplo; *e)* gentium civilizationem ferventius procurant, uti Protestantes fatentur, si de Missionariis catholicis velint vera nuntiare [4].

Hinc Sacrosancta Tridentina Synodus, bonum tam individui quam societatis prospiciens, sequentem edidit canonem: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius et beatius manere in virginitate aut caelibatu quam jungi matrimonio, anathema sit* [5].

8. **Neo-Malthusiani.** Ex alio capite directe adversantur non tantum sanctitati Matrimonii, sed etiam bono communi societatis quidam philosophi recentiores praesertim ex schola Anarchistarum. Ut enim societatem actualem securius evertant, matrimonium recusant, amoremque liberum proclamantes, filiorum procreationem damnant. Inter alios nominatos reperies ***Ludov. Bulffi, Paul. Robin, P. Vallina,*** et ***Mathaeum Morral*** [6]. Verum post dicta, nihil est addendum. Cf. § 1.

9. **Objicies.** I. Bonum commune potius est bono privato, quia, ut di-

1 II-II. q. CLII. a. 4.

2 *Contra Gent.*, loc. cit.

3 Lib. *de Virginitate.*

4 Cfr. Lacordaire, Confer. XXI-XXXVI; De los efectos de la doctrina católica sobre el alma y en la sociedad; Monsabré, Conf. XC. *El celibato y la Virginidad.*

5 *Sess.* XXIV. can. 10.

6 «Declaremos el *boycot* a la actual sociedad burguesa, exclama Luis Bulffi, no favoreciendo al Estado dándole nuestros hijos, proclamando la huelga de vientres.» *Huelga de vientres*, núm. 4. Biblioteca de Amor y maternidad libres, Porto 1906. El tristemente célebre Mateo Morral tradujo del francés el folleto titulado *Generación voluntaria*. En favor de los neomalthusianos hizo campaña el periódico de París *La Regeneración*. Estas doctrinas han dado ya sus frutos en Francia, donde nacieron. Según *L'aurore medicale*, hay en Francia más de 2.700.000 solteros mayores de 30 años; 1.804,714 familias que no tienen hijos; 2.954,830 familias que solo tienen un hijo; 2.661,987 con dos hijos; 1.643,415 con tres; 987,392 con cuatro y 566,768 con cinco, siendo muy pocas las que tienen más.

cit Philos. I Eth., c. II, *bonum gentis est divinius quam bonum unius hominis*. Sed conjugium ordinatur ad bonum commune, caelibatus ad bonum privatum; ergo.

Resp. Dist. maj. Bonum commune potius est bono privato, *si sit ejusdem generis*, concedo; secus, nego. Nam potest esse quod bonum privatum sit melius secundum suum genus. Et hoc modo, inquit *S. Doctor*, virginitas Deo dicata praefertur fecunditati carnali [1]. Et ad minorem quantum ad secundam partem: caelibatus ordinatur ad bonum privatum et simul ad bonum societatis, concedo; ad bonum privatum tantum, nego. Patet ex dictis.

II. Resistere omnino concupiscentiis et quasi continuam pugnam habere majorem inquietudinem in animo generat quam si aliquis moderate concupiscentiis uteretur; ergo praeferendus est status matrimonialis.

Nego antec et conseq. Audiatur *S. Th.*, qui has objectiones pluresque alias jam praeoccupaverat: «Sollicitudo et occupatio, quam habent hi qui conjugio utuntur de uxoribus, filiis et necessariis vitae acquirendis, est continua; inquietatio autem, quam homo patitur ex pugna concupiscentiarum, est ad aliquam horam, quae etiam minoratur per hoc quod eis aliquis non consentit; nam quanto magis aliquis delectabilibus utitur tanto magis crescit in eo delectabilis appetitus... Usus etiam corporalium delectabilium magis abducit mentem a sua altitudine et impedit a contemplatione spiritualium quam inquietudo quae provenit in resistendo concupiscentiis horum delectabilium» [2].

Hucusque de sanctitate matrimonii prout est in officio naturae.

---

1 II-II. loc. cit. ad 3. Bonum commune ad quod ordinatur matrimonium est ordinis naturalis; caelibatus propter Deum susceptus est bonum gratiae. Porro, ajente Angelico Praeceptore, «bonum universi est majus quam bonum particulare unius, si accipiantur utrumque in eodem genere. Sed bonum gratiae unius majus est quam bonum naturae totius universi.» I-II, q. CXIII, a. 9 ad 2.

2 *Contra Gent.*, loc. cit. ad 5.

§ 3

DE SANCTITATE MATRIMONII QUATENUS EST SACRAMENTUM ET DE POTESTATE EIDEM APPONENDI IMPEDIMENTA [1].

Summa rerum.—I. *Errores.* 2. Thesis I. *Matrimonium inter christianos legitime celebratum est verum sacramentum.* 3. Thesis II. *Contractus matrimonialis inter christianos ita est inseparabilis....* Probatur. 4. *Minister, materia et forma hujus sacramenti.* 5. Thesis III. *Ad solam Ecclesiam..... Errores* (Novatores, Regalistae, Naturalistae, Communistae, Liberales, fauctores matrimonii civilis). — *Praenotanda* (impedimenta; — effectus matrimonii; causae matrimoniales, civiles; declaratur thesis). Probatur. 6. *Alia quaestio: — duplex sententia; — opinio Card. Zigliara.* 7. *Praenotanda* – (quae certo tenenda). 8. Thesis. *Principibus saecularibus competit facultas judicandi causas matrimoniales subditorum infidelium necnon impedimenta dirimentia statuendi, dummodo sint rationabilia et legi naturae consona.* 9. *Objectiones.*

1. **Errores.** Praeter Gnosticos et Manichaeos, Novatores veram rationem Sacramenti contractui matrimoniali denegarunt. Deinde, *Marcus Ant. de Dominis, J. Launoy et Regalistae,* hisque temporibus *J. Nuytz* in regio athaeneo Taurinensi professor et Pseudopolitici docuerunt sacramentum esse quid contractui accessorium ab eoque separabile, ita ut, vi contractus civilis, verum possit existere matrimonium inter christianos quin sit sacramentum. Ex quo profluit matrimonium suapte natura potestati civili esse subjectum proindeque Status posse impedimenta dirimentia statuere. Ita, praeter citatos auctores, *Kemnitz, Litta, Nestius, Oberhânser* aliique.

2. **Thesis I. Matrimonium inter Christianos legitime celebratum est Sacramentum.**

«Ob hanc causam, ait Leo XIII, quia est sacrum signum et efficiens gratiam et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia» [2].

1 Cfr. D. Th., *Supplem.*, q. XLII et sqq.; q. L; *Quolibet.* V. a. 15; Victoria, *Relect. de Matrimonio*, p. II; Bellarminus, loc. cit. c. 32; Liberius a Jesu, Disput. V; Billuart, Diss. VI. a. 2; Perrone, lib. II; Reiffenstuel, tom. IV.; Schmalzgrueber, p. I, Tit. I, sect. II et III; De Angelis, tom. III. Tit. I; Gasparri, *Tract. Canonicus de Matrimonio* (Paris 1890); Cavagnis, *Instit. Jur. public.*, lib. V; Wernz, S. J., *Jus Decretalium*, tom. IV, *Jus matrimoniale* (Romae 1904); Philosophi alias cit.

2 Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

3. **Thesis II. Contractus matrimonialis inter Christianos ita est inseparabilis a ratione sacramenti ut non possit dari matrimonialis contractus quin eo ipso sit simul sacramentum** [1].

Ratio est quia matrimonium ad dignitatem sacramenti est evectum a *D. N. J. Christo;* unde sacramentum nequit esse qualitas accidentalis contractui supperaddita, sed est *de ipsa essentia* matrimonii [2].

4. Id quoque constat ex doctrina communi circa *ministrum, materiam et formam* hujus sacramenti.

Quoad ministrum. Praeeunte *Melchiore Cano,* aliqui theologi, inter quos *Sylvius, Tournely, Estius, Juenin, Collet* et recentius *Knoll,* docuerunt non ipsos contrahentes, sed sacerdotem nuptias benedicentem esse ministrum matrimonii.

Verum certa, antiqua et communis theologorum sententia tenet ipsos contrahentes esse ministros sacramenti, quippe qui perficiunt contractum. Consensus expressus per verba de praesenti, ait *D. Th.,* inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit; quia haec duo sunt *de essentia sacramenti;* alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat» [3].

Materia *remota* est jus in corpora ipsorum contrahentium in ordine ad prolis generationem; *proxima* consensus, prout mutuam corporum traditionem exprimit; *forma* vero ipsemet consensus, quatenus corporum acceptationem significat.

5. **Thesis III. Ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertinet statuendi impedimenta matrimonium dirimentia et judicandi causas quae matrimonii vinculum respiciunt.**

Errores. Praeter *Lutherum, Calvinum* aliosque *Novatores,* qui matrimonialem contractum a numero sacramentorum expungentes, potestatem statuendi impedimenta Ecclesiae denegarunt, *Regalistae* et *theologi aulici* «contractum nuptialem a sacramento disjungunt, eo sane consilio, ut Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potesta-

1 In Syllabo damnantur hae duae propositiones: Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est (Prop. 66). Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum si Sacramentum excludatur. (Prop. 73.)

2 Documenta ecclesiastica praesto sunt. Lege litteras Pii IX ad Regem Sardiniae 19 Sept. 1852; *Allocut.* 27 Sept. ejusdem anni et *Encycl.* Leon. XIII, *Arcanum.*

3 *Supplem.*, q. XLV. a. 5. Cfr. Joan. Bapt. Sasse, S. J., *Instit. Theolog. de Sacram. Ecclesiae* (Frib. Brisgoviae 1898), *Tract. de Matrim.*, sect. I, c. II, Thes. II; Carriére, n. 64-90.

tem arbitriumque principum civitatis» [1]. Pari modo Naturalistae, «cum familiae et totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum jurisdictioni Ecclesiae subesse nullo modo patiuntur, imo dejicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quae auctoribus hominibus institutae sunt, et jure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat *ut principibus reipublicae jus in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiae esse decernerent; quae si quando potestatem ejus generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut injuria factum.* Sed jam tempus esse, inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, idem sua jura fortiter vindicent, atque omnem conjugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur» [2]. Eadem repetunt nostris hisce diebus Communistae, Socialistae, Liberales et quotquot patrocinium suscipiunt *matrimonii civilis*.

Praenotanda. Impedimenta sunt quaedam obstacula quae prohibent ne matrimonium rite contrahi possit. Vocantur *dirimentia* quae irritum seu invalidum, *impedientia* quae illicitum tantum reddunt contractum nuptialem.

Inter *effectus matrimonii*, qui ex ipsa nempe conjugii natura profluunt, computantur *a)* vinculum indissolubile, *b)* mutua in corpora juris translatio, *c)* fidelitas servanda, *d)* obligatio cohabitandi prolemque susceptam educandi.

Venitun nomine *effectuum civilium* qui ab ipsa contractus substantia separabiles sunt; inter alia, uxoris dotatio, successio haereditaria, temporalium bonorum regimen, legitimatio prolis in foro civili, etc.

Hinc *causae matrimoniales* dicuntur quae respiciunt vinculum, vel *antecedenter*, ut sponsalium valor, obligatio et resolutio, impedimenta eorumque relaxatio, vel *concomitanter*, ut valor conditionesque consensus, vel *consequenter*, ut divortium, prolis legitimatio et quaedam alia.

Causae vero civiles quae connexionem quidem habent cum matrimonio sed respiciunt directe et immediate res temporales et politicas, uti quae moventur super dote, successione etc.

Quibus positis, edicimus ad solam Ecclesiam jus omne quoad impedimenta causasque matrimoniales, vinculum et substantiam contractus respicientes, natura sua pertinere.—Sed simul non ignoramus nec diffitemur «sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur, de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui reipublicae praesunt» [3].

1 Leo XIII, *Arcanum*.
2 Ib. Cfr. Audisio, *Juris Naturae et Gent. Fundam.*, lib III. Tit. XIV.
3 Leo XIII, *Arcanum*.

Probatur thesis rationibus allatis a Leone XIII in praelaudata Encyclica.

a) «Cum matrimonium habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum... Testantur et monumenta antiquitatis et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore juris et aequitatis cognitione praestiterant.... Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt.... Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur, non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium».

b) «Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere ita ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam».

c) «Postremo magnum pondus est, magna vis historiae qua luculenter docemur potestatem legiferam et judicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse» [1].

6. **Alia quaestio.** Post dicta de contractu nuptiali inter Christianos, ad Jus Sociale spectat investigare *an matrimonia infidelium principum saecularium potestati subjiciantur ita ut impedimenta dirimentia eisdem apponere et de eorumdem causis judicare valeant.*

Duplex sententia. Veteres theologi et canonistae communiter, et ex recentioribus plurimi [2], opinantur posse principem saecularem impedimenta dirimentia statuere et judicare de causis matrimonialibus subditorum non baptizatorum. Alii, inter quos *Perrone* [3], *Feije* [4] et *Liberatore* [5], ne princi-

1 Encycl. *Arcanum*. Legatur tota. Merito ergo proscribuntur in Syllabo sequentes propos.: *Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt* (prop. 68). *Causae matrimoniales et sponsalia, suapte natura, ad forum civile pertinent* (prop. 74). Cfr. *Conc. Trid. Sess.* XXIV. c. 4. et 12; D. Th., *Quodlib.* V, a. 15 ad 1.

2 Cfr. *Salmantic.*, Trat. IX, c. XI, Dub. II. n. 14-18; Schmalzgrueber, loc. cit. n. 367; Gasparri, n. 287 et sqq.; Cavagnis, loc. cit, n. 185; Sasse, *De matrim.* sect. III, c. I; Tanquerey, n. 819; Willems, sect. II, § 1. a. 1.

3 *De matrim. christ.*, lib. II, sect. alt. c. III, n. 439.

4 *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, n. 67 (ed. 3.ª Lovanii 1885).

5 *Jus Nat.*, p. II, c. I, a. 4; cfr. etiam Lehmkuhl, in nota ad loc. cit. Sasse, pag. 467.

pibus saecularibus ansam praebeant sese in matrimoniis christianorum immiscendi, nullam eisdem concedunt potestatem quoad matrimonia infidelium praeter eam, qua judicare valent de eorumdem relationibus extrinsecis seu de effectibus civilibus. *Em. Card. Zigliara* distinguendo docet *vinculum matrimoniale* nulla ratione subjici potestati civili; quoad *impedimenta* vero auctoritatem civilem posse *determinare* ea quae natura indeterminate praecipit, at exclusive in ordine ad bonum commune [1].

7. **Praenotanda.** Ut a dubiis certa secernantur prae oculis haberi oportet *a)* matrimonium infidelium non esse proprie sacramentum, quamvis sit, etiam ut merus contractus naturalis, quid religiosum. Relate igitur ad potestatem qua moderandus est hujusmodi contractus non potest induci, saltem in eodem gradu probationis, ratio vigens pro matrimoniis christianorum, in quibus separari nequit contractus a ratione sacramenti; *b)* commune esse apud philosophos posse principem saecularem prohibere nuptias infidelium quas communi bono noxias invenerit, et inobedientes poenis temporalibus coerceri. Id exigit bonum reipublicae; *c)* cum matrimonium sit in praecepto naturae quoad individua indeterminate sumpta, in jure autem naturali uniuscujusque eidem praecepto respondere vel non, clare constare principes saeculares non posse quemquam ad matrimonium contrahendum vel ad virginitatem servandam obligare [2]; *d)* matrimonium jam rite contractum seu *quoad esse* potestati civili subtrahi quoque debere, quia vinculum jure naturae est indissolubile; *e)* subditos contrahentes non teneri eidem auctoritati obedire, sicut nec servos dominis nec parentibus filios, quoad prolis generationem.

8. His libenter concessis, veterum theologorum sententiam ceu *probabiliorem* defendimus [3].

Thesis. Principibus saecularibus competit facultas judicandi causas matrimoniales subditorum infidelium nec non impedimenta dirimentia statuendi, dummodo sint rationabilia et legi naturae consona.

Prob. Si matrimonia infidelium principum potestati subtrahuntur haud satis providetur bono communi. Nam lex naturae, cum certam formam in concreto minime praescribat, per se non sufficit ad avertenda mala omnia quae ex matrimoniis arbitrio initis et nulla lege positiva regulatis in societatem dirivantur. Sic Ecclesia plura condi-

1 *Jus Nat.*, lib. II, c. I, a. 3.

2 Cfr. S. Th., II-II, q. CIV, a. 5.

3 Cfr. *S. Congreg. de Propag. Fide* in Instruct. edita an. 1821, et Rescript. S. Offic., Sept. 20 1854.

dit impedimenta dirimentia ad tuendum bonum commune familiae et reipublicae, quae tamen, inspecta lege naturali necnon positiva divina, nullatenus irritum faciunt contractum, cujusmodi sunt clandestinitas, cognatio, affinitas etc. Ergo necesse est ut alicui humanae auctoritati hujusmodi matrimonia subdantur. Atqui Ecclesia nullam exercet directam auctoritatem in praefata matrimonia; et aliunde, quamvis inter paganos ritu quodam sacro nuptiae celebrentur, nullam praeter saecularem agnoscitur potestas; ergo si ad bonum commune expediat prohibere matrimonia inter determinatas personas, id in jure principum est, quibus cura committitur boni communis.

Confirmatur verbis et ratione *S. Th.* «Personae illegitimae ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quod sunt contra legem qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem, in quantum est in officium naturae, statuitur lege naturae; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino; in quantum est in officium communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet istarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima» [1].

Nec potest dici cum *Em. Card. Zigliara*, ex *S. Thomae* sententia matrimonium potestati civili subjici tantum quod *effectus civiles*, non autem quod *vinculum;* namque si, juxta litteram *Angelici Doctoris*, ex lege civili aliqua persona potest effici illegitima ad matrimonium, planum est potestatem civilem, salvo jure naturae, posse impedimenta apponere determinando indeterminata a lege naturae, et ideo in matrimonium influere et de causis matrimonialibus recognoscere.

9. **Dices.** Ea quae sunt in individuo de jure vel officio naturae non subjacent potestati civili, sed legi naturae et soli Deo. Atqui matrimonium est in individuo de jure et officio naturae. Ergo matrimonium non subjacet potestati civili. Ita *Zigliara*.

Resp. dist. maj., quatenus sunt de jure et officio naturae non subjacent potestati civili ut contra agat, conc.; ut ipsa determinet et, quo melius tueantur, moderetur, nego. Et dist. min. Matrimonium quoad *esse* est de jure vel officio naturae, conc., in fieri, nego. Est quidem in officio naturae quatenus natura hominis indeterminate sumptos inclinat ad conservationem speciei; de jure autem in quantum nemo potest obligari ad matrimonium contrahendum vel caelibatum servandum. In fieri tamen dependet a libero contrahentium consensu, et ideo, quamvis civilis auctoritas nequeat quemquam obligare ad contrahendum vel non, potest hujusmodi contractum liberum regulare, si id expostulet bonum commune, quod est limes ipsius auctoritatis.

Instabis cum eodem *Auct.* Lex naturae inviolabilis est ut genus huma-

---

1 IV *Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 1 ad 4. Cfr. D. Th., ib. Dist. XXXIX, q. I, a. 2 ad 3; Liberius a Jesu, op. cit. Tract. VIII, Disp. V. Controv. II.

num propagetur. Sicut ergo a potestate civili est omnino independens lex de propagatione generis humani, ita est ab ipsa independens *medium* a natura statutum ad eamdem propagationem, nempe matrimonium.

Resp. concesso antec., nego conseq. et paritatem; vel si mavis, subdist. conseq. Lex propagationis generis humani est a lege civili independens, quatenus non potest quemquam obligare ad matrimonium ineundum, vel, contractu inito, generationem prolis limitare vel omnino prohibere, conc.; quatenus non possit speciem ullam contractus impedire aut moderare, nego. Negavi quoque paritatem, quia, quae ad prolem spectant, respiciunt matrimonium quoad esse et jam contractum, non autem in fieri.

Ceterum, hae similesque objectiones, quas adversarii opponere solent, aeque urgeri possunt contra jus Ecclesiae catholicae apponendi impedimenta matrimoniis christianorum.

§ 4

DE UNITATE MATRIMONII [1].

Summa rerum. 1. *Quid sit monogamia, polyandria et polygamia.* 2. *An licita sit tum polyandria tum polygamia successiva.* 3. *An simultanea.*—Thesis I. Prob. 4. Thesis II. *Errores.*—Probatur thesis. 5. *A quo et qua ratione dispensari possit in lege de unitate matrimonii.* 6. *Regula generalis ad certum judicium ferendum de iis quae in matrimonio lege naturae adversantur.*

1. Unitas matrimonii, quae et *monogamia* dicitur, consistit in conjunctione unius viri cum una muliere.

Huic unitati opponitur tum *polyandria* seu conjunctio unius uxoris cum pluribus viris, tum *polygamia* seu *polygynia,* unio scilicet unius viri cum pluribus uxoribus. Utraque potest esse *successiva* vel *simultanea,* quatenus, priori vinculo soluto vel eodem permanente, ulteriores contrahuntur nuptiae.

2. De polyandria et polygamia *successiva* nulla est quaestio. Nam licet *Montanistae,* quibus adhaesit *Tertullianus,* et *Novatiani* secundas et ulteriores nuptias tanquam jure divino illicitas damnaverint, nihilominus naturalem earumdem honestatem communi calculo probant omnes cordati philosophi [2].

---

1 Cfr. D. Th. *Supplem.*, q. LXV, D. Aug., *De doctr. christ.*, c. XII; *de bono conjugali*, c. XVII; Liberius a Jesu, Disp. III. Controv. I-IV; Bellarminus, loc. cit. c. X et XI; Perrone, lib. III, c. 1; Carriére, n. 172-210; Monsabré, Conf. LXXXVI.

2 Cfr. D. Th. *Supplem.*, q. LXIII, a. 1. De simultanea cfr. *Contra Gent.*, lib. III, c. 124.

3. **Thesis I. Polyandria simultanea juri naturae plane adversatur.**

Prob. Simultanea unius uxoris cum pluribus viris conjunctio adversatur praecipuis matrimonii finibus; nam *a)* per carnale commercium cum pluribus viris mulieris fecunditas vel omnino destruitur vel saltem maxime minuitur; opponitur ergo *procreationi* prolis; *b)* «ex hoc quod una mulier plures maritos haberet sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cujus cura necessaria est in educando»[1]; adversatur igitur prolis *educationi; c)* penitus destrueretur totum societatis domesticae gubernium, multiplicatis capitibus per polyandriam simultaneam; «et ideo nulla lege, vel consuetudine est permissum, inquit *D. Th.*, unam mulierem habere plures viros»[2], sed prostitutio, quae ad polyandriam maxime accedit, indecora infamiae nota apud gentes etiam perditissimas affecta est.

4. **Thesis II. Polygamia simultanea juri naturali secundario repugnat.**

Errores. *Lutherus*, cui plures Protestantes adhaeserunt, docuit polygamiam nulli juri naturali adversari, sed licitam esse etiam sub *Evangelica lege;* quamobrem, assentientibus *Melanchtone* et *Bucero*, indulsit *Philippo Landgravio Hessiae*, ut, prima vivente conjuge, aliam duceret. Eamdem sententiam tuiti sunt *Anabaptistae* et nostro saeculo *Mormones*. Ex adverso *Calvinus* propugnavit polygamiam simultaneam in se illicitam fuisse omni tempore, ideoque veteres Patriarchas reos adulterii traducit. Inter catholicos *Aureolus* contendit polygamiam simultaneam esse contra primarium naturae jus, proindeque nullam dispensationem ibidem cadere posse. *Durandus* e contra cum aliis paucis docet habere plures uxores nulli legi naturali adversari.

Communis tamen sententia, quam tuemur, praeeunte *Angelico Doctore*, tenet polygamiam simultaneam esse primaevae institutioni matrimonii contrariam, Patriarchis post diluvium permissam et legi naturae, non quantum ad prima praecepta ejus, sed quantum ad secunda, quae quasi conclusiones a primis praeceptis derivantur, adversam, et in quibus a Deo, et ab ipso tantum, dari potest dispensatio.

Probatur thesis. Polygamia simultanea juri naturae primario non adversatur bene vero secundario, si finem principalem matrimonii salvans, nocet secundario; atqui ita res se habet. Ergo.

«Pluralitas uxorum, inquit *D. Th.*, neque totaliter tollit neque ali-

1 *Supplem.*, q. LXV. a. 1 ad 8.
2 Ib.

qualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis et educandis filiis ex eis natis. Sed secundarium finem, etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem; sicut figuli corrixantur ad invicem et similiter plures uxores unius viri»[1].

5. Ex quo legitime infertur quod, cum lex de unitate uxoris non sit humanitus, sed divinitus instituta, nec primis, sed secundariis tantum legis naturae praeceptis adversa, «in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam; quae quidem principaliter patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore quo oportebat praedictum naturae praeceptum praetermittendi, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae. *Semper enim principalior finis magis observandus est quam secundarius.* Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire: ad quod removendum praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur»[2].

6. Demum, ad judicandum quae lege naturae prohibeantur in matrimonio esto regula ex *Angelico* desumpta: «*Omne illud quod actionem inconvenientem reddit fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur.*

Potest autem actio esse conveniens fini vel *principali* vel *secundario;* et sive sic, sive sic, hoc contingit dupliciter: *uno modo* ex aliquo, quod *omnino impedit finem....; alio modo* ex aliquo quod facit *difficilem* aut *minus decentem* perventionem ad finem principalem vel secundarium. *Si ergo actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem,* directe per legem naturae prohibetur primis praeceptis legis naturae, quae sunt in operabilibus sicut communes animi conceptiones in speculativis: *si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo aut etiam principali ut faciens difficilem vel minus congruam perventionem ad ipsum,* prohibetur, non quidem primis praeceptis legis naturae, sed secundis, quae ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent; et sic dicta actio contra legem naturae esse dicitur»[3].

1 Loc. cit. a. 1.
2 D. Th., ib. a. 2.
3 Ib. a. 1.

§ 5

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII [1]

Summa rerum. 1. *Quid sit indissolubilitas. -- Divortium quotuplex. Restringitur quaestio.* 2. *Errores.* 3. Thesis.—Fuse probatur haec thesis maximi momenti. 4. *Bona ex vinculi perpetuitate.* 5. *Mala ex divortio obvenientia.* 6. *Objectiones.* 7. *Duo inferenda.*

1. *Indissolubilitas matrimonii* illam non modo diuturnam sed perpetuam quoque viri et mulieris conjunctionem significat, qua vinculum inde resultans rescindi nequeat quoadusque alter vita decedat.

Huic indissolubilitati opponitur *divortium* quod in *perfectum*, seu *plenum* et in *imperfectum* distrahi solet. Primum, quo matrimonialis unio ita solvitur ut conjuges ad novas nuptias transire possint, vocatur etiam divortium *quoad vinculum*. Alterum quo, manente conjugali vinculo, vir ab uxore, aut vicissim, discedit *quoad habitationem* et *thorum*, ita tamen ut sine adulterii crimine neutri fas sit novas nuptias inire, dicitur *separatio*. Hic autem de divortio proprie dicto, seu quoad vinculum, quaestionem movemus. Constat quippe conjuges ad tempus vel etiam perpetuo separari posse quoad habitationem et thorum, vel ex mutuo consensu, vel etiam judicis sententia ob violatam fidem conjugalem vel propter alias gravissimas causas. Sed quod attinet vinculum ipsum conjugale censemus jure naturae saltem secundario esse indissolubile, adeo ut nulla humana potestas valeat idipsum unquam solvere vel infirmare.

2. **Errores.** Nihilominus plerique philosophi ethnici, imo leges Imperii, admisserunt liceitatem divortii [2]. *Protestantes* et *Schismatici Graeci* docent matrimonium quoad vinculum solvi posse quibusdam in casibus, v. gr. per obstinatam discessionem, vel adulterium alterutrius conjugis. *Galluppius* ratus est in codice legis naturalis indissolubilitatem matrimonii minime reperiri. *Genuensis* pariter scripsit nullum pactum lege naturae posse esse indissolubile. Recentiores *Rationalistae* et *Saint Simoniani*,

1 Cfr. D. Th., *Supplem.*, q. LXVII. a. 1 et 2; *Contra Gent.*, lib. III, c. 123; Liberius a Jesu, Disp. IV, Controv. I-V; Bellarm., c. XVI; Carriére, n. 211-359; Palmieri, Thes. XVI; Perujo, *El matrimonio católico y el matrimonio civil*, c. V y IX; Roselli, *Ethica* q., XII. a. 2; Taparelli, *Ensayo*, lib. VII, a. 2. § 3. Felix, *El Progreso*. Confer. IV. de 1860; Monsabré, Confer. LXXXVII; Fonsegrive, *Mariage et union libre*, pag. 90 et sqq. (Paris 1904); Cathrein, lib. II, c. II. § 4; Ferretti, c. III. a. 3; Farges et Barbedette, lib. II, c. 1, a. 1; Rossignoli, *La familia, etc.*, c. 3.

2 Sic lex *Poppea* (c. XIII) et in *Julia de Adulteriis* approbatur divortium dummodo adsint septem cives qui illud renuntient.

necnon *Politici Liberales* divortium non modo licitum sed utile quoque reputant, eorumque praesertim opera et conatu in pluribus civitatibus conditae fuere leges divortium permittentes. Item *Evolutionistae*, ut *Ferrari, Morelli, Naquet, Paul, Alex. Dumas, Victor Margaritte, Bachofen, Fr. Schultze, Bebel* et *Socialistae* communiter [1]. Obstitit tamen Ecclesia Catholica [2], cui ex animo adhaerentes sequentem statuimus thesim.

3. **Matrimonii vinculum jure naturali saltem secundario est indissolubile, proinde divortium eidem juri naturali repugnat.**

Consulto dicimus indissolubilitatem juri naturali *saltem secundario* inniti, id enim satis esse debet cuilibet ratiocinanti ad divortium prorsus rejiciendum. Fuerunt theologi qui cum ***Sanchez, Bellarmino*** et ***Swartz*** negarunt divortium solo jure naturali prohiberi. Communiter vero recentiores cum *S. Thoma* distinguunt inter jus naturae primarium et secundarium docentque inseparabilitatem esse de secunda intentione matrimonii prout est in officium naturae [3], ut loquitur ***Angelicus,*** ideoque divortium non esse contra prima, sed contra secunda legis naturae praecepta.

Probatur thesis. Vinculum conjugale eam expostulat jure naturae firmitatem quae necessaria est ad bona, ad quae ex intentione naturae ordinatur, consequenda; atqui *a)* ad unionem et felicitatem conjugum, *b)* ad perfectam prolis educationem et *c)* ad bonum societatis, fines scilicet secundarios matrimonii, necessaria est non modo diuturna sed constans et perpetua viri et mulieris conjunctio; ergo vinculum maritale est jure naturae saltem secundario indissolubile, proindeque divortium tanquam eidem juri repugnans prorsus rejiciendum est.

a) Felicitas matrimonii in eo potissimum consistit quod conjuges amore perpetuo invicem ita uniantur ut sint unum cor et anima una. Ubi enim amor est, levia prorsus reputantur vitae maritalis incommoda, at ubi deest, intolerabilis prorsus fit vita communis; atqui amor aeternus, quem sibi mutuo veri spondent amatores, exigit vinculum indissolubile. Ergo. [4]

1 El programa socialista de Erfurt (1898) exige «la abolición de toda ley que subordine la mujer al hombre en sus relaciones jurídicas, públicas o privadas.» Y Bebel dice: «esta alianza es un contrato privado sin intervención de funcionario alguno, como lo fué hasta bien entrada la Edad Media.... Que brota entre los conyuges la antipatía, el desengaño, la animadversión, pues entonces la moral manda disolver el nudo que se ha hecho antinatural y por lo mismo inmoral.» Apud Cathrein, *El socialismo*, pág. 337. Aboga tambien por el divorcio y la emancipación de la mujer la Condesa de Avila (D.ª Eulalia, hija de D.ª Isabel de Borbón) en su libro *Au fil de la vie* (1912).

2 «Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.» Propos. 67 Syllabi.

3 *Supplem.*, q. LXVII. a. 2 ad 3.

4 Legatur D. Th., *Contra Gent.*, lib. III, c. 123.

b) Ad perfectam prolis educationem requiruntur non tantum providens et tenera matris cura, sed patris quoque materiales suppetiae moralisque potentia; nam, crescentibus filiis, ad eos in ordine continendos nec sufficit materna suavitas, nec patris severitas, sed utrumque simul desideratur; id autem exigit perpetuam et indivissibilem conjugum vitam [1].

c) Bonum quippe societatis maxime in pace et tranquillitate familiarum consistit. Sed si matrimonium ad arbitrium alterius contrahentis dissolubile supponitur, uti lugenda experientia testatur, jurgiorum et dissensionum fons aperitur vitaque domestica intolerabilis evadit; ergo bonum commune societatis expostulat ut minima quoque separationis probabilitas inter conjuges removeatur ut amor conjugalis, pax et tranquillitas, necnon morum honestas foveantur.

4. *Angelicus Doctor,* enumerans bona quae ex indissolubilitate matrimonii sequuntur, scribit: «Conjunctio maris et feminae non solum sic est ordinata legibus secundum quod ad prolem generandam pertinet, ut est in aliis animalibus, sed etiam secundum quod convenit *ad bonos mores,* quos ratio recta disponit, vel quantum ad hominem secundum se, vel secundum quod homo est pars domesticae familiae aut civilis societatis. *Ad quos quidem bonos mores pertinet individua conjunctio maris et feminae;* sic enim *a)* fidelior amor unius ad alterum erit, dum cognoscunt se indivissibiliter conjunctos: erit etiam *b)* utriusque sollicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuo commansuros in earumdem rerum possessione aestimant: *c)* subtrahuntur etiam ex hoc discordiarum origines, quas oporteret accidere, si vir uxorem dimitteret, inter eos et propinquos uxoris, et *d)* firmior inter affines dilectio: *e)* tolluntur etiam adulteriorum occasiones, quae darentur, si vir uxorem dimittere posset aut et converso; per hoc enim daretur via facilior sollicitandi matrimonia aliena» [2].

5. At vero «*quanti materiam mali* in se divortia contineant, vix attinet dicere, inquit ***Leo XIII;*** eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur: minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidine vitiorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias frangendasque regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile

1 Cfr. *Supplem.*, q. LXVII, a. 1; De Bonald, *Du divorce considéré au* XIX *siècle*, pag. 223.

2 *Contra Gent.*, loc. cit.

perspicitur prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia» [1].

6. **Objicies I.** Adulterium adeo turpe et nefandum crimen inter gentes honestas reputatur, ut poena proportionata eaque sola sit vinculi solutio. Ita Protestantes.

Resp. Fatemur equidem gravissimum esse peccatum crimen infidelitatis conjugalis. Verum si adulterium esset causa per se sufficiens ad solvendum vinculum, haud raro divortii obtinendi causa, adulteria committerentur. Morum igitur honestas expostulat ut conjuges pacifice convivant, resipiscente adultero condonataque injuria, vel separentur quoad thorum et habitationem, sed absque ulla spe novas nuptias ineundi, nam separationis probabilitas scelestos auget mores multiplicatque divortia [2].

II. Ex matrimonio principaliter quaeritur bonum prolis. Sed inseparabilitas matrimonii est contra bonum prolis, quia, ut dicunt philosophi, aliquis vir non potest ex aliqua femina prolem accipere, qui tamen ex alia accipere posset, et vicissim. Ergo inseparabilitas matrimonii magis est contra legem naturae quam de lege naturae.

Haec objectio a Rationalistis saepius recocta ut nuptiale foedus rescindant ubi alterutrius conjugis sterilitas sat ab altero probata est, aut filii ex matrimonio vita decesserunt, sibi jam proposuerat *Angelicus* atque hisce verbis peracute enodavit difficultatem.

«Dicendum quod matrimonium principaliter ordinatur ad bonum commune, ratione principalis finis, qui est bonum prolis; quamvis etiam ratione finis secundarii ordinetur ad bonum personae matrimonium contrahentis, prout per se est in remedium concupiscentiae. Et ideo in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat quam quid uni competere possit. Quamvis matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis in aliquo homine, tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter» [3]. Est ergo fallacia ab eo quod est *per accidens* ad id quod est *per se*.

Eamdem praebe responsionem iis qui, continuas quorumdam matrimoniorum dissensiones videntes, falsa miseratione commoti opinantur melius esse vinculum maritale disrumpere novumque foedus inire quam vitam per-

---

1 *Encycl. Arcanum.* Similia habet in *Encycl. Longinqua* ad Episcopos Stat. Foederat. Americae, 6 Januarii 1895.

2 Id statisticae demonstrant. Nam divortiorum numerus nimis increscit in illis regionibus in quibus leges civiles illud permittunt. Sic in Gallia cum, agente Naquet, leges prohibentes divortium relaxatae sunt, an 1883 recensebantur 1659 divortia, anno vero 1885 ascenderunt ad 4.123 et successive an. 1890 ad 6.657; 1902 ad 8.431; 1905 ad 10.019 et 1908 ad 11.515. *Année Social Internat.* Action Populaire, pag. 204.

En Berlin, por 1.000 matrimonios católicos se dan 9,6 divorcios; 26,7 en los protestantes y 40 en los matrimonios mixtos. *Le Patriote*, Bruxelles 13 Dec. 1908.

En los Estados Unidos contáronse 19,663 divorcios el año 1880; subieron a 25,523 el año 1886; a 60,000 en 1903 y el año 1912, según *La Ciencia Tomista* (año IV. pág. 155), hubo 100,000 divorcios. Cfr. Tanquerey, *Synopsis Theolog. Mor. De matrim.* n. 721 in nota; La Paquerie, *Apol. Dios y la religión*, n. 298 y sigs.; *El Monte Carmelo*, año 1911, pág. 654.

3 *Supplem.*, loc. cit. ad 4.

petuo miseram et prorsus intolerabilem ducere. Bonum quippe commune praeferendum est bono privato Si ergo permitteretur divortium ob continuas conjugum rixas vitaeque domesticae infortunia, multa mala inde societati provenirent; expedit igitur ad bonum publicum ut vinculum conjugale indisruptum permaneat, quamvis ex hac indissolubilitate quidam multa mala pati cogantur.

III. Sat est ut matrimonium indissolubile perseveret quandiu proles indiget cura parentum; ergo, crescentibus filiis, non amplius viget ratio indissolubilitatis.

Resp. Neg. antecedens et conseq. Adversarii supponunt unicam rationem vincientem conjuges ad convivendum cum prohibitione novas nuptias ineundi esse necessitatem educandi prolem. At in hoc vehementer falluntur. Inter rationes, quas pro vinculi perpetuitate adduci valent, certe non est minima perfecta prolis educatio, ad quam requiritur ut parentes simul convivant per multos annos, quibus transactis, plerumque inhabiles inveniuntur ad novum matrimonium contrahendum: sed non est unica ratio, vix enim numerari queunt quas afferunt auctores de hac materia tractantes [1].

7. Cum igitur perpetua indissolubilitas vinculi nuptialis parentum et filiorum necnon societatis bono maxime prosit, *a)* libenter fatendum est «de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam Catholicam, sanctitate et perpetuitati conjugiorum tuendae semper intentam; nec exiguam ipsi gratiam deberi quod legibus civicis centum jam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit; quod haeresim deterrimam Protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit; quod usitatam graecis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit; quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas ut aliquando dissolvantur; quod demum vel a prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae divortiis et repudiis perniciose favissent. *b)* Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt, non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitate gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a ***Nicolao I*** edita adversus ***Lotharium;*** ab ***Urbano II*** et ***Paschali II*** adversus ***Philippum I*** regem Galliarum; a ***Caelestino III*** et ***Innocentio III*** adversus ***Philippum II*** principem Galliarum; a ***Clemente VII*** et ***Paulo III*** adversus ***Henricum VIII;*** denique a ***Pio VII*** sanctissimo fortissimoque Pontifice

1 Videantur plures apud D. Th., *Contra Gent.*, lib. III, c. 123. cfr. Monsabré, egregie dissolvens has aliasque difficultates, loc. cit.

adversus *Napoleonem I* secundis rebus et magnitudine imperii exultantem» [1].

Articulus II

De societate parentali [2]

Tota hujus articuli materia tribus paragraphis apte comprehenditur. Oportet namque mutuas parentum et filiorum relationes heic definire. Sed ex officiis parentum erga filios enascitur in illis jus educationis et instructionis. Ergo in *primo* paragrapho sermo erit de officiis parentum circa filios seu de patria potestate; in *secundo* de jure docendi; et in *tertio* recensebuntur officia filiorum erga suos progenitores.

§ 1

DE PATRIA POTESTATE

Summa rerum. 1. *Natura societatis parentalis.* 2. *Patria potestas.* 3. *Hujus origo.* — *Errores.* — Thesis. *Patria potestas est immediate a natura.* Prob. 4. *Officia parentum.* — *Officia corporalia positiva.* 5. *A jure naturae promanant.* Probatur. 6. *Duo vitia proscribenda.* — *Veterum opiniones.* — *Socialistarum placitum.* 7. *Limites patriae potestatis.* 8. *Officia quoad animum.* — *Rationalistica paedagogia retunditur.* 9. *Methodus negativa et scholae neutrales rejiciuntur.*

1. Societas parentalis definiri potest: *Adunatio parentum et filiorum per naturam constituta, educationis gratia.*

Prima definitionis verba aperte designant hujus societatis membra, scilicet: parentes et filios. Horum autem conjunctio non pendet a libero hominum pacto sed est maxime naturalis, ex naturali nempe generatione resultans seu per naturam facta, et quidem *ob filiorum educationem.* «Non enim intendit natura solum generationem prolis, sed etiam

[1] Leo XIII, *Encycl. Arcanum.*

[2] Cfr. Taparelli, loc. cit. a 4 y 5; Cathrein, a. 2; Zigliara, lib. II, c. I, a. 5; Tongiorgi, *Ethic.*, lib. II, c. III, a. 2.; De Bie, *Jus soc. priv.*, c. II. a. 2. § 1; Rossignoli, *La familia, el trabajo y la propiedad en el estado moderno*, c. II; Costa Rossetti, p. III, sect. II; Bienvenido Comín, *El Cristianismo y la ciencia del Derecho en sus relaciones con la civilización*, p. I. c. VI; Manuel Alonso Martínez, *Estudios sobre la Filosofía del Derecho*, (Madrid 1874), IV. *La familia*, pag. 99-297; Lugan, *La enseñanza social de Jesús*, lib. II.

traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis, in quantum homo est, qui est virtutis status. Unde secundum philosophum tria a parentibus habemus, scilicet: *esse, nutrimentum et disciplinam.*

2. Hujusmodi societas regitur patria potestate, quae nihil est aliud quam *facultas moralis, patri potissimum competens, domum gubernandi.*

Nota sunt definitionis verba. Nihilominus oculos conjicias velim in incisum illud *patri potissimum competens*. Interest enim maxime duo extrema vitiosa ex aequo refugere, *nullam* scilicet, vel e contra, *nimiam* partem in regimine gubernationis domesticae feminis tribuere. Illud enim mulierem redigit ad duram Paganismi servitutem, qualis adhuc conspicitur apud Turcas, Mahometanos et barbaras nationes: hoc autem, quo morose delectantur *Saint Simoniani*, Socialistae aliique feminarum *emancipationem* proclamantes, societatem domesticam solvit; neque enim subsistere aut concipi potest absque unitate et sine dependentia ab uno capite. Qui autem aequa jura mulieri ac viro concedunt unitatem illam et dependentiam e medio pellunt. Ergo familiae *caput* vir esto, sic tamen ut mulier in partem gubernationis domesticae adsciscatur, et ideo non ut serva et mancipium, sed ut socia a viro aestimari debet, ideo quippe ex viri costa efformata est. «Mulier, inquit *D. Thomas*, non debet dominari in virum, et ideo non est formata de capite, neque debet a viro despici, tanquam serviliter subjecta, et ideo non est formata de pedibus» [1]. Unde recte ipsemet *S. Thomas:* «Principatus uxoris in domo non est simpliciter, sed secundum quid, cum et ipsa sit subjecta viro; et si aliter accidat est inordinatio et corruptio domus» [2].

3. **Origo patriae potestatis.** Cum nulla societas diu subsistere queat quin si aliqua auctoritate suffulta, patria quoque potestas necessaria dicenda est ad familia conservationem. Sicut enim corpus animalis defluerent nissi esset aliqua vis regitiva communis, quae ad bonum omnium membrorum intenderet, ut loquitur *S. Thomas,* [3] corrueret pariter societas domestica omni auctoritate penitus destituta.

Huic autem patriae potestati non omnes eamdem tribuunt originem. Nam *a*) *Hobbesius* eam repetit ex jure *victoriae,* seu ex vi possessionis, quatenus filius, ac si esset res nullius, primo a parentibus occupatur: ex quo legitime quidem infert dominium filiorum originaliter ad matrem tantum pertinere. *b) Puffendorf* patriam potestatem provenire docet ex pacto explicito ex paarte parentum, tacito seu praesumpto ex parte filiorum. *c*) *Ahrens* originem trahere autumat ex sola educatione. *d) Rousseau* ex potestate civili. *e)* Ex eadem radice promanare putant *Socialistae,* qui

1 I p. q. XCII, a. 3.
2 In I *Polit.*, lect. V.
3 *De Regimine Principum*, c. 1.

filios parentum jurisdictioni omnino subtrahunt, vel potestatem, quam eisdem quidam concedunt, ab Statu pendere arbitrantur. *f)* Nec ab hac sententia discedit *Schola Liberalis* asserens «ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandae» [1]. Contra quos sit

Thesis. Patria potestas est immediate a jure naturae seu ex essentialibus parentum et filiorum relationibus emergit.

1) Filius, cum generatione procreetur, dicitur et est *pars patris.* Ergo pater quo jure habet dominium in seipsum habet pariter in quasi seipsum, hoc est, in filium. Sed a natura enascitur jus hominis in seipsum; ergo eamdem habet originem patria potestas. 2) Matrimonium jure naturae ordinatur non solum ad procreationem sed ad perfectam quoque filiorum educationem. Inest igitur parentibus officium naturale filios enutriendi et educandi; atqui hujusmodi officium naturale necessario secumfert jus pariter naturale, quo filii subsint curae parentum possintque gubernari. Cum ergo patria potestas nihil aliud sit quam jus patri principaliter competens gubernandi domesticam societatem patet eam jure naturae imponi. 3) Nisi velimus regimen anarchicum inducere in societate domestica adsint oportet in ea relationes superioritatis et subjectionis; atqui hujusmodi relationes, emergentes ex ipsa natura patris et filii, constituunt objectum patriae potestatis; ergo haec nonnisi a natura ortum habet. 4) Societas domestica, juxta omnes, est opus naturae; ergo ea omnia elementa, sine quibus subsistere nequit, ab eodem fonte derivantur; atqui patria potestas omnino necessaria est, ut supra probavimus, ad societatis domesticae constitutionem et subsistentiam; ergo est etiam juris naturae.

4. **Officia parentum** erga filios, ad quae implenda natura ipsa patriam ordinavit potestatem, quaedam corpus, alia vero animam respiciunt.

Officia corporalia positiva ad duo reducuntur: *a)* ad suppeditanda omnia media vitae necessaria usque dum nati ad perfectam aetatem pervenerint, et *b)* ad thesaurizandum eis in totam vitam.

5. **Utrumque autem officium ab ipsa natura descendit.** Sponte namque fluit ex ipsa parentum et filiorum propinquitate, quae tanta est, ut unum quodammodo sint. *Filius,* inquit *S. Thomas,* est *aliquid patris et patres amant filios ut aliquid ipsorum,* sicutdicit Philosophus VIII Ethic., c. XII. Et ob hanc rationem, subdit *Angelicus,* «non ponuntur aliqua praecepta De-

1 Pius IX, 8 Dec. 1864.

calogi pertinentia ad amorem filiorum, sicut neque aliqua ordinantia hominem ad seipsum»[1]. Sed planum est hominem naturae officio teneri ad ea omnia paranda quae necessaria sunt ad propriae vitae conservationem; ergo parentes eodem naturae officio filios enutrire tenentur. Insuper, quemadmodum ex illo officio nascitur in eis jus naturale stabiles proprietates possidendi ut futuris necessitatibus subvenire queant, ita ex eodem emergit jus quoque naturale haereditatem transmittendi in quasi seipsos, id est, in filios[2].

6. Duo ergo jure naturae proscribuntur. 1) Crudelis *infantium abortus et expositio*, cujus patrocinium olim suscepere vel ipsi Philosophiae principes, ***Plato*** et ***Aristoteles.*** «Propter multitudinem liberorum, (quosdam) foetus abolere oportet, nisi gentis instituta id prohibeant: definitum enim esse oportet procreandorum liberorum numerum, inquit ***Stagirita***»[3]. «Illorum (optimorum hominum), ajebat ***Plato,*** oportet quidem prolem nutrire, horum (malorum) autem minime, si armentum excellentissimum sit futurum»[4]. 2) *Socialistarum conatus ad evertendum jus haereditarium.* Genitorum quippe est filios sustentare eosque in perfectum adducere, namque ab eis maxime dependet futura filiorum socialis conditio et status. Id autem cogit parentes ad thesaurizandum eis in totam vitam. Quod autem indefesso labore et cum propriarum virium jactura genitores acquisierunt poteritne Status absque justitiae laesione usurpare et de eodem pro libito disponere? Igitur naturale est quod parentes haeredes fructuum laborum suorum natos instituant, contra naturam vero, filiorum haereditatem invadere[5]. Jus successionis in bona progenitorum palam inficiantur ***Kant, Fichte, Gros, Krug, Hans, Dostre-Hulshoff, Rotteck,*** cum aliis multis, quos nervose refutat ipsemet ***Ahrens***[6]. Gravius peccant Anarchistae arbitrantes officium alendi et educandi liberos ex consortio promiscuo generatos

---

1 I-II, q. C, a. 5 ad 4.

2 Cfr. *Suppl.* q. LXVII. a. 1; Rodríguez de Cepeda, *Elem. de Derecho Nat.*, lec. 47. Balmes, *Ethica* c. XVII. «Philosophiae argumenta inutilia sunt, inquit, cum et rerum necessitas intrinseca et naturae vox tam alte clamant: istae obligationes clarius patent quam ut explicatione indigeant: characteribus indelebilibus insculptae sunt in parentum corde; ineffabilis amor, quo natos prosequuntur, est eloquentissima legis naturalis promulgatio».

3 VII *Polit.*, c. XIV. (ed. Didot). «Abolendis autem alendisque foetibus esto lex: ut nihil alatur mancum et debile». ib.

4 *De Republ.* V. «En Alemania Alfredo Plotz y Alejandro Tille, dos partidarios de Nietzsche, aconsejan que se supriman los niños débiles, los tullidos y los enfermos infecciosos para proteger y mejorar la raza.» Weiss, *La ciencia práctica de la vida.* c. XXII.

5 Cfr. Ferretti, vol. II, sect. III, a. I, § 3; De Bie, *Ius Nat. indiv.*, c. IV, a. 2 § 5; Liberatore, *Princip. de Econom. pol.*, lib. II, c. III, a. 1 et 2.

6 *Curso completo de Derecho Natural*, part. espec., c. III, § 1.; Cfr. Ortí y Lara, *Introducción al estudio del Derecho y principios de Derecho Natural*, secc. I, c. VII, § 3.

(rejiciunt quippe matrimonium) nec parentibus nec Statui competere, sed iis qui magis eos diligentes in filios adoptaverint! Verum haec refutatione non indigent.

7. **Limites patriae potestatis.** Cum objectum patriae potestatis sint filii quatenus directione opus habent ad debitam perfectionem tum physicam tum moralem consequendam, ex eodem desumi debet patriae potestatis extensio. Et ideo, *quae ad filiorum educationem necessaria reputantur patriae competunt potestati, quae vero ad hunc finem parum idonea aut cum natura et conditione paternitatis repugnantia videntur, ea minime comprehendit.*

Itaque, quamvis parentes possint filios corrigere non tantum verbo sed factis quoque, eos virgis v. gr. puniendo, nequeunt tamen ipsos mutilare multoque minus occidere. Equidem ***Puffendorf*** et ***Thomasius*** jus vitae et mortis parentibus conferunt; id tamen domesticam excedit jurisdictionem planeque adversatur tenero amori, quo natos prosequi debent [1].

Ex eodem principio infertur *patriam potestatem successive decrescere, crescente filiorum aetate; fere autem evanescere, cum majorennes evadunt.*

Item *nec subduntur filii patriae potestati quoad electionem status,* ut alibi innuimus, sed jure naturae in potestate cujusque relinquitur caelibem permanere vel jungi matrimonio.

8. **Officia quoad animum.** Omnia sub *perfecta et convenienti educatione* facile comprehenduntur. Verum educatio minime completur per solam mentis instructionem, sed duo potissimum includit, scilicet: *intellectus perfectionem* et *rectitudinem voluntatis* acquirendam, tum notitia veri, tum praxi virtutum moralium.

Censet nihilominus rationalistica paedagogia medium adaequatum et per se sufficiens ad rectam vitae institutionem necnon ad completam filiorum educationem obtinendam esse *instructionem;* causam pariter omnium fere malorum criminumque fontem *analphabetismum* assignat. Hinc natum est illud in scholis rationalistis vigens principium: *Educatio per instructionem.* Candide namque arbitrantur inesse instructioni intellectuali nescio quam vim et efficaciam ad continendos homines in ordine et moralitate virtutemque ad vitia extirpanda. Sontum ergo numerus, juxta ipsos, proportionate decrescet, crescente plebis instructione [2].

Verum his plane refragatur *a)* vel ipsa natura scientiae, quae est instrumentum indifferens ad bonum et malum et valde impar ad conti-

1 Cfr. D. Th., IV *Sent.*, Dist. XXXVII, q. II, a. 1 ad 4; Balmes, *Ethica*, c. XVII. n. 152.

2 «Cada escuela que se abre es un presidio que se cierra», dicen los *intelectuales* de España, repitiendo la frase de Victor Hugo.

nendos populos intra limites justitiae et honestatis[1]; *b)* prava quoque et corrupta hominum voluntas quae facile a via veritatis declinat: *Video meliora proboque, deteriora sequor; c)* statisticae demum criminales luce meridiana probantes eo magis multiplicari crimina quo augescit cultura intellectualis. Ergo non tantum ignorantiam sed maxime religionis defectum criminum seminarium esse numeris probare possemus[2].

9. **Methodus negativa.—Scholae neutrales**[3]. Ex dictis facile colligitur quam sit detestanda methodus *negativa*, melius dixerim, *athea*, cujus tanti faciunt recentiores paedagogi Socialistae et Liberales. Impia namque horum sententia est nihil esse dicendum pueris de Deo, religione, vita futura, vel doctrina morali usque ad duodecimum saltem vel, juxta alios, ad decimum octavum aetatis annum, ne scilicet praejudiciis imbuantur; vel si quae eis tradantur circa Deum et religionem disputando potius quam dogmatizando edoceantur, ut pueri propria ratione seligant quam maluerint religionem. Verbo: scholas, uti ajunt, *neutras* ubique erigere conantur. Ita ***Pestalozzi, Fröbel, Harnack, Paulsen, Pöhlman, Tröltschs,*** et inter nos ***Azcárate, Cossio, Simarro*** aliique.

Verum 1) absurdum plane, imo ridiculum est velle naturam humanam per peccatum Adami corruptam et in malum pronam sola veritatum cognitione vel etiam per *imperativum categoricum* a malo patrando cohiberi et ad praxim virtutum induci. Efficacioribus eget stimulis, teste experientia, ad honeste operandum; hos autem alibi quam in religione inveniri est impossibile; 2) hujusmodi theoria pugnat pariter

---

1 Oigamos a H. Spencer: «La confianza en los efectos moralizadores de la cultura intelectual, que los hechos mienten categóricamente, es, por lo demás, absurda en sí misma. ¿Qué relación puede haber entre aprender que ciertos grupos de signos representan palabras y adquirir un sentimiento más elevado del deber? Cómo la soltura en formar signos que representan sonidos podrá vigorizar la voluntad para hacer el bien? Cómo el conocimiento de la tabla de multiplicar y la práctica de la operación de dividir pueden desarrollar los sentimientos de simpatía hasta el punto de reprimir la tendencia de dañar al prójimo? Cómo las reglas de ortografía y el análisis gramatical podrán desenvolver el sentimiento de la justicia, o los múltiples conocimientos geográficos acrecentar el respeto a la verdad? No hay más relación entre esas causas y esos efectos que la que existe entre estos y la gimnasia que ejercita las manos y vigoriza las piernas. La fe en los libros de clase y en la lectura es una de las supersticiones de nuestra época.» *Preparación a la ciencia social por la Psicología.*

2 Mientras de 25.000 individuos faltos de toda instrucción dan 5 acusados, de la clase que sabe leer y escribir dan 6, y de la clase que tiene instrucción superior de más de 15. El año 1903 a 1904 hubo en España 84,229 procesados según la estadística oficial; en 1904 a 1905, ascendieron a 87,805. En 1839, con doble número de analfabetos que hoy, solo se incoaron 16,638 procesos; luego no es el analfabetismo la causa del aumento de la criminalidad. (*Siglo Futuro*, 15 Dic. 1909). En Italia de 2,000 menores condenados en los tribunales 210 eran analfabetos, 129 tenían una instrucción superior y 325 estaban por cima del nivel ordinario. La Paquerie, *Dios y la Religión*, n. 299.

3 Cfr. Kriege (Wilheim), *La escuela neutra a la luz de la verdad* (versión española de Domingo Miral); Georges Goyau, *La escuela de hoy*, (traducción de Cristobal

cum officio naturae quo quilibet homo, dum ad annos discretionis pervenerit, tenetur Deum colere pluraque alia officia religionis implere:[1] ; 3) cuique pariter compertum est rectam humanae vitae institutionem maxime pendere a primaevis infantiae documentis: saepe enim finis cum mediis, media autem cum principiis conjunguntur. *Adolescens,* inquit Proverbium, *juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*[2]. *Usque adeo,* egregie ajebat ***Virgilius,*** *a teneris assuescere multum est:*[3] 4) denique ipsemet ***Rousseau*** inconsulto nostram probat sententiam. «Nullum est periculosius vitae humanae tempus, inquit, quam illud quod intercedit a nativitate usque ad aetatem duodecim annorum, cum affectus, qui tunc animo imprimuntur, adeo profundas radices agant ut fere impossibile sit eos deinceps evellere». Ergo «interest quam maxime, concludimus cum ***Leone XIII,*** susceptam e conjugio christiano sobolem mature ad religionis praecepta erudire; et eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet cum *institutione religiosa esse conjunctas.* Alteras sejungere ab altera idem est ac reipsa velle, ut animi pueriles in officiis erga Deum in neutram partem moveantur: quae disciplina *fallax* est, et praesertim in primis puerorum aetatulis *perniciosissima,* quod revera *viam atheismi munit, religionis obsepit*». Quamobrem jure Ecclesia «semper scholas quas appellant *mixtas* vel *neutras* aperte *damnavit,* monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum»[4].

Reyna; Andrés Manjón, *Las escuelas laicas* (Barcelona 1910); J. Torras y Bagés, Obispo de Vich, *El hombre mutilado por la escuela neutra* (Vich 1910. Girardin escribe: «Sin instrucción religiosa no hay buen sistema de educación. Crear escuelas industriales sin enseñanza religiosa es organizar la barbarie y la peor de todas las barbaries. J. Simon a dit: «Il n'y a pas d'ecole neutre, parce qu'il n'y a pas d'instituteur qui n'ait une opinion religieuse ou philosophique. S'il n'en a pas, il est en dehors de l'humanité; c'es un idiot o un monstre. S'il en a une et qu'il la cache pour sauver ses appointements c'est le dernier des laches.» M. Viviani: «La neutralité scolaire fut toujours un mensonge.... il est temps de dire que la neutralité scolaire n'a jamais eté qu'un mensonge diplomatique et une tartuferie de circonstance». Cfr. Lettre ouverte de Mgr. Gieure, evêque de Bayonne, a M. Buisson ministre de Instruction publique, *La Croix,* 28 Fev. 1911.

1 Cfr. Goyau, *La escuela de hoy.* tom. II, c. 4.

2 Prov. XXII, 6.

3 Cfr. Mariana, *De Rege et reg. Institutione,* lib. II, c. 1.

4 Encycl. *Nobilissima Gallorum gens,* 8 Feb. 1884. Cfr. Ejusdem Pontif. Encycl. *Quod multum,* 22 Aug. 1885. Pessimos laicae educationis effectus vel ipsi gubernantes acatholici coacti sunt fateri: La proportion des illettrés etait de 14 % en 1882; elle est en 1900 de 25 à 30 %, ajebat Briand. En revanche le chiffre des deserteus et insoumis est passé, en vingt ans, du chiffre de 4,000 a 15,582. Apud Fenelon Gibon, *Ou mene l'Ecole sans Dieu;* Cfr. Benoit, *La Ciudad anticristiana,* p. I, sec. II, tit. III, c. III.

Crimina inter minorennes sequenti proportione aucta sunt in Gallia: an. 18411-3,500; an. 1851-20,000; an. 1892-18,000; an. 1896-36,000; an. 1901-34,457; an. 1905-34,804; Henri Joly, *L'enfance coupable,* pag. 36; Cfr. Duprat, *La criminalité dans l'adolescence,* Paris 1909; *Année Soclal,* pag. 144. El 40 por % de los crímenes perpetrados en Nueva York se deben a menores de veinte años. *Razón y Fe,* t. XXXIII, pág. 483.

§ 2

DE JURE DOCENDI [1]

Summa rerum.—1. *Jus parentum ad congruam filiorum educationem; —errores.* 2. *Vigens systema Liberalium quoad scholas; quatuor ejusdem doctrinae capita.* 3. *Vera sententia.* 4. Thesis: *Jus inest parentibus a natura concessum, proindeque ab statu independens, quoad filiorum educationem. Probatur.* 5. *Quorsum spectat Liberalium et Socialistarum theoria.* 6. *Enodantur difficultates* (jus docendi est munus publicum? —Statui incumbit officium procurandi media sufficientia ad civium instructionem; quid inde inferatur; —Monopolium scholare favetne culturae et civilizationi populorum; — an jure exclusivo gaudeat Status conferendi gradus academicos; — quid sit in hac materia tenendum. — Optimum *Card. Zigliara* consilium). 7. *De libertate cathedrae; —duo accurate distinguenda.* 8. *Nostra sententia probatur.* 9. *Solvitur praecipuum Scholae Liberalis argumentum.*

1. Ex officio naturae quo parentes obligantur ad rectam filiorum educationem procurandam emergit in iisdem parentibus jus quoque naturale eligendi magistros, libros et scholas. Laedit nihilominus praefatum jus systema Liberalium et Socialistarum, siquidem Statui civili concedit absolutam et originariam facultatem *imponendi* patribus familias libros, scholas et magistros ab eodem Statu selectos. Ut enim habetur in Syllabo *Pii Pp. IX:* «Totum scholarum publicarum regimen in quibus juventus chistianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet civili auctoritati attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut adprobatione magistrorum» [2].

---

1 Cfr. Taparelli, *Ensayo*, lib. VII. a. 5; Haine, *Tract. de Praeceptis Decalogi*, p. II, c. I, a. 1; Tanquerey, *Synopsis Theolog. Mor.* c. I. *de officiis laicorum*, a. 1. § 1; Meyer, sect. II, lib. I. c. II, a. 1; Zigliara, lib. II. c. I. a. 5; Cathrein, lib. II. c. III, sect. I. § 5; Reinstadler, c. II. a. 1. § 2; Ferretti, c. III. a. 3, § 2; De Bie, c. II. a. 1. § 1 et 2; Dalmau y Gratacós, *Etica especial social*, n. 234; Leo XIII, Encycl. *Affari vos* (8 Dec. 1897); *Rerum Novarum, Quod multum*, etc.; A. Jansen, *De facultate docendi*, 1885; Georges Goyau, *La escuela de hoy*; R. P. L. Lescoeur, *La mentalité laïque a l'escole; L'Etat, père de famille; L'Etat mère de famille et l'education laïque des jeunes filles*; F. Gibon, *Ou mène l' ecole sans Dieu* (criminalité croissante—decadence intellectuelle—instituteurs sans foi et sans patrie—faillite de la morale laïque); Torras y Bagés, *El hombre mutilado por la escuela laica*; A. D. Sertillanges, *La famille et l'Etat dans la education*, (Paris 1907), traducida al español por Genaro González Carreño; Weiss, *Apolog.*, p. IV, Confer. 18.

2 Prop. XLV.

2. Vigens systema liberalium quoad scholas quatuor potissimum comprehendit:

a) monopolium, jus scilicet solius Status aperiendi scholas, designandi magistros, necnon eligendi vel proscribendi libros scholares[1];

b) instructionem gratuitam, quatenus omnes pueri expensis Status educandi sunt;

c) instructionem obligatoriam in scholis Status, in quantum scilicet magistratus politici sibi arrogantes veluti jus privativum munus docendi, nam «docere, ajente Cousin cunctisque Liberalibus, non est jus naturale, sed functio publica et socialis», obligant parentes ut ad scholas Status mittant liberos ut in iisdem artes et scientias ab eodem assignatas addiscant, interdicta, si contra fecerint, facultate vel publica munera obeundi, vel saltem gradus Academicos recipiendi;

d) instructionem laicam, ad quam scilicet tria praecedentia ordinantur; volunt quippe liberales ut in scholis nulla habeatur ratio ad Ecclesiam aut religionem, sed omnia quae ad juventutis educationem sunt destinata politicae auctoritati solummodo subjiciantur. Scholae igitur populares ad imperantium placita moderandae sunt.

3. Nihilominus, concesso quod Status 1) *possit* et *debeat* media aptiora subministrare quibus parentes facilius adimpleant obligationem liberos educandi; 2) quod teneatur arcere docentes impia et perversa dogmata contra religionem morumque honestatem, et 3) denique quod ipsi munus incumbat tutandi filios contra parentum aut magistrorum abusum, cetera quae sibi arrogat Status vere laedunt jura parentum.

4. **Thesis.** **Jus inest parentibus a natura concessum,** proindeque ab Statu independens, **quoad filiorum educationem.**

Prob. *a)* «Societas domestica, ajente ***Angelico Doctore*** et secundum rei veritatem, prior est toto»[2]. Ergo et patria potestas, qua familia regitur, civilem quoque societatem praeit. Atqui patria potestas secum fert jus naturale educandi filios, nam «habere debet quidquid necesse est, ut societas domestica suum finem assequatur, qui consistit in procreatione, educatione et institutione liberorum, modo quo opus est, ut genus humanum servetur convenienti explicatione et perfectione facultatum cum corporis tum spiritus.»[3] Ergo parentibus competit jus naturale educandi filios independenter ab Statu.

1 Cfr. Fernández Concha, *El hombre en el orden social.* Notas. pag. 463 y sig.

2 VIII *Ethic.* lect. XII.

3 Balmes, *Ethica,* c. XVII, n. 149. «Sanctissima naturae lex est ut victu omnique cultu pater familias tueatur quos ipse procrearit». Leo XIII. *Rerum novarum.*

b) Ejusdem est rem producere et ei perfectionem dare[1], vel si mavis, auctoritas est ab auctore; ergo ejus est perfectionem et incrementum conferre cujus est generare. Cum ergo Status non sit auctor vitae naturalis aut supernaturalis infantium, nec ipsi competit, saltem originative, jus docendi, sed familiae, a qua primum esse naturale, et Ecclesiae, a qua vitam supernaturalem per Baptismum infantes acceperunt. Perbelle igitur ***Aquinatensis:*** «Pater est principium et generationis et educationis et disciplinae et omnium quae ad perfectionem humanae vitae pertinent»[2].

5. *c)* Confirmatur denique propositio, quoniam totum Liberalium ac Socialistarum systema quoad scholas 1) falso nititur principio et 2), ut in pluribus, ad pravum finem ordinatur.

1) Falso namque existimant Liberales et Communistae jus docendi privative spectare ad magistratus civiles vel esse *munus publicum,* cum e contra, munus docendi nihil aliud importet quam manifestare alteri veritatem sive hoc fiat voce vel scripto. Status potest quidem impedire ne magistri mentes infantium pervertant aut in perniciem societatis et religionis quid edoceant, potest pariter hanc vel illam scientiam in subditis ad publica munia obeunda exigere, sed prohibere parentes quominus per seipsos vel per alios nomine et delegatione ipsorum proprios filios instruant est injusta juris usurpatio.

2) Monopolium scholare inducit *laicismum,* ut in pluribus; *laicismus* autem parit atheismum, qui societatis tum publicae, tum domesticae fundamenta, religiosa juventutis institutione eliminata, penitus subvertit[3].

Quod eo tendant conatus Socialistarum eorumque omnium qui scholas, uti vocant, *neutras* seu *laicas* instituunt et patrocinantur, lugenda experientia et rerum omnium subversio testatur. Haud contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis, ut ajebat ipsemet *Pius IX*, loco citato, imo et actualem societatis conditionem penitus destruere[4].

6. Ceterum, difficultates quas Socialistae et Liberales objiciunt adversus praecedentem conclusionem ex dictis facile enodantur, nonnullas tamen speciminis gratia subjicimus.

I. Jus docendi est munus publicum; sed munia publica ordinare deque his disponere ad Statum spectat; ergo Status jure nativo gaudet imponendi patribusfamilias magistros, methodos et scholas officiales.

Resp. dist. maj. Jus docendi est quoddam *munus publicum,* quatenus *cedit in utilitatem omnium* vel in quantum est *medium necessarium ut*

1 D. Thom. I. p. q. CIII, a. 5.

2 II-II, q. CII, a. 1.

3 Cfr. Encycl. *Quanta cura* 8 Dec. 1864; Benoit, Obra cit. t. II, pag. 407.

4 La primera victima de la escuela laica es la religión, la segunda la patria. Véase a Goyau, *La escuela de hoy*, t. II, c. 2.

bonum commune societatis subsistat, conc.; est munus quoddam publicum quatenus hujusmodi *juris exercitium exclusive pertineat ad auctoritatem politicam*, nego. Omnes quippe actus exteriores in individuo publici vocari possunt primo et secundo sensu, quin tamen Status de iis omnibus exclusive disponere queat citra laesionem humanae libertatis. Et ad min., *servatis sacratioribus Ecclesiae et societatis domesticae juribus*, conc., *ea conculcando*, nego, et nego cons. et conseq. Ex eo quod munus docendi et magistrorum electio cedat in utilitatem publicam consequitur Statum posse scholas erigere in quibus secundum sana rectaque educationis principia juventus instituatur et quarum ingressus omnibus pateant, non autem adigere parentes ut natos mittant ad easdem scholas.

II. Publicae auctoritati officium incumbit procurandi media sufficientia ad civium instructionem; atqui pro patribus negligentibus liberorum instructionem unicum medium est eosdem adigere ut proprios filios mittant ad scholas officiales; ergo Status potest imponere patribusfamilias methodos, magistros et scholas officiales.

Resp. conc. maj. et neg. min. Statui officium quidem incumbit procurandi media instructiva, si cives sufficientibus careant; verum exinde nequit inferri jus imponendi instructionem *obligatoriam* omnium artium et scientiarum, quae in Schemate officiali continentur, nec alicujus in determinato gradu, sed sufficientem ad rectam vitam instituendam, et hanc quidem si necessaria sit ad bonum commune, alias Status neminem cogere potest ad instructionem acquirendam. Imo hoc etiam jure concesso, nunquam probabunt Statolatrae unicum organum aptum ad veram tradendam doctrinam esse scholas et magistros officiales.

III. Monopolium scholare plurimum fovet culturam, progressum et civilizationem populorum. Ergo ad Statum spectat illud tueri contra libertatem docendi.

Resp. nego ant. vel saltem dist.; plurimum fovet culturam et progressum intellectualem conc.; magis quam libertas scholaris, nego. Praedicta Liberalium et Socialistarum existimatio plane adversatur experientiae quotidianae necnon historiae evolutionis intellectualis. Siquidem monopolium extinguit in individuis tum stimulos ad studendum novasque vias ingrediendas, tum proficuam aemulationem inter privatos et publicos magistros. Praeterea, neg. cons. et conseq. Nam, etsi monopolium potius quam scholarum libertas culturae intellectuali inserviret, inde minime infertur Statum jure pollere subditis imponendi obligationem adeundi scholas a se erectas, sed tantum eas volentibus offerre.

IV. Status jus habet conferendi *Gradus academicos;* ergo eidem quoque competit jus determinandi competentem scientiam ad gradus adquirendos requisitam. Potest ergo obligare filiorumfamilias ut assistant scholis officialibus Status.

Resp. trans. ant. et nego cons. et conseq. Nam gradus academicus debet conferri ratione capacitatis scientificae ad munia publica obeunda; est enim praemium respondens studio, ingenio, merito candidatorum, et ideo

nihil interest utrum quis has vel illas scholas frequentaverit, sub qua directione, quave methodo scientiam competentem hauserit. Igitur ex eo quod Status jus haberet conferendi gradus et determinandi scientiam ad eosdem requisitam, neutiquam posset adigere candidatos ad frequentandas scholas officiales.

Quo posito, si agatur de jure *exclusivo* conferendi gradus, neg. antec. Equidem ejus est, ratione boni communis, juridice *recognoscere* gradus a magistris vel Universitatibus liberis collatos, sed testimonium reddere de candidatorum idoneitate aeque convenit magistris privatis ac publicis. Idcirco Status negare nequit citra injuriam candidatis non officialibus gradus quos officialibus pari scientia praeditis conferret.

Ceterum, concludimus cum *Card. Zigliara*, «si Status civilis vult scholas suas officiales frequentari a filiisfamilias, det imprimis operam ut scholae fiduciam mereantur patrumfamilias: licentia erroris non praevaleat in ipsis contra libertatem veritatis; sint magistri docti et probi, qui doceant verbo, doceant exemplo juventutem, non corrumpant: officia religionis sint ante officia doctrinae. Si secus, catholici jus et officium sacrum habent arcendi proprios filios a publicis fontibus corruptelae, jus habent obsistendi despotismo Status civilis circa monopolia graduum academicorum: sunt enim magis sacra officia erga Deum, erga Catholicam Ecclesiam quam officia erga Statum civilem auctoritate publica abutentem contra jura Ecclesiae et domesticae societatis»[1].

7. Cum praecedenti Liberalium theoria arcte connectitur alia gravissima quaestio, de *cathedrae* scilicet, quam dicunt, *libertate*. Arbitrantur namque Liberales magistros scholares posse pro libito quaecumque, vera ac falsa, aeque docere vel publici juris facere, quin parentibus Ecclesiaeque liceat absolutam illorum libertatem vel minimum coarctare.

In qua duo sunt accurate distinguenda. Nam docendi libertas versari potest 1) circa res a Deo hominum disputationi traditas et in quibus sic vel aliter sentiri contingit, quoniam veritas in his nondum ea fulget claritate quae possit intellectum rapere; vel 2) circa ea quae evidentia objectiva clarescunt aut fide certo certius constant. Quoad 1) licita est prudens sentiendi libertas: quoad 2) jus nullum est aliter cogitandi. Unde

8. **Nostra sententia.** Etsi justam Magistrorum libertatem contra abusivam et tyrannicam Status Ministrorumque Publicae Instructionis ingerentiam proclamemus, omnimodam tamen eorumdem libertatem, quatenus haec ex Liberalium sententia, implicat jus ad errorem et veritatem quomodolibet, verbo, formisve literariis, exprimenda, ut absurdam et perniciosam merito rejicimus.

---

1 *Jus. Nat.*, lib. II, c. 1, a. 5.

Prob. Absoluta scientiae libertas plane repugnat; quia scientia non est nisi veri. Cui namque liberum fuit affirmare tres angulos trianguli non esse aequales duobus rectis, aut 2+3=6?

9. Praecipuum argumentum, quo schola Liberalis utitur ad suam tuendam sententiam, nihilo pendimus. Libertas, inquiunt, docendi in sentiendi cogitandique libertate fundatur; atqui intellectus in intelligendo ligari nequit, sed per omnem veri falsique sphaeram licite protendit suam activitatem; ergo nec in efformati conceptus expressione licite coarctari potest. Absoluta igitur cathedrae libertas jus est homini sacrum et prorsus inalienabile.

Resp. dist. min.: *psychologice,* conc.; *moraliter,* nego, et nego conseq. Quia non sic intellectus est liber quod possit aeque errorem et veritatem amplecti, sed veritati certo et evidenter cognitae necessario adhaerere et oppositum ejus palam rejicere cogitur. Inest quidem ipsi nativa facultas expendendi veri falsique rationes, at cognita veritate, etsi possit physice et psychologice contrarium tenere ex voluntatis impositione potius quam natura sua, moraliter tamen, id est, licite nunquam potest; ageret enim contra propriam suam perfectionem, quae unice in veri possessione consistit[1].

§ 3

DE OFFICIIS FILIORUM ERGA PARENTES[2].

Summa rerum. —1. *Pietatis notio; —optima S. Thomae descriptio.* 2. *Amor.* 3. *Gratitudo.* 4. *Reverentia.* 5. *Debita subjectio atque obedientia.* 6. *Alia obligatio filiorum erga parentes.* 7. *An strictius sit parentum officium subveniendi filiis vel e contra.*

1. Ab his describendis paucis me expediam, alte namque insculpta reperiuntur in corde filiorum nec circa illa quaestionem alicujus momenti suscitare consueverunt philosophi.

Omnia autem officia filiorum erga parentes sanctissimo *pietatis* nomine generice designantur, cujus natura sic eleganter exponitur ab *Angelico:* «Dicendum quod homo efficitur diversimode aliis debitor,

1 Cfr. Eduardo M. Villarrasa, *La jurisdicción y las aspiraciones del Clero sobre la enseñanza,* III; Minteguiaga, *La punibilidad de las ideas,* praesertim c. II; Ruiz Amado, *La Libertad en la enseñanza,* en Razón y Fe, t. XXI, pag. 304 y 422.

2 Cfr. *Eccli.,* III; D. Th., II-II, q. CI, a. 2 et 4; Moralistae, de quarto praecepto Decalogi; Lugan, *La enseñanza social de Jesús,* lib. II, c. II; P. Janet, *La famille* (Paris 1894 15. ed.); P. Felix, *Conferencias de* 1860); Ferretti, n. 372 et sqq.; Mancini, *Jus Nat.* q. V, a. 5.

secundum eorum diversam excellentiam et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus summum obtinet locum; qui et excellentissimus est, et est nobis essendi et gubernationis primum principium; secundario vero nostri esse et gubernationis principia sunt parentes et patria, a quibus et in qua nati et nutriti sumus. Et ideo post Deum est homo maxime debitor parentibus et patriae. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae.

In cultu autem parentum includitur cultus omnium consanguineorum, quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur quod ex eisdem parentibus processerunt. In cultu autem patriae intelligitur cultus omnium concivium et omnium patriae amicorum»[1].

Pietas autem, *per quam*, ut dicit ***Tullius,*** *sanguine junctis, patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus*[2], in filiis relate ad parentes tribus manifestationibus explicatur: scilicet, *amore, reverentia* et *subjectione* seu obedientia.

2. Imprimis ergo *pietas filialis* manifestari debet erga parentes eos sincere et ex corde diligendo. Nam filii sunt aliquid patris; ergo, sicut naturaliter homo diligit seipsum, naturaliter quoque debet diligere parentes.

3. Filii tenentur pariter eodem naturae officio grati animi sensu genitores suos perpetuo prosequi. Etenim, si naturalis est vel ipsis brutis animantibus gratitudo erga benefactores, cum existentiam, omnium scilicet bonorum fundamentum, educationem aliaque bona tum corporalia tum spiritualia liberi a parentibus acceperint, ne bestiis inhumaniores videantur, officiis amoris et gratitudinis parentibus devinciuntur.

4. Deinde reverentiam eisdem exhibere tenentur ratione dignitatis et excellentiae, qua praestant parentes; siquidem filii comparantur ad genitores suos sicut subditi ad superiorem et ideo veneratione, timore filiali, obsequio, verbis et factis tenentur eos revereri et in eorumdem conspectu humillime, ut convenit inferioribus, se gerere, juxta illud: *In opere et sermone et in omni patientia honora patrem tuum*[3].

5. Postremo, obligantur *filii parentibus obedire per omnia*, ut loquitur Apostolus[4], non solum ob praedictas rationes sed vi quoque socialitatis. Filii quippe nascuntur membra societatis domesticae, cui necessario praeest patria potestas, idcirco parentes jus habent imperandi, filii autem officium obediendi in his omnibus quae ad regimen domesticum spectant; *hoc enim*, subdit Apostolus, *placitum est in Domino*.

6. En officia quae *per se* pertinent ad cultum pietatis. His autem adjungitur alia obligatio, *subveniendi* scilicet parentibus in qualibet ne-

1 II-II, q. CI, a. 1.
2 *De Invent. rhetor.*, lib. II.
3 *Eccli.*, III, 9.
4 Colos., III, 20.

cessitate. Audiatur ***Angelicus:*** «Parentibus aliquid debetur dupliciter: uno modo per se; alio modo per accidens. *Per se* quidem debetur eis id quod decet patrem in *quantum pater est:* qui cum sit superior, quasi principium filii existens, debetur ei a filio reverentia et obsequium. *Per accidens* autem aliquid debetur patri, quod decet eum accipere secundum aliquid quod ei accidit; puta, si sit infirmus, quod visitetur et ejus curatione intendatur; si sit pauper, quod sustentetur, et sic de aliis hujusmodi, quae omnia sub debito obsequio continentur» [1].

7. Ex quo liquido apparet strictius esse officium parentum subveniendi liberis quam officium filiorum juvandi parentes; nam, ut ipsemet ***Angelicus*** docet, « quia pater habet rationem principii, filius autem habet rationem a principio existentis, ideo *per se* patri convenit ut subveniat filio; et propter hoc non solum ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam, quod est thesaurizare. Sed quod filius aliquid conferat patri, hoc est *per accidens,* ratione alicujus necessitatis instantis, in qua tenetur ei subvenire, non autem thesaurizare quasi in longinquum, quia naturaliter non parentes filiorum, sed filii parentum sunt successores» [2].

Eadem fere ratione ostendit Philosophus *dilectionem, qua parentes natos suos prosequuntur, longe praestare amore filiorum erga parentes.* «Parentes, inquit, liberos ut seipsos diligunt; nam qui ex eis nati sunt, eo ipso quod separati sunt, tanquam alteri ipsi sunt: liberi autem parentes, ut ex illis nati» [3]. Nihilominus pietas erga parentes religioni, qua Deum colimus, dumtaxat cedit, quippe longe antecellit obedientiam erga personas in dignitate constitutas et gratitudinem erga benefactores.

Et de his satis. Hortandi sunt filii ad hujusmodi officia erga parentes religiosissime implenda, ut *superveniat illis benedictio ab eis, et benedictio illorum in novissimo maneat.* Nam *benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta* [4].

---

1 II-II, q. CI, a. 2. *Honora patrem tuum et gemitus matris tuae ne obliviscaris; memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis quod et illi tibi* Eccli. VII, 29 et 30.

2 loc. cit. ad 2.

3 VIII *Ethic.*, c. XII. (ed. Didot).

4 *Eccli.*, III, 10, 11.

Articulus III

De societate herili [1].

Summa rerum. 1. *Origo et fundamentum societatis herilis.* 2 *Quo jure inducta.* 3. *Definitio; - conditiones requisitae ad hanc societatem constituendam.* 4. *A patronali distinguitur.* 5. *Officia inter dominos et famulos.* 6. *Duplex servitus.* 7. *Origo servitutis obnoxiae; — numerus servorum; -- eorumdem conditio.* 8. *Leges Romanorum.* 9. *Philosophorum opinio.* 10. Thesis. 11. *Quid dicendum de perpetuo famulatu.* 12. *Objectiones.* 13. *De titulis servitutis usurpari solitis; — jus belli; — justa damnatio; - pactum voluntarium; -- emptio et donatio; — natura servilis; horum justitia et aequitas.* 14. *Quorumdam sententia circa abolitionem servitutis. -- In laudem religionis christianae.* Thesis. 15. *Ecclesiae doctrina.* 16. *Agendi ratio.*

1. Humanae societatis in duas classes distinctio, eorum scilicet qui divitiis affluunt et eorum qui paupertate pressi laborare tenentur ad vitae subsidia paranda, in ipsa hominum conditione adeo altas radices habet, ut pauperum et divitum inaequalitatem atque distinctionem penitus eradicare velle sit plane utopicum et incassum contra rerum naturam contendere. «Sunt enim in hominibus, ait *Leo XIII*, maximae plurimaeque natura dissimilitudines; non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar» [2].

Haec autem socialis inaequalitas originem praestat herili societati, quae, etsi *familiam* proprie non constituat, concurrit tamen ut pars integralis ad naturale suum complementum. Nam, ex una parte, dives nequit per seipsum

---

1 Cfr. D. Thomas in I *Polit.*, lect. II, et sqq.; I p. q. XCVI, a. 3 et 4; II-II, q. 64 a. 3; Soto, *De Justitia et Jure*, lib. IV, q. II, a. 2; Lugo, Disput. III, sect. II et III; et Disp. VI, sect. II; Lessius, *De Just. et Jure*, lib. II, c. 4 et 5; Audissio, *Jur. Natur.*, lib. I, tit. XVI et sqq.; Taparelli, *Ensayo*, lib. VII, c. III, a. 1; Liberatore, *Jus soc.*, c. I, a. 6; Costa-Rossetti, *Instit. Ethic. et Juris Naturae*, p. III, sect. III; Ferretti, vol. III, n. 377 et sqq.; Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, c. XV et sqq.; Gregorius XVI, *In supremo apostolatus fastigio*, 3 Dec. 1839; Leo XIII, *In plurimis*, Epist. ad Episcopos Brasiliae, 5 Maii 1888; Litterae ad Card. Lavigiere, 27 Oct. 1880 et 17 Jul. 1890; Riviere (Armand), *L'Eglise et l'esclavage* (Paris 1864); Jaugey, *Diccion. Apologét.*, V. Esclavitud; Bienvenido Comín, *El Cristianismo y la ciencia del Derecho*, p. II, c. VII; Vallon, *Histoire de l'esclavage dans l'antiquité*; Möhler, *De l'abolition de de l'esclavage par le Christianisme* (Paris 1841); J. Denis, *Histoire des theories et des idées morales dans la antiquité*, t. 2. (Paris 1856). Gualtero Devivier, S. J., *Curso de apologética cristiana*, t. 2, c. V, a. 1. § 2; a. 2, § 2; Hettinger, *Apolog. del Crist.*, Confer. XXXVIII; Thorel, *Del origen de las sociedades*, t. 2, 3.ª cuest. § 2—6.°, A. Alonso Perujo, *El Apologista Católico* (Valencia 1884), p. III, c. 1; Paul Allard, *Los esclavos cristianos*, versión española de D. Luis Fernández Ramos.

2 *Rerum novarum.*

curam gerere et labores subire totius rei familiaris; ex altera, proletarius indiget non tantum pro praesenti sed etiam pro futuro vitae conservationi prospicere, quod nonnisi mediante famulatu vel operas locando consequitur; ergo *utriusque insufficientia* est fundamentum societatis herilis.

2. Quo posito, liquido apparet herilem societatem, arcte quidem connexam cum societate domestica, *remote* jure naturae vel saltem jure gentium induci: eam enim exigunt pacifica civium conviventia et duplex illa necessitas socialis conservandi scilicet domum et proprietates, ad quod heri necessario indigent stabili externorum cooperatione et subveniendi illorum indigentiae, qui omnia ad vitae necessaria sibi per seipsos procurare non valent. *Proxime* vero initur libero contractu, in quantum famuli voluntarie quidem mancipantur communi familiae servitio, sed cum conditione participandi ex bonis temporalibus et spiritualibus ejusdem familiae [1].

3. Societas igitur herilis definiri potest: *Adunatio moralis inter dominos et famulos, communis utilitatis gratia inita.* Dicitur *communis* utilitatis gratia facta, non alterius tantum, domini scilicet aut famuli, sed utriusque, ratione cujus praedicta adunatio veram constituit societatem. Quamobrem ad hoc ut extranei adsciscantur in membrum societatis domesticae et inde resultet veri nominis societas inter dominos et famulos quatuor potissimum requiruntur: 1) quod jus heri non coarctetur ad determinatum servitium, sed ad imperandos omnes labores vitae domesticae necessarios, quos famuli praestare possunt, extendatur; 2) quod famuli pactam mercedem, quae ad convenientem sustentationem et ordinaria saltem vitae subsidia satis sit, ab hero recipiant; 3) quod servi tanquam *de familia* habeantur et ideo heri curam eorumdem veluti proprii parentes gerant, ut sic beneficiorum vitae domesticae participes quodammodo efficiantur; 4) ut praedictus contractus sit, quantum fieri potest, stabilis, ne scilicet famuli in miseriam incidant bonisque ad vitam necessariis priventur in senectute aut tempore morbi, vel cum aliis ex causis impotentia physica laborent.

4. Ab hac essentiali ratione societatis herilis proculdubio deficit *recens societas patronalis,* quae in simplici contractu dominorum cum operariis inito consistit, et in qua opifices a familia, cui inserviunt, omnimode independentes certas praestant operas pro quotidiano salario. Nam hodie inter heros et famulos nullum aliud vinculum intercedit praeter contractum locationis pactumque salarium, nec aliae relationes, ut plurimum, existunt inter eos quam quae vigent inter dominos et conductos quoslibet operarios. Verum «non impune naturae institutum contemni, ut acute notat cl. ***P. Meyer,*** socialis operariorum mi-

1 Cfr. Rodríguez do Cepeda, *Elementos de Der. Nat.*, lec. 49.

seria, quam videmus, ad oculum demonstrat»[1]. Cognitio autem morbi, inventio remedii. Redeundum est igitur, in quantum praesentium adversorum temporum indoles et adjuncta patiantur, ad antiquam illam civitatum constitutionem, in qua societas domestica vivam familiae patriarchalis imaginem referebat.

5. Mutua autem inter dominos et famulos officia eadem sunt quae alibi descripsimus. Meminerint praecipue tum famuli tum domini quae ***Paulus*** scribit ad ***Ephesios:*** *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester dominus est in coelis; et personarum acceptio non est apud Deum*[2]. Regulis igitur prudentiae necnon Evangelicis praeceptis ordinanda est societas herilis modo descripta, quae uti diximus *a)* proprie non constituit *familiam,* tamen est naturale ejusdem complementum; *b)* est quoque saltem jure gentium necessaria; *c)* in concreto vero initur libera paciscentium conventione; *d)* longe differt a societate patronali; *e)* mutuam dominorum famulorumque utilitatem intendit; *f)* et denique est efficacissimum sane remedium ad ingruentia mala, potissimum quae ex invalescente pauperismo consequuntur, e societate propulsanda.

Hujusmodi societas, adhuc, etsi diminuta, vigens in populis et jure gentium inducta, longe distat a servitute, de qua impraesentiarum est agendum.

6. Duplex distinguitur servitus: una *mitior,* altera *obnoxia,* quae etiam *mancipium* dicitur (esclavitud).

Prima viget quando quis omnes suas operas pro solo victu absolute et perpetuo alteri debet, ita ut, salvis juribus essentialibus et inalienabilibus sibi propriis, vires suas laboresque ex integro in alterius utilitatem cedat. Obnoxia autem definiri potest: plenum dominium proprietatis hominis in hominem. In hac igitur servitute homo non tantum operas suas in alterius utilitatem et dominium transfert, sed jura quoque essentialia, necnon propriam personalitatem, et ideo herus potest pro libito disponere de vita et actionibus servi eo modo quo proprietarius disponit de re sua ejusque utilitate. De hac posteriori servitute, qualis viguit apud ethnicos, factum et jus inquiremus.

7. Et imprimis hujus servitutis initia ad ipsam polytheismi originem abs

1 *Jus Nat.*, sect. II, lib. I, c. III, a. 1, n. 117.
2 VI. 5-9.

dubio referenda sunt[1]. Nam cum homines coeperunt mortales aliquos inter coelites efferre, hi, superbia ducti, alios quosque velut inferius hominum genus, despiciebant et ab eis pendere arbitrati sunt quoad vitam et necem. Malum auxit adulantium opus. Nam nimis inflata dominorum facies claudebat oculos mentis et se alterius naturae reputantes aliis omnibus jus humanae personalitatis denegarunt. Quo factum est ut numerus servorum paulatim adeo excreverit ut liberorum capita longe superaret. Cum enim quondam descriptio facta fuerit Athenis, ea in civitate vigenti millia civium, servorum autem quadraginta millia vel juxta alios 400.000 inventi sunt. Nota quoque fuere nomina *Penestarum* apud Thessalos et *Ilotae* apud Lacedaemones, quibus designabantur integrae gentes servituti mancipatae, quarum seditionibus haud raro civitates quatiebantur. In bello Peloponnesiaco 20.000 servorum ad hostes transierunt. An. 71 ante Chr. 40.000 mancipiorum, duce Spartaco, bellum moverunt contra ipsum Imperium. Quondam pariter voluerunt optimates Romani ut servi tessera aliqua insigniti publice semper incederent; renuit tamen Senatus timens ne seipsos agnoscentes et numerantes insurgerent contra dominos et Urbem depopularentur[2]. Denique servorum multitudo tanta erat in Imperio Romano ut partem haud levem rei familiaris constituerent. Unde, referente Juvenali, commune fuit ad cognoscendas alicujus divitias interrogare: *Quot servos pascit.*

Vi hujus servitutis mancipia non habebantur ut capita, personae aut cives, imo neque ut homines, sed tantum ut *res* quaedam, teste ipso Juvenali. Cum enim quidam dominus suaderetur ne immane crimen committeret, suspendendo servum in cruce, servum *hominem* esse negavit:

> Pone crucem servo—Meruit quo crimine servus
> Supplicium? Quis testis adsit? quis detulit?...
> O demens. *Ita servus homo est?* Nihil fecerit; esto.
> Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas[3].

Hinc natum est illud: «In servos nihil non licet domino»; proindeque servi ut inimici et habebantur et tractabantur: *Quot servi tot hostes*, ajebant Romani. Cum dominus vel aliquis ex familia occidebatur servi omnes qui tunc temporis domi erant indiscriminatim necabantur. Propter mortem Pedanei, Urbis Praefecti, quadringenti servi ducti sunt ad supplicium. «Su-

1 «Ex primi contagione peccati et cetera mala omnia et ista erupit monstruosa perversitas, ut homines fuerint, qui, memoria fraternae ab origine conjunctionis rejecta, non jam duce natura mutuam inter se benevolentiam colerent, sed cupiditatibus obedientes suis, homines alios infra se putare coeperint et perinde habere ac nata jugo jumenta. Hoc modo nulla ratione habita neque communis naturae, neque dignitatis humanae, neque divinae expressae similitudinis, consecutum est ut per certationes et bella quae deinde exarserunt, qui vi existerent superiores, ii victos sibi subjicerent, atque ita multitudo ejusdem generis individua sensim in duas abscesserit partes, sub victoribus dominis victa mancipia». Leo XII, *In plurimis.*

2 Seneca, *De clem.*, I. 24.

3 *Satyr.*, VI. v. 223. Según Chateaubriand y Mgr. de Salinis, 6.000.000 de hombres, que constituían y se llamaban el pueblo-rey, estrujaban, pisoteaban y ultrajaban de mil maneras a 20.000.000 de esclavos. Devivier, loc. cit.

specta, ajebat *Cassius* (ut hanc inhumanitatem aliquantulum cohonestaret) majoribus nostris fuere ingenia servorum, etiam cum in agris aut domibus iisdem nascerentur charitatemque dominorum statim acciperent». *Pollio*, familiaris *Octavii Augusti*, ingentes muraenas sanguine servorum saginabat. *Quintus Flamìnius*, Senator, extemplo servum obtruncari jussit ut complaceret amico qui nunquam hominem interfici viderat. Quid plura? In Amphitheatro multa servorum millia saepe cum leonibus, nonnunquam inter se pugnasse ad populi oblectamentum festaque celebranda antiqua Romanorum historia testatur [1].

8. Plures fuerunt leges quibus in Imperio servitus obnoxia regebatur. Uti fundamentaliores habebantur sequentes: I.ª Servile caput jus nullum habet. II.ª Rerum bestiarumque loco habeatur. III.ª Servus tanquam criminis reus occidi, vendi, donari vel noxae dari potest. IV.ª Nequit verum connubium contrahere. V.ª Injuria in servum non cadit, sed tantum in dominum. VI.ª Quidquid servus adquirit domino adquirit, qui enim in alterius est potestate nihil proprium possidere potest. VII.ª Filii servorum parentum fortunam sequuntur.

9. Nec mirandum sane Romanos in servos crudelissimos fuisse, cum sapientissimi inter philosophos gentiles probrosam hujusmodi servitutem naturae humanae rerumque ordini valde consentaneam esse affirmare non erubuerint. «Animae dimidium servis abstulit Jupiter» [2], scribit *Homerus*. «Nihil in servis integri, nihil sani», ajebat *Plato*. Et *Aristoteles:* Ea ratione qua a natura imperium asseritur viro in mulierem, animo in corpus, homini in belluas, artifici in instrumentum, ita liberis in servos [3]. Inter recentiores servitutem probat *Nietzsche*, juxta quem, duo sunt genera hominum: *docti et nobiles*, qui *superhumani* dicuntur, et nulla indigent lege, sed suas propensiones libere omnino sequi possunt, quaecumque illae sint; *inculti*, qui suas passiones effrenare debent ut humiliter prioribus serviant. Verum philosophi Christiani unanimiter reprobant praedictam mancipationem ut omnino injustam; quibuscum sit

1 Cfr. Tacitus, *Annal.*, lib. XIV, c. 44; Valerius Maximus, lib. VI, c. 8; Seneca, *Epist.* 47. «Infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem ut loquantur licet: virga murmur omne compescitur; et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt tussis, sternutamentum, singultus: magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur: nocte tota jejuni mutique perstant.» Seneca, Epist. 17; Cfr. Allard, lib. I.

2 *Odys.*, XVI.

3 I *Polit.*, c. II. Servus non modo domini servus est, sed etiam absolute et omnino illius est, —res possessa – instrumentum ad agendum accommodatum et separabile. ib. Opiniones philosophorum circa servos videantur apud Weiss, Confer. XI. Quod Aristoteles docuerit servitutem esse naturalem, cfr. Henri Ritter, *Histoire de la Philos.*, tom. 8, lib. 9, chap. 5 (traduit de l'Allemand par J. C. Tissot, Paris 1836).

10. **Thesis. Servitus obnoxia legi naturali per se et intrinsece repugnat.**

Prob. Per se et intrinsece repugnat *a)* totum hominem alterius subjici potestati, *b)* juribus essentialibus et inalienabilibus ex integro expoliare, *c)* ad statum instrumenti inanimi reduci et *d)* inter *res* simpliciter computari. Atqui id facit servitus obnoxia. Nam 1) ita servus ex voluntate domini dependet ut non sit amplius sui juris, sed de eo pro libito disponere possit dominus, sicut de quacumque alia proprietate; 2) essentialia prorsus et inalienabilia sunt jura ad propriam perfectionem adquirendam, ad vitam et integritatem membrorum servandam, jus denique propriae personalitatis, quibus nemo renunciare potest quin naturam rationalem exuat, a qua jura illa sunt inseparabilia; 3) propriis juribus et praerogativis expoliari et ad alterius libitum sese movere nihil est aliud quam ad conditionem instrumenti inanimi descendere, 4) et inde non aestimari tanquam ens morale sed ut *res* quaedam haberi; quae omnia prorsus aliena sunt a natura et dignitate humana. Ergo servitus obnoxia per se et intrinsece repugnat legi naturae[1].

11. **De perpetuo famulatu.** Si loquamur de ea *mitiori* servitute qua quis, salvis juribus et officiis essentialibus, tenetur pro alimentis omnes suas operas alteri perpetuo praestare, communis philosophorum sententia docet *eam,* etsi parum consentanea sit humanae dignitati, *per se legi naturae non repugnare.*

Ratio autem cur hujusmodi servitus minus congruat humanae dignitati est *a)* quia plus aestimanda videtur tota activitas humana quam victus pro quo servus omnes suas vires impendit; *b)* quia servus, hanc vitam servilem perpetuo ducendo absque spe futurae libertatis, facile amittit nobilissimum humanae personalitatis conceptum et inferioris naturae se reputans animum ad abjecta paulatim deprimit; et *c)* denique quia ex parte dominorum haud raro degenerat in tyrannidem et probrosum dominatum.

Per se loquendo juri naturae minime ad versatur, *a)* quoniam servus habet dominium *utile* suarum virium; ergo potest eas locare pro solo victu et quidem per totam vitam, dummodo herus, in cujus utilitatem transfert omnes suas operas, non derelinquat eum in senectute sed provide ejusdem saluti prospiciat. *b)* Non solum juri naturae non adversatur sed justum quoque videtur servum, ob crimen commissum, posse, servata proportione culpae, externa libertate privari; ergo a

1 Cfr. Audisio, *Juris Nat. et Gent.*, lib. II, tit. XIV-XVI.

fortiori non repugnat quod voluntarie spondeat se in alterius utilitatem pro tota vita laborare, dummodo salva consistant officia essentialia erga Deum, seipsum et alios homines.

12. **Objicies.** Omnes homines sunt aequales; ergo per se repugnat quod quis ita alteri se subjiciat ut totaliter ab eo dependeat. Atqui id evenit in perpetuo famulatu; ergo juri naturae plane adversatur.

Resp. disting. antc.; *quoad praedicata essentialia,* conc., *quoad conditiones individuales*, nego. Ergo repugnat ut quis totaliter ab altero dependeat, *quoad jura inalienabilia,* conc.; *quoad operas*, nego, et nego pariter min. et conseq. Nam aequalitas omnium hominum est tantum specifica seu quoad praedicata essentialia, et ob hanc quidem rationem nequit unus homo in alterum transferre jura essentialia sibi propria, quorum nullum habet dominium *directum,* nam per se et inseparabiliter conveniunt humanae naturae: adest tamen maxima inaequalitas inter homines quoad proprietates individuales, ex quarum diversitate sponte fluit servitus illa mitior, de qua impraesentiarum loquimur [1].

Objicies iterum. Ajente *Angelico Doctore,* «servus in hoc differt a libero, quod liber est causa sui, servus ordinatur ad alium» [2]. Atqui non esse causam sui et ordinari ad alium per se repugnat naturae humanae personalitatis; ergo, cum in perpetuo famulatu servus ad alium quoque ordinetur, juri naturae plane adversatur.

Resp. conc. antec. et nego conseq.; quia antecedens loquitur de servitute stricte accepta, quae scilicet facit mancipia et vigebat apud ethnicos; ergo illegitime concluditur perpetuum famulatum repugnare juri naturae. Vel, si placet, distinguo min.; ordinari ad alium ut ad finem repugnat juri naturae, conc.; ordinari ad alium ut in ejus utilitatem cedat opera servi et hic vicissim ab eo mercedem accipiat, nego. Et in hoc posteriori sensu definiunt servitutem theologi scholastici, qui cum *S. Th.*, *Lugo* [3], *Molina* [4] et *Salmanticens.* [5], affirmant servitutem per se juri naturae non repugnare. «Tunc aliquis dominatur alicui ut servus quando eum, cui dominatur, ad propriam utilitatem sui, scilicet dominantis, refert», inquit *S. Thomas.* Personalis autem dignitas salvatur dummodo non ordinetur ad alium hominem ut ad finem nec in *rem* simpliciter convertatur. Id autem minime locum habet in perpetuo famulatu. Ergo tenendum videtur servitutem mitiorem, etsi minus humanae dignitati congruat, per se tamen et intrinsece juri naturali primario non opponi.

13. **Tituli quibus servitus mitior in antiquis populis constitui solebat.** Consuetudine universaliter inducta, aliquis efficiebatur legitime alte-

1 Cfr. D. Th., II-II, q. LVII, a. 3 ad 2.
2 I p. q. XCVI, a. 4.
3 *De jure et just.*, Disp. VI, sect. II.
4 *De just.*, Tract. II, Disp. XXIII.
5 *De jur. et just.*, Tract. XII, Punct. V, n. 41.

rius servus *a)* jure belli; *b)* justa condemnatione; *c)* pacto voluntario; *d)* emptione vel donatione et *e)* servili nativitate.

Jus belli. Cum enim populi ethnici existimarent victori licere captivos in bello indiscriminatim occidere, a fortiori eos in servitutem perpetuo redigere justum putarunt. Hodie vero inter nationes aliquali cultura fruentes non amplius viget hujusmodi agendi ratio.

Justa damnatio. Nonnulla crimina adeo gravia et atrocia reputantur, ut eorumdem auctores, communi omnium sensu, morte digni judicentur. Ergo si poena demerito respondere debet, jure optimo damnantur ad servitutem qui merebantur non tantum externa libertate sed vita quoque privari.

Pactum voluntarium. Constat ex dictis legitima hujus tituli usurpatio. Servitus mitior, in eo consistens quod homo omnes suas operas pro alimentis et vestitu domino praestare promittit per totam vitam, juri naturali minime repugnat. Ergo si licitum est servo operas suas, libera voluntate, locare seu vendere pro congrua et perpetua sustentatione, licet quoque domino eam praestationem, seclusa fraude et adjecta conditione servandi promissum, acceptare.

Emptio et donatio. Qui legitimo titulo in sui similes dominatum tenet, jus quoque possidet, absolute loquendo, vendendi et donandi eorumdem operas et servitia, non vero personam; sunt enim pretio aestimabilia. Nihilominus semper habenda est ratio *hominis,* necnon aetatis, sexus et conditionis servorum, ut hujusmodi commercium, alias periculis plenum, et in quod, statutis quoque poenis, graviter animadvertit Ecclesia, licitum evadat.

Natura servilis. Ante Christi Redemptoris adventum adeo late pervaserat populos omnes calamitas servitutis ut habita fuerit tanquam necessarium aliquod societatis fundamentum, siquidem decrescente admodum ingenuorum numero auctaque in dies servorum multitudine, pestis illa monstruosaque perversitas quamdam *socialem institutionem firmam atque stabilem* constituit, *solo nativitatis titulo.* Nam proles e servis nata parentum fortunam sequebatur, et ideo, sub heri potestate et dominio a nativitate constituta, hero debebatur per totam vitam, sicque paucorum dominatio in plurimos stabilem quamdam institutionem accepit.

Verum hujus tituli justitia non est omnibus comperta nec de facili probari potest. Quidam affirmant quod, cum proles sit fructus parentum, ei tota debetur cui subjecti sunt parentes, eo modo quo dominus rei est etiam dominus fructuum ejusdem. Sed his cohonestari nequit jus servitutis. Nam 1) filii non sunt proprietates parentum; nullus enim habet domi-

nium directum in personam alterius; 2) nec quis expoliari potest bonis externis aut proprias operas alteri transferre nisi voluntaria traditione aut justa damnatione. Ergo solo titulo nativitatis non cohonestatur servitus.

Alii dicunt operas et servitia filiorum qui e servis nascuntur deberi domino ratione compensationis pro laboribus, alimentis etc., quos parentes sub heri potestate constituti impenderunt in filios. Verum nec ista ratio justum reddit titulum famulatus perpetui, vi nativitatis. Cum enim servi 1) jus habeant ad matrimonium contrahendum filiosque procreandos independenter a voluntate domini, officio naturali tenentur infantium vitae et conservationi prospicere. Ergo dominus nequit exigere a filiis in servitute natis labores in eorumdem educatione a parentibus impensos, cum hujusmodi labores,non domino,sed filiis, natura id exigente,debeantur. 2) Gratis etiam concesso quod herus possit dictam compensationem repetere, nequit eam extendere ad totam vitam filiorum absque aperta justitiae laesione, nec eos jure perpetuo privari ad stabiles proprietates adquirendas, cum parentes nonnisi determinatum tempus et aliquales operas impenderint in eorumdem educatione. Ergo nativitas servilis nequit se sola legitimum titulum constituere. Nihilominus, cum rarior esset ingenuorum numerus certe periclitabatur ipsa societas, si uno ictu vel subitanea abrogatione penitus extingueretur servitus, et ideo necessitas conservandi ordinem socialem potuit quondam cohonestare titulum nativitatis servilis. Humanae autem naturae dignitas, eo non obstante, expostulabat ut hujusmodi consuetudo paulatim aboleretur; quod factum est opera potissimum Ecclesiae Catholicae.

14. **In laudem Christianae Religionis**[1]. Non abs re erit, neque a philosophia penitus alienum, heic investigare fontes sive principia ex quibus hodierna morum suavitas, necnon vigens universalis fraternitas atque omnibus indiscriminatim hominibus tributa sacra libertas promanaverint, quippe nonnulli Scriptores Ecclesiae Catholicae infensi eam merita laude fraudare conantur, ut *Guizot,* qui servitutis extinctionem non Ecclesiae Catholicae, sed aliis causis adscribit[2], et *Ernestus Havet*[3] eam hac in re negligentiae insimulans. Alii vero cum *Biot,* ulterius progredientes, asserere audent Christianos in vindictam persecutionum a beneficio libertatis ethnicos exclusisse. Veritas autem historico-philosophica hujus facti his verbis exprimitur:

1 Cfr. Paul Allard, *Los esclavos cristianos*, lib. II y lib. III. c. I. *Las iglesias y las manumisiones*; Troplong, *De l'influence du Cristianisme sur le droit civil des Romains*; L. Garriguet, *El valor social del Evangelio*, c. V.; Ernesto Guitart, *La Iglesia y el obrero*, c. III y IV; P. Silverio de S. Teresa, *El precepto del amor*, c. X y XI.

2 «Mil veces se ha dicho y repetido que la abolición de la esclavitud en los tiempos, modernos es debida enteramente a las máximas del Cristianismo. Esto es, a mi entender,adelantar demasiado: mucho tiempo subsistió la esclavitud en medio de la sociedad cristiana sin que semejante estado la confundiese o irritase mucho». Apud Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, c. 15.

3 *El Cristianismo y sus origines* (1851).

Thesis. Tum servitutis extinctio, tum subinde nacta inter omnes homines aequalitas universalisque fraternitas potissimum Ecclesiae Catholicae debentur.

Equidem post adventum Christi Domini qui, ut *praedicaret captivis redemptionem,* ad nostra descendit, ut ipsemet testatus est[1], adhuc per longam saeculorum seriem inveterata servorum conditio perduravit. Verum si quis diligenter advertat qua lenitate et prudentia foedissimam servitutis pestem Ecclesia exsecuit depulitque non est commissurus ut ea debita laude privetur. «Illa enim, inquit ***Leo XIII,*** ad manumissionem libertatemque curandam servorum noluit properare, quod, nisi tumultuose et cum suo ipsorum damno reique publicae detrimento fieri profecto non poterat»[2]. Nihilominus ejusdem *doctrina agendique ratione* vel ab ipso suae nativitatis exordio tuto parabatur via absolutae servorum emancipationi.

15. **Doctrina.** Etenim, ut Novi Testamenti paginae testantur, omnes homines ejusdem sunt naturae—omnes filii Dei—omnes fratres—membra ejusdem corporis—omnes vocati una vocatione ad fidem—ad sacramenta—ad regnum coelorum—omnes habent eumdem Dominum, apud quem non est acceptio personarum.

Audiatur Apostolus: *Omnes filii Dei estis per fidem quae est in Christo Jesu. Non est Judaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*[3]. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Gentiles, sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus*[4]. *Et vos, domini, eadem facite illis (servis) remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum*[5] «Aurea sane, honestissima, saluberrina documenta, scribit ***Leo XIII,*** quorum efficacitate non modo hominum generi decus redditur suum atque augetur, sed etiam, cujusque ipsi sunt loci vel linguae vel gradus, inter se consociantur et vinculis fraternae vicissitudinis arctissime continentur»[6].

Hanc Ecclesiae Catholicae doctrinam disserte non minus ac eleganter expositam quoque reperies apud *Sanctos Patres* et *Scriptores Ecclesiasticos*. Satis erit, speciminis gratia, duorum referre testimonia. «*Hominem*

---

1 Luc. IV, 19.
2 loc. cit. Cfr. Allard, op. cit. pag. 11 et sqq.
3 *Galat.*, III, 26-28. Cfr. *Colos.*, III, 11.
4 *Cor.*, XII, 13.
5 *Eph.*, VI, 9; legatur c. II *Epist.* Jacobi Apostoli.
6 *In plurimis.*

rationalem ad imaginem suam factum, inquit *Augustinus, noluit Deus nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori*» [1]. Quo fit ut «*conditio servitutis jure intelligatur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura*» [2].

Egregium quoque testimonium habemus apud *Lactantium:* «Deus qui homines generat et inspirat, omnes aequos, id est, pares, esse voluit. Eamdem conditionem vivendi omnibus posuit; omnes ad sapientiam genuit; nemo a beneficiis ejus segregatur. Nam sicut omnibus unicum suum lumen aequaliter dividit, emittit omnibus fontes, victum subministrat, quietem somni dulcissimam tribuit, sic omnibus aequitatem virtutemque largitur. *Nemo apud eum servus est, nemo dominus; si enim cunctis idem pater est, aequo jure omnes liberi sumus.*

Nemo Deo pauper est nisi qui justitia indiget; nemo dives nisi qui virtutibus plenus est; nemo denique egregius nisi qui bonus et innocens fuerit; nemo clarissimus nisi qui opera misericordiae largiter fecerit. *Quare neque Romani neque Graeci justitiam tenere potuerunt, quia dispares multis gradibus homines habuerunt.....* Duobus igitur illis justitiae fontibus immutatis (pietas in Deum, aequalitas hominis ad hominem), omnis virtus et omnis veritas tollitur, et ipsa justitia remigrat in coelum.....

..... Cum omnia non corpore sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, *nobis tamen servi non sunt, sed eos et habemus et dicimus spiritu fratres, religione conservos*» [3].

Porro fecundum hujus doctrinae semen, perseverante Ecclesiae Cathoiicae opera,ubique gentium sparsum, altas radices egit in populis et ad sui normam mores populares propria virtute componens, procedentibus saeculis servitutem paulatim extinxit.

16. **Agendi ratio.** Hac quidem sublimi doctrina radicitus praecidebatur servitutis immanitas et probrosa conditio, sed Ecclesia, eo minime contenta, manus pariter admovit ut de facto penitus abrogaretur. Id autem fecit multis et variis modis, potissimum *a)* precibus servorum libertatem ab heris impetrando; *b)* prohibendo iteratis decretis ne quis servos occideret aut graviter vulneraret; *c)* excusando a suppliciis corporalibus qui ad Eclesias, immunitatem quaerentes, confugerent; *d)* manumissione eorum qui monasticam vitam agere constituis-

1 *De Civit. Dei*, lib. XIX, c. 15.

2 In *Gen.*, c. XXX. Cfr. S. Th. I p. q. XCVI, a. 4.

3 *Divin. Inst.*, lib. V, c. 15 et 16. Renán dice de la Iglesia en su Marco-Aurelio: «Mostrando al esclavo capaz de la virtud, heroico en el martirio, igual a su amo y tal vez superior a él en el reino de Dios, la nueva fe cristiana hacía imposible la esclavitud. La antigüedad no había conservado la esclavitud más que excluyendo a los esclavos de los cultos patrióticos. Si hubiesen sacrificado con sus amos, se hubiesen elevado moralmente».

sent; *e)* admissione ad ordines sacros, obtenta prius eorumdem libertate; *f)* severe dominis interdicendo servorum permutationem; *g)* jure contrahendi matrimonium, invitis quoque dominis, eisdem libenter concesso[1]; *h)* redemptione captivorum; *i)* denique in exercentes turpem hominum mercaturam, gravissimis etiam adhibitis poenis, animadvertendo.

Abundant in hac materia historica documenta[2]. Sufficit insigne *S. Pauli* exemplum qui, remittens ad *Philemonem Onesimum* servum fugitivum, pro eo veniam et libertatem expostulans, inquit: *Tu autem illum ut mea viscera suscipe.... jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem et in carne et in domino: si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa*[3].

Et quamvis alia monumenta Ecclesiae Catholicae operas in delenda servitute celebrantia non exstarent, sola ipsa Ordinum *Sanctissimae Trinitatis* et *Sanctae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum* institutio, summam ejus in servos caritatem magnifice commendaret. Nam Trinitarii (a *S. Joan. de Mata* an. 1199) plusquam 900.000, Mercedarii vero (a *S. Petro Nolasco* et *Raym. de Pennaflor* an. 1223 fundati) 400.000 christianos captivos de Turcarum tyrannide liberavisse dicitur. Nec raro Ecclesia Catholica, omni qua potuit ope, sacra etiam supellectili divendita abjectam servitutem levavit, exsecuit, depulitque. Documenta praesto sunt. Legatur Historia ecclesiastica. Ipsemet *S. Ambrosius* de se scribit (de off. lib. II. c. 2): «Nos aliquando in invidiam incidimus quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus, quod arianis displicere potuerat, nec tam factum displiceret, quam ut esset quod in nobis reprehenderetur». Id quoque fecere non semel *Augustinus, Hilarius, Patritius, Gregorius, Paulinus* aliiqui sanctissimi viri, imo non defuerunt qui seipsos captivos devoverunt pro captivis redimendis.

Et Concilium Londinense jam an. 1102 praeceperat: «Ne quis illud *nefarium negotium*, quo hactenus in Anglia solebant homines sicut bruta animalia venumdari, deinceps ullatenus facere praesumat».

Cum vero saeculo decimoquinto ad exitum vertente servitus antiqua, apud christianas gentes jam prope deleta, in regionibus Africae, Asiae et Americae detectis denuo revivisceret coeperitque fieri turpis quaedam mercatura, servis ad id opus ex Aethiopia deportatis et Indos servitutis opprobrio subjiciendo, Ecclesia fortiter obstitit dominorum cupiditati hancque licentiam saepius acriterque redarguit. Ipsi Missionarii, praesertim *Bartholomaeus de las Casas* et *Beatus Petrus Claver*, dicti *Apostoli Ni-*

1 Servos, invitis etiam dominis, posse nuptias inire apostolicis sententiis defendit saeculo VII Hadrianus I. Nec alia fuit Sanctorum Patrum sententia, quamque tuetur S. Thomas docens servos non teneri dominis suis obedire in his quae spectant ad matrimonium contrahendum filiosque procreandos. II-II q. CIV, a. 5.

2 Plura reperies apud Balmes, *El Protestantismo*, t. I. Notas.

3 *Ad Philem.*, 12-18.

grorum, pro Indorum libertate acerrime pugnarunt et eorumdem causam apud principes christianos, summa laborum constantia, tuiti sunt. Romani quoque Pontifices, multis editis constitutionibus et statutis poenis, hujusmodi foedam negotiationem radicitus excidendam curarunt. Inter alios memoria digni sunt *Pius II, Leo X, Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII* et *Gregorius XVI*. Novissime vero *Leo XIII*, cum ex quorumdam Africae aequinoctialis exploratorum testimonio et fide sibi constaret «ad quater centena millia sic homines afros vendi solitos, pecorum instar, quotannis, quorum dimidiam circiter partem de viis asperrimis languidos concidere ibique interire», tantarum miseriarum cogitatione commotus «omnes quicumque imperio et potestate antecedunt, vel jura gentium et humanitatis sancta esse volunt, vel religionis catholicae incrementis ex animo student, ubique omnes, *hortatur*, ut ad ejusmodi mercaturam, qua nulla inhonesta magis et scelerata, comprimendam, prohibendam, extinguendam enixe conspirent» [1]. Hisce quoque nostris diebus de societate et religione benemeritus est Episcopus Carthaginiensis *Cardin. Lavigerie*, cujus opera, publica humanae carnis negotiatio in pluribus Africae regionibus extincta est, adjuvante religiosa Congregatione ab eo fundata, vulgo dicta *los Padres Blancos* [2].

Itaque Ecclesiae Catholicae, concludimus cum *Leone XIII, amplissimo Christi Redemptoris beneficio, expultrici servitutis, veraeque inter homines libertatis, fraternitatis, aequalitatis effectrici, satis nunquam proinde ac de prosperitate gentium merita est, haberi potest vel laudis vel gratiae* [3].

---

1 *In plurimis*. M. Berlioux, in Licaeo Imperiali Lugdunensi professor, censet ex relationibus acceptis, nigritas venumdatos singulis annis ad 75.000 ascendere; quod si, ut refert Livingstone, pro quolibet nigrita divendito *quinque* ad minus in itinere pereunt summam attingit 375.000. *Traite Orientale, histoire des chasses a l'homme organisées en Afrique depuis de quinze ans pour les marches de l'Orient*. 1876.

En Quiloa (costa oriental) han pasado durante cinco años por la aduana 97.203 esclavos, es decir, casi 20 000 cada año. Javier Galvete, *Fragmentos y ensayos*. Madrid 1879.

2 Véase *El precepto del amor*, por el P. Silverio de S. Teresa, c. XLIV.

3 ib Cfr. quoque ejusdem Leon. XIII Litterae Encycl., *Catholicae Ecclesiae*, 20 Nov. 1890.

QUAESTIO II

DE SOCIETATE CIVILI

Rerum connexio. Cum ***Stagirita,*** summo philosophorum principe, «tres partes tuendae rei familiaris esse diximus: unam rationem *herilem,* seu ad imperium domini in servos pertinentem; alteram *patriam,* quae spectat ad auctoritatem patris in liberos, tertiam *nuptialem,* quae refertur ad principatum viri in uxorem» [1].

Ex triplici illa societate completur familia, de qua supra dictum est. Nunc autem a familia ad civitatem gressum facientes, intimam societatis naturam pandere oportet, varias ejusdem causas exponendo, quoniam scientia rei ex perfecta cognitione causarum adquiritur.

Agendum est ergo 1) de causa efficiente seu de origine societatis civilis; 2) de causa materiali seu de multitudine; 3) de causa finali et 4) de auctoritate, causa scilicet formali societatis. Circa auctoritatem vero tria sunt investiganda: *a)* in se et generatim inspecta, cujus sit institutionis, divinae scilicet an humanae, et determinatio subjecti politicae potestatis in concreto; *b)* variae quae inde promanant regiminis formae et *c)* triplex ejusdem auctoritatis functio; quam consequitur *d)* quaestio de officiis subditorum erga politicam potestatem.

Articulus I

Praenotiones genericae

Summa rerum. 1. *Definitur societas;—exponuntur singula definitionis verba.* 2. *Quid sit auctoritas;—ejusdem a dominio gemina differentia.* 3. *Activitas socialis quae complectatur;—tria in actione sociali consideranda.* 4. *Principium quotuplex;—imputabilitas.—Repugnat principium obedientiae absolutae.* 5. *Finis ad quem actio socialis ordinatur.* 6. *Norma.* 7. *Associationis praestantia.—Rejicitur Individualismus.* 8. *Variae societatis species;—singulae breviter describuntur.*

1. Societas civilis potest realiter definiri: *Unio moralis et constans hominum in finem honestum et communem, suis actibus viribusque conjunctis, conspirantium.*

Explicatur definitio. Dicitur *a) unio,* quia societas in genere aggregationem quamdam seu conjunctionem significat; *b) hominum,* ad designanda

1 I *Polit.*, Cfr. D. Th., lect. X.

civilis societatis membra; non enim lapidibus, plantis, animalibus aut angelis constat, sed hominibus,qui inter se vinculis internis intellectus et voluntatis consociantur, et idcirco additur *c) moralis*, quia non sufficit ad rationem societatis humanae physica, localis, vel externa tantum plurium hominum conjunctio, sed requiritur unio hominum, prout homines sunt, hoc est, libere tendentes in finem cognitum et volitum; *d) constans*, id est, stabilis, quia societas humana «nec ad hoc instituitur quod aliquo tempore duret, sed quod omni tempore perseveret per civium successionem»[1]; *e)* in finem *honestum* quia homines coadunantur ut propriam perfectionem, sociis adjuvantibus facilius consequantur. Propria autem hominum perfectio intra limites honestatis continetur; *f) communem*, non unius tantum, quia in illum tendunt omnium sociorum aspirationes et in ordine ad illum coadunantur. «Hi soli partes sunt multitudinis congregatae, inquit *Angelicus*, qui sibi invicem communicant in bene vivendo. Si enim propter solum vivere homines convenirent, animalia et servi essent pars aliqua congregationis civilis. Si vero propter adquirendas divitias, omnes simul negotiantes ad unam civitatem pertinerent»[2]; *g) suis actibus* et *viribus unitis;* actio quippe communis mutuumque auxilium necessaria omnino sunt, ut quod nullo modo vel aegre tantum singuli singillatim consequi valent, id actione communi facilius consequantur. Est igitur societas civilis unio *intelligentiarum*, *voluntatum* et *virium* ad finem honestum et communem consequendum, quam quidem unionem facit auctoritas socialis unam omnibus sociis imprimens directionem.

2. **Est autem auctoritas** *principium cui competit determinare de bono communi et ad hoc concordes dirigere sociorum vires*, vel si mavis, *jus seu facultas moralis obligandi membra societatis ut ad bonum commune suis actibus conspirent.* Differt igitur a *dominio*, quia dominium exercetur in res, potestas vero in personas; dominium in commodum domini cedit, auctoritas vero in bonum societatis.

Porro ex multitudine civium et ex auctoritate, per quam multitudo reducitur ad unitatem, resultat *corpus sociale*, eo modo quo corpus physicum organicum humanum constat pluribus elementis vi intestina conjunctis. Consideranda est ergo societas ad modum personae moralis, cui proinde jura nonnulla competunt, officiis quoque devincitur propriaque gaudet activitate[3].

1 I-II. q. XCVI. a. 1.

2 *De Regimine Principum*, lib. I, c. 14.

3 Interest maxime utrumque societatis elementum, materiale, scilicet multitudinem, et formale seu auctoritatem, quam aliqui *Status* nomine insigniunt, secernere, quia nec jura nec officia sunt utrique communia sed plane diversa. Distinguir la sociedad del Estado significa, según Hertling, conceder a aquella una vida autónoma, con sus fines, fuerzas, funciones, organismos propios, y es al propio tiempo una tácita protesta contra la idea de un omnisciente y omnipotente estado policiaco. *Política social.* I. Origen de la política social.

3. **Activitas socialis** complectitur omnes operationes quae a societate, tanquam a persona morali, procedunt. In actione autem sociali tria sunt consideranda, quemadmodum in actu individuali humano, scilicet: *principium, finis* et *norma* seu regula actionis.

4. **Primarium principium** actionis socialis est superior, cui necessaria est directa cognitio et intentio finis; *secundarium* vero corpus sociale seu subditi quibus sufficit velle et cognoscere indirecte et in communi finem ad quem diriguntur a superiore. Hinc *imputatio moralis* primario et principaliter cadit in superiorem, secundario autem et minus principaliter in corpus sociale; quia actiones imputantur agenti secundum influxum quem in easdem exercet. Nulla autem hominum societas, inquit clar. *P. Meyer,* esse potest, tametsi autocratico aut militari regimine praedita, in qua tota socialis imputabilitas ita soli imperanti reservetur, ut subditi imperio obtemperantes ea penitus exempt censeri queant. Etenim naturae ac dignitati morali omnis corporis socialis, (utpote quod personis ratione et libertate utentibus constat) essentialiter repugnat illud principium *obedientiae absolutae,* quo subditi instar machinae, ad omnia quaecumque imperantur, et unice quia imperantur, etiamsi ipsorum conscientiae morali manifeste contraria sint, caece cooperari teneantur[1].

5. **Finis,** ad quem actio socialis dirigitur, debet *esse bonum commune externum omnium sociorum, quo facilius et efficacius possint hujus vitae imperfectam felicitatem consequi.* De quo plenius infra.

6. **Norma** autem sive regula recte operandi ex principio et fine operationis desumenda est. Tria potissimum requiruntur ut recte ordinata sit socialis actio: 1) *Ut dirigatur in illud bonum commune quod est finis societatis specifice proprius;* 2) *in bonum non apparens sed verum* per debitam ejus subordinationem saltem remotam sub fine hominis ultimo; 3) *ut eo tendat vere socialiter,* id est, secundum proprium agendi modum personae moralis ac mediis ei consentaneis[2].

7. **Associationis praestantia atque necessitas.** Impossibile est paucis comprehendere immensas quas producit utilitates hominum societas. Generatim statui potest Deum, omnium beneficiorum largitorem, cuncta nobis naturalia donasse media societate, si enim ab ea praescindere velit universum genus humanum se omnium fere bonorum spoliatum inveniet. «Fac, scribit ***Balmesius,*** nationem subito perdere quidquid generationes praecedentes reliquerunt, nec aliud servare nisi quod ipsa fecit: civitatibus, villis ac ferme omnibus aedificiis carebit; flumina absque pontibus et aggeribus erunt: terra sine agrico-

1 Sect. II, lib. I, a. 2, § 2.
2 **Meyer,** ib. n. 381.

lis aedificiis; regiones sine itineribus, maria navibus, portubus et pharis privabuntur; bibliotecae libris et documentis spoliabuntur; artes regulas amittent, nec aliquid permanebit, cum, quod singulae generationes conficiunt, fere nihil sit, si comparetur cum his quae haereditate possident. Infelix humanum genus, si vel in tempore, vel in spatio, societatis conjunctio rumperetur: si in spatio, homines, brutorum more, dispersim errarent; si in tempore, haereditatis perditio universali diluvio similis esset; nec divitiarum, quibus gloriamur, aliquid superesset, nisi tabularum fragmenta aequore vasto natantia»[1].

Associationi opponitur *individualismus*. Individualismus autem pessumdat artium progressum, litterarum culturam et humanitatis civilizationem, vitam quoque humanam pacificam et tranquillam impossibilem reddit. E contra, per associationem «individualis securitas contra passionum impetus defenditur; media vitae conservandae augentur; vires naturae dominandae ac humanis necessitatibus subjiciendae multiplicantur; intellectuales facultates ingenter increscunt, cum omnes participes fiant intelligentiae omnium». Imo, «in associatione vires non crescunt ratione additionis, sed *multiplicationis*, quae saepe saepius adeo magna est, ut factorum communium lege exprimi nequeat»[2].

8. **Diversae societatum species.** Societas distinguitur 1) in *naturalem* seu necessariam, quae ab ipsa natura specificam accipit constitutionem et ab ea oritur, v. gr. societas domestica, et *liberam*, quae voluntaria et individuali paciscentium conventione initur, cujusmodi sunt societates oeconomicae, litterariae, operariorum etc; 2) in *simplicem* et *compositam*, prout ex aliis societatibus non coalescit, v. gr. societas conjugalis, vel alias simpliciores in se continet, ut familia; 3) in *universalem* et *particularem*. Hujusmodi divisio relativa est. Prior, una cum sit, ubique terrarum diffunditur et omnes gentes complectitur, quod, lato quodam sensu, universo generi humano vel etiam plurium Statuum foederationi, proprie vero Ecclesiae Catholicae solummodo convenit. Particulares vero dicuntur societates quae per se stant absque aliarum conjunctione, v. gr. singulae nationes; sic quoque vocantur societates quae non ab Statu, sed ab individuis organice sunt constitutae, ut societates agricolarum; 4) in *completam* seu *perfectam*, quae in se et per se possidet independenter ab alia omnia media ad finem consequendum necessaria, et *incompletam* seu *imperfectam*, quae natura sua ad aliam ordinatur ab eaque dependet in esse aut in operari.

1 *Ethica*, c. XX, n. 170. Cfr. F. Bastiat, *Harmonies economiques*, c. I; Bautain, *Philos. Morale*, t. II, § 80.

2 **Balmes**, loc. cit. n. 166 et 168.

Specifice autem pro diversis consociationum gradibus plures exurgunt societates diversae; potissimum vero tres: *domus* seu familia, *civitas* seu municipium et *regnum*. Nam, si praedicta consociatio coalescit ex puris individuis naturaliter unitis sub patria potestate, exurgit *familia;* si plures familiae inter se copulantur ducantque vitam in eodem loco sub auctoritate alicujus superioris, habemus *civitatem, municipium* seu *commune;* si plures civitates jure suo utentes conveniant ad ampliorem societatem efformandam sub una communi auctoritate, constituunt *regnum* sive nationem. Denique associatio omnium nationum ad unum corpus morale efformandum sub una suprema auctoritate vocatur societas *Ethnarchica*.

Articulus II

De causa efficiente seu de origine societatis civilis [1]

Duplicem causam efficientem solent distinguere philosophi, *remotam* et *proximam*. Ergo ad originem societatis civilis perfecte cognoscendam utramque successive exquirere convenit.

§ 1

DE ORIGINE SOCIETATIS CIVILIS GENERATIM INSPECTAE

Summa rerum. 1. *Status quaestionis; - duplex societatis consideratio.* 2. *Disjunctiva solutio; - gravissima consectaria quae ex alterutrius assumptione dimanant.* 3. *Philosophorum placita:* a) *contractus socialis* (Hobbes, Rousseau); — *theoria usurpationis* (Haller, Lingg); — *Schola historica* (Savigny, Stahl); b) *Evolutionismus socialis* (Comte, Spencer, Darwin, Hegel, Wundt), 4. *Vera exponitur sententia.* 5. *Reprobatur theoria Contractus socialis.* 6. *Theoria organico-naturalista* a) *peccat in suo principio,* b) *illogice procedit,* c) *gravissima in praxi offendit incommoda.* Prob. 7. *Vera sententia de naturali societatis origine propugnatur.* 8. Thesis. *Homines in civili societate vivere natura jubet, seu verius, auctor naturae, Deus.* Prob.

1. Hac in re, quemadmodum in multis aliis quaestionibus, duo sunt accurate distinguenda, scilicet: id quod societati generatim in-

1 Cfr. Aristoteles, *I Politicorum*, c. I; D. Th., ib. lect. I; *De Regim. Principum*, lib I, c. I; Suarez, *De legibus*, lib. III; Bellarminus, *De laicis*, c. V et VI; Victoria, *Relect. de potestate civili*; Taparelli, *Ensayo*, lib. II, c. II; Thorel, *Del origen de las sociedades*,

spectae convenit, et quod singularum societatum in specie proprium est. Illud constituit elementum necessarium, abstractum et commune; alterum vero elementum contingens, concretum et singulare. Unde aliud est quaerere originem societatis civilis in genere, quod modo praestabimus, et longe diversum investigare quae sit causa efficiens hujus vel alterius societatis determinatae. Singularum quippe societatum constitutio ex pluribus causis iisque contingentibus dependet; prior autem consideratio humanam socialitatem respicit et ideo huic alteri necessario praesupponitur.

2. Restricta ergo quaestione ad investigandam originem sive causam efficientem societatis civilis in genere, solutio communis in promptu est. Etenim «quod homines in societate vivant, factum quoddam est, quod in dubium verti nequit: hujus igitur facti causam aliquam esse oportet. Et quia de hominibus sermo est, in quibus natura et voluntas sunt actionum principia, sequitur quod societas esse debeat aut opus *naturae*, aut opus *libertatis* humanae, consequenter aut necessarium aut liberum, nisi forte sub diverso adspectu sit utrumque simul» [1].

Jam: diversa plane consectaria eaque gravissima oriuntur ex alterutrius assumptione. Nam posito quod socialitas humana sit factum quoddam *conventionale* ortum ex pacto voluntario, hujusmodi pactum est causa, origo et fundamentum totius ordinis socialis, jurium quoque et officiorum quibus homines ad invicem adstringuuntur, ita ut lex, auctoritas, religio, ceteraque omnia ad institutionem socialem spectantia ab inconstanti hominum voluntate pro libito dependeant. E contra, si socialitas humana sit factum *naturale* necessario ex essentialibus naturae humanae conditionibus emergens, totius ordinis socialis origo et fundamentum altiores habet radices, siquidem ab incommutabilibus naturae principiis vim et consistentiam haurit. Solutio ergo est maximi momenti.

3. **Philosophorum placita.** Ad explicandam originem societatis plures sunt excogitatae sententiae, inter quas, theoriae *a) Contractus socialis,*

---

tom. II, cuestión preliminar; *Lo verdadero y lo falso en materia de autoridad y libertad*, por el R. P. At, (traducido de la 3.ª ed. francesa, Barcelona 1877), p. I; Roselli, *Ethica*, q. ult., a. 1; Martel, *Filosofia Moral*, p. II, c. I-III; Jacquier, *Philos. mor.*, p. II, sect. I, c. II; Costa-Rossetti, *Philos. mor.*, p. IV, sect. II, § 1; Schiffini, *Disputationes Philos. mor.*, vol. II, Disp. IV, sect. V; Liberatore, *Jus soc.*, c. II, a. 1; Mendive, *Jus Naturale*, c. IV, a. 1; González, sect. II, *Ethic. spec.*, c. II, a. 1, José M. Llovera, C. C. *Tratado Elemental de Sociología Cristiana*, c. I—III; Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei*, et alibi saepius; cuncta demum *Philos. Moralis Manualia*.

1 Zigliara, *Jus. Nat.*, lib. II, c. II, a. 2.

b) evolutionis naturalisticae et *c) entis socialis* seu *conceptionis organico-rationalis* sunt praecipuae.

a) **Contractus socialis.** Theoria conventionis, quam *Hobbes* in *Anglia* et *J. J. Rousseau* in *Gallia* sub forma scientifica vulgarunt, antiquiorem vindicat sibi originem. Hujus quippe semina apud veteres illos philosophos reperiuntur, qui putant jus omne et civitatum constitutionem ab humana voluntate, pacto inter cives, vel etiam metu promanare.

1) *Hobbes* (1588-1679) ad veram juris philosophiam instituendam necessarium judicavit ad illum statum assurgere in quo homo ante initam quamlibet societatem constitutus est. Invenit autem hujusmodi statum *naturalem* et *primitivum* humanitatis esse statum *belli*, proindeque hominem esse natura sua *antisocialem* [1]. Quod ut explicaret, posuit homines in illo statu primaevo et naturali duplici incitamento praeditos, nempe: *illimitata cupidine* adquirendi fruendique, et *innata sollicitudine* ad arcendam mortem vitamque servandam. Ex primo, ex *egoismo* scilicet, enascitur *bellum omnium contra omnes*. «Natura, inquit, dedit cuique jus in omnia; hoc est, in statu mere naturali sive antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent unicuique licebat facere quaecumque et in quoscumque, licebat possidere, uti, frui omnibus..... Frui tamen non poterat propter vicinum qui aequali vi praetendebat idem esse suum». Ex altero autem profluit desiderium ineundi societatem ad vitam pacemque servandam. «Hominibus, inquit, in hoc statu belli constitutis, conservatio sui diuturna expectari non potest, quare quaerendam esse pacem rectae rationis dictamen est». Ne igitur mutuo se perderent homines convenerunt jus illud absolutum et illimitatum quod singuli habebant ad omnia in gratiam communitatis cedere, quae quidem cessio, communi consilio facta, originem dedit *statui sociali* hominum. Per novum autem contractum elegerunt personam determinatam ad quam *jus dicere* spectat cuique omnes obedire tenentur.

2) Celebrior tamen evasit *contractus socialis* opera *Rousseau* (1712-1778), qui praefatam theoriam crude nimis exposuit in opere *Discours sur l'origine de l'inegalité parmi les hommes* [2], et potissimum in altero *Du contrat social ou principes du droit politique*. Ipse namque statuit, tanquam totius sui systematis basim et novi juris fundamentum, ordinem socialem a natura neutiquam provenire, sed ortum esse humana conventione [3]. Id autem ut probaret, finxit statum hominis originarium *extrasocialem*, in quo vitam ducebat, more belluarum, solivagam ac silvestrem, «cibum capiens sub quercu, potum ad primum aquae rivum, quietem no-

1 Cfr. Weiss, *Apologia*, p. II, Confer. XII.

2 Hablando de este Discurso dice Voltaire en carta al mismo Rousseau: «jamás se ha empleado tanto ingenio en pretender convertirnos en bestias. Al leer vuestro libro se sienten deseos de caminar a cuatro patas»: y luego le califica de *un libro más contra la humanidad*.

3 «El orden social es un derecho sagrado que sirve de base a todos los demás. Este derecho sin embargo no viene de la naturaleza; luego se funda en convenciones». *El Contrato social*, c. I (traducido por J. M., Madrid 1880).

cturnam sub ipsa arbore, quae et victum eidem suppeditabat»[1], siquidem ab aliis animalibus sola organorum perfectione, necnon libertate, rudi tamen et embryonaria, discriminabatur. Ratione, loquela, religione, justitia, egibus, juribus et officiis, ideis quoque moralibus destitutus, solo ducebatur instinctu nec alias vitae functiones exercebat in illo statu ferino praeter vegetativo-sensitivas[2]. Nihilominus, juxta *Rousseau*, hic est status *naturalis* homini maxime congruus, a quo homines, rationis compotes decursu temporis effecti, arbitratu suo recesserunt, et per contractum socialem *Civitatem* efformarunt. Cum praesens status socialis non sit naturalis, liberrima dumtaxat conventione creari potuit. Conventio autem sita est in totali alienatione jurium personalium, quam quisque facit in favorem communitatis. Ex collectione vero singularum personarum resultat *una voluntas generalis* seu persona publica, olim *Civitas* vocata, nunc *Respublica, corpus politicum, Status, Potentia* vel *Populus*[3]. Sic salva consistit libertas inalienabilis et absoluta uniuscujusque, dum scilicet, obediendo communitati, sibi obedit, tantumque recipit quantum cessit[4]. En theoria contractus socialis a qua universalis rerum conflagratio in Gallia saec. XVIII, necnon subsequentes revolutiones sociales et politicae velut a fonte manarunt.

3) Ad hanc sententiam accedit eorum theoria, qui cum *Jellinek, Haller* et *Lingg*, originem societatis in genere cum principiis quarumdam civitatum in particulari confundentes, arbitrati sunt omnem societatem *usurpatione* constitutam esse: homines siquidem initio feroces et barbari debiliores armis subjugarunt propriaeque auctoritatis jugum imposuerunt. Eadem docuerat *Rousseau*[5].

4) *Schola* denique *historica*, assentientibus positivistis, *factum* constitutionis civitatum agnoscit, ulterius affirmans paulatim efformatas esse concurrentibus moribus et consuetudinibus humanis, nullum tamen admittit jus naturale, quo homines adstringantur ad ineundam societatem. Ita *Savigny, Stahl* aliique

b) **Theoria evolutionis naturalisticae,** quae etiam *organica* dicitur, docet contra *Rousseau* societatem non esse opus libertatis aut cujuscumque contractus, sed necessitatis absolutae; unicam siquidem causam efficientem societatis agnoscit, scilicet *instinctum sociabilitatis* lege haere-

1 *Disc. sur l'origine* etc., I p. pag. 662.

2 *El Contrato soc.*, c. VIII.

3 ib. c. VI. A. Ahrens defiende también que «el estado social que sucedió al natural, ha sido constituído por la convención o el contrato social». *Curso completo de Derecho nat.*, Introd., c. III, § 1, pag. 34.

4 «El problema fundamental cuya resolución se encuentra en el contrato social puede expresarse en estos términos: Encontrar una forma de asociación capaz de defender y proteger con toda la fuerza común la persona y bienes de cada uno de los asociados, pero de modo que cada uno de estos, uniéndose a todos, solo obedezca a sí mismo y quede tan libre como antes». ib. c. VI.

5 «El primer hombre que, después de posesionarse de un trozo de tierra, tuvo la ocurrencia de decir a los demás, harto simples para dar crédito a sus palabras, «esto me pertenece», fué el verdadero fundador de la sociedad». *El Contrato Social*, c. I.

ditaria acceptum et fatali quadam necessitate explicatum. Censent namque evolutionistae homines a brutis descendere, proindeque, initio omni moralitate relationibusque socialibus penitus destitutos, solas vires physicas, dolorem et voluptatem aestimasse, decursu vero temporis organismum primitivum valde transformatum et *sui conscium* instinctu socialitatis, quo praeditae sunt plures animalium clases, perfectam cum aliis conversationem instituisse. Itaque, juxta ipsos, civitas est verus organismus ope evolutionis progressivae necessario productus. Societas igitur definiri potest: *ultima phasis, momentum vel status, ad quem primaeva et unica substantia* (materia vel spiritus) *existens in mundo, caeca, successiva et indefinita suipsius explicatione paulatim pervenit.* In hanc theoriam deveniunt *Positivistae* cum *Augusto Comte*, *Pantheistae* cum *Hegel*, *Panthelistae* cum *Wundt*, et *Evolutionistae* cum *Spencer* et *Darwin*.

4. Cordatiores philosophi societatem concipiunt ut totum quoddam morale suis juribus et officiis propriaque gaudens activitate; negant tamen esse verum organismum physicum a civibus distinctum et a statu bruto et informi ad perfectiorem fatali evolutione transeuntem, quemadmodum opinatur ***Pantheismus*** socialista. Tenent igitur societatem esse aggregationem moralem hominum ad eumdem finem cognitum et volitum conjunctis viribus consequendum, ortam ab ipsa natura, seu verius, auctore naturae, qui fecit hominem *socialem*, ut ipsaemet essentiales humanae vitae conditiones perspicue manifestant, et universum genus humanum, si quosdam philosophos excipias, voce concordi fatetur. «Perspicuum est, inquit ***Aristoteles,*** civitatem in his rebus, quae natura constant, esse numerandam: et *hominem civile animal esse natura:* et eum qui, naturae impulsu, non fortunae culpa, civitatis sit expers, aut esse improbum, aut homine meliorem, ut is, in quem ab ***Homero*** hoc maledictum conjectum est: «Cui neque curia, nec lex est, neque Vesta Laresque». *Ἐκ τούτων οὖν φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον, καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν καὶ οὐ διὰ τύχην ἤτοι φαῦλος ἐστιν ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος, ὥσπερ καὶ ὁ ὑφ' Ὁμήρου λοιδορηθεις «ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος.»* [1] Patet ergo statum socialem esse, juxta hanc doctrinam, homini maxime connaturalem. vitam autem sylvestrem minus eidem consentaneam.

5. Quid de hisce theoriis sentiendum sit praecedens expositio, etsi admodum brevis, clarissime ostendit. Nihilominus

Contractus socialis *a) falsis nititur principiis,* scilicet homines 1) omnimoda gaudere libertate et independentia, et 2) cum natura sint pares, omnes iisdem aequalibusque juribus pollere;

1 I *Polit.*, c. I (ed. Didot).

b) est hypothesis arbitraria; gratis namque asseritur 1) statum primitivum et naturalem hominis fuisse ferinum; 2) solo instinctu perfectibilitatis, rationem, libertatem, sermonem, quibus destitutus erat, successu temporis adquisiisse; 3) pacto ab statu solivago ad societatem transiisse; a quibus namque, ubi, quomodo, quando initum sit hujusmodi pactum nec ex historia nec ex traditione populorum probari potest, nec hujus facti ullum reperitur vestigium; nunquam ergo extitit nisi in imaginatione ***Rousseau,*** imo 3) nec potuit existere, quippe homines ratione carentes non potuerunt ideam societatis efformare vel contractum inire. Pactum insuper supponit consensum voluntatis, implicat pariter sermonem, quo homines destituti erant in illo statu belluino; numquid poterant creare sermonem? Theoria igitur conventionis non tantum est arbitraria et commentitia sed etiam *impossibilis*[1].

c) Contradictionibus scatet; nam 1) quae de homine in suo statu primitivo et naturali serio praedicant contractualistae non enti rationali sed phantasticae imaginationis puncturae appropiari queunt.

> Humano capiti cervicem pictor equinam
> Jungere si velit, et varias inducere plumas
> Undique collatis membris, ut turpiter atrum
> Desinat in piscem mulier formosa superne;
> Spectatum admissi, risum teneatis, amici?[2]

Huic descriptioni persimilis est quam de homine, vitam solivagam ducente ante initum pactum, efformant ***Rousseau, Burlamachius, Spedalieri,*** ceterique contractus socialis patroni. Finxit quippe ***Rousseau*** homines non homines, utpote ratione, sermone, ideis moralibus carentes, bruta scilicet animalia solo instinctu praedita. 2) Posuit homines ratione destitutos gaudentes nihilominus libertate; 3) eos decursu temporis rationis compotes apparuisse per explicationem facultatis sensitivae; specie ergo non differunt ab equo. 4) Manifestam pariter contradictionem implicant quae de natura contractus efferunt conventionalistae. In hoc enim ejus essentia consistit quod quis totaliter cedit sua jura propriam etiam libertatem ad efformandam *voluntatem generalem*, ut sic talis societas constituatur in qua singuli cives, associatione mediante, suam servent libertatem retineantque jura ut ante contractum. Libertatem autem et independentiam esse omnino inalienabiles, eas tamen alienare oportere ad constituendam societatem; propria jura communitati totaliter cedere et ea nihilominus intacta retinere, per se repugnat.

1 Cfr. Thorel, loc. cit. cuestión 2.ª; Taparelli, *Ensayo*, lib. II, c. X; Audisio, lib. III, tit. II; Montagne, O. P., *Etudes sur l'origine de la société*, c. I.

2 Quint. Horat. Flac., *De arte poetica*, init.

d) hujusmodi theoria ad praxim deducta 1) perpetuis favet revolutionibus[1]; 2) inducit anarchiam, siquidem populus potest, cum voluerit, principem a se electum repudiare[2]; 3) ipsam societatem convellit, quia, libere constituta, liberrima quoque paciscentium voluntate dissolvi potest; 4) item cum status antisocialis sit, juxta conventionalistas, naturae humanae valde consentaneus, redeundum est ad illum statum pristinum absolutae independentiae et omnimodae aequalitatis[3] et evertenda quomodolibet, vi scilicet, vel mediis politicis, actualis societatis nequam constitutio. Exitialibus hisce doctrinis ope Encyclopedistarum longe lateque diffusis, rebellionum turbo et civilium revolutionum colluvies universam Europam depopulati sunt, omnia susdeque verterunt. Nec mirandum sane, quia *non potest arbor mala bonos fructus facere.*

e) Denique, cum tota conventionis fabula inducta sit et excogitata, juxta ***Rousseau,*** tanquam medium necessarium ad explicandum transitum naturae humanae ab statu sylvestri et belluino ad socialitatem, funditus corruat necesse est, negata reali existentia illus status *anti* vel *extra-socialis*. Cum enim sit quaestio *facti,* ex historia vel traditione definienda est. Porro nullum extat documentum historicum quo possit demonstrari hujusmodi conventionalistarum suppositio; e contra, omnia tum historiae tum traditionis monumenta exhibent hominem in aliqua societate viventem; ergo standum est harum testimonio.

6. **Theoria organico-naturalista** *a) peccat in suo principio, b) illogice procedit, c) gravissima in praxi offendit incommoda.*

a) Assumit namque tanquam principium omnino certum successivam materiae vel spiritus transformationem; tota quippe nititur pantheismo ***Hegeliano*** vel ***Darwinistarum*** transformismo. Ergo.

b) Illogice procedit 1) quia ex analogiis existentibus inter organismum physicum et socialem non licet concludere *eamdem* utrumque originem habere; 2) ex organica corporum constitutione per determinismum transformistam producta jus nullum est eamdem doctrinam applicandi ad *super-organicam* tum hominis tum Status originem; 3) in illa

1 *Contrato soc.*, lib. III, c. XVIII. «El pueblo, dice Rousseau, siempre es dueño de mudar sus leyes, hasta las mejores; porque si le place hacerse daño a sí mismo ¿quién tiene derecho a estorbárselo?» Ib. lib. II, c. XII.

2 «Los representantes y depositarios del poder no son los señores del pueblo, sino sus oficiales: éste puede nombrarlos y destituirlos cuando le acomode». ib. lib. III, c. XVIII. Expresius adhuc exposuit hanc anarchicam doctrinam in formula qua juramentum fidelitati praestari debet: Prometo guarda fidelidad y obediencia única y solamente mientras sea gobernado con rectitud y justicia y me reservo el derecho de juzgar por mí si soy bien o mal gobernado». Véase El Filósofo Rancio (P. Alvarado). Carta IV-VII.

3 «El hombre se ha degradado pasando voluntariamente a la sociedad de su primitivo estado de libertad y absoluta independencia». *Discours etc.*

etiam corporum organicorum origine investiganda inconsequentia laborant positivistae. Dogma quippe fundamentale positivismi est nihil esse admittendum quod experientia demonstratum non constet; sed entis tum organici tum superorganici origo experientia demonstrari non potest; inconsulto ergo adstruunt organismum socialem per necessariam et successivam naturae evolutionem creari.

c) Denique theoria organica, ut a naturalistis exponitur, *centralismum* et *statolatriam* justificat. Prob. Constituta civitate per *autogenesim* ex materia, seu ex physica et absoluta necessitate naturae, legitime infertur 1) hominem ad societatem ordinari ut medium ad finem et totum esse propter eam; 2) ab Statu omnino dependere; 3) Statum esse omnium jurium et officiorum causam; 4) proindeque nulla concipi posse jura et officia privata ante societatis constitutionem aut independenter ab ea; 5) postremo, supprimenda esse sodalitia particularia ad suppetias mutuo ferendas, instituta, familiam, proprietatem, ceterosque organismos vel corporationes *autonomas*. Verbo: per *autogenesim* civitatis negantur omnia jura individualia et constituitur Status unicum omnium actionum moralium principium, quemadmodum in organismo physico quaelibet molecula a toto dependet, est propter totum eique adhaerere indiget ut ab eo vitam et motum accipiat [1].

7. **Vera sententia de naturali societatis origine propugnatur.** Constat ex dictis societatem civilem non esse opus solius libertatis, nec originem trahere ex progressiva et fatali naturae evolutione; est ergo opus naturae vel auctoris naturae, non exclusa libertate.

In ipsa natura humana cum omnibus suis facultatibus et indigentiis, prout a Deo creata est, invenimus radicem et fundamentum societatis in genere; libertas autem humana est elementum quo homo inclinatur ad unam potius quam ad aliam societatem constituendam. Causa igitur ultima societatis in genere, de qua exclusive loquimur in praesenti, reperitur in *ipsa natura reali hominis*, quae ex se expostulat aliorum consortium ad suipsius perfectionem adquirendam. Sed quia homo, in quantum homo, et ut individuum naturae humanae, finem habet et juribus quoque pollet antecedenter ad societatem et independenter ab ea, hinc necessitas illum inclinans ad societatem non est *absoluta* sed *moralis* solummodo. Ut autem clarius pateat mens nostra in re tanti momenti sequentem cum *Leone XIII* probabimus veritatem:

---

1 Cfr. P. Calmes, *L'Etat, sa nature et ses fonctions*; E. Caro, *Le materialisme et la science*, c. VI-VIII.

8. **Thesis.** **Insitum homini natura est ut in civili societate vivat**[1], vel ut alibi docet: **Homines in civili societate vivere natura jubet, seu verius, auctor naturae, Deus**[2].

Probatur thesis tum directe, tum indirecte.

Arg. *directum* sumitur *ex reali naturae humane conditione* quae, prout a Deo creata est et de facto subsistit, luculenter demonstrat hominem natum esse ad societatem, extra quam, moraliter loquendo, finem suum obtinere nequit. Nam id ostendunt: *a) naturalis necessitas vel insufficientia hominis solitarii ad vitam tum animalem tum rationalem conservandam et perficiendam; b) instinctus socialitatis; c) facultas loquendi et d) amor naturalis hominis in hominem.*

a) In primis ad vitam *animalem* conservandam indiget homo 1) *arcere mortis pericula;* 2) *necessaria ad vivendum parare subsidia.* Age vero «aliis animalibus, inquit ***S. Thomas,*** natura praeparavit cibum, tegumenta pilorum, defensionem, ut dentes, cornua, ungues, vel saltem velocitatem ad fugam. Homo autem institutus est nullo horum sibi a natura praeparato; sed loco omnium data est ei ratio per quam sibi haec omnia officio manuum posset praeparare. Ad quae praeparanda unus homo non sufficeret; nam unus homo per se sufficienter vitam transigere non posset. Est igitur homini naturale quod in societate multorum vivat»[3].

Dein: ad vitam *rationalem* evolvendam necessario inter alia requiruntur 1) multarum diversarumque disciplinarum studium, 2) humanum magisterium, 3) traditionisque conservatio. Atqui ad omnes disciplinas unus idemque homo non potest attendere; pauci omnino sunt qui, proprio marte, eas invenire et inventas perfecte cognoscere valent; exemplis innumeris ostendi potest nullam esse culturam et civilizationem extra societatem, artes denique, potissimum ingenuas, et scientias sive speculatrices sive practicas non deberi sterili *individualismo,* sed esse uberes societatis fructus[4]. Ergo. Hinc perbelle ***S. Thomas*** post ***Aristotelem:*** «singuli homines comparantur ad totam civitatem, sicut

1 *Immortale Dei.*

2 *Diuturnum*; Cfr. Llovera, loc. cit. a. III, § 1; Tongiorgi, *Jus. Nat.* c. IV, a. 2, et 3; A. Noget Lacoudre, *Ethica*, p. III c. II, § 2, u. 1-3; Kachnik, *Eth. soc.*, c. 1, § 3.

3 *De rege et regno ad Regem Cypri* seu *de Regimine Principum*, lib. I. c. 1. *Opusc.* XVI. (ed. Rom. XX). Socialitas adeo haeret humanae naturae ut etiam «homines in statu innocentiae socialiter vixissent». D.Th., 1 p. q. XCVI. a. 4.«Hoc naturalis ordo praescribit: ita Deus hominem condidit». S. Aug. *De Civit. Dei*, lib. XIX. c. 15. Et Suarez, hanc probat conclusionem: «Dicendum videtur homines in statu innocentiae, si duraret, habituros fuisse inter se politicam societatem, qualis in civitate perfecta vel regno esse potest». *De op. sex dier.*, lib. V, c. VII, n. 4.

4 Cfr. Balmes, *Philos. Elem.*, Ideologia. c. XVI.

partes hominis ad hominem. Quia sicut manus aut pes non potest esse sine homine, ita nec unus homo est per se sibi sufficiens ad vivendum separatus a civitate» [1].

b) Spontanea hominis inclinatio ad communicandum cum aliis, ad praestandum auxilium, operas, favorem et subveniendum etiam extraneis et inimicis, dum hi gravi necessitate laborant, certe demonstrat societatem non ex pacto aliquo, aut libera voluntate, sed ab intima naturae humanae constitutione ortum ducere. Et ideo *naturale est homini ut sit animal sociale et politicum in multitudine vivens,* [2] «magis quam apes et quodvis animal congregabile» [3], ut loquitur Stagirita.

c) Idipsum evidenter ostendit *facultas loquendi,* ut pereleganti ratione declarat *S. Th.* cum ***Aristotele***. «Natura nihil facit frustra, quia semper operatur ad determinatum finem. Unde si natura attribuit alicui rei aliquid quod est de se ordinatum ad aliquem finem, sequitur quod ille finis detur illi rei a natura..... Cum ergo homini datus sit sermo a natura et sermo ordinetur ad hoc quod homines sibi invicem communicent in utili et nocivo, justo et injusto et aliis hujusmodi; sequitur ex quo natura nihil facit frustra, quod naturaliter homines in his sibi communicent. Sed communicatio in istis facit domum et civitatem. Igitur homo est naturaliter animal domesticum et civile» [4].

d) Mutuus amor quo homines naturaliter se invicem prosequuntur quamdam gignit *solidaritatem* inter eos, qua in bonis et malis communicant et in qua communicatione societas consistit. Ergo sicut naturalis est amor hominis in hominem, naturalis pariter est societas inde dimanans.

Denique probatur cum Stagirita civitatem esse naturalem *ex ordine ad familiam* per cujus extensionem naturaliter generatur. Finis rerum naturalium est natura ipsarum. Sed civitas est finis praedictarum communitatum (domus, vicus), de quibus ostensum est quod sunt naturales; ergo civitas est naturalis.

Major probatur. «Illud dicimus esse naturam uniuscujusque rei, quod convenit ei quando est ejus generatio perfecta; sicut natura hominis est quam habet post perfectionem generationis ipsius. Sed dispositio rei quam habet perfecta sua generatione est finis omnium eorum quae sunt ante ge-

1 I *Polit.*, lect. I. El mismo Rousseau, dice: «El estado primitivo (extra. social) no podía durar; hubiérase extinguido el género humano de no haber cambiado de condición y modo de ser». loc. cit. Cfr. S. Th., *De reg. princip.* lib. IV, c. II, ubi ostendit necessitatem constituendi civitatem propter communitatem necessariam humanae vitae».

2 D. Th., *De Regim. Princip.*, loc. cit.

3 I *Polit.* c. I.

4 I *Polit.*, loc. cit. *Οὐτὲν γάρ, ὡς φαμέν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ, λόγον δὲ μονον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζῴων.*

nerationem ipsius; ergo illud quod est finis naturalium principiorum ex quibus aliquid generatur est natura rei. Et sic cum civitas generetur ex praemissis communitatibus, quae sunt naturales, ipsa erit naturalis». Minor autem sic declaratur ab *Angelico:* «Illud quod est optimum in unoquoque est finis et cujus gratia aliquid fit; sed habere sufficientiam est optimum; ergo habet rationem finis. Et sic, cum civitas sit communitas habens *per se sufficientiam vitae*, ipsa est finis praemissarum communitatum»[1]

Probatur thesis *indirecte* 1) per exclusionem aliarum sententiarum; 2) ex historia populorum.

1) Tres tantum excogitari possunt viae ad explicandam originem societatis in genere, ut supradictum est: Atqui prima et secunda solidis destituuntur fundamentis et plura eaque gravissima offendunt incommoda; ergo societas in genere est institutio naturalis, proindeque divina.

2) Historia omnium gentium exhibet hominem semper et ubique in aliqua societate viventem. Variat quidem cultura et civilizatio populorum secundum tempus, locum, hominum complexionem etc.; sed gentes omni sociali relatione carentes nemo unquam vidit. Qui enim totaliter ab aliorum consortio segregatus vitam ducit solitariam, quia non potest cum aliis communicare aut non eget communicatione, aut fera, aut Deus est, inquit ***Aristoteles***[2]. Atqui *factum adeo constans* et *universale* nequit a causis contingentibus aut ab humana voluntate provenire; ergo ab ipsa natura humana descendit quae, una cum sit, omnes homines impellit ad societatem. *Auctor igitur societatis est Deus.*

---

1 I *Polit.*, lect. I.

2 *Ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, ἢ μηθὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, οὐθεν μέρος πόλεως, ὥστε ἢ Θηρίον ἢ Θεός.* I *Polit.*, c. I. (ed. Didot).

§ 2

DE CAUSA PROXIMA EFFICIENTE, SIVE DE ORIGINE SOCIETATIS CIVILIS IN CONCRETO[1]

Summa rerum. 1. *Status quaestionis aperitur.* 2. *Diversae theoriae.* 3. *Duae priores expositione ipsa convelluntur.* 4. *Scholasticorum sententiae.* – *a) Schola juris historico-naturalis* (praevalentia praeexistentis juris domestici).—*b) Veterum scholasticorum opinio* (consensus tacitus vel expressus, electio directa aut indirecta). 5. *Plura facta exhibentia causam occasionalem aggregationis.* 6. *Duplex genesis* (historica et philosophica) 7. *Auctoris sententia.* 8. Thesis: *Causa efficiens proxima societatis civilis, conferens scilicet multitudini per vinculum juridicum civium inter se et cum aliquo superiore stabilem unitatem, est consensus hominum sive tacitus sive explicitus, vel, ut alii malunt, electio directa vel indirecta.* Prob. Thesis: *a) b) c) d).* 9. *Notanda ad solvendas difficultates.* 10. *Veterum scholasticorum sententia longe distat a Puffendorfii theoria.*

1. **Status quaestionis.** Ex dictis liquido constat societatem in abstracto esse immediate a natura, seu quod idem est, hominem essentialiter ordinari ad societatem, quae quidem ordinatio, ab ipsa reali naturae humanae conditione imperata, vocari potest *socialitas* (sociabilidad). Ulterius autem oportet investigare causam qua hujusmodi socialitas ad actum reducitur. Haec autem erit causa efficiens proxima societatis in specie.

2. Porro ad assignandum factum primigenium modumque originarium quo determinatae societates sunt essentialiter sive juridice constitutae quatuor circumferuntur sententiae, scilicet: *a)* theoria *fatalismi historici, b) successivae aggregationis, c) juris praeexistentis* et *d) consensus sive electionis humanae.*

a) Fatalistae sociales, humanae libertatis influxum tum in efformandis societatibus tum in earumdem conservatione et regimine prorsus rejicientes, a priori statuunt: historiam societatum nihil aliud esse quam connexa factorum series invicem necessario dependentium, proindeque fatali quadam naturalique evolutione jure constitutas et explicatas esse. Ita

1 Cfr. Suarez, *De legib.*, lib. III. c. II et seqq.; *Defensio Fidei Catholicae*, lib. III, c. II et III; Bellarminus, loc. supra cit.; Taparelli, *Ensayo*, lib. II, c. VI; Rodríguez de Cepeda, lec. 51; Cathrein, *Philos. Mor.*, lib. II, c. III, a. 1; Ferretti, c. III, a. 4; Willems, *Ethic. soc.*, c. II, § 3. sect. II, B.; Reinstadler, *Ethica spec. soc.*, c. I, a. 3; alii auctores ubi de origine auctoritatis.

Kant, Hegel, Comte, Stein, Merkel, Post, Dahn, Lasson, Bierling, Schaefle, quibuscum sentiunt Pantheistae et Evolutionistae omnes.

b) Altera sententia, quam sequitur et defendit *A. Fouillée*, explicat originem societatum in concreto per *puram, successivam et independentem coacervationem* familiarum, in quarum *aggregationem*, factam ob fines privatos individuorum, dominatum exercet lege quadam universali, qui divitiis, ingenio aut potentia inter eos invenitur superior. Cum autem is a nullo dependeat, alii vero, utpote debiliores, natura duce, ipsi subjaceant, habemus utrumque societatis elementum, scilicet auctoritatem et multitudinem.

Verum tum haec tum praecedens positio refutatione non indigent.

4. Philosophi autem *Scholastici*, supposita humani generis propagatione ab *Adamo*, necnon exigentia ex parte hominis ad vivendum in societate, ad quam natura inclinat quin tamen formam determinatam vel conditiones, quibus in concreto debet constitui, praescribat, cum ad factum vel causam vinculum juridicum proxime efficientem assignandum descendunt, in duas sententias dividuntur.

a) Ex recentioribus multi cum *Taparelli, Liberatore, Gonzalez, Meyer, Schiffini* et *Cathrein* putant societatem civilem constitutam esse per naturalem et organicam societatis domesticae evolutionem in familiam Patriarchalem, successive in vicum et Provinciam et ultimo in integram gentem. Nam «familia, inquit Liberatore, ita est societas quoad domesticum gyrum completa, ut tamen respectu hominis absolute imperfecta sit et ad plene satisfaciendum humanis indigentiis minime sufficiens. At imperfectum non idcirco a natura progignitur, ut tale permaneat, sed ut in perfectum gradatim mutetur, atque ad hoc inclinationem recipit, a qua assidue incitatur et promovetur. Ergo juxta naturae ordinem et insitam naturae vim, familia huc tendit, ut in societatem absolute perfectam transformetur, quae homini juvando et perficiendo plene suppetat. Haec autem est civitas, vel politicum corpus, quod nonnisi ex perfecto hominum consortio exurgit, in commune bonum conspirantium»[1].

In hac ergo theoria *praevalentia praeexistentis juris domestici* causat proxime et efficienter vinculum juridicum sociale, quo omnis societas in ordine reali essentialiter constituitur.

b) Alii vero cum *Audisio*,[2] *Costa-Rossetti*,[3] *Vander Aa*[4], *Cappellazzi*[5], et *Zigliara*[6], veterum Scholasticorum sententiam pro viribus tuentur, asserentes factum illud, quo societates in specie constituuntur, non esse jus aliquod praeexistens in familia, sed tacitum vel expressum multitudinis consensum, seu directam vel indirectam electionem[7].

1 *Jus Nat.*, p. II, c. II, a. 2, n. 40.
2 *Juris Naturae et Gentium Fund.*, lib. III, Tit. III.
3 *Phil. Mor.*, parte IV, sect. II, § 1.
4 *Praelect. Philos. Schol.*, lib. VII, c. 3.
5 *Sociologia civile.*
6 *Jus soc.*, c. II, a. 3.
7 Cfr. S. Aug. *De Civ. Dei*, lib. I, c. 21. n. 2; S. Th., II-II. q. XLII, a. 2.

5. Plura quidem recenseri possunt facta per quae multitudo familiarum in unum congregantur, v. gr. *multiplicatio* familiarum ex uno eodemque stipite procedentium, *coexistentia* plurium familiarum in eodem territorio, *relationes commerciales* communis utilitatis gratia initas, *major* unius patrisfamilias *potestas, subjectio* in bello, aliis praepotentibus ad sui defensionem *aggregatio* etc.

Verum haec facta et similia exhibent quidem *causam occasionalem* seu materialem aggregationis, non tamen causam effectivam et proxime producentem vinculum juridicum, cives inter se et cum auctoritate conjungens, quod, ex praefatis, necessario praerequiritur ad veram rationem societatis.

6. Interest ergo maxime, ut existimo, duplicem genesim societatis distinguere, *historicam* scilicet et *philosophicam*. Prima explicat aggregationem materialem familiarum sive modum quo materialiter coacervatae sunt multitudines; altera vero *rationem formalem* constitutivam societatis.

7. Libenter igitur fatemur *genesim historicam societatis civilis optime explicari per naturalem evolutionem societatis domesticae;* hancque fuisse ordinariam priorum societatum efformationem testatur historia sacra, nec dissentit profana. Idipsum cordati quique philosophi sentire videntur [1].

Audiatur *S. Thomas:* «Omnis domus regitur ab aliquo antiquissimo, sicut a patre familias reguntur filii. Et exinde contingit, quod etiam tota vicinia, quae erant instituta ex consanguineis, regebantur propter cognationem ab aliquo qui erat principalis in cognatione, sicut civitas regitur a rege..... Ideo autem hoc regimen a domibus et vicis processit ad civitates, quia diversi vici sunt sicut civitas dispersa in diversas partes; et ideo antiquitus habitabant homines dispersi per vicos, non autem congregati in unam civitatem. Sic ergo patet quod regimen regis super civitatem vel gentem processit a regimine antiquioris in domo vel vico» [2].

Sed, ut scite animadvertit *Suarez*, «considerare oportet hanc multiplicationem domorum seu familiarum duobus modis potuisse consistere: unus per solam divisionem unius familiae ab alia, sine aliqua peculiari conjunctione morali inter se, et sic *non efficiunt proprie unam communitatem politicam, sed unum aggregatum per accidens plurium domesticarum*

---

1 «Cum hoc sit natura commune omnium animantium, inquit Tullius, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis; deinde una *domus* communia omnia. Inde autem est principium urbis et quasi *seminarium reipublicae*. Sequuntur enim fratrum conjunctiones; post, consobrinorum sobrinorumque; qui cum una domo jam capi non possint, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia et affinitates, ex quibus etiam plures propinqui; quae propagatio et soboles *origo est rerum publicarum*. *De offic.* lib. I, 17.

2 I *Polit.*, lect. I. Eadem tradit Suarez, *Defens. fidei cath.*, lib. III, c. II, n. 19.

communitatum..... Alius ergo modus multiplicationis familiarum seu domorum est cum distinctione domestica et aliqua unione politica, quae non fit sine aliquo *pacto expresso vel tacito* juvandi se invicem, nec sine aliqua subordinatione singularum familiarum et personarum ad aliquem superiorem vel rectorem communitatis, sine quo talis communitas constare non potest»[1]. Quamobrem ad mentem veterum Scholasticorum, quos praeiverant *S. Augustinus* et *Thomas Aquinatensis*, sequentem stabilimus thesim ad genesim philosophicam civitatis explicandam.

8. **Thesis. Causa efficiens proxima societatis civilis, conferens multitudini per vinculum juridicum civium inter se et cum aliquo superiore stabilem unitatem, est consensus hominum sive tacitus sive explicitus, vel, ut alii malunt, electio directa vel indirecta.**

Prob. thesis. Causa efficiens proxima societatis in concreto est factum illud, quo multitudo reducitur ad stabilem unitatem et determinatae politicae potestati per justitiam legalem subjicitur; atqui nulla ex causis a Schola juris historico-naturalis assignatis potest illam stabilem unitatem producere una cum vinculo juridico ad veram rationem societatis omnino necessario; ergo, secluso consensu vel electione, societas permanet adhuc indeterminata seu in intentione naturae.

Major ab omnibus admittitur. Prob. minor. Causae praecipuae, ex quibus communitas perfecta justitia legali coadunata resultat, sunt juxta scholam historico-juridico-naturalem, *a)* plurium familiarum coexistentia in eodem territorio et vicinitas loci; *b)* earumdem aliis jam existentibus conjunctio; *c)* origo a communi stipite et *d)* coactio a potentioribus illata; atqui secluso consensu sive electione multitudinis, nequit ulla ex praejactis causis vinculum sociale juridicum producere; ergo.

a) Possunt namque plures familiae in eodem territorio vitam independentem et autonomam ducere, seipsas jure privato regere, vel cum aliis in eodem loco degentibus relationes industriales, scientificas, commerciales inire, quin tamen unam societatem civilem efforment, aut determinatae et communi auctoritati velint obedire. Vicinitas quippe loci et familiarum coexistentia officia generalia solummodo, ut mutui amoris, auxilii etc, producere queunt, non tamen ordinem juridicum legalem. Multiplicatio familiarum in eodem territorio auget quidem *numerum*, non vero *qualitatem*, proindeque nequit relationes domesticas sola additione in civiles mutare.

1 *De op. sex dier.*, lib. V, c. 7, n. 3.

b) Conjunctio illa est materialis aut formalis. Prior constituit quamdam hominum aggregationem solummodo, non vero corpus politicum. Altera autem implicat subjectionem plurium familiarum aliis jam existentibus et civili jure gaudentibus, ideoque nequit non esse voluntaria et consequenter consensu vel electione facta.

c) Quod attinet originem societatis in concreto ex jure domestico praeexistente in antiquiori patrefamilias ad gubernandam multitudinem familiarum ab eo tanquam a communi stipite procedentium, libenter concedimus 1) jus praeexistens in patriarcha ad regendam familiam patriarchalem esse *quamdam rationem,* qua communitas possit prae aliis jus politicum ad regendam multitudinem eidem committere; 2) id quoque *convenientius esse,* nisi obstet ineptia, praesuppositis amore et reverentia, quibus filii et nepotes solent parentes et avos prosequi. Verum hujusmodi factum non explicat originem philosophicam societatis in particulari. Nam 1) communis plurium familiarum sanguine conjunctarum origo, qua talis, solummodo generat inter cognatos et affines pietatis non vero justitiae legalis officia; 2) si ex sola societatis domesticae et juris paterni extensione vinculum juridicum, quo omnis societas completa consistit, originem duceret, utraque societas, domestica nempe et civilis, essentialiter non differrent, sed majori tantum vel minori membrorum multitudine; 3) patria quoque potestas non extingueretur per completam liberorum emancipationem dum majorennes evadunt; 4) nec posset filius, *sui juris* effectus, aliam societatem autonomam in longinquo creare absque laesione praeexistentis juris in patriarcha, cui, juxta Scholam historicam, facultas naturalis competit imperandi in omnes qui sive immediate sive mediate eidem sanguine conjunguntur.

d) Postremo, coactio physica, qua plures aliis potentioribus subjiciuntur, nequit producere vinculum morale, quo cuncti intellectu et voluntate sociati in bonum commune stabili cooperatione assequendum conspirent; ergo nec coactione oriri potest vera perfectaque societas in concreto. Igitur, secluso consensu, pacto vel adhaesione, nulla ex praedictis causis originem philosophicam societatis determinatae explicare quit.

9. Caute vero nota ad enodandas difficultates, quae in contrarium objiciantur: 1) hujusmodi consensum non fuisse pactum aliquod solemne, aut verbo vel scripto explicitum, nec eventum extraordinarium, sed tacitum, factis nempe physice liberis, etsi quandoque moraliter necessariis, sufficienter manifestatum. Casus essent, v. gr. cum domus aliquae vel tribus nomada tentoria moverent sedemque fixam eligerent in territorio determinato principi subjecto cum animo ibidem stabiliter permanendi:

vel supposita plurium familiarum aequalium inmigratione in territorium *nullius*, unus communem directionem assumeret legesque ferret cum tacita omnium approbatione externe manifestata, practice videlicet exequendo ejusdem mandata et sponte legibus ab eo in bonum commune promulgatis sese subjiciendo; 2) ad hunc consensum praestandum homines natura sua sociali vehementer impelli; 3) potuisse vel successive a diversis vel a pluribus simul dari; 4) et quidem vel directe in subjectionem principis et indirecte in unionem politicam civium, vel e contra; 5) praestari quoque potuisse primo ad bonum aliquod particulare communi cooperatione assequendum, ut esset v. gr. ad mutuam defensionem contra hostium incursus, postmodum vero per extensionem tacitam ad communem et stabilem omnium prosperitatem adquirendam conservandamque; 6) *Scholasticos Doctores* non negare, sed, e contra, tanquam fundamentum omnino necessarium, supponere societatem in genere esse immediate a natura, proindeque, juxta, ipsos duplex elementum concurrere ad determinatas societates constituendas, scilicet necessarium et liberum, naturam et voluntatem. 7) Denique notandum est, admissa historica societatis origine per naturalem societatis domesticae explicationem, ad ejusdem essentialem et juridicam constitutionem non excludi consensum, sed potius requiri, uti ipsamet historia efformationis quorumdam populorum testatur [1].

10. His praenotatis, liquido constat veterum *Scholasticorum* doctrinam longe distare a sententia *Puffendorf*. Is enim gratis asseruit ante civilem statum, quem *adventitium* appellat, praecessisse semper *statum* quemdam *naturae* in quo homines libertate naturali fruentes permanserunt donec societatem inierunt triplici interveniente pacto (*pactum unionis*, quo scilicet omnes et singuli futuri cives inter se consentiunt in unum et perpetuum coetum coire; *decretum de forma regiminis inducenda;* pactum *subjectionis*, quo constituuntur ille vel illi in quem vel in quos regimen confertur et reliqui cives ad obsequium his praestandum sese obstringunt) [2].

1 Cfr. Suarez, *Defens. fidei, cath.*, lib. III, c. II, n. 19.
2 *De Jure nat. et gent.*, lib. VII, c. 2, § 7.

Articulus III

De causa materiali societatis seu de multitudine

§ 1

DE PRIMO ET IMMEDIATO SOCIETATIS CIVILIS ELEMENTO [1]

Summa rerum.—1. *Philosophorum opiniones.—Schola liberalis individualista.* 2. *Momentum quaestionis.* 3. Thesis.—Prob. 4. *Qui proprie vocantur cives.* 5. *Status seu classes.* 6. *Municipium.—Municipiorum autonomia.* 7. *Provincia.—Regio.* 8. *Autonomiae regionalis praestantia et utilitas.* 9. *Ecclesiae doctrina.*

1. «Quoniam civitas, ajente Philosophorum principe, compositum et concretum quoddam est ex multis partibus conflatum» [2], *elementa materialia,* ex quibus coalescit, modo sunt determinanda.

Schola liberalis individualista. Praeter antiquos qui putarunt hominem secundum se totum ad Statum ordinari et prius nasci Reipublicae quam familiae, Liberalismus individualista pro viribus tuetur elementa *immediata* societatis esse ipsamet individua humana. Hanc thesim inter alios defendunt in Anglia *Adam Smith, Ricardo, Stuart-Mill* et *Cobden foederationis Manchesterianae* auctor, post quem Schola liberalis individualista *Manchesteriana* communiter vocatur; in Gallia *Say* et *Bastiat*, in Italia *Beccaria, Ferrara* et *Ciccone,* in Germania *Roscher* et in Hispania *Florez Estrada.*

2. Interest autem maxime praefatam Individualistarum theoriam refutare. A falso namque organismi socialis conceptu, quem recentiorum Statuum moderatores efformant, tanquam a vero fonte promanant injusta illa Principum decreta privatarum Associationum abrogatoria, Municipiorum Provinciarumque autonomiae adversa, quaeque Instituta Corporativa Regionumque independentiam penitus extinguunt et sacrata domesticae societatis jura laedentia abominabile Centralismum necnon Status omnipotentiam generant. Ab eodem pariter principio descendit *quaestio feminarum* seu *feminismus* magno nimis aestu hisce temporibus agitata, opera praesertim Socialistarum qui pro feminarum emancipatione earumque politica libertate et accessu ad munera publica acriter certant. Sit igitur

1 Cfr. Cathrein, *Philos. mor.*, loc. cit, a. 3, § 1-3; Ferretti, *Instit. Philos. mor.*, vol. III, c. III, a. 4; Mendive, loc. cit., § 2; Farges et D. Barbedette, *Ethica spec.*, c. II, a. 1; De Bie, *Jus soc. public.*, c. I, a. 3, § 1-2; Sturzo, *Sintesi sociali;* P. Pascal, *Le regime corporatif et l'organisation du travail;* Llovera, c. II, a. 3-5.

2 III *Polit.*, c. I et IV *Polit.*, c. IV.

3. **Thesis. Quamvis singula individua sint materia remota societatis civilis, proximam tamen et immediatam constituunt familiae vel societates et organica instituta sive naturalia sive libera** (status seu classes, municipium, provincia, regio, etc.), **ex quorum conjunctione corpus sociale organicum generatur.**

Patet 1) ex genesi historico-naturalis ejusdem societatis civilis. Hanc enim praecedunt familiae in suo esse independenter a societate civili constitutae propriisque juribus pollentes. 2) Ex ipsa notione civitatis quam antiqui philosophi, praeeunte ***Stagirita,*** communi consensu tradiderunt. «Civitas enim *civium* multitudo est». «Civis autem non eo, quod urbem aliquam incolat, civis est», sed «qui potest principatus ad consultandum et judicandum pertinentis esse particeps»: *ὧ εξουσία κοινωνεῖν αρχῆς βουλευτικῆς καὶ κριτικῆς, πολίτης*[1]. Civis ergo, ex mente ***Aristotelis,*** ille dicitur qui *habilitatem* habet ut immediate et per se partem habeat in regimine politico multitudinis.

4. Ex quo sequitur solummodo patresfamilias, seu qui dicuntur *juris pleni,* posse proprie et simpliciter vocari cives eosque immediate ad societatem efformandam concurrere; singula vero individua, mulieres, infantes et qui omnibus juribus publicis non gaudent, haud esse civitatis membra nisi remote, hoc est, mediante familia vel aliqua institutione organica, ad quam libere vel necessario pertineant.

Inter instituta organica, ex quibus quasi per gradus societas civilis successive coalescit, sequentia, praeter familiam, numerantur.

5. *a*) **Status seu classes,** quae dividuntur in *haereditarias* et *non haereditarias,* prout homines titulo nativitatis seu sanguinis communione et origine, vel aliis de causis accidentalibus, uni vel alteri classi accensentur. Notissima cunctis est classium (castas) distributio adhuc vigens inter Indos, quarum primam constituunt *Brahmani* (sacerdotes), alteram *Kchatriyas* (milites), tertiam *Vaisyas* (agricolae et negotiantes), quartam *Soudras* (servi). Ceteri homines ex his omnibus classibus ejecti vocantur *Parias.* Hanc classium diversitatem Indi ex ipsa *Brahmae* voluntate in earumdem productione manifestata derivant. Nam *Brahmani* ex ore, *Kchatriyas* ex brachiis, *Vaisyas* ex cruribus, et *Soudras* ex pedibus *Brahmae* orti dicuntur. Apud Egyptios, Babylonios aliosque barbaros populos commune erat in quinque classes homines distribuere, scilicet: nobiles, milites, cives, liberos et servos. Ut plurimum autem veteres illae gentes tanquam immundam censebant classium commixtionem vetitumque

1 III *Polit.*, c. 1. Sanctus Thomas in eumdem locum: «Dicit ergo (Philos.) quod per nihil aliud melius potest determinari civis simpliciter quam per hoc quod participet in civitate judicio, ut scilicet possit de aliquo judicare ex potestate». lect. I.

erat sub poena degradationis civibus unius cum civibus alterius classis conversari vel matrimonium inire, quemadmodum adhuc servatur in India. Christiana Religio permanentem hanc classium distinctionem paulatim extinxit. Medio aevo quatuor classes agnoscebantur: *Clerus*, *Nobilitas*, *Cives* cum suis collegiis seu institutis corporativis (gremios, comunidades) et *Rustici* seu *Coloni*[1]. Verum, excepta nobilium classe, ceterae non erant immobiles aut haereditariae, sed beneficio Ecclesiae Catholicae singulis civibus *pleni juris* patebant aditus ad munera publica obeunda fruendumque juribus politicis. Denique hisce nostris temporibus, declarata omnium civium aequalitate coram lege, abolita sunt nedum classes, sed cuncta instituta organica seu collegia omnibusque indiscriminatim conceditur accessus ad civitatis administrationem et jus suffragii. Imperat ergo a tempore Revolutionis Gallicae purus individualismus.

6. *b*) **Municipium.** Ex naturali hominis insufficientia ad ea omnia sibi paranda quae sunt vitae neccessaria enascitur praepotens ejusdem inclinatio ad societatem. Sed quemadmodum homo, si solitarius maneret, non posset per se ipsum sufficientia vitae producere, idipsum contingeret singulis familiis ab aliis segregatis et vitam independentem agentibus. Indigent ergo mutuas inire relationes ad unam majorem communitatem vinculo solidaritatis efformandam, quae quidem communitas naturali necessitate et vivendi causa ex vicinis familiis constituta, *institutionis naturalis* dici valet. Plurium autem familiarum in eodem loco degentium aggregatio ad necessitates *locales* subveniendas *commune* vel *municipium* appellatur.

Municipiorum autonomia. Sicut quaelibet alia societas, municipium suam habet actionis sphaeram, in qua quidem independenter ab Statu Centrali sese moveat oportet. Etenim cum ex ipsa quasi naturali familiarum aggregatione ortum ducat, jus habet ad *autarchiam*, seu ad media necessaria ad finem ob cujus consecutionem institutum est. Id autem duo inter alia implicat: *jus scilicet municipii ad eligendos consiliarios* et *administrationis libertatem*, praesertim quoad bona communalia. His autem bonis et juribus, quae olim legitime municipia possidebant, nonnisi per gravem injustitiam ab Statu spoliari potuerunt[2].

7. *c*) **Provincia.-Regio.** Municipio succedit Provincia, huic vero Regio. Est autem Provincia plurium municipiorum conjunctio communis utilitatis causa inita. Uniuscujusque Provinciae definitio seu extensio ex pluri-

---

1 Cfr. Thorel, *Del origen de las sociedades*, tom. II, cuestion 2.ª y 3.ª

2 De origine, juribus et functionibus municipii confr. Calmes, *L'Etat, sa nature et ses fonctions*. Baratta, *Principii di sociologia cristiana*; Antoine, *Cours d'economie sociale*; Llovera, *Tratado elemental de sociologia cristiana*; Lord Avebury, *Nacionalización y municipalización de servicios públicos*; trad. de la 3.ª ed. inglesa por José Pérez Hervas.

bus dependet, v. gr. ex simili civium complexione, morum identitate, topographica territorii positione, homogeneitate productionis, nec facile est determinatos limites et characteres praefigere.

Regio plures provincias comprehendit vinculo linguae, morum, institutionum, jurium, historiae particulari sociatas.

8. Provinciarum Regionumque autonomiam abrogatam vult penitusque abrogavit fere in omnibus nationibus Europaeis Liberalismus individualista; eam tamen exoptant populi tanquam unicum speratae regenerationis medium (*Regionalismus*). Eamdem pariter non tantum naturalem ex ipsa scilicet organica Regionum Provinciarumque constitutione profluentem, sed etiam bono communi societatis moraliter necessariam esse demonstrant oeconomistae politici. Nam 1) data Provinciarum Regionumque autonomia, ministrorum numerus valde minuitur, unde *a)* sumptus publici temperantur, *b)* reipublicae administratio redditur brevior atque simplicior, *c)* citius negotia expediuntur, *d)* jura foralia necnon traditiones fidelius servantur. 2) Experientia teste, *evidens fit responsabilitatem decrescere eorum crescente numero, qui nomine Status reipublicae administrationem gerunt.* Ne igitur gubernantium responsabilitas sit penitus irrisoria, proclamanda est Provinciarum Regionumque autonomia contra onerosam omnium centralizationem Statusque tyrannidem. 3) Ad rectam Provinciarum gubernationem plurimum confert perspectas habere publicas earumdem necessitates, civium inclinationes, historiam particularem etc., ut sic adhibeantur opportuniora remedia. Haec autem omnia domesticos potius quam extraneos posse cognoscere nemo negare audet [1].

9. Porro hanc municipiorum, Provinciarum Regionumque autonomiam, necnon privatorum collegiorum jura ac libertatem, Ecclesia Catholica ab Statuum arbitrio semper defendit. «Revera, inquit egregie ***Leo XIII,*** quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt; quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae; quam summam rempublicam vetant in municipalem vel domesticam rem importunius invadere; quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem juris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam Catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur» [2].

Dolet item quod Status moderni ad normam *novi juris* constituti ve-

1 Cfr. Costa-Rossetti, Thesis 165; E. Prat de la Riba, *La actividad Provincial*, (Barcelona 1912).

2 *Immortale Dei.*

tera artificum, industrialium aliorumque professionalia collegia (Gremios, Hermandades, Cofradías, etc.) magno cum societatis detrimento penitus deleverint, extinxerint; atque ex animo desiderat ut cives sua inter se sodalitia de novo condant viresque hoc pacto conjungant, quo se animose queant ab injusta et non ferenda Status oppressione facilius redimere. Potestas autem publica non potest quominus societates corporativae inter privatos coalescant impedire, aut jure coalitas dissolvere, «nisi quidquam ex instituto persequantur quod cum probitate, cum justitia, cum reipublicae salute aperte dissideat», «Privatas enim societates iniri concessum est homini jure naturae; est autem ad praesidium juris naturalis instituta civitas, non ad interitum; eaque si civium coetus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsa quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles». Hucusque *Leo XIII*[1].

§ 2

DE FEMINARUM EMANCIPATIONE[2]

Summa rerum. — 1. *Feminarum status ante Christum. — Philosophorum sententiae.* 2. *Post Christi nativitatem; — doctrina evangelica; — antifeministae* (Proudhon, Nietzsche, Weininger) *— Feminismus radicalis et moderatus.* 3. *Nonnulla historice de feminismo radicali.* 4. *Rejicitur feminismus radicalis.* Thesis. *Aequalitas absoluta viri et mulieris quoad omnia jura et officia politico-socialia repugnat* 1) *institutioni naturae,* 2) *nutritioni et educationi filiorum,* 3) *naturali feminarum honestati,* 4) *judicii maturitati et prudentiae quam regimen reipublicae requirit.* Prob. 5. *Vera sententia. — Defenditur feminismus moderatus. — Regula generalis.* 6. *Consequentiae et applicationes practicae; — quae munera publica mulieris honestatem deceant, quae non.* 7. *Associationes feministae.* 8. *Conclusio generalis.*

1. **Ethnicorum sententiae.** 1) Quam abjectus fuerit ubique terrarum feminarum status ante Christum Dominum paucis comprobare possumus. *Apud barbaros,* scribit *Aristoteles, femina et servus eodem sunt ordine*

---

1 *Rerum novarum.*

2 Inter innumera pene scripta de Feminismo cfr. Cathrein, *Philos. Mor.*, lib. II, c. III, a. 3, § 1; Biederlack, *La cuestión social*, Apéndice, § 1-2; Bienvenido Comín, loc. cit. c. V; Turgeon, *Le feminisme français* (Paris 1902); Max Turmann, *Initiatives féminines* (Paris 1905); A. D. Sertillanges, *Feminisme et christianisme*; L. Garriguet, *El Trabajo*, t. I, c. V; C. Poisson, *Le salaire des femmes*; Le Play, *L'organisation du travail selon la coiume des ateliers et la loi du Decalogue*; Estan. du Lac, *Le fil et l'aigui-*

et loco [1]. Virorum dominationi penitus subjiciebantur apud veteres Romanos aliosque populos rudiores. Puellae nuptae vel etiam viduae erant omnino in *manu viri,* a quo dimitti, vendi, donari vel interfici impune poterant, *In mulierem nihil non licet viro,* ajebant antiqui. Et cum Romani de sexu muliebri loquerentur *imbecillem, imparem laboribus, levem, ambitiosum* probrose appellabant; e contra, cum de virili erat sermo nomine *majestatis virorum* designabant [2]. Nec Senecam puduit scribere de muliere: «Aeque *impudens animal* est et, nisi scientia ac multa eruditio, *ferum, cupiditatum incontinens*» [3]. Multa alia dura nimisque mulierum dignitati probrosa in antiquis reperimus scripta. Commune quippe fuit apud gentes eas brutis animantibus vel rebus inanimis aequiparare. Hinc natum est illud:

Nux, asinus, mulier, simili sunt lege ligata;
Haec tria recte nihil faciunt, si verbera cessent [4].

Hodiernis quoque temporibus, eis in populis ubi claritas regenerantis evangelicae veritatis nondum affulsit, eas per omnia viro subjectas et libidinis tantum explendae causa, tanquam *res* haberi oculis nostris cernimus. 2) Nihilominus non defuerunt in antiquitate philosophi, qui mulierum aptitudinem ad munera civilia obeunda plus aequo extollentes, jura quoque politica, queis homines investiri solent, eisdem pariter concedi debere arbitrati sunt, quos tamen irridet *Aristophanes* in sua Comoedia

---

lle (folleto de la Action Populaire); Paul Leroy-Beaulieu, *Le travail des femmes au XIX siècle*; Samuel de S. Teresa, C. D. *Conferencias sobre la mujer cristiana* (Santiago de Chile 1906), Espinasse, *L'ouvrière de l'aiguille à Toulousse*; *El trabajo a domicilio y el trabajo barato* (investigaciones sociales) por Georges Meny, (versión de Cristobal Reina); *La mujer en el hogar, su educación social, por* Maurice Beaufreton, (versión española de Francisco Salcedo). Plura exigit nobis aliisque populis adhuc innecessaria; Ant. Pavissich, *Mujer antigua y mujer moderna* (novela feminista), versión española de D. Felix González Llana; Luis Frank, *L'éducation domestique des jeunes filles*; *El problema social de la mujer obrera*, por Isabel Gnauck-Kuhne, (version española de Luis Heintz, C. M.); J. Alarcón, *Un feminismo aceptable*, Madrid 1908, (arts. publicados en *Razón y Fe*, 1904); *Exámen Critico del Feminismo*, por D. Santiago Martinez González, (Barcelona 1910); *La ciencia Tomista*, Mayo-Junio 1912; Ignacio Casanovas, S. J., *Apostolado de la mujer* (Barcelona 1912); *Les droits de la femme*, par Marguerite Martin (París 1912).

1 I *Polit.*, c. 1.

2 Troplong, *De la influencia del Cristianismo en el derecho civil de los Romanos*, pág. 238; Bienvenido Comin, *El Cristianismo y la ciencia del Derecho en sus relaciones con la civilización*, p. I.

3 *De constantia sapientis*, XIV. Et antea Homerus: *Ὡς οὐκ ἀνότερον, ἢ κύντερον ἄλλο γυναικός.*

4 Alia documenta apud Weiss, *Apolog.* Conf. XI y Apénd. 1 et 2. Hesiodo escribe en su *Theogonia*: «Al formar Vulcano a Pandora en lugar de un bien fabricó un hermoso mal». Euripides se atrevió a decir que «la mujer es el más aborrecible de los males» Tito Livio (Lib. XXXIV, c. 11) la llama «bestia indomable»; y Menandro escribió:

Jamás a la mujer des buen consejo,
En ella el obrar el mal es ya mal viejo.

Véanse *La mujer juzgada por los grandes escritores de ambos sexos*, por D. J. Landa, Espasa, Barcelona; Ant. de la Cuesta y Sainz, *La mujer rehabilitada por María*, Durango (Vizcaya) 1906, II-V.

Ἐκκλησιάθουσαι. Ipsemet *Aristoteles* reprehendit *Socratem* et *Platonem* «quia volebant mulieres instruendas in rebus bellicis»[1].

2. Post adventum Redemptoris, Christiana Religio feminei sexus conditionem ad pristinum revocavit statum et in B. Virgine Mariae ad altiorem evexit; et ita per novemdecim saecula vir eam uti sociam et parem quoad naturam et dignitatem reveritus est ad normam scilicet Apostolicae doctrinae, secundum quam, *viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Sed mulieres viris suis subditae sint sicut Domino*[2].

Verum Religione Christiana a societate domestica per novam Philosophiam depulsa, iterum veteres illas et jam diu obliteratas sententias circa feminarum conditionem recentes pagani suscitarunt. Nam 1) quidam volunt mulieres ad paganismum retrotrahere, eas uti mancipia totaliter homini subjiciendo: 2) Alii e contra feminas aequiparari optant quoad omnia jura et officia civibus *pleni jûris.*

Pauci illi qui cum ***Proudhon*** et ***Nietzsche*** feminam esse viro inferiorem autumant, vel cum ***Weininger*** haud affirmare verentur eam vix posse inter individua generis humani computari, vocantur *antifeministae radicales.* Alii vero qui cum ***Stuart Mill, Laboulaye, Bebel, Spalding,*** et schola Saint Simoniana aequalitatem politicam pro omnibus et singulis individuis indiscriminatim reclamant ad *rigidiorem feminismum deflectunt.*

Itaque *feminismus* quatenus illam mulierum dignitatem tuetur, quae ex naturae institutione et propriis officiis servandis consona ipsis competit, vocatur *feminismus moderatus* et ab omnibus admitti debet; si autem praedictam normam transgrediatur, dicitur *radicalis* et rejiciatur oportet.

3. **Nonnulla historice de feminismo radicali.** Prout absolutam mulierum emancipationem, amoremque, uti dicunt, *liberum,* necnon jus ad societatem civilem immediate regendam proclamat, feminismus ortum ducit ab Encyclopedistarum theoriis. Cum enim politicam aequalitatem omnium individuorum utriusque sexus alta voce praedicarent, ipsa Revolutione Gallica durante, *Mad. Roland* (1754-1793), *Mad. Staël* (1766-1817), dein *George de Sand* (*Aurora Dupin*, 1804-1876), cum multis aliis, *suae dignitatis consciae,* jus accedendi ad omnia munera publica reclamarunt,

1 D. Th. *De reg. Princ.*, lib. IV, c. 5.

2 *Ad Eph.* V, 28, 29, 22. Cfr. Ventura Raulica, *La mujer católica*, traducción de D. Ildefonso Nieto (Madrid 1867; Lugan. *La enseñanza social de Jesús*, lib. VI, c. I.

licet incassum. Crescente nihilominus in dies socialismo, *quaestio*, sic dicta, *feminarum*, quae, ut opinor, *Socialismus femininus* vocari potest[1], ardentius agitari coepit, quippe cum plures feminae jus eligendi deputatos populi (sufragistas), fungendi munere judicis, advocati, medici, ferroviarum inspectoris etc., necnon publice docendi in Academiis Universitariis pro se vindicarent, Socialismus tanquam propriam defendendam suscepit feminarum causam[2]. Consilio igitur et opera Socialismi suos fecit fructus Feminismus. Nam ab ultimo tertio saeculi XIX feminis patent quibusdam in locis Scholae Superiores litterarum philosophiae, medicinae, jurisprudentiae, commercii publici, telephona, telegrapha, etc., in aliis jus quoque suffragandi vel etiam gradus Academicos accipiendi eisdem concessum est; denique praeter Congressus celebratos[3] et folia periodica sub feminarum directione scripta, plures uniones permanentes (Ligas feministas) constitutae sunt opera quarumdam feminarum viriliter pugnantium pro absoluta sui sexus emancipatione, quas inter vexillum ferunt *Abigail Adams, Sara Grimke, Angelina Grimke, Victoria Woadholl* et *Agnes Milholland* in America; *Malwida* von *Meysenberg, Ludovica Otto, Ludovica Buchner, Zetkin* et *Braum* in Germania; *Ludovica Michel, Mad. Severine* et *Bonzon*, in Gallia, *Belen Sarraga, Teresia Claramunt* et *Soledad Villafranca* in Hispania.

4. **Rejicitur feminismus radicalis.** Aequalitas absoluta viri et mulieris quoad omnia jura et officia politico-socialia repugnat

1) *institutioni naturae*, secundum quam «pater familias ad negotia exteriora intendat necesse est, mulieres ad internos actus familiae»[4], quoniam diversa corporis complexio ad diversa officia implenda ex se destinatur; eam namque unice dependere ex educatione, ut existimat ***Bebel,*** probari non potest: sed e contra, quaevis sit viri mulierisque educatio, eadem reperitur in eis naturalis aptitudo et inclinatio ad haec potius quam ad alia officia exercenda. Numquid possent mariti et uxoris officia permisceri ita ut maritus domesticis incumberet necessitatibus, v. gr. culinae, vestuarii etc., uxor autem foras exiret ad remigandum in mari, laborandum in fodinis etc?

1 Bebel afirma categóricamente que lo que se llama *cuestión femenina* no constituye más que un aspecto de la cuestión social. J. Mad. Andrea Therry dice: Nosotras (las feministas) debemos tender una mano amiga a los socialistas. Véase *El Evangelio y el Socialismo*, por el P. Samuel de Sta. Teresa, C. D. y *Feminismo*, por Adolfo Posada.

2 El programa socialista de Erfurt (1898) exige: La abolición de toda ley que subordine la mujer al hombre en sus relaciones jurídicas, públicas o privadas.—Anulación de toda limitación en derechos políticos e igualdad de derechos y deberes para todos sin distinción de sexos ni de origen. Lo mismo afirman Stern, Liebknecht, Kautsky y otros.

3 A principios de 1910 se celebró en París una junta de sufragistas bajo la presidencia de Mad. Nelly Rousselle. Las principales fueron: Mad. Arria Ly, Huberline, Oddo Deflou y Durand. En los meses de Mayo-Julio de 1913 las sufragistas inglesas han organizado innumerables *meetings* y cometido graves desórdenes. Dirige este movimiento Miss Pankurst.

4 D. Th., *De reg. Princ.*, lib. IV, c. 5.

2) *nutritioni* filiorum, ad quam apta membra solummodo matri natura concessit, imo et eorumdem *educationi* praesertim in aetate infantili. Nam conditio auctoritativa patris ferre non potest continuas puerorum molestias, quas tamen patienter sustinet mater. Actus igitur qui referuntur ad domesticam domum, ut est filios nutrire, eorumdem curam habere, familiam dispensare, etc., sunt actus proprii mulieris, quos tamen, ut par est, exercere non posset, si rebus politicis intenderet[1];

3) *naturali feminarum honestati.* Nam ex indistincta jurium munerumque fruitione, quam pro mulieribus aeque ac pro viris reclamant Socialistae, necessario sequitur virorum mulierumque in iisdem fabricis et officinis coexistentia et continua conversatio. Id autem an morum honestati faveat videant cordati philosophi[2]. Praeterea «mulieres non debent actibus exponi ex quibus a virtutibus excludantur; quod contingit si rebus *civilibus, politicis, negotiis externis,* deputentur, propter incentivum libidinis quod in eis est, et respectu sui et ex consortio viri; propter quod natura mulieri multa frena providit, ut est verecundia, quae est praecipuum vinculum ejus»[3];

4) denique *judicii maturitati et prudentiae,* quam regimen reipublicae requirit, cum feminarum ingenium obsequiis, affectibus et blanditiis de facili commoveatur. Periculosum igitur foret eisdem committere rerum publicarum gubernium[4].

Merito ergo feminis denegatur jus gubernandi rempublicam, imo et dominatum obtinendi in societate domestica. *Nam vir,* inquit ***Aristoteles,*** ad principatum *aptior est quam femina, natura, nisi forte ita comparatus est, ut a natura desciverit,* vel, ut interpretatur ***S. Thomas,*** «nisi aliquid accidat praeter naturam, sicut in hominibus effeminatis», *Τό τε γὰρ ἄρρεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον, εἰ μή που συνέστηκε παρὰ φύσιν.* Nec refert quod aliquando mulier aptior inveniatur ad

---

1 D. Th., *De reg. Princ.*, lib. IV, c. 6.

2 La clínica de la Universidad de Halle publicó hace unos seis años una protesta contra la coeducación de los dos sexos en las mismas aulas,en la cual se lee lo siguiente:«Con las mujeres estudiantas, en vez de la noble emulación, lo que ha entrado en la clínica es el cinismo.Aquí son ya moneda corriente los chistes más groseros y ofensivos a los profesores,a los alumnos y a los mismos pacientes. Aquí es donde la emancipación de la mujer es una verdadera calamidad y un conflicto con la moralidad pública. Exigimos pues la exclusión de las mujeres de la enseñanza que se da en la clínica». En *Razón y Fé*, Agosto 1905.

3 D. Th., ib.

4 Aristoteles scribit essa signum morum lapsorum quod mulieres sese immisceant negotiis politicis. II *Polit.*, c. XIII. et ib. vituperat Lacedaemones eo quod mulieribus dominium politicum concesserant. El poder de la mujer en Grecia en tiempo de Pericles fué causa de la ruina de su pueblo. Lo mismo sucedió en el Imperio Romano: «Ahora domina la mujer: el hombre suspira en silencio y tasca el freno en presencia de sus amigos, pero obedece». Weis, p. I, conf. XI.

gubernandum quam homo, hoc enim per accidens evenit; sed judicium efformandum est ex his quae in pluribus et ordinarie contingunt. *Mas autem*, inquit infra ipsemet ***Stagirita,*** *ad feminam semper hoc modo se habet: τὸ δ' ἄρρεν ἀεί πρός τὸ θῆλυ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον* [1].

5. **Vera sententia.** Errant ergo qui contendunt feminas, uti mancipia, omnino viro subjectas esse debere, et qui eas civibus aequiparant quoad omnia jura politica et socialia. Standum est igitur pro *moderato feminismo.*

Regula generalis, qua feminismus temperatur, esto: *Ea jura et officia socialia feminis conferri possunt ad quorum exercitium aptae fuerint inventae, dummodo conditioni, virtutibus et officiis feminarum propriis non opponantur.*

6. Hinc *a)* radicalis proindeque falsa apparet sequens propositio a quibusdam feminis propugnata in Congressu Pedagogico Hispano-Portugués-Americano, Matriti an. 1893 celebrato: «La mujer que posea iguales conocimientos que el hombre tiene iguales derechos que este a ejercer todas las profesiones y ocupar todos los puestos».

b) Nihil prohibet quominus feminae, praesertim solutae, aliqua munera publica, quae earumdem conditioni sint maxime consona, exerceant, ut infantes educare, puellas instruere, aegrotorum curam gerere, in commerciis, telegraphis, telephonis, operas praestare. Iisdem quoque nuptae vacari possunt, dummodo officia domestica minime negligant.

c) Item studiis superioribus incumbere et lectiones audire in Institutis et Academiis, sed a viris omnino separatae.—Magisterium pariter exercere pro feminis qui scientificam instructionem quaerunt ad gradus academicos obtinendos. In quo benemeriti sunt de societate et Ecclesia aliqui Episcopi Germani, qui ob praefatum finem Institutum Universitarium Monasterii fundarunt [2].

d) Possunt humanas litteras feliciter excolere et de variis materiis et disciplinis diversis quoque linguis scribere, uti cum laude fecerunt in Hispania *L. Sigea* († 1569), latine, graece, hebraice, arabice et syriace scribens ad *Pp. Paulum III; Joanna Morella* [3] in rebus philosophicis, theologicis et jurisprudentiae optime versata; *Beatriz Galindo* († 23 Nov. 1534), *Latinae* additamento honestata, *Anna Caro*, *L. de Carvajal*, Ven. *Agreda* et doctrix *S. Teresia a Jesu*, ob miram fundatamque Theologiae

---

1 I *Polit.*, c. V (ed. Didot); D. Thomas, ib.

2 Más tarde los Obispos de Suiza reunidos en Zong el 18 de Agosto de 1904 aprobaron y bendijeron la Academia de Santa Cruz, fundada en Friburgo para el perfeccionamtento científico de las señoras y dirigida por las Hermanas de la Enseñanza de Sta. Cruz de Menzingen.

3 Nació en Barcelona en 1594. Cfr. *Diccionario Biográfico Universal de mujeres célebres*, por D. Vicente Diez Canseco (Madrid 1844); José Ignacio Valenti, *La mujer en la historia* (Palma de Mallorca 1896), III. pag. 350-498; P. Silverio de Sta. Teresa, *El precepto del amor*, c. XXXIX.

Mysticae cognitionem summis laudibus celebranda. Et nostris hisce diebus litteris et scientia floruerunt inter alias *Fernán Caballero, Carolina Valencia, Concepción Arenal, Carmen Sylva, Jos. Estévez, Pardo Bazan, María Echarri* et aliae innumerae. Hinc novissime *Pius Pp. X* ex animo gratulatur *Card. Gibbons* ob majora in dies incrementa catholicae Univ. Washingtoniensis atque illud sibi jucundum fuisse declarat, accipere «Episcopos Universitatis moderatores rationem, provido consilio, iniisse qua, incolumi item religiosa disciplina, vel ipsis Religiosis Feminis faciliora redderent altioris doctrinae beneficia quibus utilius versentur in puellis instituendis [1].

e) Dedecet mulierem medicinam exercere, praesertim pro viris. Nihilominus saeculo IX et X plures feminae inter Arabes Cordubenses in scientia medica floruerunt. Et nostro tempore in Statibus Foederatis Americae 4.000 medicae numerantur. In Rusia ad 700 ascendunt; totidem in Britannia, Gallia et Suecia. In Italia, Belgica et Hispania paucae omnino sunt, lauream tamen in medicina possunt in his quoque nationibus obtinere [2]. — Nihil tamen obstat quominus feminae pharmaciae directionem assumant, aut pharmaca praeparent [3].

f) Officium chirurgi non satis consonat teneri mulierum complexioni.

g) Quamvis jus accipiendi advocatorum lauream iisdem collatum fuerit jam a multis annis in Statibus Foederatis Americae, in Republica Chilena etc., novissime vero an. 1891 in Russia, 1895 in Noruega, 1899 in Gallia, causidicinae tamen nomen dare generatim non congruit feminarum statui, nam, ut inquit Poeta:

Affert decus omni feminae silentium.

h) Postremo denegandum est feminis jus suffragandi, quamvis de facto suffragium ferant in Nova Zelandia, in Australia et in nonnullis Statibus Americae Septentrionalis. — Nec objici valet cum Socialistis feminas aequale jus ac viros habere ut bene regantur: nam etiam pueri ac omnes minorennes eodem jure fruuntur; ergo jus haberent etiam suffragandi; nimis itaque probat Socialistarum argumentum.

7. **Associationes feministae.** Ob varias et multiplices causas ordinis tum oeconomici tum moralis heic non memorandas, miserrima sane

1 Cfr. Epist. ad Card. Gibbons, *Plane nec praeter*, 5 Jan. 1912; Severino Aznar, *Las grandes instituciones del Catolicismo*, c. XVIII. La Academia Universitaria de Madrid ha creado este año de 1912 un curso de *Estudios sociales para la mujer*.

2 En el Hospital de la Princesa de Madrid ejerció la Medicina con aplauso Concepción Aleixandre y Dolores Lleonart en Barcelona. En el Congreso Pedagógico Hispano-Portugués-Americano se puso a votación la siguiente proposición: ¿Podrá la mujer ejercer la Medicina y la Farmacia? 473 votaron en pro y 105 en contra.

3 En Brujas, Tongres, Turnhout y otras ciudades de Bélgica hay farmacias dirigidas por Religiosas. El Ayuntamiento de Madrid acaba de conceder una plaza de practicante a la Srta. Carmen Martinez. Es el primer caso de esta índole que se registra en Madrid. *El Social* 2 Setiembre 1911.

facta est plurium feminarum conditio[1]. Multae enim sive maritatae sive inuptae necessitate compulsae una cum viris, maximo proinde corruptionis periculo expositae, vel in locis insalubribus, vel operibus earum viribus improportionatis addictae, vel per longas diei noctisque horas, laborare tenentur ad miserum lucrandum salarium, saepissime vitae alendae plane insufficiens[2].

Cum autem Socialistae cujusque regionis, de afferendo remedio cogitantes, associationes plurimas, ut sibi feminas arctius conjunctas haberent, jam diu creaverint, interest maxime catholici nominis gloriae et feminei sexus in christiana professione constantiae, aequa jura feminarum indefesso labore vindicare, collegia (sindicatos de obreras, centros feministas) sive *solarum opificum,* sive *mixta* aut *mutualia,* ad miseriam feminarum opificum levandam earumque jura efficacius repetenda, instituere atque fovere[3]. Res est haec a catholicis sociologis nullimode oblivioni tradenda[4].

8. **Conclusio generalis.**—Feminis igitur ea jura et officia tribuantur quae eisdem per naturam conveniunt.—Curandum propterea est ne per leges Status aut virorum placita moresque corruptos feminae ad conditionem redeant paganorum, quando scilicet «exuperante viri licentia, nihil erat uxore miserius, in tantam humilitatem dejecta, ut instrumentum pene haberetur ad explendam libidinem, vel gignendam sobolem comparatum. Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium

1 Max Turmann, *Iniciativas femeninas*, pág. 151 y sgs.

2 Véanse algunos datos del asqueroso *sweating system* de que desgraciadamente es hoy víctima la obrera que vive de su trabajo. «Trabajo de la mujer a domicilio: Confección a máquina de *rejilla (vora foradada)* para pañuelos de bolsillo. La docena de pañuelos medianos 0,08 ptas; de grandes 0,10, viniendo a resultar de 4 a 5 céntimos por hora de trabajo. Bordar en blanco, trabajando 14 o 15 horas diarias se obtiene al día 1,50 ptas. Costureras en blanco por término medio ganan 0,70 ptas. diarias y las que no tienen quehaceres domésticos y emplean más de 12 horas en máquina pueden aspirar a 1,20 y 1,30 diarias». *El Social*, Barcelona 12 Agosto 1911. Salarios más bajos aún designa Georges Meny, loc. cit. c. I-III y c. VI. Véase el ejemplo que aduce en la pág. 126.

3 En Barcelona han alcanzado para las obreras grandes ventajas morales y materiales la Junta del Patronato para Obreras de la Aguja, el Sindicato Barcelonés de la Aguja y la Liga de Compradoras.

4 Véase Max Turmann, pag. 194-222. Necessitas fovendi hujusmodi associationes femininas ex sequentibus statisticis deprehenditur. Mujeres empleadas en las diversas manufacturas e industrias: En Alemania 9.400,000; en Francia 6.800,000; en Austria 5.600,000; en Inglaterra 7.300,000. La proporción con respeto a los hombres empleados en las mismas industrias en Austria es el 42 % y en Inglatera el 24 %. El número de mujeres que perciben salario en Francia se eleva según la última estadística a 7.693,412, lo que representa un aumento de 65 por % en cuarenta años, ya que entonces solo ascendían a 4.632,597.—*Revista Social*, Octubre 1911.

El Sindicalismo femenino daba las siguientes cifras en 1908: Mujeres asociadas en Sindicatos profesionales: Inglaterra, 205,732; Alemania, 200,443; Francia, 82,478; Austria, 44,643; Italia, 10,000; Suiza, 8.000; Bélgica, 6.030.—*Revista Social*, Agosto 1911. Véase F. de las Cases, *El paro forzoso*, donde se hallan numerosos datos.

emi, vendi, in rerum corporearum similitudinem, data interdum parenti maritoque facultate extremum supplicium de uxore sumendi» [1] —Verumtamen feminae negotiis internis familiae primo et principaliter intendant, numquam vero absolutam optent emancipationem. «Vir est familiae princeps et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro, in morem, non ancillae, sed sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii» [2].

Articulus IV

De causa finali societatis [3]

Summa rerum.—1. *Totius scientiae politicae basis.* 2. *Hujus doctrinae impugnatores.* 3. Thesis. 4. *Rejiciuntur praefatae sententiae.* 5. *Restringitur quaestio.* 6. *Errores circa finem intrinsecum et immediatum societatis.* 7. *Ad duas classes reduci valent.* 8. *Vera sententia exponitur et tuetur. – Notanda.* 9. Conclusio: *Finis proprius et immediatus societatis civilis est salus publica; ultimus vero salus aeterna civium.*—Probatur *I.ª pars.* 10. *Quid intelligatur per bonum publicum seu publicam prosperitatem.—Balmes doctrina.* 11. Prob. *II.ª pars.* 12. *Corollaria.*

1. «Quandoquidem videmus, inquit ***Aristoteles,*** omnem civitatem societatem quamdam esse, omnemque societatem *boni alicujus gratia coiri* (ejus enim quod boni speciem praesefert causa agunt omnes omnia), apparet omnes quidem societates bonum aliquod sibi proponere ut finem; eam vero, quae est omnium princeps quaeque ceteras continet, id sibi bonum proponere, quod sit *omnium summum ac praestantissimum*. Haec autem est ea, quae *civitas* appellatur et societas civilis» [4]. Bonum vero illud principalissimum quod intendit est bonum commune, «quod est melius et divinius quam bonum unius».

---

1 Leo XIII, *Arcanum.*

2 Id. ib. Pueden leerse con fruto tres conferencias reunidas en un volumen de Esteban Lamy, *La mujer en el porvenir* (trad. de la 5.ª ed. de por Juan Dios S. Hurtado Barcelona 1907).

3 Cfr. D. Th., *De reg. Princip.*, lib. I, c. XIV; Balmes, *Philos. Elem., Ethica*, c. XXI; Costa Rossetti, p. IV, c. I, sect. I, § 1; Vander Aa, p. III, c. III, q. I, a. 2; Meyer, *Jus soc. public.*, lib. I, a. 1; Zigliara, *Jus naturae*, lib. III, c. II, a. 1; Mancini, *Jus Nat.*, q. VI, a. 1; Ferretti, *Inst. Philos. Moral.*, vol. III, c. III, a. 4, § 3; De Bie, *Jus soc. public.*, c. 1, a. 2, § 1-3; Willems, *Philos. Mor.*, pag. 426-437.

4 I *Polit.*, c. 1.

2. Hanc fundamentalem doctrinam, quam Philosophus tanquam basim totius scientiae socialis initio suorum Politicorum statuit, palam impugnant 1) Agnostici et Positivistae qui vel nullam esse causam finalem vel saltem certo cognosci non posse dogmatizant; 2) *Haller* et *Fouillée* asserentes societatem civilem non habere finem aliquem diversum a fine privatarum societatum ex quibus coalescit; et 3) *Montesquieu* qui cunctis societatibus perfectis nullum finem naturalem et communem assignat praeter sui ipsius conservationem, singulis tamen tribuit proprium et specialem, quem scilicet sibi ipsis societates pro libito praestituerint, ut Spartianae bellum, Judaeorum genti religionem, regno Sinensi publicam tranquillitatem, Romano vel Carthaginiensi mundi dominatum. Contra quos sit

3. **Thesis. Societas civilis, suapte natura, in finem communem distinctum a fine privatarum societatum tendit.**

Propositio duas complectitur partes, scilicet *a)* societatem civilem finem petere et *b)* illum diversum esse a fine aliarum societatum particularium.

Prob. I.ª pars contra Agnovistas. In omni ente organico adest principium vitale movens ipsum ad operandum; atqui ultimum movens est bonum verum vel apparens ut cognitum, seu finis; sublato ergo fine, agens nunquam operaretur; gitur activitas socialis demonstrat societatem aliquod bonum veluti scopum naturaliter desiderare.

Paulo aliter *S. Thomas* super Philosophum. «Omnis communitas, inquit, est instituta gratia alicujus boni. Sed omnis civitas est communitas quaedam, ut manifeste videmus. Ergo omnis civitas est instituta gratia alicujus boni. Quia igitur minor manifesta est, majorem sic probat (Philosophus). Omnes homines omnia quae faciunt operantur gratia ejus quod videtur bonum, sive sit vere bonum sive non. Sed omnis communitas est instituta aliquo operante. Ergo omnes communitates conjectant aliquod bonum, id est, intendunt aliquod bonum sicut finem»[1].

Altera autem pars praesupponit societatem civilem esse conjunctionem vel aggregationem hominum *perfectam,* in qua scilicet «inveniantur omnia quae *sufficiunt ad vitam humanam*»[2].

Ex quo patet veritas conclusionis quoad secundam partem. «Habetur siquidem aliqua vitae sufficientia in familia domus unius, quantum scilicet ad naturales actus nutritionis et prolis generandae et aliorum hujusmodi; in uno autem vico quantum ad ea quae ad unum artificium pertinent; in civitate vero, quae est perfecta communitas, quantum ad

1 I *Polit.*, lect. I.
2 D. Th., ib.

omnia necessaria vitae»[1]. Ergo finis societatis civilis, *quae*, ut inquit ***Leo XIII,*** *suppeditare vitae sufficientiam perfectam sola potest*»[2], diversus est a fine societatum privatarum ex quibus illa coalescit.

Insuper, «si omnis communitas, inquit ***Angelicus,*** ordinatur ad bonum, necesse est quod illa communitas quae est maxime principalis, maxime sit conjectatrix boni quod est inter omnia humana bona principalissimum; oportet enim quod proportio eorum, quae sunt ad finem, sit secundum proportionem finium»..... Sed «communitas quae includit alias communitates est principalior. Manifestum est autem quod civitas includit omnes alias communitates. Nam et domus et vici sub civitate comprehenduntur; et sic ipsa communitas politica est communitas principalissima»[3]. Ergo et finis, ad quem suapte natura tendit, omnes aliarum societatum privatarum complectitur.

4. Igitur rejiciendae sunt tres supradictae sententiae. 1.ª Quia, praeter rationes allatas ad demonstrandam existentiam alicujus finis quo tendat societas politica, nullum eidem assignare est eam fortunae fatis relinquere, potestatem gubernativam e medio pellere vel hujus munera ad passivam eventuum contemplationem, juxta placitum *liberalismi classici*, coarctare: *Laissez faire, laissez passer*. Insuper cum actio socialis moderanda sit juxta finis oeconomiam, a qua maxime pendet reipublicae salus, fine sublato, publica potestas in incertum tenderet, quo nihil stultius, nihil magis irrationale, et scientia ipsa politica, velint nolint agnostici, pessumdatur.

2.ª Si civitas non haberet finem formaliter distinctum a finibus aliarum societatum ex quibus constat, *a)* nec formaliter distinguerentur societates hujusmodi, cum a fine specificentur, *b)* nec princeps vel rector civitatis majori polleret potestate quam paterfamilias, vel *c)* jura et officia immediate haberet in omnes et singulas domus, in omnia et singula earumdem bona.

3.ª Conservatio suipsius nequit esse unicus naturalis et communis omnium societatum finis, ut opinatur *Montesquieu*. Nam *a)* nulla res in eo tantum sistit ut seipsam conservet, sed ulterius tendit ad propriam perfectionem adquirendam. Activitas quippe socialis, sicut activitas cujuslibet alterius entis organici, natura sua ordinatur 1.° ad societatis conservationem, 2.° ad internam ejusdem evolutionem et 3.° ad operandum in sociorum commodum, eos participes efficiendo socialium emolumentorum, quae sunt veluti fructus ad quos producendos ultimo tendit activitas, qua pollet corpus sociale. *b)* Hujusmodi sententia aperte valedicit progressui et culturae populorum; asserens namque unicum finem naturalem et communem societatis politicae situm esse in suipsius conservatione ideoque ad arcendam mortem et dissolutionem partium tantum obligari, logica necessitate fateri tenetur

1 *De reg. princip.*, lib. I, c. 1.
2 *Immortale Dei.*
3 loc. cit. ex I *polit.*

societatem esse perfectam in se nec ulteriorem petere aut desiderare perfectionem, praeter sui conservationem; quod nullatenus componi potest cum naturali tendentia cujusque rei ad propriam perfectionem jugi operatione consequendam.

Illud denique quod subjicit *Montesquieu* singulas scilicet civitates proprium et specialem, liberum tamen, scopum habere, adprobari non potest, cum fines, quos ipse aliquibus societatibus attribuit, sint vera media quibus societates utuntur ad finem connaturalem consequendum.

5. Quibus positis, determinare oportet finem societatis perfectae. Et imprimis loquimur de fine *proximo* seu *immediato* et *per se* intento, non vero de *ultimo*, qui non potest esse alius quam finis totius humanitatis. Item sermo non est de fine extrinseco et particulari, quem sibi praefigere possum diversae civitates, sed de fine *intrinseco* et communi, ad quem suapte natura dirigitur quaelibet politica societas.

6. Age vero. Non una est omnium Sociologorum sententia circa finem intrinsecum et immediatum societatis. Etenim

a) multi cum *H. Beatham*, *Stuart-Mill*, *Malthus*, *Turgot*, *Adam Smith* et *Quesnay* proponunt tanquam scopum a societate primo et per se, vel etiam exclusive attingendum, commodum corporale sociorum (el bienestar material) vel sensuum voluptatem (el placer). (*Materialismus*, *Hedonismus*, *Utilitarismus* et *Physiocratismus*);

b) alii distinguentes libertatem internam, quam moralem, ab externa, quam juridicam appellant, pro fine proximo et immediato societatis assignant harmoniam juridicae libertatis inducendam servandamque inter omnes cives. Ita *Rationalistae* post *Kantium*, qui supremum officium Status restringit ad procurandam «summam illarum conditionum sub quibus libertas unius cum externa aliorum libertate componi possit». Nec dissentiunt *Spencer*, *Nietzsche* aliique Evolutionistae asserentes civitatis non esse pugnam pro existentia inter perfectos et imperfectos eliminare aut debilioribus contra fortiores favere, sed unice singulorum libertatem tueri;

c) plures recentiores theoriam communistam veterum quorumdam philosophorum, praesertim *Platonis*, renovantes, Statum omnipotentem proclamant, sibi ipsi finem faciunt et jus plenissimum eidem concedunt in omnes et singulos cives eorumque proprietates, familias etc., de quibus pro libito disponere potest. Civitatem quoque vel populum aut Statum, quem non raro hujus sententiae patroni «organismum absolutum et divinum», «Deum praesentem, visibilem, infinitum, personalem», vocant, principem moralitatis normam et totius justitiae fontem constituunt; et quidem logice, cum, juxta ipsos, civitas vel Status nihil aliud sit quam evolutio *Absoluti*. Hinc logice pariter reclamant pro Statu *absolutam civium obedientiam* et mordicus affirmant Statui nihil non licere, nec ullum jus contra ipsum vim et efficaciam habere, e contra vero, quamlibet sceleratam actionem etiam

legi aeternae repugnantem non solum non esse improbandam sed omnino licitam evadere, si ab Statu imperetur vel pro ejusdem amore ponatur; Princeps enim vel Status seu populus imperando justa, injusta vetando facit. Ita *Caesaristae* cum *Machiavello* et *Hobbesio*, *Democratici* cum *Rousseau*, *Pantheistae* cum *Fichte*, *Schelling* et *Hegel*; *Socialistae* cum *Bebel*, *Wagner* aliisque;

d) demum, alii ex combinatione praecedentium sententiarum alias novas proponunt ad determinandum finem per se intentum a societate civili. Hi dicuntur *harmonistae*, inter quos *Stalh* docet civitatis esse omnium civium aspirationes religiosas, morales et politicas unificare; *Schulze* triplicem finem assignat civitati: commoditatem omnium procurare, ordinem socialem tueri et uniuscujusque educationem promovere. *Holtzendorff* solam Psychologiam, quam nationalem vocat, praefigere posse putat finem societatis, qui, prout ex characteribus cujusque civitatis praefata Psychologia deprehendit, consistit in hoc quod populus evehatur, actione sociali mediante, ad categoriam Potentiae Nationalis, sarta tectaque servetur libertas individua et cultura nationalis promoveatur. Juxta *Ahrens*, proprium munus Status est media civibus suppeditare quibus ad evolutionem perfectam propriarum facultatum pertingere possint.

7. Ut patet ex simplici sententiarum expositione omnes supradicti philosophi doctrinam de fine actionum humanarum in particulari ad actionem socialem, prout jam notaverat ***Aristoteles***[1], transferentes, in extrema opposita devenerunt.—Quidam namque nimis coarctant finem societatis, ut qui in procuranda sufficienti bonorum materialium copia, vel in tuenda aequali omnium libertate, seu in custodia ordinis juridici aut jurium privatorum illum solummodo reponunt.—Alii e contra, praedictum finem ultra modum extendunt, ut qui cum ***Platone*** docent civitatis esse homines ad perfectam virtutem et sapientiae culmen adducere, vel cum ***Leibnitio*** et ***Wolfio*** perfectionem totius societatis promovere, vel putant cum ***Krausse*** ad Statum jus plenissimum pertinere libere instituendi ordinem juridicum prout ad *culturam* et *humanitatem* populorum consequendam requiratur, vel denique censent cum ***Möhl*** Statum, utpote organismum permanenter operantem super individuum et societatem, ad satisfaciendum omnibus finibus licitis populi, tanquam ad proprium scopum, naturaliter tendere debere.

Non est cur immoremur in refutatione directa praedictarum opinionum; indirecta sufficiat.

8. **Vera sententia.** Scientia socialis christiana, non tantum partem

1 «Manifeste apparet felicitatem unius hominis et civitatis esse eamdem et unius rationis quoniam omnes loquentes de felicitate hoc videntur dicere. Nam qui singulorum hominum beatam vitam solis opibus metiuntur, hi etiam civitatem, si fuerit opulenta, felicem esse confirmabunt» VII *Politic.*, c. II.

corpoream vel spiritualem sejunctim, sed utramque simul in homine considerans, docet societatem civilem ad illud bonum suapte natura ordinari quod totum hominem perficere et beare possit in hac vita. Finis igitur ad quem proxime et immediate refertur societas nequit consistere vel in cumulandis divitiis, vel in fruendo delectationibus, vel in tutanda privata libertate, cum ex his alterum nequeat necessitates illas, ob quas cives ineunt societatem, explere; sed debet esse tale bonum ut omnes conditiones, quibus vita hominum temporalis felix *pro posse* reddatur, contineat, nec tamen societatis domesticae bonum ullo pacto laedat vel fini ultimo quoquomodo adversetur. Et ideo societatis est illa omnia subsidia externa parare quibus cives imperfectam felicitatem hujus vitae consequi valeant.

Quamobrem felicitas socialis, quae *prosperitas communis, salus publica,* vel etiam *civilitas* seu *civilizatio* dicitur, non tantum bona corporis sed animi quoque complectitur, ut inter alia, praeter divitiarum copiam, civicam educationem, politiam externam, proprietatis libertatisque tutelam, commercium, artes, scientias, justitiam, honestatem et religionem, ea quippe omnia necessaria censentur ad veram et communem civium prosperitatem[1]. Verum haec felicitas temporalis, quam directe respicit societas civilis, debet esse natura sua ultimo fini subordinata; societatis tamen non est primo et per se individuam vel domesticam singulorum perfectionem vel salutem aeternam intendere, sed communem omnium civium; quo fit, ut haec perfectio sive felicitas absoluta et aequalis esse nequeat, cum saepe saepius bonum unius alteri noceat. Sit igitur conclusio:

9. **Finis proprius et immediatus societatis civilis est prosperitas publica, ultimus vero salus aeterna civium.**

Prob. I.ª p. Illud veluti proprium scopum respicit societas civilis ad quod consequendum homines adunantur; atqui homines societatem civilem efformant ut, ea mediante, facilius consequi valeant communem omnium prosperitatem; haec igitur est proprius et immediatus finis societatis civilis.

«Ad hoc enim, inquit *Angelicus*, homines congregantur ut simul bene

1 «Quod autem de singulis hominibus, idem de societate tum domestica tum etiam civili intelligendum est. Non enim ob hanc causam genuit natura societatem ut ipsam homo sequeretur tanquam finem, sed ut in ea et per eam adjumenta ad perfectionem sui apta reperiret. Si qua igitur civitas nihil praeter commoditates externas vitaeque cultum cum elegantia et copia persequatur, si Deum in administranda republica negligere, nec leges curare morales consueverit, deterrime aberrat ab instituto suo et praescriptione naturae, neque tam est ea societas hominum et communitas putanda, quam fallax imitatio simulatioque societatis». Leo XIII. *Sapientiae christianae*, 10 Januarii 1890.

vivant, quod consequi non posset unusquisque singulariter vivens. Bona autem vita est secundum virtutem. Virtuosa igitur vita est congregationis humanae finis»[1]. Cum autem vita virtuosa civium primario in perfectione partis rationalis, secundario vero in affluentia bonorum, prout ad illam necessaria judicantur, sita sit, societas civilis ad hoc est instituta ut veritatem et virtutem promoveat et sufficientem bonorum copiam pro cunctis, etsi non aequali, proportionali tamen modo, efficaciter procuret.

Paulo aliter. Oportet rationem primariam et essentialem, ob quam familiae diversae congregantur in societate civili, esse hujus societatis proprium et immediatum finem. Atqui «homini competit in multitudine vivere, quia sibi non sufficit ad necessaria vitae, si solitarius maneat», ut loquitur *S. Thomas*[2]; habetur autem *aliqua vitae sufficientia* in familia, non autem omnia necessaria vitae, ad quae habenda in societate civili conveniunt; ergo finis proprius et immediatus civitatis est *omnimodam vitae sufficientiam* seu publicam civium prosperitatem intendere.

10. In hac prima conclusionis parte sic generatim proposita, si eos excipias qui finem civitatis vel omnino negant, vel rentur non esse distinctum a fine privatarum societatum, omnes conveniunt, non autem in explicando quid nomine *boni publici,* vel *communis prosperitatis* intelligendum sit. Nam, ajente *Balmesio,* «nonnullis bonum publicum idem sonat ac prosperitas materialis; aliis idem ac splendor intellectualis et moralis; sunt qui feliciorem illum populum dicunt ceteris potentia praestantem; alii anteponunt, qui tranquille et pacate deliciis domesticis fruitur. Hinc confusio in vocibus, progressus, evolutio, prosperitas, felicitas, civilizatio, cultura, quibus singuli suo sensu utuntur, nitentes societati impulsionem communicare, qua ipsam ducant ad id quod cuilibet videtur felicitas publica»[3].

Impossibile vero non est, subdit praeclarus auctor, nec difficile ideas hac in re exacte determinare. Nam bonum publicum est societatis perfectio. Societas autem est hominum congregatio, quae quidem eo perfectior erit quo major sit perfectionis quantitas, quae in individuis simul sumptis inveniatur, et quo distributio inter omnia membra aptior sit. Ergo societatis perfectio in individuis, quibus constat, quaerenda est. Quo posito, solutio quaestionis per se patet. Etenim societatis perfectio consistit in aptiori rerum omnium dispositione, ut maximi possibilis numeri individuorum facultates omnes simul et harmo-

1 *De reg. Princ.*, lib. I, c. XIV.
2 ib., lib. I, c. I.
3 *Philos. Elem., Ethic.*, c. XXI, n. 172.

nice evolvantur. Est in homine intellectus, cujus objectum est veritas; est voluntas, cujus norma est morum regula; sunt necessitates sensibiles, quarum satisfactio suavem vitam constituit. Igitur societas eo perfertior erit, quo magis reddat intellectum maximi hominum numerj conformem veritati; voluntatem moribus consentientem; necessitatibus materialibus satisfactionem.

Terminus ergo publicae prosperitatis, progressus socialis, culturae, civilizationis, boni communis etc., his paucis optime et exacte comprehenditur: *Maxima intelligentia possibilis* pro majori numero possibili: *maxima moralitas possibilis* pro majori numero possibili: *maxima commoditas possibilis* pro majori numero possibili. Si aliquid demas, quaesita perfectio tollitur. Hucusque laudatus philosophus[1]. Quibus id unum dumtaxat addere liceat: salutem oeconomicam reipublicae nunquam esse quaerendam contra justitiae naturalis praecepta. «Ut enim quod turpe est, inquit ***Tullius,*** id, quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest; sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, adversante et repugnante natura»[2].

Confirmatur aurea *S. Augustini* ratione: *Non aliunde beata civitas, aliunde homo, cum aliud civitas non sit quam concors hominum multitudo*[3]; atqui beatitudo hominis, quae in ha vita haberi potest, consistit primario in perfectione intellectus et voluntatis ad quam secundario requiruntur bona corporis; ergo salus publica sive felicitas ad quam ordinatur societas, haec omnia comprehendat necesse est.

11. **II.ª pars** ex dictis facile probatur. Nam ut civitas veram hominis perfectionem promoveat ne impediat ultimi finis consecutionem, imo ei subordinetur oportet. Idem ergo est ultimus finis multitudinis qui est hominis unius[4]. Atqui ultimus finis, ad quem imperfecta hominis beatitudo refertur, est salus aeterna; haec igitur est ultimus societatis finis.

12. **Corollarium I.** Cum ergo christiana Sociologia palam profiteatur et doceat publicam prosperitatem, quam veluti proprium finem persequitur societas civilis, non tantum proprietatis libertatisque tutelam, bona scilicet *ordinis juridici*, sed quae ad vitam quoque

---

1 ib. n. 172 et 174.

2 *De officiis*, lib. III, 19. «Ni la sociedad ni el individuo olvidan impunemente los eternos principios de la moral; cuando lo intentan por el aliciente del interés, tarde o temprano se pierden, perecen en sus propias combinaciones. El interés que se erigiera en ídolo se convierte en víctima. La experiencia de todos los días es una prueba de esta verdad, en la historia de todos los tiempos la vemos escrita con caracteres de sangre». Balmes, *El Criterio*, c. XXII, § 32.

3 *Epist.* 155.

4 *De reg. Princ.*, lib. I, c. XIV.

oeconomicam, scientificam et *moralem* spectant, complecti, planum est nostram sententiam minime refragari legitimis civium aspirationibus, sed, e contra, eorumdem civium perfectionem, culturam et civilizationem efficaciter promovere.

Corollarium alterum. Ergo rejicienda est sequens. Liberalium propositio»: *Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.* (Syllab. prop. XL). Optime ***S. Augustinus:*** «Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae dent exercitum talem quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae; imo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae» [1]. Nam negari non potest publicam moralitatem in nationum prosperitatem plurimum influere; sed, ut statisticae probant, moralitate ceteris praestant nationes illae in quibus fere exclusive regnat Ecclesia Catholica [2]. Ergo.

Articulus V

De causa formali societatis

Ut initio hujus quaestionis innuimus, tria sunt circa auctoritatem investiganda, scilicet: *a)* cujus sit institutionis, *divinae* an *humanae;* determinanda ergo est origo auctoritatis tum in abstracto tum in concreto; *b)* variae regiminis formae, quae ex hac determinatione individua potestatis promanant; et *c)* multiplices ejusdem auctoritatis functiones in ordine ad bonum commune. Ante horum tamen solutionem demonstravimus contra *Anarchistas, Libertarios* et *Acratas* necessitatem alicujus auctoritatis in populo.

---

1 *Epist. ad Marcellinum* (ordine CXXXVIII), n. 15, col. 621.

2 Comparadas las estadísticas resulta que por cada mil nacimientos tiene España 1 ilegítimo, Alemania 47, Inglaterra 42, Escocia 58, Irlanda 1, Suecia 52, Estados Unidos, 47. Y en los Estados de una misma nación se ve claramente la diferencia. Así en Treveris, Coblence, Aix-la-Chapelle y Munster, provincias puramente católicas de Alemania, hay por 100 nacimientos, 3; 2,9; 2,5; 2,2 ilegítimos respectivamente, mientras que en países protestantes en su mayoría, como Pomerania, hay 10,17, en Xaxe 10,40, en Berlin 15,69. *Le Patriote*, Bruxelles, 13 Dec. 1908.

§ 1

DE NECESSITATE PRINCIPATUS IN HUMANA SOCIETATE [1]

Summa rerum. 1. *Auctoritatis notio;—duplex potestas civilis.* 2. Thesis. *Existentiam auctoritatis civilis expostulant a) constitutio ipsa civitatis et b) ordo socialis.* 3. Probatur I pars. 4. Probatur II pars. — *Anarchiae notio. — Absoluta civium aequalitas destruit civitatem.* 5. *An auctoritas sit necne forma societatis. —Triplex sententia.* 6. Thesis. *Recte dicitur auctoritatem esse formam societatis qua multitudo constituit corpus sociale organicum.* Probatur. 7. *Objectiones.*

1. Auctoritatis nomine generatim intelligimus *principium dirigens et efficaciter impellens multitudinem in bonum commune,* seu, *jus gubernandi rempublicam* [2]. Duplex distinguitur auctoritas civilis: alia *suprema* et *independens,* alia *subordinata* et *dependens.* In praesenti eam potestatem supremam et independentem vocamus quae in materia temporali et civili alteri non est subjecta. Si vero in eodem ordine superiorem agnoscat subordinatam et dependentem dicimus. Potestas civilis independens, ad quam modo sermonem tantum convertimus, haud raro *principatus politicus, summum imperium, potestas suprema jurisdictionis* solet appellari [3].

2. **Thesis. Hujus principii necessitatem expostulant** *a)* **constitutio ipsa civitatis et** *b)* **ordo socialis.**

3. **Probatur I.ª pars.** Cum civitas nihil aliud sit quam coetus multitudinis concordi voluntate in bonum commune conspirantis, civitas coire aut constare neutiquam potest absque judicii voluntatisque sociorum concordia; atqui, praecisa auctoritate, naturalis sociorum diversitas in aestimandis mediis vel in electione finis nequit hujusmodi concordiam parere. «Multis enim existentibus hominibus et unoquoque id quod est sibi congruum providente, multitudo in diversa dispergeretur nisi etiam esset aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens: sicut et corpus hominis et cujuslibet anima-

1 Cfr. S. Joan. Chrysostomus, *Homil.* XXXIV, in I ad Cor.; D. Thomas, *De regimine Principum,* lib. I, c. I; Suarez, *Defens. fidei cathol.,* lib. III, c. I; Victoria, *Relect. De potestate civili,* n. 1; Pey, *Compendio de la obra* «La autoridad de las dos potestades», t. 1, p. I, c. I; González, *Estudios,* lib. VI, c. X; Weiss, *Apol.,* p. IV, Confer. XXVII.

2 «Potestas publica est facultas, auctoritas, sive jus gubernandi rempublicam civilem». Victoria, *Relect.* III. *De potestate civili,* n. 10.

3 Cfr. Suarez, *Defens. fidei cath,.* lib. III, c. V, n. 1.

lis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore, quae ad bonum commune omnium membrorum intenderet [1]. Igitur auctoritas necessaria est ad societatis constitutionem.

Paulo aliter ipsemet S. Doctor: «In omnibus quae ad finem aliquem ordinantur, in quibus contingit sic et aliter procedere, opus est aliquo dirigente per quod directe perveniatur ad debitum finem. Non enim navis, quae secundum diversorum ventorum impulsum in diversa moveri contingit ad destinatum finem perveniret nisi per gubernatoris industriam dirigeretur ad portum..... Contingit autem diversimode homines ad finem intentum procedere, quod ipsa diversitas humanorum studiorum et actionum declarat. Indiget igitur homo aliquo dirigente ad finem» [2].

Idipsum confirmatur ex consensu omnium populorum, qui impossibile judicarunt rempublicam posse constare, omni auctoritate penitus sublata; imo nec historia ipsa humanitatis ullam exhibet stabilem societatem capite destitutam, sed e contra luculenter ostendit ab origine societatis singulis semper aliquem praefuisse, qui, quolibet titulo appellaretur, clavem societatis tenebat. Hinc optime ***Tullius:*** «Nihil tam aptum est ad jus conditionemque naturae quam imperium, sine quo, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest» [3].

4. **Prob. II. pars.** 1) Ordo generatim definitur cum ***S. Augustino:*** *Parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio:* ergo «non esset multitudo ordinata sed confusa, si in multitudine diversi ordines non essent»; atqui «diversitas ordinum secundum diversa officia et actus consideratur» [4]. Primum autem officium multitudinis congregatae est conspirare in finem communem, quod facere non potest quin imperium alicujus principii dirigentis obsecundet, secus, relicta singulis civibus operandi libertate, in diversa distraherentur multitudinis actus, et in determinando finem communem viamque ad illum consequendum neutiquam convenirent. Imperium igitur et subjectio, seu auctoritas et obedientia, sunt totius ordinis socialis cardines et fundamenta.

Ergo aequalitas absoluta civium, quam Socialistae invehere conantur in humanum convictum, ordinem socialem penitus evertit. Negatio auctoritatis vocatur *anarchia* [5], a graeco *ἀναρχία* (*ἀ*, privatio et *ἀρχή* auctoritas, imperium). Absolutam civium aequalitatem improbat ***Stagi-***

1 *De reg. Princ.*, lib. I, c. I.
2 Ib. Cfr. quoque I p. q. CXVI, a. 4.
3 *De leg.*, III. 1.
4 I p. q. CVIII, a. 2.
5 Varias hujus vocis significationes invenies penes Gustavo La Iglesia, in opere *Caracteres del Anarquismo en la actualidad*, Tit. 1.

rita duplici ratione: I.ª quia maxima unitas destruit civitatem, quae ex partibus dissimilibus constituitur: II.ª quia civitas non est sic nata esse una, ut omnes sint similes, quia per hoc tollitur sufficientia vitae[1].

2) Ordo socialis perdurare non posset sed pax publica crebro perturbaretur, deficiente auctoritate, per quam legum transgressores justis mulctentur poenis et desides ad bonum commune procurandum efficaciter inducantur. Disciplina autem legum ad id necessaria supponit jus gubernandi rempublicam in eo qui condit legem. Ergo ordo socialis expostulat necessario auctoritatem[2].

5. Solent nunc disputare domestici, utrum *auctoritas sit necne elementum formale societatis.*

Quidam, ut *Mendive*, negant, opinantes formam societatis esse ipsam unionem. Alii, ut *Meyer*, sequentem statuunt conclusionen: «Quanquam in ordine metaphysico moralis unio constans recte dicitur forma societatis, non minus vere tamen asseritur in ordine reali societatem humanam per auctoritatem socialem formaliter constitui»[3]. Nos autem cum communi *Thomistarum* sententia aliter sentimus, ut sequens indicat

6. **Thesis. Auctoritas est forma societatis constituens cum multitudine corpus sociale organicum.**

Etenim illud est forma societatis quod dat illi esse proprium et specificum multitudinem reducens ad unitatem; nam societas nihil aliud est, juxta vulgatam definitionem, quam unio moralis et constans hominum in eumdem finem cognitum et volitum conspirantium; atqui auctoritas est elementum reducens multitudinem hominum ad unitatem eosque efficaciter impellens ad finem communem, viribus adunatis, consequendum; ergo auctoritas est forma societatis civilis.

Quod magis confirmatur ex eo quod unio est effectus informationis alicujus principii activi; nam et ipsi adversarii nostri concedunt unionem moralem hominum non dari absque auctoritate; necessarium est enim principium quoddam cujus sit determinare de bono communi et ad hoc concordes dirigere sociorum vires, ut loquitur *S. Thomas*. Posita ergo auctoritate, multitudo reducitur ad unitatem, id est, resultat unio moralis et constans hominum. Ergo auctoritas est quae dat esse societati.

Nec obstat quod forma sit intrinseca rei et educatur de potentia materiae; auctoritas enim potest dici intrinseca societati, cum sit in illa ut in subjecto passivo, cui Deus illam communicat, et ex ea, id est, ex multitudine, eligatur persona cui auctoritas in concreto defertur.

1 II *Polit.*, c. II (ed. Didot).

2 Cfr. D. Th. testimonium allatum in *Ethica*, *Disp.* IV, q. I, a. 2, pag. 277; Balmes, *Ethica*, n. 156.

3 Thesis XXXVIII.

7. **Objicies I.°** Causa formalis et efficiens non incidunt in idem numero, ut loquitur Philosophus; atqui auctoritas est causa efficiens societatis, confert enim multitudini unitatem, proindeque societas est effectus auctoritatis; ergo nequit esse forma ejus.

Resp. Conc. maj.; trans. min., et nego consequentiam. Nam praedictus effectus, id est, unio, producitur etiam a causa formali, ut videre est in composito humano, in quo unitas personalis et substantialis causatur immediate ab anima informante, etsi operationes suppositi ab ea mediate tantum procedant. Eodem igitur modo unio socialis hominum immediate procedit ab auctoritate tanquam a causa formali.

Instabis. Ad eligendam auctoritatem praesupponitur unio socialis; ergo haec non producitur ab auctoritate, nec auctoritas potest esse elementum formale societatis.

Resp. dist. antec.; ad eligendam auctoritatem *in concreto*, id est, personam principis, praesupponitur unio sociorum, conc.; ad eligendam *auctoritatem in se*, nego. Nam jus imperii independenter ab hominum voluntate descendit a Deo, ita ut, etiamsi omnes convenirent, non possent statuere quod nulla esset auctoritas. Porro ex nostra concessione nihil sequitur. Nam auctoritas existit indeterminate ante electionem principis in ipsa multitudine, non quidem singillatim, sed collectim, quo in casu, quia existit auctoritas, existit quoque vera dicta societas, resultans ex unione utriusque elementi, materialis scilicet et formalis.

Objicies II.° Si auctoritas est forma societatis sequitur quod rex non est propter regnum, sed e contra, et sic aditus patet despotismo.

Resp. Nego illationem. Nam sicut materia est propter formam et forma propter materiam in diverso genere causae, ita etiam rex est propter regnum et vicissim: nec potest unum elementum alterum destruere sed ei tenetur attemperari, cum ex utriusque unione mutuae oriantur relationes, jura scilicet et officia queis invicem adstringuntur.

Objicies III.° Forma est primus fons proprietatum rei; ergo auctoritas in nostra sententia erit quoque primus fons jurium et officiorum; quod est absurdum.

Resp. Quo sensu forma dicitur fons proprietatum, nihil prohibet quominus auctoritas sit primus fons jurium et officiorum societatis. Nam etsi *radicaliter* omnia jura socialia a Deo promanent velut a primo fonte cujusque juris, tamen immediate ab auctoritate procedunt, quia nullum jus et officium nisi a lege, lex autem ab auctoritate proficiscitur. Id ergo solum caveatur, ne auctoritas in sua origine et exercitio omnino independentem a Deo sese proclamet, sed ei per omnia subesse primum et essentiale officium esto.

§ 2

DE ORIGINE AUCTORITATIS [1]

A)

Causa efficiens auctoritatis socialis in genere

Summa rerum. 1. *Tres distinguuntur quaestiones.* 2. *I.ª Quaestio.— Sententiae erroneae: a)* Hobbesii; *b)* Rousseau; *c)* Liberalium; *d)* recentis democratiae antichristianae;—Le Sillon; *e)* determinismi socialis evolutionistarum. 3. *Sententia catholica.* - Thesis. *Auctoritas socialis in se considerata a Deo, auctore naturae, immediate procedit.—Explicatur a) b) c).* 4. Probatur I pars. 5. Ostenditur II pars. 6. *Hac sententia non modo veriorem sed ne utiliorem quidem reperiri ullam posse pereleganter confirmat Leo XIII.* 7. *Pius X adversus Sillonistas.* 8. *Objectiones.* 9. *Vindicatur Ecclesia catholica.*

1. Ut hanc gravissimam et salebrosam quaestionem recte definiamus, tria sunt accurate investiganda: 1) *Quae sit origo seu causa efficiens auctoritatis socialis in genere.* 2) *Quomodo communicatur principi vel praesidenti.* 3) *Quomodo determinatur persona principis.* Prima quaestio respicit auctoritatem ipsam; altera communicationis modum, tertia demum personam cui auctoritas insidet. Priorem in praesenti § expendemus.

2. **Sententiae.** Commune proloquium horum omnium, qui a nobis dissentiunt, est: *Nullum imperium absque libero pacto,* id est, omnem auctoritatem socialem ab humana voluntate oriri et ab ea dependere. Verum nonnihil inter se differunt in origine auctoritatis explicanda. Nam

a) Hobbes ratus est ad pacem inter homines servandam, requiri ut «una omnium sit voluntas»; quod «fieri non potest nisi unusquisque voluntatem suam alterius *unius,* nimirum, unius hominis, vel unius concilii, voluntati ita subjiciat, ut pro voluntate omnium et singulorum habendum sit quidquid de his rebus, quae necessaria sunt ad pacem communem, ille unus disposuerit. Hic autem habet potentiam in cives singulos tantam, quantam ex-

1 Cfr. D. Thomas, *De reg. Princ.*, lib. III, c. I-III; Suarez, *loc. cit.*, c. III; Victoria, *Relect. de Potestate civ.*, n. 5 et sqq.; Thorel, loc. cit. quest. III; Audisio, *Juris Nat. et Gent. Fund.*, lib. III, Tit. III; Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, c. XLVIII; Costa-Rossetti, p. IV, c. I, sect. II, § 2; S. Schiffini, *Ethica Spec.*, Disp. IV, sect. V; Ferretti, loc. cit. a. IV, § 4; Llovera, *Tratado Elemental de Sociologia cristiana*, c. III, art. un., § 1; P. Benoit, *La ciudad anticristiana en el siglo XIX*, t. I, pag. 435 y sigs.

tra civitatem quisque habebat in seipsum, id est, summam sive absolutam». En quomodo *regium absolutismum* e suis principiis logice intulit *Hobbes*, Caroli II regis *Angliae* institutor.

In hac ergo sententia potestas publica, quam *Hobbes Leviatham* vel *Deum mortalem* appellat, definitur: *persona cujus voluntas, ratione pacti inter plures homines initi, consideranda est et haberi debet tanquam una omnium illorum voluntas;* proindeque hujusmodi potestas est *indefectibilis*, *absoluta*, *illimitata* et *inamissibilis*.

b) Iuxta *Rousseau*, ut supra dictum est, societas humana constituitur «per totalem alienationem, quam quisque socius facit omnium jurium suorum toti comunitati»; consequenter potestas nihil aliud est quam *summa voluntatum particularium* efformantium *voluntatem generalem*. Unusquisque autem propriam libertatem cedens, ut auctoritas resultet, «tantam retinet quantam alienat» cum alii omnes, vi contractus socialis, idem omnino faciant. Populus igitur imperat, gubernantes vero non sunt nisi *officiales* seu *mandatarii* voluntatis popularis. Hujusmodi imperium (soberania popular) est *absolutum, incorruptibile omniumque jurium origo et fons*, proindeque ad populum spectat principes eligere, eisdem in gubernanda republica modum imponere, limites praefigere vel e principatu, cum voluerit, exturbare. En *absolutismus democraticus*.

c) Paucis immutatis, eamdem sententiam propugnant Liberales, quibus auctoritas nihil aliud est nisi *numerus* vel *summa rationum individualium ope suffragii universalis* collecta. Re autem vera, in guberniis liberalibus totam auctoritatem sibi appropriat praevalens illa factio, quae vi, fraude, astutia vel dolo majorem partem suffragiorum consequuta est.

d) His recens *democratia antichristiana* successit: docet enim omnem potestatem a populo esse, ita ut «qui eam in civitate gerunt ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege ut populi ipsius voluntate, a quo mandata est, revocari possit» [1].

Nec aliter nuperi *Sillonistae*. Nam, ut verbis utamur *Pii Pp. X*, le *Sillon* place primordialement l'auctorité publique dans le peuple, de qui elle dérive ensuite aux gouvenants, de telle façon cependant qu'elle continue á resider en lui.....» «Le *Sillon* n'abolit pas l'auctorité; il l'estime, au contraire, necessaire; mais il veut la partager, ou, pour mieux dire, la multiplier de telle façon que chaque citoyen deviendra une sorte de roi» [2].

e) Contraria prorsus via a nobis quoque recedunt Evolutionistae, inter quos *Darwin, Spencer, Bluntschli, Stein* et *Schaefle*. Hi auctoritatem procedere autumant ex viribus naturae per progressivam materiae et spiritus explicationem. Quapropter Status, cunctas alias societates in se uno continens et transformans, cujusque juris caput et causa constituitur, quippe qui est ultimum momentum illius fatalis evolutionis, qua veluti suprema lege reguntur mundus, humanitas et historia: individuum autem,

1 Leo XIII, Encycl. *Diuturnum*.
2 *Notre Charge*, 2 Aug. 1910.

familia et, si quae sint, corporationes particulares omnino ab Statu dependent nullove jure potiuntur relate ad communitatem. En *determinismus socialis* necessario generans abominabilem *Centralismum* vel *despotismum* Status.

3. Thesis. Auctoritas socialis in se considerata a Deo, auctore naturae, immediate procedit.

Haec est omnium Catholicorum sententia [1], ante cujus probationem diligenter nota *a)* nos impraesentiarum non loqui de hac illave auctoritate politica in aliquo particulari subjecto existente, sed eam solummodo consideramus in suo conceptu generico, prout scilicet importat jus obligandi membra societatis ut in bonum commune conspirent. Agitur ergo de ipsa potestate in se considerata, non autem de subjecto determinato [2]. Quamobrem assentatores *majestatis popularis* nonnisi per calumniam potuerunt adscribere Ecclesiae Catholicae doctrinam, quam *jus divinum Principum* appellant. Quando namque ipsa definivit principes civiles esse immediate electos a Deo, eo modo quo Christus Dominus elegit ***B. Petrum*** Ecclesiaeque principem constituit?

b) Nota secundo hanc auctoritatem in se consideratam procedere a Deo, ut est auctor naturae seu causa efficiens societatis, et ideo auctoritas non datur societati per specialem actionem vel concessionem a creatione distinctam, sed datur per modum proprietatis consequentis naturam, vel melius, per eumdem actum creationis seu formationis societatis, quae tunc completa resultat cum multitudini jungitur auctoritas. Igitur *eadem lege naturae,* qua Deus auctor est societatis civilis, ordinavit pariter ut in ea esset auctoritas vel principatus.

c) Nota demum auctoritatem civilem non quomodolibet a Deo descendere, sed *immediate,* ut dicitur in thesi, id est, nulla humana voluntate interveniente, eo modo quo societas, cui auctoritas necessaria est, neutiquam a libero hominum pacto dependet. Itaque enuntiata propositio duas complectitur partes: I.am omnem auctoritatem per se sumptam esse a Deo; II.am immediate ab eo procedere ut ab auctore naturae.

---

1 «Catholici homines..... jus imperandi a Deo repetunt veluti a naturali necessarioque principio». Leo XIII, *Diuturnum.*

2 Audiatur S. Joan. Chrysostomus: «*Non est potestas nisi a Deo.* Quid dicis? omnis ne Princeps a Deo ordinatus est? non hoc dico, inquit (Paulus). *Neque enim de singulis Principibus mihi nunc sermo est; sed de reipsa* (id est, *de ipsa potestate*). Nam quod Principatus sint, et quod alii imperent, alii subjecti sint neque omnia casu ac temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc et inde circumactis, divinae esse sapientiae dico. Ideo non dixit: Non est Princeps nisi a Deo; sed de re ipsa loquitur dicens: Non enim est potestas nisi a Deo». *Homilia XXIII in Epist. ad Rom.*, c. XIII, tom. 9, pag. 686.

4. **Prob. I pars,** quam egregie demonstrat *Angelicus* ex consideratione *a)* entis, *b)* motus et *c)* finis.

a) Oportet, inquit, omne ens ad ens primum reducere sicut ad principium omnis entis. Qua ergo ratione omne ens ex primo ente dependet, eadem et dominium, quia ipsum super ens fundatur, et tanto super nobilius ens quanto et ad dominandum super homines in natura coequales eisdem praeponitur. Unde et causam habet non superbiendi, sed humane suum populum gubernandi. Item. Sicut se habet ens creatum ad increatum, quod est Deus, ita virtus cujuslibet entis creatis ad virtutem increatam, quae etiam est Deus. Sed omne ens creatum ab ente increato trahit originem. Ergo virtus creata ab increata. Hoc autem in dominio praesupponitur, quia non est dominium ubi non est potentia sive virtus. Ergo omne dominium erit ab increata virtute, et haec est Deus.

b) In moventibus et motis non est abire in infinitum. Ergo oportet venire ad aliquod primum movens immobile, quod est Deus, sive causa prima. Inter omnes autem homines qui plus habent de ratione motus sunt reges et principes et omnes qui praesunt, sive in gubernando, sive in judicando, sive in defendendo et sic de aliis actibus qui ad curam regiminis pertinent. Si ergo reges et alii domini tantum habent de ratione motus, ipsum non possunt perficere nisi per influentiam et virtutem moventis primi, quod est Deus.

c) Quaelibet res quanto ordinatur ad excellentiorem finem tanto plus participat de actione divina. Hujusmodi autem est regnum cujuscumque communitatis, quia cum intendat nobilissimum finem, in ipso divina praeintelligitur actio et suae virtuti dominorum subjicitur regimen[1]. Nulli ergo dubium quod auctoritas aliquo modo a Deo descendat[2].

5. **II pars** ulterius docet publicam potestatem immediate a Deo, auctore naturae, procedere.

Prob. *a)* Adeo necessaria est in civili conversatione aliqua potestas, ut, etiamsi omnes homines simul convenirent, non possent statuere quod nulli sint principes vel rectores civitatis; ergo non pendet in sua origine a libero hominum pacto, sed est juris naturae;

---

1 *De reg. Princ.*, lib. III, c. 1, 2 et 3. Cfr. alias rationes ibidem.

2 Has rationes paucis comprehendit Balmes: «Todo poder viene de Dios, pues que el poder es un *ser*, y Dios es la fuente de todo ser: el poder es un *dominio* y Dios es el Señor, el primer dueño de todas las cosas: el poder es un *derecho* y en Dios se halla el origen de todos los derechos: el poder es un *motor moral* y Dios es la causa universal de todas las especies de movimiento: el poder *se endereza a un elevado fin* y Dios es el fin de todas las criaturas». *El Protest.*, c. 48.

Atqui quae sunt de jure naturae Deum habent immediatum auctorem. Ergo [1].

b) «Potestas civilis habet plures actus qui videntur excedere humanam facultatem prout est in singulis hominibus; ergo signum est non esse ab illis, sed a Deo. Primus actus est punitio malefactorum etiam usque ad mortem; nam cum solus Deus sit dominus vitae, solus ipse videtur dare potuisse hanc potestatem. Secundus actus est constituere in materia aliqua medium virtutis necessarium ad honestatem ejus. Tertio cum hoc statu conjunctus est effectus obligandi in conscientia, quod maxime videtur pertinere ad divinam potestatem» [2].

c) Ut homines in officio contineantur et societas ipsa subsistat necessaria est aliqua potestas. Qui autem dat esse, ut loquitur Philosophus, dat et consequentia ad esse; atqui Deus est auctor immediatus societatis civilis; ergo ab eo immediate dimanat auctoritas politica in se considerata.

d) Praecisa divina potestatis origine, nulla extat ratio satis firma et inviolabilis neque afferri potest titulus sufficiens ex parte principum ad imperandum. Vis namque subditos obligandi implicat superioritatem in principe, quae tamen, si non esset a Deo, unice dependeret ex factis contingentibus vel humanae vitae circumstantiis de quorum sufficientia et legitimitate jus esset cuique disputandi; tunc autem nutarent praecipua ordinis socialis fundamenta, scilicet: reverentia erga auctoritatem hujusque inviolabilitas [3].

6. *e)* Qua sententia, inquit laudatus *Pontifex Leo XIII,* non modo verior, sed *ne utilior quidem reperiri ulla potest.* Etenim 1) potestas rectorum civitatis, si *quaedam est divinae potestatis communicatio, ob hanc ipsam causam continuo adipiscitur dignitatem humana majorem.....* Ex quo subesse cives et dicto audientes esse principibus, uti Deo, oportebit non tam poenarum formidine, quam verecundia majestatis, neque assentationis causa sed conscientia officii.....; 2) *stabit in suo gradu longe firmius collocatum imperium.* Etenim istius vim officii sentientes, cives fugiant necesse est improbitatem et contumaciam, quia sibi persuasum esse debet, qui politicae potestati resistunt, hos divinae voluntati resistere, qui honorem recusat principibus, ipsi Deo recusare.....; 3) *dignitati*

1 «Patet ergo, inquit Franc. Victoria, fontem et originem civitatum rerumque publicarum non inventum esse hominum neque inter artificiata numerandum, sed tanquam a natura profectum, quae ad mortalium tutelam et conservationem hanc rationem mortalibus suggessit: atque ex eodem capite statim consequitur eumdem esse finem eamdemque necessitatem publicarum potestatum». *Relect.* III, n. 5.

2 Suarez, *De Legibus,* lib. III, c. III, n. 3. Cfr. quoque *Defens. Fidei Cathol.,* lib. III, c. 1, n. 4 et seqq. Item Victoria, *Relect.* III. *De potest. civili,* n. 7.

3 Cfr. Balmes, *El Protestant.,* c. 53; Leo XIII, *Immortale Dei.*

quoque civium optime consulitur: quibus in obedientia concessum est decus illud retinere quod est hominis excellentiae consentaneum. Intelligunt enim Dei judicio non esse servum neque liberum; unum esse Dominum omnium, divitem in *omnibus qui invocant illum* (Ad Rom. X, 12), se autem idcirco subesse et obtemperare principibus, quod imaginem quodammodo referant Dei, *cui servire regnare est.....*»

f) «Contra, *inventae a recentioribus de potestate politica doctrinae magnas jam acerbitates hominibus attulerunt, metuendumque ne extrema malorum afferant in posterum.* Etenim jus imperandi nolle ad Deum referre auctorem, nihil est aliud quam politicae potestatis et pulcherrimum splendorem velle deletum et nervos incisos. Quod autem inquiunt ex arbitrio illam pendere multitudinis, primum opinione falluntur; deinde nimium levi ac flexibili fundamento statuunt principatum. His enim opinionibus quasi stimulis incitatae populares cupiditates sese efferent insolentius, magnaque cum pernicie reipublicae ad caecos motus, ad apertas seditiones proclivi cursu et facile delabentur»[1].

Expedit ergo maxime principibus et subditis nec non publicae saluti ut imperii facultatem non a libero hominum pacto, sed «a Deo, augusto sanctissimoque fonte, manare intelligatur», ut loquitur *Leo XIII.*

7. *Sillonistas* vero eosque recentiores philosophos, qui potestatem supremam ita a populo principibus demandatam esse opinantur ut possit illam integram retinere vel cum voluerit revocare, nervosa argumentatione revincit *Pius Pp. X.* Au reste, inquit, si le peuple demeure le detenteur du pouvoir, que devient l'auctorité? un ombre, un mythe; il n'y a plus de loi proprement dite, il n'y a plus d'obeissance. Le *Sillon* l'a reconnu; puis qu'en effect il reclame, au nom de la dignité humaine, la triple emancipation politique, economique et intellectuelle; la cité future a laquelle il travaille n'aura plus de maitres, ni de serviteurs; les citoyens y seron tous libres, tous camarades, tous rois. Un ordre, un précept serait un attentat a la liberté, la subordination a une superiorité quelconque serait une diminution de l'homme, l'obeissance une déchéance»[2].

8. **Objicies** cum *Rousseau,* praefatam doctrinam nullum praesidium afferre principum potestati. Ait enim: Omnis potestas est a Deo, fateor; sed etiam infirmitates sunt a Deo; numquid tamen ob hanc rationem prohibitum est medicum vocare? Scopletum latronis est etiam quaedam potestas; quis tamen asserat ipsum in principum munimentum cedere?[3]

Resp. Nego paritatem. Siquidem auctoritas non est entitas physica vel potentia materialis, sed jus quoddam sanctissimum, quo voluntas subditorum moraliter adstringitur ad parendum legibus latis a legitimo superiore.

9. **Instabis** cum eodem auctore. Qui gloriantur se esse principes populi a Deo immediate constitutos, propria arbitria vi imponunt et secundum effrenatarum passionum libidinem rempublicam gubernant. Porro illud perpetuo docuit Ecclesia. Ergo.

---

1 *Diuturnum.* 2 *Notre Charge.* 3 *Contrato social,* lib. I, c. 3.

Resp. Nego assertum. Objecta siquidem nonnisi per calumniam vel summam ignorantiam Ecclesiae Catholicae tribui possunt, neque enim unquam tale dogma sua auctoritate sancivit, aut ad regiam potestatem exaggerandam sese accinxit, ut malitiose fingunt Liberales et Contractualistae. Docet quippe Ecclesia Catholica omnem potestatem a Deo immediate descendere non a libero hominum pacto, «cum magnus sit error, ut loquitur *Leo XIII*, non videre, id quod manifestum est, homines, cum non sint solivagum genus, citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem communitatem esse nactos»[1]; nunquam tamen asseruit determinatas personas fuisse, ex lege ordinaria, immediate et ex peculiari et quasi positiva institutione, ut loquitur *Suarez*[2], a Deo principes civitatum constitutos. Quamobrem *Ecclesia Christi neque principibus potest esse suspecta neque populis invisa. Principes quidem ipsa monet sequi justitiam, nullaque in re ab officio declinare; at simul eorum roborat multisque rationibus adjuvat auctoritatem*[3]. Quod ut magis magisque pateat, alteram instituimus quaestionem.

B)

De modo quo auctoritas principi vel praesidenti communicetur[4].

Summa rerum.—1. *Status quaestionis.* 2. *Sententia extrema.* 3. *Recentiorum philosophorum Scholae placitum.* 4. *Veterum Scholasticorum opinio.* 5. *Quatuor notanda ex Bellarmino.* 6. *Duae differentiae inter potestatem politicam et ecclesiasticam.* 7. *Veterum Scholasticorum sententia seligitur.* Thesis I. *Civilis potestas residens in uno Rege vel principe, aut in pluribus plebejis vel optimatibus proxime vel remote a communitate descendit, origine divina ejusdem potestatis supposita,* seu aliis verbis: *Primum et naturale subjectum auctoritatis est ipsa communitas, cui Deus illam immediate communicat.* Prob. 8. *Difficultatibus satisfit.* 9. Thesis II. *Scholasticorum sententia essentialiter differt a theoria pacti socialis.* Prob. 10. Thesis III. *Quamvis theoretice et prima fronte oppositae videantur duae expositae Philosophorum Catholicorum opiniones, practice non differunt.*—Prob.

1. **Status quaestionis.** Probavimus *a)* ex necessitate ipsius potestatis ad humanum convictum, *b)* ex actibus ejus, *c)* ex societatis

1 *Diuturnum.*

2 *Defensio Fidei Cathol.*, loc. cit. c. II, n. 5. Cfr. Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, c. 48 y siguientes y la nota 2.

3 Leo XIII, ib.

4 Cfr. Suarez, Bellarminus, Salmanticenses, Franc. Victoria aliique theologi infra citandi, necnon, Van der Aa, c. III, q. II; Ferretti, vol III, n. 405 et sqq.; R. Quil-

constitutione, *d)* ex vi obligandi quam auctoritas secum fert, *e)* ex utilitate nostrae sententiae et *f)* ex inconvenientibus quae ex opposita sequuntur, omnem auctoritatem esse a Deo, auctore naturae, et quidem immediate, idcirco originative nullatenus descendere a libero hominum pacto. Nunc autem investigandus est *modus,* quo auctoritas haec, abstracte sumpta, principi commendatur. Sed nota bene. Nondum loquimur de titulis quibus haec determinata persona, Petrus vel Paulus, gaudeat potestate regali vel imperiali; sed de modo quo auctoritas civilis, quae, in se considerata, est *institutionis divinae,* transferatur in principes vel rectores civitatum; an ipsi nempe eam *immediate* accipiant a Deo vel *mediante* populo. Hucusque de subjecto *generativo,* seu de auctore et causa efficiente auctoritatis civilis; nunc autem de subjecto, cui Deus immediate commendat hanc potestatem. Illud spectat ad dogma, alterum vero libere controvertitur.

2. Itaque, seclusa illa extrema sententia, qua assentatores majestatis popularis docent civilem potestatem esse *originative a populo et in populo inalienabiliter residere,* qui cum non possit per seipsum eam exercere deputatis a se electis voluntarie defert, adjecta nihilominus conditione eam pro libito revocandi, quoniam deputati rectoresque civitatum non sunt nisi *officiales populares* seu *communitatis administri,* Philosophi, qui divinam auctoritatis originem agnoscunt, in duas abeunt sententias, cum agitur de communicationis modo.

3. I.ª sententia negat auctoritatem politicam residere in multitudine ut in subjecto, cui Deas eam immediate communicet, sed esse tantum in ea ut in principio *determinante* personam vel personas quae rempublicam gubernent, cui vel quibus proinde, *electione multitudinis vel ex aliquo alio facto humano* determinatis, Deus immediate communicat supremam auctoritatem. Ita inter recentiores *Taparelli*[1], *Liberatore*[2], *Kleutgen*[3], *Signoriello*[4], *Zigliara*[5], *Meyer*[6], *Cathrein*[7], *Schiffini*[8], *Reinstandler*[9] aliique.

---

liet, *De civilis origine potestatis theoria catholica* (1893): Llovera, *Trat. Elem. de Soc. Crist.*, c. III, a. unic.; Farges et D. Barbedette, *Ethic. Spec.* p. II, n. 120: Willems, *Philos. Mor.*, pag. 450 et sqq.; De Bie, *Jus. soc. public.*, c. I, a. 5, § 3; Lottini, n. 623.

1 *Ensayo*, t. 1, part. II, c. 8, 9 y 10.
2 *Jus. Sociale*, c. III, a. 2.
3 Apud Meyer, loc. infr. cit.
4 *Ethica*, sect. II, c. II, a. 9.
5 *Jus. Nat.*, lib. II, c. II, a. 3.
6 *Jus. Nat.*, p. II, sect. III, lib. I. c. II, a. 2, § 1.
7 *Philos.Mor.*, p. II, lib. II, c. III, a. 1.
8 Disp. IV, sect. VI.
9 *Ethica, p. spec.*, c. I, a. 3. Hanc Leonem XIII praetulisse sententiam censent recentiores plurimi. Ait enim: «Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam causis voluntate judicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur jura principatus, neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum» *Diuturnum.* Nihilominus mens nostra est, R. Pontificem suis hisce verbis neutram plane

Hujusmodi sententia toto coelo differt ab alia extrema «nova et singulari ad exaggerandam temporalem potestatem et spiritualem extenuandam inventa», uti vocat *Suarez*, quam Occamistae ante *Jacobum I.* Angliae regem et post ipsum Caesaristae et Regalistae omnes propugnant, asserentes *regibus auctoritatem a Deo immediate perinde ac Pontificibus esse concessam*, id est, Deum immediate et directe, positiva et singulari institutione eos principes populi citra omnem humanum concursum designasse, proindeque reges esse vere *juris divini* non solum in communi, in quantum Deus nempe, ut auctor naturae, ordinavit ut in societate essent principes vel rectores, sed etiam *in particulari*, in quantum immediate elegit personam principis signo aliquo speciali, vel peculiari donatione, aut revelatione mediante in ipsis reipublicae exordiis vel in ejusdem progressu. Sed de hac in seq. quaest.

4. II.ª sententia tenet Deum *immediate* communicare multitudini auctoritatem et in ipsa residere ut in primario subjecto; electa vero vel quomodolibet designata persona principis, populum in ipsam necessario transferre acceptam potestatem, nec posse eam semel translatam repetere. Hanc sententiam, quam *Suarez*[1] *antiquam, receptam, veram* ac *necessariam* censet, tuentur post *S. Thomam*[2], *Cajetanus*[3], *Victoria*[4], *Dom. Soto*[5], *Bañez*[6], *Molina*[7], *Bellarminus*[8], *Salmanticenses*[9], *Billuart*[10], *S. Alphonsus M.ª de Ligorio*[11], *Balmes*[12], necnon plures neotherici qui veteres *Scholasticos* vindicarunt[13].

5. Ut plene comprehendatur hujusmodi theoria simulque probetur, sequentia notare juvabit cum *Emmo. Card. Bellarmino:*

1) «politicam potestatem in universum consideratam, non descendendo in particulari ad Monarchiam, Aristocratiam vel Democratiam, immediate esse a solo Deo, nam consequitur necessario naturam hominis, proinde esse ab illo qui fecit naturam hominis»;

---

dijudicasse Scholasticorum sententiam, sed impugnavisse tantum Naturalistarum theoriam de origine pure humana auctoritatis socialis ad nutum multitudinis revocabilis.

1 *Defens. Fidei Cathol.*, lib. III, c. II, Conf. quoque *De Legibus*, lib. III, c. II.
2 I-II, q. XC, a. 3. q. XCIII, a. 3; et II-II, q. X, a 10.
3 *Tract. II De Auct. Papae*, p. II, c. 10.
4 *Relect. De potest. civili*, n. 7 et *Relect. De potest. Eccl.*, concl. III.
5 *De Just. et jure*, lib. IV, q. IV, a. 1.
6 *Decissiones de Jure et Just.*, q. LXIII, a. 3.
7 *De Just.*, Disp. XXI.
8 *De Laicis*, lib. III, c. VI.
9 *Compend.*, Tract. de Leg., c. II.
10 *De Leg.*, a. 4.
11 Lib. I, tract. II, c. I.
12 *El Protest.*, loc. cit. y c. 51.
13 Inter hos eminet Costa-Rossetti, *Philos Moral.*; part. IV, sect. II; Mendive, *Jus. Nat.* c. IV, a. 2, § 3; Casanova, *Ethic. spec.* c. V, a. 5. Idem sentiunt Cavagnis, Castelein, *Philos. Mor. et soc.*, Thes. 31, R. Cepeda, lec. 61. Van der Aa, qui seq. probat propositionem (ordine 155.ª) «In exoriente civili societate auctoritatis subjectum, est natura prius multitudo, a qua, natura posterius conferatur auctoritas subjecto ab ea designato, ita ut sit auctoritas *mediate* a Deo, *immediate* a populo collata et alienata», c. III, q. II, a. 2.

2) «hanc potestatem immediate esse, tanquam in subjecto, in tota multitudine, nam haec potestas est de jure divino. At jus divinum nulli homini particulari dedit hanc potestatem; ergo dedit multitudini; praeterea, sublato jure positivo, non est major ratio cur ex multis aequalibus unus potius quam alius dominetur; igitur potestas totius est multitudinis»;

3) «hanc potestatem transferri a multitudine in unum vel plures eodem jure naturae: nam respublica non potest per seipsam exercere hanc potestatem; ergo tenetur eam transferre in aliquem unum vel aliquos paucos: et hoc modo potestas principum in genere considerata est etiam de jure naturae et divino: nec posset genus humanum, etiamsi totum simul conveniret, contrarium statuere, nimirum, ut nulli essent principes vel rectores»;

4) «in particulari singulas species regiminis esse de jure gentium, non de jure naturae; nam pendet a consensu multitudinis constituere super se regem, vel consules, vel alios magistratus, ut patet; et, si causa legitima adsit, potest multitudo mutare regnum in Aristocratiam, aut Democratiam, et e contrario, ut Romae factum legimus»;

5) «ex dictis sequi, hanc potestatem in particulari esse quidem a Deo, sed mediante consilio, et electione humana, ut alia omnia quae ad jus gentium pertinent, jus enim gentium est quasi conclusio deducta ex jure naturae per humanum discursum.

6. Ex quo colliguntur duae differentiae inter potestatem politicam et ecclesiasticam; una ex parte subjecti, nam politica est in multitudine, ecclesiastica in uno homine tanquam in subjecto immediate; altera ex parte efficientis, quod politica universe considerata est de jure divino, in particulari considerata est de jure gentium: ecclesiastica omnibus modis est de jure divino et immediate a Deo». Hucusque *Bellarminus.*

7. **Thesis I. Civilis potestas, residens in uno Rege vel principe aut in pluribus plebejis vel optimatibus, proxime vel remote a communitate descendit, origine divina ejusdem potestatis supposita;** seu aliis verbis: **Primum et naturale subjectum auctoritatis est ipsa communitas, cui Deus illam immediate communicat.**

Ratio hujus est «quia ex vi rationis naturalis nulla potest excogitari ratio cur haec potestas determinetur ad unam personam, vel certum numerum personarum infra totam communitatem, magis quam ad alium; ergo ex vi naturalis concessionis solum est immediate in

communitate»[1]. «Nam omnes homines sunt in natura aequales, nec unus est superior nec alius inferior ex natura, nulli enim dedit natura supra alterum potestatem; sed haec a Deo data est hominum communitati, quae, judicans rectius fore gubernandam per unam vel per plures personas determinatas, suam transtulit potestatem in unam vel plures a quibus regeretur»[2].

Objicies I.° cum *Zigliara, Meyer*, aliisque. «Repugnat esse subjectum auctoritatis civilis illud cui repugnat possibilitas exercendi talem auctoritatem: cum enim auctoritas sit essentialiter ordinata ad gubernandam rempublicam, ejus subjectum esse non potest, quod non potest esse subjectum exercitii; atqui fatentibus ipsis adversariis multitudo non potest per seipsam exercere auctoritatem civilem; ergo multitudo seu populus non potest esse subjectum auctoritatis civilis»[3].

Distinguo maj.: repugnat esse subjectum auctoritatis civilis, cui repugnat possibilitas eam exercendi tum *per se*, tum *per alium*, transeat; cui repugnat eam exercere per se, potest autem per alium exercere, nego. Nihil enim prohibet quominus multitudo, etsi non possit per seipsam auctoritatem civilem exercere, eam recipiat a Deo, ut aliis commendet, maxime cum impraesentiarium id solum investigetur an Deus, ut est auctor naturae, in exordiis societatum alicui vel aliquibus personis immediate communicet praedictam auctoritatem vel potius toti communitati. Porro cum ratio naturalis dictet hanc potestatem ad ejusdem societatis constitutionem esse necessariam ante quamcumque electionem vel principum designationem, patet hujusmodi communicationem, quam sustinemus, non esse superfluam, etsi deinde societas sive populus teneatur uni vel pluribus eamdem potestatem deferre.

Objicies II.° Si Deus immediate toti communitati commendasset civilem potestatem, Democratia esset immediate ex institutione divina, nec ea unquam ab hominibus jure mutari posset in Monarchiam vel Aristocratiam.

Resp. Nego illationem. Nam ex veterum Scholasticorum sententia principatus a Deo dimanans et primitus toti communitati concessus, ut, hujus consensu mediante, in unum vel paucos optimates vel populares transferatur, aeque potest determinari ad Monarchiam, Aristocratiam vel Democratiam.

Vel, si placet, distinguo cum *Suarez*. Si Deus immediate communicaret auctoritatem toti communitati, Democratia esset immediate ex institutione divina, *naturali* vel *quasi naturali*, concedo; *positiva*, nego. Est enim valde notanda differentia, inquit egregius Auctor, inter has species politicae gubernationis. Nam monarchia et aristocratia introduci non

1 Suarez, *Defensio Fidei Cath.*, loc. cit. n. 7.
2 Salmantic., loc. cit. inq. 2.
3 Zigliara, *Jus. Nat.*, lib. II, c. II, a. 3.

potuerunt *sine positiva institutione divina vel humana,* quia sola naturalis ratio nude sumpta non determinat aliquam ex dictis speciebus ut necessariam; unde cum in humana natura per se spectata absque fide seu revelatione divina non habeat locum positiva institutio de illis speciebus, necessario concluditur non esse immediate a Deo. At vero Democratia esse posset absque institutione positiva, ex sola naturali institutione seu dimanatione, cum sola negatione novae, seu positivae institutionis, quia ipsa ratio naturalis dictat potestatem politicam supremam naturaliter sequi ex humana communitate perfecta, et ex vi ejusdem rationis ad totam communitatem pertinere nisi per novam institutionem in alium transferatur.

Quocirca, subdit eximius Doctor, potestas haeç, prout a Deo immediate datur communitati, juxta modum loquendi jurisperitorum, dici potest de jure naturali *negative,* non positive, vel potius de jure naturali *concedente,* non simpliciter praecipiente. Quia nimirum jus naturale dat quidem per se et immediate hanc postestatem communitati, non tamen absolute praecipit ut in illa semper maneat neque ut per illam talis potestas immediate exerceatur, sed solum quandiu eadem communitas aliud non decreverit, vel etiam ab aliquo potestatem habente mutatio legitime facta non fuerit»[1].

Objiciunt alii praedictam Scholasticorum theoriam proxime accedere ad sententiam *Rousseavii;* imperium Dei, cujus gratia Reges principantur, nimis negligere, necnon valida argumenta Socialismo democratico praestare ad tuendam majestatem popularem. Contra quos sit

9. Thesis II. Sententia Scholasticorum essentialiter differt a theoria pacti socialis.

Probatur ex aperta et radicali oppositione inter unam et alteram sententiam. En brevis conspectus principiorum tum *Scholae* tum *Democratiae.*

Principia Scholasticorum	Principia Rousseau
I. Homo, natura sua, est animal politicum et sociale.	I. Status naturalis hominis est status belluinus, silvester et extrasocialis.
II. Ergo socialitas humana est immediate a natura vel auctore naturae ut a causa efficiente.	II. Socialitas humana non est a Deo sed a libero hominum pacto, ut a causa efficiente.
III. Societas est adeo necessaria, ut homines non possint ab ea praescindere, si velint propriam perfectionem consequi.	III. Societas non est homini necessaria, sed potest eam libere solvere et ad statum naturalem redire.

1 ib. n. 8 et 9.

IV. Auctoritas publica Deum habet auctorem.	IV. Nullum imperium sine libero pacto.
V. Auctoritas commendatur a Deo immediate toti communitati, non singulis sociis separatim.	V. Auctoritas est collectio voluntatum individualium per cessionem quam quisque socius facit suae voluntatis.
VI. Populus tenetur supremam potestatem a Deo acceptam uni vel pluribus transferre.	VI. Auctoritas residet essentialiter et inalienabiliter in populo, ita ut nunquam ea privari possit.
VII. Potestatem semel translatam populus nequit pro libito repetere.	VII. Populus potest, cum ei placuerit, potestatem concessam reposcere.
VIII. Principes, nomine Dei, et multitudinis consensu vel electione directa aut indirecta, populum gubernant.	VIII. Principes sunt administri Status et populi mandatarii.
IX. Principes non possunt ad arbitrium populi auctoritate et regno privari.	IX. Reges, Principes vel Praesidentes possunt arbitratu populari exturbari et deponi.
X. Quaelibet forma regiminis est de se apta ad populorum gubernationem.	X. Nulla forma regiminis praeter Democratiam potest jure et legitime constitui.

Ex hac ergo manifesta principiorum oppositione patet sententiam Scholasticorum de origine et constitutione societatis aperte pugnare cum Rationalistarum theoria.

Mirum sane est summos illos Scholasticae Doctores theoriam hanc popularem de immediata potestatis communicatione toti multitudini palam et maxima cum libertate professos fuisse, illis praesertim temporibus quibus reges Europaei absoluta potiebantur potestate, quin tamen aut populi aut reges ipsi commoverentur. Quo ergo jure possunt accusari de tyrannicidio? qua item ratione nituntur qui scholasticam doctrinam tanquam Absolutismi basim et politicae libertatis inimicam vertunt? Tyrannicidii rei sunt qui cum *Rousseau* docent populum esse cujusque auctoritatis subjectum et caput; absolutismi vero qui cum *Jacobo I.* audent asserere Deum reges constituisse omnium dominos cunctaque, quibus Corpus Collegislativum gaudebat, privilegia, a regum bonitate, velut ab omni jurium fonte, unice promanare. Utraque sententia favet despotismo sive unius sive plurium, regis vel multitudinis, a quo immunis est Scholasticorum doctrina.

10. **Thesis III. Quamvis theoretice et prima fronte, oppositae videantur duae supra expositae Catholicorum opiniones, practice vero non differunt.**

Prob. *a)* Sive auctoritas a Deo *immediate* commendetur imperantibus, supposita designatione personae facto aliquo humano ad

hoc intercedente, sive *mediante vero populi consensu,* imperantes a Deo, a quo est omnis auctoritas, originaliter accipiunt potestatem, ita ut utroque modo realiter verificetur sensus illius dictionis: *Per Dei gratiam rex vel imperator;* atqui hoc sufficit ut homines auctoritatem practice revereantur et in exequendis ejusdem mandatis Deo, et non hominibus, obediant; ergo cum in utraque sententia salvetur primus et fundamentalior imperii et obedientae titulus, cui ceteri subordinantur, practice non differunt supradictae Catholicorum opiniones.

b) Rite perpensis utriusque sententiae consectariis, ad eamdem conclusionem facile devenitur. Etenim ambae 1) eamdem originem assignant auctoritati, 2) eadem officia subditis imponunt erga politicam potestatem et 3) aequa jura principibus tribuunt in ordine ad gubernationem reipublicae; ergo diversitas sentiendi inter catholicos de modo quo auctoritas principibus communicatur, quaestioni principali non officit et in praxi differentia non apparet [1].

C)

De origine auctoritatis socialis in concreto [2].

Summa rerum.—1. *Sensus quaestionis.* 2. *Diversae Philosophorum theoriae.* 3. Thesis I. *Nullus principatus politicus in particulari est immediate a Deo.* Prob. 4. *Egregia Suaresii doctrina pro enodandis rationibus a patronis secundae theoriae allatis.* 5. *Judicium fertur de tertia theoria.* 6. Thesis II. *Subjectum politicae auctoritatis per se determinatur electione directa vel indirecta, seu acceptatione tacita, usuali vel explicita populi.* Prob.—*Quid sit electio directa et indirecta.* 7. *Duplex modus quo populus potuit in primaeva institutione mediante consensu uni determinatae personae politicam conferre potestatem* 8. *Quid de aliis modis a quibus concretam et juridicam auctoritatis originem ducunt nonnulli philopsophi.*

1. **Sensus quaestionis.** Ex supradictis omnino liquet *a)* necessariam esse aliquam auctoritatem ut Respublica diu subsistere queat; *b)* jus imperii secundum se a Deo et non ab humana voluntate procedere; *c)* multitudinem seu populum non esse subjectum *generativum* auctoritatis neque voluntatem generalem fontem omnium jurium et

1 Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo,* c. 51.

2 Cfr. Suarez, *Defens. Fidei Cathol.*, lib. III, c. II; S. Schifini, *Disp. Philos. Mor., Ethica Spec.*, Disp. IV, sect. VII; Vallet, *Praelect. Philos., Ethic. spec.*, sect. II, c. V; Audisio, *Juris Nat. et Gent. fund.*, Tit. III; Zigliara, *Jus Naturae*, lib. II, a. 3.

officiorum; *d)* absurdam esse necnon cruentarum revolutionum causam *suprematiam* seu *majestatem*, quam dicunt, *popularem*. Verum cum auctoritas ex se non copuletur cum ulla forma regiminis nec cum aliquo subjecto particulari, impossibile tame sit neam realiter existere quin in aliquo subjecto particulari resideat, hinc necessitas investigandi *factum contingens determinans* personam principis in concreto, seu causam et principium ratione cujus, potissimum in exordiis societatum, auctoritas politica ***Petro*** v. gr., potius quam ***Paulo*** deferatur.

2. Qua in re illae ipsaemet theoriae, quas supra de causa proxima et immediata societatis recensuimus, iterum obviam veniunt.

I.ª Censent nonnulli, ipsam naturam, eo modo quo patriam potestatem in familia, instituere determinatum subjectum politicae potestatis in societate civili. Sic *Giobertus* arbitratur subjectum politicae potestatis ex *ingenii aristocratia* determinari, eique jure proprio deberi, qui intellectu ceteris praestat[1]. *(Theoria juris divino-naturalis).*

II.ª Alii, ut *Bossuet* et de *Maistre*, post *Occamistas* et *Jacob. I. Angliae* regem, affirmant personam principis determinari in concreto per divinam institutionem, in quantum Deus huic potius quam alii immediate supremam confert potestatem. Sic constat elegisse *Saulem*, *Davidem* et in Ecclesia Catholica *B. Petrum* omnium Apostolorum Caput et Principem. *(Theoria juris divino-positivi).*

III.ª Plures inter *Scholasticos* post *Taparelli* docent inter multiplices causas, quae originative determinare valent subjectum politicae auctoritatis, praecipuam esse dignitatem patriarchalem unitam cum dominio fundorum, proindeque reges et principes in concreto originariam institutionem accepisse, ut plurimum, per naturalem extensionem patriae potestatis. «Causa, inquit *Liberatore*, quae primitus subjectum politicae auctoritatis determinat per se est praevalentia praeexistentis juris domestici, per accidens vero est consensus». *(Theoria juris historico-naturalis).*

IV.ª Alii vero non pauci tum inter antiquos Scholae Doctores cum *Bellarmino* et *Suarez*, tum inter recentiores cum *Zigliara*, tenent subjectum politicae auctoritatis determinari in concreto electione directa vel indirecta multitudinis. *(Theoria consensus popularis).*

3. Primam et alteram sententiam sequenti conclusione refutamus.

Thesis I. Nullus principatus politicus in particulari est immediate a Deo.

Prob. *a)* «Illa potestas dicitur esse in aliquo immediate a Deo, quae vel per solam Dei voluntatem, vel ex vi solius rationis natura-

1 Cfr. Vallet, loc. cit.

lis, aut alicujus divinae institutionis ad illum pervenit; sed potestas de qua tractamus, nullo ex his modis data est regibus a Deo, loquendo secundum ordinariam legem, quia nec per specialem voluntatem Dei immediate data est (talis enim voluntas Dei nec revelata nec nota facta est hominibus); neque etiam solum jus naturale per se dictat hanc potestatem debere esse in regibus, ut ostensum est: institutio denique seu determinatio aut translatio hujus potestatis ad reges non a Deo immediate facta est, ut ex usu ipso constat.

b) Item, quia alias talis institutio immutabilis esset, et omnis mutatio in ea facta per homines fuisset iniqua; imo omnes civitates, regna vel reipublicae deberent eamdem institutionem servare, quia non est major ratio de una quam de alia, neque una magis accepit ex divina revelatione talem institutionem quam alia. Est ergo haec humana institutio, quia per homines immediate facta»[1].

«Ex quibus tandem concluditur nullum regem vel monarcham habere vel habuisse (secundum ordinariam legem) immediate a Deo, vel ex divina institutione, politicum principatum, sed mediante humana voluntate et institutione. Hoc est *egregium Theologiae axioma*»[2].

4. Exempla autem adducta in secunda theoria non valent. Nam concesso quod Deus *Saulem* et *Davidem* positiva et expressa voluntate elegit in reges *Israel* et *B. Petrum* in Principem totius Ecclesiae Catholicae, id *ordinarie* non evenit in exordiis nec in progressu societatis civilis.

Neque instes Romanum Pontificem immediate a Deo supremam potestatem accipere, non obstante electione humana; id pariter, inquam, non officit supradictae conclusioni. Nam in creatione Pontificis Romani actio humana solum eligit personam determinatam in individuo, id est, ponit conditionem auctoritatis, sed Deus confert institutionem et formam ipsius auctoritatis. In societate vero civili requiritur institutio humana non tantum ad designandam personam sed ad determinandam quoque formam auctoritatis[3]. Et ideo, quamvis auctoritas in se sumpta, originaliter descendat a Deo nulli tamen principi defertur in concreto nisi humana institutione mediante.

5. Quod attinet III sententiam asserentem politicam auctoritatem *radicater* inveniri in ipsa patria potestate, proindeque factum ipsum naturalis evolutionis familiarum in nationem et jus praeexistens in antiquiori parente gubernandi communitatem ex familiis sibi naturaliter subjectis constitutam, esse causam determinantem subjectum auctoritatis, absque alio tacito vel expresso multitudinis consensu, *a)* assignat quidem *originem*

---

1 Suarez, *Def. Fid. Cath.*, lib. III, c. II, n. 13.

2 Suarez, ib. n. 10.

3 Vide apud Suarez (loc. cit. n. 16) duos modos, quibus actio aut voluntas humana potest intervenire in collatione potestatis a Deo ipso ducentis originem.

historicam, non tamen conversionem patriae potestatis in politicam auctoritatem nec hujus causam efficientem; *b*) confundit dominium et proprietatem cum auctoritate civili; *c*) favet individualismo; concipit namque societatem ut meram extensionem familiae, cujus proinde immediata elementa sunt individua; *d*) ansam praebet principibus ea sibi arrogandi in societatem quae patri competunt in familiam. Quamobrem verissima nobis videntur quae cl. *Audisio* animadvertit in hanc theoriam. «Tenemus, inquit, a familia primam duxisse originem principatum, cum imperfecta admodum hujus notio habebatur, paucisque ordinandis familiis amplior quaedam paternitas sufficiebat. Volumus quoque familiae exemplum traducendum esse in civitatem, non nimis tamen, cum sint diversissima jura patris et jura imperantis. Similitudinem fatemur inter familiam et civitatem; istamque perfici cum affectibus et obsequio ad illam accesserit; sed nequaquam analogiae sufficiunt, ut res et jura permisceantur. Ergo non recta illa sententia quae ex familia vel paternitate originem et jura infert principatus. Imo populis noxia, quia patris exemplo, nimia princeps sibi vindicaret; nec minus infensa principibus, qui, familiae titulo, quomodo sua jura imperandi tuerentur? Duae igitur potestates, discretae invicem a natura, sunt familia et principatus» [1]. Ergo jus antiquioris parentis non determinat subjectum politicae auctoritatis in concreto, nisi supponat consensum multitudinis sese voluntarie subjicientis patriarchali dominationi et jus domesticum in jus civile transeat. Sit ergo.

6. Thesis II. Subjectum politicae auctoritatis per se determinatur electione directa vel indirecta, seu acceptatione tacita, usuali vel explicita populi.

Prob. Determinare subjectum politicae auctoritatis est designare personam cui Deus conferat supremam potestatem ad regendam multitudinem. Hujusmodi autem designatio aut fit a natura, aut a voluntate: non datur medium. Non a natura, quia nemo natura sua nascitur rex vel imperator; nam potestas civilis est aliquid accidentaliter additum personae principis; ergo a voluntate populari. Populus vero potest designare principem suffragio, acclamatione vel alio modo explicito mediante, ut cum plura individua vel plures familiae conveniunt in unam societatem efformandam et designant in principem unum ex individuis aut ex patribusfamilias, et tunc habetur *electio directa*, quia fertur in ipsam personam principis, vel potest velle aliquid ad quod sequitur designatio subjecti politici principatus; ut esset domicilium transferre in territorium alterius dominio subjectum, aut velle

---

1 *Juris Naturae et Gent.*, lib. III, Tit. III, n. VII; Llovera, *Tratado Elemental de Sociología Cristiana*, c. III, a. único.

sub potestate antiquioris patrisfamilias permanere, et est *electio indirecta*. Nec aliter potest determinari auctoritas in concreto [1].

Nam jus praeexistens in antiquiori patrefamilias, in quo plures inveniunt originem historicam potestatis civilis in concreto, potest esse occasio vel circumstantia, si cetera adsint, ad deferendam ei politicam auctoritatem, sed haec de facto non defertur nisi quia familiae acceptant vel eligunt vivere sub ejus principatu. Ergo princeps determinatur in concreto electione directa aut indirecta [2].

7. Notandum tamen cum *Suarez* voluntarium populi consensum, quo in primaeva institutione confertur uni principi politicam potestatem, variis modis intelligi posse. «Unus est ut paulatim et quasi successive detur, prout successive populus augetur. Ut, v. gr. in familia Adae vel Abrahae, aut alia simili in principio, obediebatur Adamo tanquam parenti, seu patrifamilias, et postea, crescente populo, potuit subjectio illa continuari, et consensus extendi ad obediendum illi, etiam ut regi, quando communitas illa coepit esse perfecta, et fortasse multa regna (et in particulari primum regnum Romanae civitatis) ita inceperunt. Et in hoc modo, si quis recte consideret, regia potestas et communitas perfecta simul incipere possunt».

«Alius vero modus esse potest quando communitas jam perfecta voluntarie regem eligit, in quem suam transfert potestatem, qui est modus per se maxime conveniens et rationi consentaneus. Postquam vero haec translatio semel facta est firma et perpetua, tunc non est ulterius neccesaria nova electio vel novus populi consensus; sufficit enim ille qui in primordio regni datus est, ut ex vi illius eadem regia dignitas et potestas per successionem transferatur. Et hoc modo in regnis successivis reges etiam dici possunt habere potestatem immediate a populo, non per novum consensum, sed ex vi antiqui» [3].

8. Quod autem aliqui [4] demonstrare conantur, scilicet, subjectum potestatis supremae posse, praeter electionem seu consensum, variis modis, v. gr. bello, cessione seu donatione, publica necessitate etc, legitime determinari, non inficiamur; sed hos aliosque modos consensum vel electionem, sensu explicato, ut sint sufficientes, implicare, post dicta, nemo ambiget, idcirco nostrae omnes haerebunt sententiae.

---

1 Cfr. Zigliara, *Jus. Nat.*, lib. II, a. 3.

2 Vallet opinatur subjectum politicae potestatis determinari in societate primitus constituta *jure domestico* in variis vero societatibus decursu temporis exortis, *multitudinis consensu*, loc. cit. § 1.

3 loc. cit. c. II, n. 19. Cfr. Mariana, *De Reg. et Regis instit.*, lib. I, c. IX.

4 Ferretti, n. 405; Cathrein, *Philos. Mor.*, p. II, c. III, a. 1, § 3; De Bie, n. 588.

§ 3

DE VARIIS REGIMINIS FORMIS [1]

A)

Notiones praeviae

Summa rerum. 1. *Ordo rerum tradendarum.* 2. *Auctoritas una.* 3. *Definitur regiminis forma.* 4. *Ejusdem species.* 5. *Quid est monarchia, aristocratia et democratia;—earum corruptiones.* 6. *Species monarchiae.* 7. *Regimen constitutionale.* 8. *Initia historica ejusdem.* 9. *Principia philosophica.* 10. *Elementa.*

1. His expositis quae ad originem et subjectum auctoritatis spectant, operae pretium est praecipuas reipublicae administrandae formas breviter perstringere, ne scholaris in re tanti momenti jejunus appareat.

Sed, ajente Philosopho, «ejusdem scientiae est, et quae sit optima reipublicae administrandae forma, et quae qualisve maxime sit optabilis, nulla re externa impediente, et quae quibus apta, pervidere» [2]. Quamobrem explicata natura uniuscujusque, praestantiam earumdem expendemus tum in se tum in comparatione cum aliis.

2. Jam vero in confesso est apud omnes auctoritatem debere esse *unam,* ne societas distrahatur et pereat. Verum haec unitas potest esse *physica* vel tantum *moralis,* prout una scilicet persona, vel plures, concordi tamen voluntate, auctoritatem possideant gubernentque rempublicam. Ergo *non ab auctoritate,* quae unica est, sed *a diversitate subjectorum eam habentium* diversae promanant regiminis formae.

3. *Est autem reipublicae administrandae forma,* inquit Philosophus, *ordinatio quum aliorum civitatis imperiorum, tum ejus maxime quod potestatem et auctoritatem in civitate habet omnium maximam.* Administratio enim et gubernatio civitatis ubique potestatem et auctoritatem obtinet. Civitatis autem administrandae forma administratione seu gubernatione

---

1 Cfr. Aristoteles, III *Polit.*; S. Th. ib.; *De regim. Princip.* lib. I; Mariana, *de Rege et Reg. instit.*, lib. I, c. II et seq.; Audisio, lib. III, Tit. IX; Schifini, Disp. IV, sect IX; Costa Rossetti, p. IV, c. II, sect. I, § 3; González, *Estudios*, lib. VI, c. XII; Van der Aa, p. III, q. IV; Rodríguez de Cepeda, *Elementos de Derecho Nat.*, lec. 67; Damián Isern, *De las formas de gobierno ante las ciencias jurídicas y los hechos*, (Madrid 1892), I. p. Gil Robles, *El absolutismo y la democracia*, (Salamanca 1892); José Miralles y Sbert; *Santo Tomás de Aquino y el moderno régimen constitucional*, (Prólogo de D. Juan Manuel Ortí y Lara, Madrid 1890); Bluntschli, *Derecho público universal*, lib. VI.

2 IV *Polit.*, c. I.

civitatis continetur»[1]. Brevius definiri potest: *modus stabilis quo auctoritas a subjecto, cui demandata est cura civitatis, possidetur et exercetur*[2].

4. Formae aliae sunt *simplices* seu *elementares*, aliae *mixtae* seu *compositae*. Elementares tres communiter recensentur, scilicet: *Monarchia, Aristocratia* et *Democratia*, ex quarum commixtione novae aliae efformantur, quae generico vocabulo *mixtae* vel etiam *repraesentativae* dicuntur, ut regimen parlamentare et monarchia constitutionalis.

Censent tamen nonnulli cum *Taparelli*[3] Aristocratiam et Democratiam accidentaliter tantum differre proindeque duas solummodo, scilicet Monarchiam et Polyarchiam, seu, ut alii malunt, Monarchiam et Democratiam esse formas specifice et essentialiter distinctas. Quod enim habentes potestatem sint plebeji vel optimates, inquiunt, differentiam substantialem non inducit in regiminis formis, sed quod legibus a se constitutis subjiciantur aut non quoad vim coactivam. Addunt alii, ut eamdem probent sententiam, regimen populare nomine tenus existere, quia imperantes in ipsa quoque democratia de facto semper assumuntur ex numero optimatum[4].

Nihilominus, praeeunte Philosopho[5], «tres omnino gubernationis formas philosophorum principes discrevere: Monarchiam, unius scilicet principatum; Aristocratiam, regimen videlicet optimatum; Democratiam, populi nempe totius imperium; quae quidem formae solent interdum permisceri»[6].

5. Sic ergo *monarchia* (μόνος unus, ἀρχή principatus) vocatur regimen illud in quo *suprema potestas residet penes unam personam physicam. Aristocratia* (ἄριστος optimus κρατέω impero) definitur *status reipublicae quae ab optimatibus gubernatur. Respublica* seu *Democratia* (δῆμος populus) (in bono sensu) dicitur regimen illud in quo multitudo partem habet principatus, quatenus, ut loquitur ***S. Thomas,*** *ex popularibus possunt eligi principes et ad populum pertinet electio principum*[7].

Corruptiones autem dictarum formarum, vel «digressiones ab iis, quae dictae sunt reipublicae administrandae formae, sunt, ut verbis utar Philosophi, *tyrannis* quidem a regno, *oligarchia* autem ab aristocratia; *democratia* vero (sumpta in pravo sensu) a politia. Tyrannis enim

1 III *Polit.*, c. IV, (ed. Didot).

2 *Es la diferente organización del Poder civil*, dice Rodríguez de Cepeda, loc. cit.

3 *Ensayo*, lib. II, c. IX, n. 504 et seq.

4 III *Polit.*, c. V. Cfr. Cicero, *de Republica*, I, 26.

5 «Tomando el término en todo el rigor de la acepción, jamás ha existido una verdadera democracia, ni es posible que jamás exista. Es contrario al orden natural que gobierne la mayoría y que la minoría sea gobernada.» Rousseau, *El contrato soc.*, lib. III, c. 4.

6 Joan. a J. M. *Ars gubernandi compendio scripta*, p. I, c. I. (Opera omnia t. 3, pag. 384).

7 I-II, q. CV. a. 1.

monarchia est ad ejus qui solus imperat utilitatem spectans; oligarchia ad commoda divitum; democratia ad egentium: reipublicae utilitatem nulla earum habet sibi propositum» [1].

Est igitur *tyrannis* regimen illud in quo *imperans, non subditorum utilitatem, sed proprium commodum quaerens, societatem gubernat, legibus omnibus spretis, secundum arbitrium suae voluntatis. Oligarchia* autem tunc habetur *cum pauci propter divitias opprimunt plebem,* et, e contra, *democratia,* ajente ***Angelico Praeceptore,*** est *potentatus populi, quando scilicet populus plebeiorum per potentiam multitudinis opprimunt divites.*

6. Regimen monarchicum dividitur, *ratione originis,* in *haereditarium* vel *electivum,* prout in locum demortui vel abdicantis regis ille succedit in throno, qui a legibus fundamentalibus vel legitima regni consuetudine praedeterminatur, vel electione mediante novus rex designatur.

Ratione *formae* seu *exercitii,* dividitur in monarchiam *absolutam, temperatam* et *constitutionalem* seu *repraesentativam. Absoluta* habetur quando potestas suprema *tota et indivisa* est penes regem vel imperatorem, ita ut *solus possit leges ferre quin ullis constitutis legibus fundamentalibus positivis societatique determinatae propriis coarctetur.* Quod non obstat quominus adsciscat aliquos in partem principatus tum ad leges condendas, tum ut conditae executioni demandentur. Id enim non limitat suam potestatem. Limitatur autem legibus naturalibus et divinis; tenetur ergo regnum regere secundum *rationem* et *justitiam.* Monarchiam *temperatam* vocamus regimen illud in quo suprema potestas non dividitur in plures (id enim pertinet ad essentialem monarchiae conceptum), sed tota est penes unum, *qui tamen legibus fundamentalibus, quas societas praehabet, subjicitur eisque coarctatur* [2]. Alii vero monarchiam temperatam nullatenus concipiunt absque *divisione potestatis,* ita ut, una cum summo imperante, sint alii principes subalterni, v. gr. Provinciarum delegati, Procuratores Civitatum, qui supremam potestatem participent eamque compleant; proindeque regis imperium ita moderatur in hac sententia per elementum aristocraticum et democraticum, ut, non expetito et obtento principum subalternorum consensu leges ferre non possit, ad hoc enim necessario concurrere debent illi inter quos auctoritas socialis partitur [3].

Sed, ni fallor, haec sententia aut cum superiore confunditur, aut regimen ab illa definitum nonnisi aequivoce monarchicum vocari potest. Nam potestas illa, quam principes subalterni possident, aut a su-

1 loc. cit.

2 Cfr. Gil Robles, *El absolutismo y la democracia,* nota XI.

3 Cfr. Zigliara, *Jus Nat.,* lib. II, c. II, a. 8, et c. IV, a. 2. Item *Propedeutica,* lib. IV, c. XI; Herrmann, *Instit. Theolog.,* vol. I, Tract. c. II, n. 195.

prema regis potestate descendit, aut non. Si primum, habemus primam sententiam, quoniam tota et indivisa potestas originative est in rege, ideoque solus legislare potest. Si alterum, cum suprema potestas dividatur in plures, hujusmodi regimen, etsi in eo praeponderet elementum monarchicum, est vere mixtum; quia quamvis rex praecipuas partes gerat principatus et omnibus praesit, ceteri tamen sunt participes auctoritatis socialis, quam quidem habent, non a rege, sed a legibus fundamentalibus regni vel a populorum electione.

7. **Regimen constitutionale** est illud in quo rex quidem regnat, sed reipublicae administratio geritur a representatibus populi. Hinc effatum quo synthetice exprimi solet natura hujus formae: *Rex regnat, sed non gubernat;* gubernat autem populus per deputatos a se electos, et ob hanc rationem vocatur *regimen populare,* regimen *repraesentativum.*

8. **Initia historica** hujus regiminis, prout a Liberalismo explicatur et defenditur, ad Revolutionem Gallicam referenda sunt. Quamvis enim *Locke* in suo Libro *De Civili Gubernio Rousseavio* viam demonstraverit ad tuendam *majestatem popularem*, et *Montesquieu* Constitutionem Anglicam ut *palladium libertatis* exhibuerit et tanquam optimam regiminis formam omnibus gentibus commendaverit[6], tamen theoria regiminis Constitutionalis nonnisi cum *Contractu Sociali,* quo tota nititur, ope Encyclopedistarum *Galliae* propagata est.

9. **Principia philosophica,** quae, tanquam solidam hujus regiminis basim et fundamentum, ipsimet Liberales substernunt, sequentia inter alia recensentur: *a)* supremam potestatem essentialiter et inalienabiliter populo competere; *b)* necessariam esse populi repraesentationem, cum non possit per seipsum eam potestatem exercere; *c)* ut omnes habeant aliquam partem in principatu et populus sibi ipsi imperet et obediat, praedictam repraesentationem designandam esse medio suffragio universali; *d)* necessariam esse distractionem potestatis tum quoad suam originem tum quoad exercitium, ut salvum sit jus ingenitum libertatis; *e)* repraesentantes populi non esse vere principes sed populi mandatarios, quorum potestas revocabilis est; *f)* regem non *Dei gratia,* sed *populi voluntate et consensu* regnare.

10. **Elementa** quibus constat organismus Constitutionalis sunt: *a) Charta* seu *Constitutio,* scripto exarata, continens leges fundamentales regni a principe simul et a populi deputatis stabilitas[7]. *b) Congressus* seu *Camera deputatorum* et *Senatus* seu *Camera alta.* Deputati populum, Senatores vero altiores classes repraesentant et simul *Corpus Collegislativum* constituunt. *c) Ministri,* quorum cura est leges ab utraque Camera approbatas et a Rege sancitas executioni demandare. Hi *libere* eliguntur a

1 *Esprit des lois*, lib. XI, c. 6.

2 Cfr. Sthal, *Hist. de la Filos. del Derecho,* lib. IV, sec. I. Constitutiones Liberales Hispanicae quatuor potissimum recensentur, scilicet Constit. an. 1812, 1837, 1845 et 1876.

Rege, et a favore Comitiorum necessario non pendent. In quo distinguitur Regimen Constitutionale a *Parlamentario*, quia in regimine parlamentario ministri semper assumuntur ex factione illa pro qua militat major pars Deputatorum. Ministri rationem reddere tenentur suorum actuum coram coetibus repraesentativis et loco cedere cum a majori parte alterius Camerae in re gravioris momenti dissentiunt, aut *votum*, ut ajunt, *fiduciae* eisdem sive a Rege, sive a Deputatis et Senatoribus denegatur. Rex tamen potestatem habet dimittendi Cameras et ad nova comitia vocandi. *d) Judices juris* seu magistratus, quorum tribunalia sunt plane independentia ab alia superiore potestate in suis functionibus exercendis et ideo nemini suorum actuum rationem reddere tenentur. *e) Juratus* seu judices *facti* ex popularibus electi ad judicium vel sententiam ferendam in casibus facti ut, eo praesupposito, magistratus veredictum culpabilitatis vel sententiam absolutoriam ab illis prolatam confirment aut non. *f) Exercitus militiae regularis*, ut, eo muniti Regis mandatarii, valeant legum executionem procurare. *g) Militia civica* in populi praesidium vocata. Et denique *h) Rex*, qui nullam potestatem exercere potest absque ministrorum consensu; ipsi namque de actibus quoque regis, qui *inviolabilis* est, respondere debent coram Deputatis et Senatoribus regni. Computari quoque potest tanquam elementum hujus formae Constitutionalis, prout a Liberalibus exponitur, vigens oppositio (*dualismus*) inter factionem imperantem et alias ad gubernandum aptas ex alterius conniventia (partidos turnantes). Omnipotentia Conventus popularis temperatur per facultatem alterius Corporis Collegislativi (*alta Cámara*); utriusque vero per *veto*, ut ajunt, regium.

B)

De regiminis formis sigillatim et in se sumptis

Summa rerum. 1. Thesis I. *Nulla praedictarum regiminis formarum, ex sola determinatione subjecti potestatem exercentis, illicita censenda est.* Prob. 2. *Errores.—Sillonistae.* 3. *Ecclesiae Catholicae judicium circa regiminis formas.* 4. Thesis II. *Bonitas regiminis magis pendet in praxi a gubernantium honestate quam ab ipsa forma.* 5. *Corollaria.* 6. Thesis III. *Forma repraesentativa.... a recta regiminis forma prorsus discedit.* Prob.—*Suprematia popularis.—Suffragium universale.—Potestatum distractio. -Juratus.-- Dualismus gubernamentalis. —Imperativum populare.—Ministrorum responsabilitas.*

1. **Thesis I. Nulla praedictarum regiminis formarum,** ex sola determinatione subjecti potestatem exercentis, **illicita censenda est.**

Nota incisum illud *ex sola determinatione subjecti:* volumus namque impraesentiarum tum a principiis quibus nititur, tum ab elementis qui-

bus constat Regimen Constitutionale omnino praescindere; horum quippe ratione diversum plane judicium ferendum est.

Probatur. 1) Quaelibet ex enuntiatis formis satis idonea est ex se ad finem societatis consequendum. Ad hoc enim unice requiritur principium efficaciter promovens tria illa genera bonorum quae scopum et felicitatem integrant civium, scilicet: culturam intellectus, rectitudinem voluntatis et sufficientem bonorum temporalium copiam. Atqui id in qualibet forma regiminis haberi posse vel ex eo tantum constat quod in singulis adest concretum et determinatum subjectum auctoritatis, physice vel moraliter unum, cujus est efficaciter impellere cives ut in finem communem conspirent. Ergo.

2) Eamdem conclusionem luculenter confirmat historia tum antiqua tum recentior, plures exhibens diversorum temporum nationes magnopere commendandas, etsi quaedam rempublicanam seu democraticam, nonnullae monarchicam, aliae vero aristocraticam formam praeferrent.

3) Forma regiminis est velut instrumentum materiale quod, sicut in bonum, ita etiam in malum torqueri potest imperantium voluntate. Igitur ex se nulla regiminis forma illicita censenda est [1].

2. **Errores.** Praeter plures Socialistas cujusque temporis, hisce nostris diebus quidam scriptores, *Sillonistae* appellati, duce *Marc Sangnier* in Gallia, opinati sunt unicam formam regiminis naturae societatis consentaneam, et idcirco justam licitamque, esse rempublicanam seu democraticam. Hinc, «*le Sillon* travaille à realiser une ère d' ègalité qui serait par la même une ère de mellieure justice. Ainsi pour lui, toute inégalité de condition est une injustice ou, au moins, une moindre justice! Principe, inquit Pius X, souverainement contraire à la nature des choses, générateur de jalousie et d'injustice et subversif de tout ordre social. Ainsi la démocratie seule inaugurera le règne de la parfaite justice! N'estce pas, subdit Pius X, une injure faite aux autres formes de gouvernement qu'on ravale, de la sorte, aun rang de gouvenements de pis-aller impuissants?» [2].

Nec defuerunt retroactis saeculis, nec desunt inter nos scriptores levioris notae malitiose vel ignoranter asserentes Ecclesiam Catholicam regum despotismo favere, necnon politicas libertates, quae a formis repraesentativis naturaliter defluunt, damnare.

3. **Ecclesiae Catholicae judicium circa regiminis formas.** [3] Verum christiana philosophia mordicus tenet triplicem modum gubernandi

1 Cfr. S. Augustinus, *De libero arbitrio*, lib. I, c. VI.

2 *Notre charge*, 2 Aug. 1910. Rousseau, *Contrato social*, lib. II, c. 6. «*Todo gobierno legitimo es republicano*».

3 Cfr. Leo XIII, *Inter gravissimas*, 16 Febr. 1892.

rempublicam per monarchiam, aristocratiam aut democratiam ex se naturae societatis consentaneum esse aptumque ad finem civitatis consequendum. *Jus enim imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum,* inquit egregie ***Leo XIII;*** aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem [1]. Merito ergo Ecclesia Catholica omnes formas, legitimo titulo innixas tanquam justas admittit reprobatque tyrannidem modo a rege exerceatur vel a plebe. «*Nihil enim est cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo justus sit et in communem utilitatem intentus. Quamobrem, salva justitia non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae quod aut ipsorum ingenio, aut majorum institutis moribusque magis apte conveniat*» [2]. ***Pius Pp. X*** haec aurea verba commentans ait: «l' Encyclique fait allusion á la triple forme de gouvernement bien connue, Elle suppose donc que la justice est compatible avec chacune d'elles..... En enseignant donc que la justice est compatible avec les trois formes de gouvernement qu'on sait, il enseignait que, sous ce rapport, la Democratie ne jouit pas d'un privilége spécial. Les *Sillonistes* qui prétendent le contraire, ou bien refusent d'écouter l'Eglise, ou se forment de la justice et de l'egalité un concept qui n'est pas catholique» [3].

Negari quidem non potest societates christianas medioaevales monarchiam, ut plurimum, praetulisse; id tamen in bonum societatis cessit, cum feudalium dominorum potentia et crescens in dies Mahumetanorum audacia frangi tantumodo potuissent per magnam populorum foederationem sub una auctoritate. Nihilominus *politicarum libertatum* custos et vindex tenax, tum adversus imperantium despotismum, tum adversus plebeiorum rebelliones, semper exstitit Ecclesia Catholica, exemplum quoque in semetipsa praebens et formam imitandam cunctis societatibus civilibus relinquens, ut Status Generales, Comitia seu Congressus (Cortes, Asambleas), convocarent ad leges pro justa reipublicae gubernatione condendas, prout ipsa fecit frequenti Conciliorum celebratione [4]. Quis enim ambigere potest Ecclesiam assu-

1 *Immortale Dei.*

2 Leo XIII, *Diuturnum.*

3 loc. cit. Egregie, ut solet, **Balmes:** «Las formas políticas sólo deben mirarse como un instrumento para mejorar la suerte de los pueblos. El catolicismo no tiene sobre este punto ningún dogma; nada determina sobre las ventajas de esta o aquella forma de gobierno. El Romano Pontífice reconoce como a su hijo al católico que se sienta en los escaños de una asamblea americana, como al vasallo que recibe sumiso las órdenes de un poderoso monarca.—Es demasiada la sabiduría que distingue a la religión católica para que pudiera descender a semejante arena». *El Protestantismo...* c. 61.

4 In exemplum afferri possunt Concilia Toletana: et jurisprudentiae christianae Forum Judicum (el Fuero Juzgo) et leges septem Partitarum (las Partidas). Cfr. **A. Cabanilles,** *Historia de España.* Dominación Goda, t. I, lib. II, c. 8.

mentem ad Praelaturas, non divites aut locupletes, sed sapientes, etiamsi ad infimas populi classes origine vel nativitate pertinerent, spiritum verae democratiae ante Encyclopedistarum tempora excitasse? Plura igitur, quae modernarum libertatum cultores foecundo Revolutionis semini tribuunt, Eclesiae Catholicae, ut plurimum, debentur. Eam quidem insectati sunt asserentes favere despotismo cum benedictionem suam regibus impertit, causam agere democratiae cum in reges suprema sua auctoritate animadvertit. Signum igitur certum quod nunquam in extrema deflectit, sed tuto media graditur via scopulos vitando [1].

4. **Thesis II. Bonitas regiminis magis pendet in praxi a gubernantium honestate quam ab ipsa forma.**

Veritas hujus conclusionis tanta praelucet claritate ut in ea demonstranda immorari non liceat. Namque experientia teste, leges, quamvis utiles sint et justae, possunt imperantium malitia in populi nocumentum applicari, et e contra, impia cujusque legislatoris praecepta, ubi rectores probi et honesti rempublicam gubernant, eorum arbitrio benigne interpretari vel etiam temperari queunt. Quamobrem recte scripsit Philosophus: tres dicimus esse rectas reipublicae administrandae formas: *harum autem eam necesse est optimam esse, quae ab optimis viris administratur* [2].

5. **Corollarium I.** Ergo verum principium securitatis popularis est probitas et conscientia gubernantium, idcirco primum a populis in civitatum rectoribus desiderandum est vinculum morale quod illos probos efficiat. Horum autem princeps et caput Religio. Haec igitur, prae aliis dotibus, quaerenda est in gubernantibus [3].

---

1 Cfr. Balmes, *El Protestantismo*, c. 66, 67 y 68. «El catolicismo acepta todas las formas de gobierno, sin ser del partido de ninguna, porque el Catolicismo tiene el dominio de las voluntades y entendimientos e introduce por aquí, aun en las formas más arbitrarias, el principio de orden». Taparelli, *Exámen Critico del Gobierno Representativo en la sociedad moderna*, n. 681.

2 III *Polit.*, c. XII (ed. Didot). Cfr. Leo XIII, *Inter gravissimas.*

3 Cfr. Leo XIII, *Immortale Dei;* Taparelli, *Curso Elem. de Derecho Natural*, lib. V, c. 4. «Un príncipe que ama y teme a su religión es un león que cede a la mano que le acaricia o a la voz que le amedrenta; el que la teme y no la ama es como bestia fiera que muerde la cadena que le impide lanzarse sobre el pasajero; el que carece de toda religión es la fiera que no se siente libre sino cuando devora». Montesquieu, apud Taparelli, n. 1135. Solamente la religión puede enfrenar a un rey ante quien todo se pliega. «Quemadmodum aristocratia in oligarchiam, sive paucorum factionem, et democratia in seditionem, ita monarchia in tyrannidem degenerat, ubi pietas et aequitas pessumdari coeperunt.... Ergo ut quis recte gubernet, non regiminis genere, sed iis virtutibus, quae vitia gubernationis excludant, nitatur oportet». Joan. a J. M., loc. cit. c. II.

Corollarium alterum. Cum bonum commune civitatis sit suprema lex cujusque regiminis et principatus, *perspicuum est quaecumque (formae) reipublicae communem utilitatem spectant, eas rectas esse et ei juri quod simpliciter dicitur consentaneas; quaecumque vero imperantium dumtaxat utilitati consulunt, omnes esse depravatas et a recta reipublicae forma detortas. Sunt enim dominorum in servos imperio similes, cum civitas sit liberorum societas*[1].

6. **Thesis III. Forma repraesentativa sive democratica sive Constitutionalis,** quamvis ex se injusta non sit, **tamen, prout a Liberalismo exponitur, a recta regiminis forma prorsus discedit.**

Prob. 1.ª pars. Forma repraesentativa ex se tantummodo expostulat ut omnes cives aliquam partem habeant in principatu. Id autem habetur per electionem popularem, qua uni vel pluribus committitur reipublicae gubernium. Sed quod sint multi, vel pauci, vel unus, qui auctoritate potiuntur indifferens plane videtur ad rectam reipublicae gubernationem; nec ostendi potest hujusmodi electionem ex se a jure et justitia recedere; ergo forma repraesentativa sive democratica sive Constitutionalis de se injusta censeri nequit.

Prob. II.ª pars. Hujusmodi regimen prout a Liberalismo exponitur falsis nititur principiis; ergo a recta gubernandi forma discedit.

Prob. antec. Inter plura principia quae ex mente Liberalismi memorato regimini essentialia sunt, sequentia recensentur: 1) suprematia popularis; 2) suffragium universale; 3) potestatum distractio; 4) juratus; 5) dualismus gubernamentalis; 6) imperativum populare, cujus gratia rex regnat teneturque exequi multitudinis voluntatem; 7) demandatae potestatis revocatio ad ejusdem multitudinis placitum; 8) ministrorum responsabilitas et sexcenta hujus generis alia. Atqui hujusmodi principia, prout a Liberalibus excipiuntur, vitio laborant et ad absolutismum, ut plurimum, practice declinant. Ergo.

1) *Suprematia popularis* ex Contractu Sociali hausta *a)* plura secum fert incommoda, ut alibi jam notavimus, agentes de divina auctoritatis origine contra *Rousseau* ejusque gregales, et *b)* nihil aliud est in praxi, ut quotidiano nobis nosse licet experimento, quam paucorum tyrannis opprimentium plebem, a qua regendi mandatum acceperunt.

2) *Suffragium universale*, quo *nationalis*, ut ajunt, *voluntas* palam manifestatur, pluribus foedatur vitiis[2]. Est enim, juxta *Radicales*, jus

1 Aristoteles, III *Polit.*, loc. cit.

2 Cfr. Benoit, *La Ciudad anticristiana en el siglo XIX*, t. 2, pag. 539 y ss.; Joaquín Sánchez de Toca, *El regimen parlamentario y el sufragio universal* (Madrid 1889); Tocqueville, *De la Democratie en Amerique*, t. II, chap. V.

quoddam singulis individuis, feminis non exceptis, concessum ad eligendos repraesentantes populi, qui ejus nomine rempublicam administrent. *Mitiores* autem *Liberales* contendunt praefatum jus civibus adultis solummodo competere. Sed *a*) suffragium universale in amplissima sua significatione acceptum manifeste laedit jura paterna, inter quae illud sanctum est, filios et uxorem illius curae et gubernationi primo subesse, qui jure naturae toti praeest societati domesticae. Strictiori autem sensu acceptum pugnat cum principiis unde ortum dicunt idem suffragium. Hujus enim fundamentum est autonomia et independentia rationis particularis, sive jus uniuscujusque individui ut ab eis tantum gubernetur, quos ipse per cessionem propriae voluntatis principes vel deputatos constituerit. Illogice proinde jus suffragandi ad solos cives adultos restringunt Liberales [1]. *b*) In utraque pariter acceptione jus naturae offenditur; nam 1) per suffragium universale *ratio numeri* constituitur suprema lex gubernandi, 2) evertitur quoque firma ac stabilis moralitatis regula per nutabilem opinionem publicam suffragio universali manifestatam, et 3) ad regendam societatem saepissime vocantur inepti, parum idonei vel etiam improbi, non raro patriae et saecularibus institutionibus infensi, dummodo vi, dolo, auro, astutia vel fraude majorem suffragiorum partem consequi valeant. Hinc *c*) frequenter evenit quod major et sanior pars nationis nullam habet repraesentationem in parlamento; et nihilominus regimem repraesentativum vocatur [2]. *d*) Praesens suffragandi modus, quo scilicet singulis civibus adultis jus conceditur eligendi Praesidem, judices, ministros, aut deputatos, 1) de facili corrumpitur, attenta hominum conditione, siquidem ambitiosi simplices et incautos per inanes promissiones vel votorum emptionem decipiunt ut reipublicae administrationem in commodum proprium detorqueant cum magno communitatis detrimento, et 2) diuturnas imo et inextinguibiles familiarum discordias et populorum scisiones generat. Ubi autem *leges non imperant*, sed ambitiosorum arbitria, *non est civitas vel politia*, inquit *Aristoteles* [3]. Haec et alia incommoda individuali suffragandi modo penitus inhaerent; suffragium igitur universale vere est *mendacium universale* [4].

Sanari autem non potest per *votum*, quod dicunt, *plurale*, nec per *suffragium corporativum*, ut contendunt Liberales moderati (Conserva-

1 Le mot *universel* prouve trop, ou il ne prouve rien. S'il signifié tout le monde, pourquoi la Constitutión ne fait elle en realité voter que neuf millions de citoyens?» Thiers apud Taparelli, *Examen Critico del Gob. Represent.*, n. 97; Cfr. Gabino Tejado, *El Catolicismo liberal*, (Madrid 1875) c. VII y VIII. H. Passy, *De las formas de gobierno*, pag. 370.

2 La ley de separación de la Iglesia y el Estado en Francia fué votada por 341 diputados que representaban 2.647,315 electores, o sea poco más de la quinta parte del censo y ¡fueron los órganos de la voluntad nacional!

3 IV *Polit.*, c. IV.

4 El sufragio universal no es justicia –ni igualdad—antes es injusticia ridícula, como enseña la experiencia; –es imposible—es nocivo—es falaz, aun en la representación del interés;—es tumultuario—inútil para multiplicar intereses representados—nace de no querer ningún gobierno. Taparelli, *Examen crítico del Gobierno Represent.*, c. II, n. 94-107; Cfr. Prins (rationalista) *La Democratie et le régime parlamentaire* (Bruselles 1884), chap. I; Leroy-Beaulieu, *Les mécomptes du Liberalisme* (Revue de deux Mondes, 25 Mai 1885).

dores) sed, praescindendo a falsis, quibus nititur, principiis, ab injustitiae labe forte purgari tantum posset per *repraesentationem proportionalem* [1].

3) Alterum hujus systematis, quod reprobamus, necessarium principium est *potestatum distractio*. Existimavit quidem *Montesquieu* eximiam Britannicae Constitutionis formam, quam ut exemplar cunctis nationibus exhibuit, a separatione et independentia triplicis potestatis legiferae, executivae et judiciariae pendere, quae quidem potestates separatae, ut ipse censet, et diversis subjectis, nimirum legislativae Parlamentis, executivae Ministris et judiciariae viris juratis e populo electis inhaerentes, mutuo se temperant et restringunt generantque politicam illam libertatem, quae impossibilis redditur ubi triplex adsignata potestas in uno eodemque subjecto reperitur [2].

Ex qua doctrina logice deduxere Constitutionales *plenam atque perfectam potestatum separationem esse omnino necessariam ad vitandam principum tyrannidem tuendumque jus ingenitum libertatis* in ipsis Democratiis [3].

Verum *a*) nullam constare pacem aut aequilibrium subsistere posse absque divisione potestatum falsissimum est. Una quidem et indivisa manet patria potestas, numquid affirmare licebit in societate domestica vigere tyrannidem, aut cum unitate regiminis ab optimis monarchiis et rebuspublicis medioaevalibus politicas abfuisse libertates? *b*) Hujusmodi Constitutionalismi theoria juri naturae adversatur, quia essentiam organismi socialis pessumdat; nam unitas auctoritatis necessaria est ut corpus sociale conservetur in esse et agere queat; soluta vero unitate regiminis per divisionem potestatis, corpus quoque dissolvitur, eo simili modo quo membrum aliquod humanum a conjuncto vitali separatum vitam et motum amittit. *c*) Experientia teste, nullum subsistit gubernium ubi non datur subordinatio potestatum; atqui hujusmodi subordinatio concipi non potest quin una ab

---

1 Cfr. *Razón y Fe*, Junio y Agosto 1910. *La voz de las Minorías—La representación proporcional*. «La antigua organización social, formada progresivamente por la acción de la naturaleza, presenta más o menos desarrolladas, estos tres elementos: el *pueblo*, que siente las necesidades; la *nobleza*, que *puede conocer el remedio*; el *clero*, representante de la conciencia religiosa, que *garantiza la honestidad* de las medidas adoptadas»; Taparelli, *Curso elem. de Derecho Nat.*, lib. 5, c. 3.—«El catolicismo social (de acuerdo en este particular, como en todos, con el buen sentido y la recta razón) defiende... la necesidad de la *representación profesional*, o por *clases* en las asambleas legislativas. Sea el voto de los representantes *deliberativo*, o sea solo *consultivo*, es menester que todos los intereses de la nación, todas sus fuerzas vivas tengan allí su órgano y su eco para que la ley no resulte inicua, parcialidad, o irritante despotismo, en favor de un partido, de una camarilla, o de un millonario». Llovera, c. III, art. unico, n. 96.

2 Tout serait perdu si le même homme ou le même corps des principaux ou des nobles ou du peuple exerçait ces trois pouvoirs, celui de faire des lois, celui d'executer les resolutions publiques et celui de juger les crimes ou les differents des particuliers». Montesquieu, *Esprit. des lois*, lib. XI, c. 6.

3 Ipse Montesquieu: «Dans les republiques de Italie, ou ces pouvoirs sont reunis, la liberté se trouve moins que dans nos monarchies»: loc. cit.

altera dependeat, proindeque ultimatim in uno eodemque subjecto physico aut morali coadunentur. Plena ergo potestatum separatio cujusque reipublicae regimen funditus convellit. *d*) Tyrannidis periculum, quod timent *Montesquieu* ejusque asseclae, sufficienter cavetur per divisionem triplicis potestatis quoad *exercitium*, firma interim manente, utpote necessaria, ejusdem unitate quoad *originem et principium*.

4. *Juratus* est institutio popularis, qua cives nonnulli ex populo electi vocantur ad judicandum de *facto* in causis criminalibus. Sed hujusmodi institutio jure vitio vertitur Constitutionalismo. *a*) Oritur namque ex sequentibus praemissis: 1.ª Singulis individuis jus naturale competit eligendi judices sibi bene visos, alios autem recusandi; 2.ª cum omnes homines sint aequales et independentes, nullus potest in alium exercere judicium aut poena punire nisi ab eo facultatem et jurisdictionem accipiat, id enim exigit independentia personalis uniuscujusque. Verum quis potest libenter his principiis assentiri quin simul eo ipso proclamet *supremat*iam *nationalem* quam repraesentant et cujus nomine et auctoritate judicium exercent jurati? *b*) Abnormis est non tantum in principiis sed etiam in praxi. «Jurati cives, inquit *Audisio*, sorte delecti, ut judicium ferant de facto in re criminali, judicia facile turbant, quia experta, non ignara mens, de factis prudenter judicat, tum quia facti ratio saepe cum jure conjungitur. Finge causam agi de episcopo reluctante legi civili, quae dubium ferat haeresis vel schismatis; facti solutio pendet ex jure. Quid autem hic videt caupo, faber, salsamentarius? Nonne ridiculum foret illorum judicium, ridicula lex, ridicula gens hisce contenta judicibus? Hoc tamen fit; et quotiescumque insana facti sententia praecessit, nihil magistratibus relinquitur, nisi ut ipsi inter poenae maximum vel minimum constituant[1]. Ratio hujusmodi legis haec erat, distorquere judicia, magistratum integritatem irritam facere, innocentibus vim, reis impunitatem afferre, justitiae nervos concidere. Quid ergo superest in civitate? Non rex, non miles, non judex: sive potius nomina supersunt, officia viribus cassa, personae autem sopore et paralysi detentae»[2].

5) *Dualismus gubernamentalis*. Quoniam Rex cogitur nonnunquam Corpora Collegislativa dimittere et a suis ministris demandatam auctoritatem revocare, eo quod sibi vel populo ita displiceant eorumdem actus ut impossibilis reddatur actio politica, quia populus, a cujus opinione recessit gubernium, per se vel per suos representantes eidem votum *fiduciae* denegat, necessarium censent Liberales ut duae saltem factiones ad gubernandum aptae simul existant, quarum altera alteri succedat in regimine et mutuo se temperent, ne in nimis extrema deflectant. Quaedam tamen relatio

1 «El tribunal del Jurado se compondrá de doce jurados y de tres magistrados o jueces de derecho.—Los Jurados declararán la culpabilidad o inculpabilidad de los procesados respecto de los hechos que en concepto de delito les atribuya la acusación y la concurrencia o no, de los demás hechos circunstanciales que sean modificativos absoluta o parcialmente de la penalidad». Ley estableciendo el juicio por Jurados, promulgada en 20 de Abril 1888. Tit. I. c. I.

2 *Jur. Natur. et Gent.*, lib. III, tit. VIII, §. X. Cfr. Taparelli, *Examen crítico del Gobierno representativo*, n. 1144-1171.

vel harmonia inter factionem imperantem et alteram oppositionis necessaria quoque judicatur, nam *bellum implacabile* impedit actionem gubernamentalem.

Sed absurdum plane videtur non posse vitam socialem conservari aut in melius progredi quin Parlamentum in duas saltem factiones (partidos) dividatur, quarum una sit altera radicalior. Vitam namque maxime fovet unitas et concors civium ardor et impulsus culturam et civilizationem promovet.— E contra, in praesenti regimine impossibilis redditur progressus nationalis, qui diuturnam, uniformem et constantem gubernantium actionem postulat; in vanum quippe laborant qui aedificant civitatem cum factio post ipsos adveniens eorumdem opus evellat et destruat, ut saepissime contingit.— Item, raro vel nunquam factio imperans vere populum repraesentat. Quomodo namque publica populorum opinio quae nunc majorem suffragiorum partem emittit pro factione A, post dies aliquos eadem ipsamet opinio suffragium fert pro adversa factione? Adeo versatilis est populorum mens aut representantium indoles et character, ut nunc rejiciendos censeat quos modo libera elegit voluntate? Re ergo ipsa deputati non eliguntur a populo sed creantur a ministris, quorum sunt caeca instrumenta. Demum factionum divisio divisionem in populis generant. *Omne autem regnum in seipsum divisum desolabitur.*

6. *Imperativum populare, cujus gratia Rex regnat*, etc., est alterum hujus regiminis internum vitium, quia 1) falso nititur principio, scilicet supremam auctoritatem esse originative a populo et in populo inalienabiliter residere; 2) destruit conceptus imperii et obedientiae; 3) superiores inferioribus submittit et 4) regiam actionem nullam vel irritam reddit. Hinc hujusmodi regimen ad ornatum nationis Reges tantummodo servat, sed reipsa est transitus ad regimen pure democraticum.

7) *Revocabilitas auctoritatis ad beneplacitum populi a*) procedit ex falso principio et *b*) ansam praebet cruentis revolutionibus et innumeris populorum dissidiis.

8. *Ministrorum responsabilitas*, qua Deputatis tum propriorum tum regis actuum rationem reddere tenentur, ipsis namque potestas executiva commendatur, ad decipiendos populos inventa videtur, nam «de facto nihil respondent sed gaudent *irresponsabilitate responsabilitatis*, inquit *Zigliara*. Ad extremum dimittunt officium»[1]. Sed postquam renuntiarunt officium, quis unquam eorum, quamvis grandia contra patriam crimina commiserit, est in judicium vocatus?—Responsabilitas decrescit, crescente imperantium numero.—Supposita igitur infinita hujus organismi rotarum serie, cui postremo attribuentur nationis strages et reipublicae exitia?[2]

1 *Jus Nat.*, lib. III, c. II, art. IX.

2 «En el Gobierno Constitucional la responsabilidad legal del poder público es siempre nula; la historia demuestra que no sirve absolutamente para nada. Aquel que la exigiere sería el verdadero soberano, y si ese fuese residenciado por otro, este sería el soberano auténtico, y como no se puede seguir un largo proceso de instancias sin llegar a una sentencia definitiva, la serie de responsabilidades legales resulta siempre irrisoria en la práctica». La

—Ex hac immunitate qua de facto gaudent ministri promanat eorum temeritas et audacia in gubernando, et continua ministerii (gabinete) renovatio qua novae pensiones frequenter adduntur pro iis omnibus qui regni ministris adnumerati fuerint[1]. —Ministrorum actio, quamvis ratione boni communis vel palladio libertatis tueatur, saepissime in absolutismum degenerat vi facultatum eisdem a Constitutione concessarum[2]. - Ex his aliisque quam plurimis rationibus plane constat Regimen Constitutionale, prout a Liberalismo concipitur, a recta regiminis forma deviare.

C)

De formis regiminis inter se collatis cum abstracte tum concrete

Summa rerum. 1. *Distinguuntur quaestiones.* 2. Thesis I. *Absolute loquendo Monarchia est omnium formarum praestantissima.* Prob. 3. Thesis II. *Attenta humana infirmitate, Monarchia temperata est omnium formarum optima.* Prob. 4. Objicies. 5. Thesis III. *Non minus contingit in tyrannidem verti regimen multorum quam unius, sed forte frequentius,* ut ait *D. Thomas.* Prob. 6. Thesis IV. *Comparatione instituta inter monarchiam hereditariam et electivam priorem praeferendam esse censemus.* Prob. 7. Dices. 8. *De praestantia formarum in concreto quinque stabiliuntur et probantur conclusiones.* 9 *Breve dictorum compendium.*

1. Quaestio circa formarum praestantiam agitari potest *absolute* seu in abstracto, praecisis specialibus populorum characteribus, et *relative* seu in concreto, spectata indole singulari cujusque civitatis.

Circa primum non est una omnium philosophorum sententia. Nam quidam hanc quaestionem vix aut ne vix plene solvi posse contendunt; nonnulli monarchiam temperatam per aristocratiam et democratiam optimam censent; plerique post *Aristotelem* et *S. Thomam* affirmant monarchiam absolutam esse omnium praestantissimam; sunt

responsabilidad está en razón inversa del número de personas que ejercen el mando.— A multiplicidad de soberanos responsabilidad nula». D. Juan Vazquez de Mella. Discurso pronunciado en las Cortes de 1905.

1 Desde 1834, en que se declaró a Isabel II mayor de edad, a 1885 en que murió D. Alfonso XII, se registraron en España 80 gobiernos con otros tantos presidentes y 820 ministros. Desde la coronación de D. Alfonso (1902) hasta 1905 o sea, en tres años, 7 presidentes y 84 ministros. En los 10 meses y 21 días que duró la República española en 1873, hubo cuatro presidentes: D. Estanislao Figueras, 3 meses y 12 días; D. Francisco Pi y Margall, 1 mes y 15 días interino y un mes y 6 días efectivo; D. Nicolás Salmerón sólo 20 días y D. Emilio Castelar 3 meses y 28 días.

2 Véase el discurso citado de D. Juan Vázquez de Mella.

qui praeferunt polyarchiam rempublicanam, et ex recentioribus plurimi monarchiam constitutionalem.—Mens nostra sequentibus conclusionibus aperitur.

2. **Thesis I. Absolute loquendo monarchia est omnium formarum praestantissima**[1].

Prob. Illa forma ratione sui ceteris praestantior videtur quae 1) aptior ad pacem et unitatem civium conservandum, 2) efficatior ad bonum commune promovendum, 3) perfectius regimen divinum imitatur, 4) naturalior et 5) diuturnior est. Atqui constat has praerogativas esse monarchiae proprias. Ergo absolute loquendo, seu ratione sui, monarchia est omnium formarum praestantissima.

Probatur minor per partes aureis *S. Thomae* rationibus.

1) «Optimum regimen multitudinis est ut regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, qui est pax; pax enim et unitas subditorum est finis regentis; unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi»[2]. Quod confirmatur ex his *S. Augustini* verbis: *Unitas unitatem servat.* Sed haec unitas est a capite in membra. *Non enim a* ***multis unum,*** sed ***multa ab uno.*** *Da* ***unum*** *et populus est, tolle* ***unum*** *et turba est*[3].

2) «Virtus unita magis est efficax ad effectum inducendum quam dispersa vel divisa. Multi enim congregati simul trahunt quod divisim per partes singulariter a singulis trahi non posset»[4]. Manifestum est autem quod in monarchia adest non tantum unitas *moralis*, quae necessaria omnino est ad quodcumque regimen civitatis, sed etiam *physica*. In polyarchiis autem per dissensum potestatem habentium potest impediri actio socialis et bonum commune. Igitur per se efficacius promovetur in monarchia bonum commune quam in aliis regiminis formis.

3) Regimen tanto perfectius est quanto magis divinum imitatur[5]. Iam vero «ipse dispositionis ordo omniumque partium concors conspiratio, non multos, sed *unum* mundi ducem et moderatorem esse manifeste ostendunt. Nam si plures mundo praeessent, ordo ille servare non posset, sed omnia confusione et perturbatione plena essent, dum unus-

---

1 Cfr. Thorel. *Del origen de las sociedades*, tom. III, quest. 5, § 4; Audisio, lib. III, Tit. IX; C. Perin, *Las leyes de la sociedad cristiana* (trad. de F. Morella, Barcelona 1876), lib. IV, c. VII; Lottini, n. 707.

2 IV *Contra Gent.*, c. 76; Legatur *De reg. princ.*, lib. I, c. II.

3 *In Ps.* XXX. serm. 20.

4 *De reg. Princip.*, loc. cit. c. III.

5 Cfr. ib. c. XII, et sqq.

quisque omnia ad suum arbitrium traheret et adversus alium pugnaret»[1].

4) Monarchiam esse naturaliorem polyarchia et primam formam sub qua determinata est in concreto auctoritas politica civitatis, constat ex naturali evolutione patriae potestatis. Nam regimen regis super civitatem vel gentem processit a regimine antiquioris in domo vel vico[2], ut exponit ***D. Thomas.*** Idipsum confirmat historia profana exhibens antiquissimas civitates ubique sub forma monarchica constitutas.

5) Ex praecedentibus capitulis facile deprehenditur monarchiam esse firmiorem et magis durabilem quam quaelibet alia regiminis forma. Nam 1) quo efficatior est virtus in operando, effectus productior; 2) ajente ***Boetio:*** «Omne quod est, tandiu erit, quandiu unum erit, et tunc desinet quando unum esse desierit». Ubi autem plures supremam potestatem participant eamque complent facilis est dissensus, et inde regiminis mutatio; 3) quo forma naturalior ex se majori gaudet stabilitate[3].

Confirmatur. «Hoc etiam experimentis apparet, inquit *S. Th.* Nam provinciae vel civitates quae non reguntur ab uno dissensionibus laborant, et absque pace fluctuant, ut videatur adimpleri quod Dominus per Prophetam conqueritur, dicens *(Jerem.* XII, 10): *Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* E contrario vero provinciae et civitates, quae sub uno rege reguntur, pace gaudent, justitia florent, et affluentia rerum laetantur»[4].

---

1 S. Athanasius, *Orat. contra Gent.* 38. Huic affine est alterum S. Th. argumentum: «Si ea quae sunt secundum artem imitantur ea quae sunt secundum naturam; et tanto magis opus artis est melius quanto magis assequitur simititudinem ejus quod est in natura, necesse est quod in humana multitudine optimum sit quod per unum regatur». Nam «omne naturale regimen ab uno est. Omnis enim multitudo derivatur ab uno». *De reg. Princip.*, lib. I, cap. II. «In apibus, inquit Hieronymus, princeps unus est; grues unam sequuntur ordine litterato: Imperator unus est, judex unus Provinciae»: Roma, ut condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, et fratricidio dedicatur». *Epist. ad Rusticum monachum.* Cfr. Mariana, *De Rege et Regis institut.*, c. II et III.

2 In I *Polit.*, lect. I. «Si tuviésemos necesidad de declarar absolutamente cuál forma es la *más natural*, yo diría serlo más que ninguna otra la monarquía, 1.° porque la *unidad* del que la rige es unidad natural, al paso que el común es sólo artificialmente *uno*; 2.° porque uno es verdaderamente el rector *natural* de la sociedad universal, Dios; 3.° porque uno es el superior de la sociedad *natural* elemental, el Padre; 4.° porque la *unidad*, fin de la autoridad, no puede conseguirse sino con *un* agente». *Ensayo*, n. 561.

3 In confirmationem hujus nostrae sententiae Taparelli sequentem refert Statisticam ex Haller quoad Rerumpublicarum durationem: Respublica Atheniensis duravit annos 272 Romana 465; Genuensis 269; Helvetica 442; Hollandica 207. Sola Veneta duravit 1345. Aliae respublicae longiorem vitam non habuerunt. *Ensayo*, n. 553.

4 *De reg. Princ.*, lib. I, c. II. Videatur apud Audisio, (lib. III, Tit. VI), curiosa illa disceptatio quam septem Persiae optimates habuerunt circa diversi regiminis praestantiam, cum mortuo Cambyse, quidam usurpator nomine Smerdis regnum invasit, sed eo post se-

Contrahitur argumentum. Probatur «monarchicam gubernationem esse omnium perfectissimam..... ex proprietate multiplici, quae optimae gubernationi congruit; sive enim reipublicae ordo, sive pax, sive robur, sive stabilitas, quatuor scilicet optimi principatus, proprietates, spectentur, extra controversiam est, monarchica gubernatione, qua efficitur, ut omnes in unum caput conferant factionesque praecaveant, felicius omnia succedere, quam si a pluribus, quorum sententiae vix coalescunt, imperium gereretur» [1].

Binae autem sunt species monarchiae, ut supra declaratum relinquimus, scilicet, *absoluta* seu simplex et *temperata*. Quoad praestantiam attinet communi philosophorum sententiae calculum adjicientes, posteriorem, spectata generali hominum conditione, seligimus.

3. **Thesis II. Attenta humana infirmitate, monarchia temperata est omnium formarum praestantissima.**

Veri nominis monarchia temperari valet 1) *legibus fundamentalibus* a societate ipsa una cum rege constitutis, vel etiam 2) *Statuum repraesentatione*. Statuum diximus, non individuorum, quatenus scilicet classes organizatae civem quemdam ex ipsa classi vel statu deputant ut coram principe classis repraesentationem gerat. Hujus deputati vel procuratoris est 1) classis, a qua electus est, jura tueri, 2) ejusdem necessitates principi manifestare et 3) cum aliis aliarum classium deputatis legislatori consilium et assensum, sine quo leges ferendae, saltem praecipuae, valorem non accipiunt, praestare.

Quo supposito, prob. thesis. Species illa monarchiae praestantior videtur quae una cum unitate et efficacia regiminis *a)* magis recedit a periculo abutendi suprema potestate, et *b)* amorem subditorum sibi facile conciliat; atqui in monarchia temperata auctoritas principis, quae, attenta hominum infirmitate, potest degenerare in tyrannidem legibus fundamentalibus et Statuum repraesentatione restringitur, quo pericu-

---

ptem menses occiso (ante Chr. 522), de mutanda regiminis forma cogitarunt. «Las letras y las ciencias, dice Taparelli, parecen ser patrimonio de la monarquía: Roma recuerda los siglos de Augusto y de León X, Francia el de Luis XIV, Prusia el de Federico, Florencia el de los Médicis... La moderna Europa vió despuntar su aurora, gracias a Carlo Magno; por Vladimiro y Pedro el Grande penetró su luz en las Prusias; España debe sus primicias a Alfonso el Sabio, a Alfredo la Inglaterra; en suma los más poderosos monarcas crearon respectivamente en sus naciones el siglo de las letras. En cuál de las repúblicas florecieron estas por ventura? Sólo en Atenas; más fué, dice Muller, cuando cesó su preponderancia republicana, cuando ora de grado, como en tiempo de Pericles, ora por fuerza como en los de Alejandro, obedecía a la ley de uno solo. La razón de esto es evidente: un cuerpo de literatos mal puede ocuparse de los negocios públicos, y una república, donde los que más saben viven abstraídos de ellos, no puede durar». loc. cit. n. 554.

1 Joan. a J. M., *Ars gubern.*, c. I.

lum abusus praecavetur, et subditi libentius supremae obediunt potestati, in quantum sciunt se partem aliquam habere in principatu et posse ad gubernandum assumi; ergo attenta hominis conditione monarchia temperata praeferenda videtur.

Audiamus *Angelicum* de his egregie disserentem. «Circa bonam ordinationem principum in aliqua civitate vel gente duo, inquit, sunt attendenda; quorum unum est, ut *omnes aliquam partem habeant in principatu*. Per hoc enim conservatur pax populi et omnes talem ordinationem amant et custodiunt. Aliud est quod *attenditur secundum speciem regiminis vel ordinationis principatuum*, cujus cum sint diversae species, praecipue tamen est unum regimen, in quo unus principatur secundum virtutem (*Monarchia*) et *Aristocratia*, id est, potestas optimatum, in qua aliqui pauci principantur secundum virtutem. Unde optima ordinatio principum est in aliqua civitate vel regno, in quo unus praeficitur secundum virtutem, *qui omnibus praesit, et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem*. Et tamen talis principatus (*imperantium sub rege*) ad omnes pertinet tum quia ex omnibus eligi possunt, tum etiam quia ab omnibus eliguntur. Talis vero est omnis politica bene commixta ex regno, in quantum unus praeest, et aristocratia, in quantum multi principantur secundum virtutem, et ex democratia, id est, ex populi potestate, in quantum ex popularibus possunt eligi principes et ad populum pertinet electio principum»[1].

Scholion. Falluntur certissime vel, ut mitius loquamur, a vero recedunt, qui formam regiminis, ab *Angelico* modo laudatam, a regimine Constitutionali vix diferre autumant. Id enim aut absolute negandum est, aut nonnisi sub distinctione accipiendum. Nam monarchia constitutionalis potest dupliciter considerari 1.°) in se, prout in suo conceptu essentiali solum involvit limitationem supremae potestatis tum per Constitutionem fundamentalem, tum per Cameras legitimo jure congregatas, et 2.°) in quantum a Contractu Sociali descendit et in nationibus socialistica labe infectis hisce temporibus viget. In priore quidem acceptione vix certe a monarchia supra descripta, quaeque medio aevo praevaluit, discriminari potest. Sed regimen repraesentativum, sive democraticum, sive constitutionale, prout a Liberalismo explicatur, a monarchia temperata, quam *S. Thomas* cum *Aristoteles* optimam censet, toto coelo distare negabit nemo qui utriusque principia etsi perfunctorie meditatus fuerit. Sunt enim plane distincta et e diametro opposita.

---

1 I-II. q. CV, a. 1. «Placet esse quiddam in Republica praestans et regale: esse aliud auctoritate principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas judicio voluntatique multitudinis». Cicero, *De Rep.*, I, 15.

4. **Objicies** contra praestantiam monarchiae. Gravissimum illud incommodum bono regimini contrarium, scilicet potestatis abusus contra civium libertatem, quod in monarchia impediri non potest, facillime in polyarchiis praecavetur; ergo polyarchia praestantior est monarchia sive absoluta sive temperata.

Resp. neg. antec. Nam potestatis abusus ubique possibilis, et in monarchia et in democratia, nec ulla inveniri potest reipublicae administrandae forma, quae omne tyrannidis periculum prorsus excludat, imo formae maxime populares saepissime hac labe inficiantur. «*Cum autem inter duo, ex quorum utroque periculum imminet, eligere oportet, illud potissimum eligendum est*, inquit Angelicus, *ex quo sequitur minus malum*. Ex monarchia autem, si in tyrannidem convertatur, minus malum sequitur quam ex regimine plurium optimatum quando corrumpitur».

«Dissensio enim quae plurimum sequitur ex regimine plurium *contrariatur bono pacis*, quod est praecipuum in multitudine sociali; quod quidem bonum per tyrannidem non tollitur, sed aliqua particularium hominum bona impediuntur, nisi fuerit excessus tyrannidis quod in totam communitatem desaeviat. Magis igitur praeoptandum est unius regimen quam multorum, quamvis ex utroque sequantur pericula»[1]. Hinc

5. **Thesis III. Non minus contingit in tyrannidem verti regimen multorum quam unius, sed forte frequentius,** ut ait *S. Thomas.*

«Quod quidem ex his quae pro tempore fuerunt manifeste suscipi potest. Nam fere omne multorum regimen, ut praeclare notat ***Angelicus,*** est in tyrannidem terminatum, ut in Romana republica maxime apparet. Quae cum diu per plures magistratus administrata fuisset, exortis simultatibus, dissensionibus et bellis civilibus, in crudelissimos tyrannos incidit, et universaliter, si quis praeterita facta, et quae nunc fiunt, diligenter consideret, plures inveniet exercuisse tyrannidem in terris quae per multos reguntur, quam in illis quae gubernantur ab uno. *Si igitur regimen quod est optimum regimen maxime vitandum videatur propter tyrannidem, tyrannis autem, non minus, sed magis contingere solet in regimine plurium quam unius, relinquitur simpliciter magis esse expediens sub rege uno vivere quam sub regimine plurium*»[2].

Superest ergo ad plenam hujus quaestionis solutionem monarchiam haereditariam cum electiva conferre.

6. **Tesis IV. Comparatione instituta inter monarchiam haereditariam et electivam, priorem praeferendam esse censemus.**

In favorem hujus thesis sufficiat sequentes indicare rationes. Per

1 *De reg. Princip.*, lib. I, c. V.
2 ib. § Amplius.

translationem supremae potestatis a parentibus in filios vel in eos qui jure gaudent haereditario 1) regni stabilitas magis firmatur, per hoc enim dantur reipublicae rectores quasi in perpetuum et amor insitus dynastiae haud leve pacis et ordinis pignus constituit; 2) removentur divisiones et tumultus qui occasione electionum frequenter oriuntur in populo; 3) firma permanente lege haereditaria, resecantur optimatum ambitiones, quibus non raro salus publica in discrimen vocatur; 4) nobilitas sanguinis plurimum favet principum auctoritati, subditorum quoque animos et externorum reverentiam facile sibi conciliat; 5) Rex, sicut bonus paterfamilias, eo diligentius curam gerit rerum publicarum, quae tanquam optimam hareditatem filiis transmitendam esse scit, quo negligentius is qui extraneis et forte sibi infensis relinquere, velit nolit, tenetur; 6) per electionem popularem saepe contingit eos ad supremum reipublicae regimen assumi qui audacia, potentia, corruptione suffragii, pecunia, fraude vel astutia alios omnes superarunt. *Melius est igitur principantem assumi per successionem generis*, ut loquitur ***S. Thomas,*** *quam per electionem*[1].

7. **Dices.** Ortus ex regia stirpe minime confert dotes ad gubernandam rempublicam necesssarias; ergo nec jus successionis pignus per se praebet haeredem regni futurum fore aptum ad regendam societatem. Sed in damnum vergeret societatis princeps ineptus. Praeferenda ergo est principum electio.

Resp. 1.° Posse quidem filium regis his dotibus carere sine quibus regimen regni esset impossibile; sed, cum sermo sit de praestantia formarum in abstracto, judicium ferendum est non in aliquo casu particulari sed ut in pluribus contingit. Mimine autem dubitandum est quin inter legitimos haeredes regni aliquis fere semper aptus inveniatur[2]; 2.° haeredem instructione et educatione praeparari posse ad rectam populi gubernationem et per prudentum consilia juvari; 3.° denique retorquendo argumentum, quid quando eligentes mali sint, ut dicit Philosophus, et eligunt malum[3]? Sed ordinarie major pars non est certe sanior; nam ut ipsemet Philosophus docet «ut unus aut plures virtute excellant, fieri potest: plures vero perfecte omni virtute instructos esse difficile est»[4]; ergo sicut accidere potest quod haeres regni minus aptior inveniatur ad regendam rempublicam, eodem modo per eligentium malitiam vel deceptionem fieri quoque potest ut tyrannus in principem assumatur et forte frequentius[5].

---

1 Cfr. rationes quas Angelicus adducit in III *Polit.*, lect. XIV; Rius, Philos., lib. XIII, c. I. (Barcinone 1830).

2 Cfr. Aristot. III *Polit.*, c. XIV, similem solvens objectionem.

3 ib.

4 lib III, c. VI.

5 Cfr. Mariana, *De Rege et Regis instit.*, lib. I, c. III.

8. **De praestantia formarum in concreto.** Duplex origo omnium commotionum politicarum, scilicet: *excessus potestatis* in principibus, in populis *excessus libertatis*. Peccat imperans jura subditorum in se uno coarctans; peccat populus imperantis jura sibi usurpans; peccat ipsa regiminis forma si naturaliter discreta imperantis populique jura contra naturam permisceantur.

Ex his principiis sequentem conclusionem infert cl. ***Audisio:*** *Illa prae omnibus est optima regiminis forma in qua et caput et partes sua ita jura et discrimina servant ut unitas sit in varietate vitaque floreat in multitudine*[1]. Haec autem, absolute loquendo, est monarchia.

Sed quia una et eadem forma non omnibus populis aeque convenit, expedit maxime modos gubernandi rempublicam relative spectatos breviter perstringere. In hac porro quaestione de praestantia formarum in concreto duo sunt accurate distinguenda. Possumus namque instituere sermonem 1) de forma regiminis legitime in aliqua civitate jam introducta, et 2) de eligenda nova forma gubernii. Quid autem dicendum sit de praestantia formarum sub hoc duplici aspectu, sequentes ostendunt conclusiones.

I.ª *In concreto illa forma regiminis praeferenda est, quae legitime fuerit instituta et temporis tractu populique consensu et amore firmata.*

Patet veritas conclusionis. Stabilitas namque formae legitime introductae plurimum confert ad pacem et unitatem civium. Pro ea quoque militant jura praeexistentia, quae quidem, nisi praevaleat in contrarium ratio boni communis, quae est suprema lex et finis principatus, laedi omnino non possunt.

II.ª *Formae legitime institutae possunt aliquando mutari, sed nonnisi ex gravissima causa.*

Ratio utriusque partis est obvia. Mutatis quippe moribus populorum, potest successu temporis nova forma, fini eorumdem populorum obtinendo accommodatior, inveniri. Sed cum ex praefata mutatione saepe numero ingentia mala sequantur, leges morales obstant quominus forma juste constituta in novam commutetur absque justa et rationabili causa, cujus bonitas praevaleat malo quod ex mutatione timetur. Ideoque

III.ª *Ordinarie, praesertim si populus a multo tempore assuetus sit alicui determinatae formae, eam mutare non expedit.*

Evidens apparet ex dictis. Qua vero ratione et quandonam mutari queat forma legitime constituta vix determinari potest quin uniuscujusque civitatis constitutiones in singulis casibus inspiciantur. Interea

---

1 *Jur. Nat. et gent.*, lib. III, Tit. IX.

tamen sequentia nota: 1) Si possessio supremi principatus ex titulo originario vel lege fundamentali inhaeret alicui determinatae familiae, potest quidem imperans abdicare, sed nequit ema, renuente familia, in alios, qui de familia non sint, transferre; 2) si tamen a supremo imperante possidetur auctoritas independenter ab omni lege fundamentali, familiae populique consensu, potest ipse, quemadmodum resignare, ita et particulari individuo vel etiam coetui ipsam cedere; 3) si in Charta seu Constitutione populi cautum sit ne forma inducta mutari queat absque regis populique voluntate, de facto mutari non potest sine manifesta juris laesione non accedente utriusque consensu; 4) idem dicendum quando forma instituta est polyarchia, tunc enim juste in aliam commutari nequit invitis partibus principatum integrantibus.

IV.ª *Si quando necessarium videatur formam inductam in novam commutare, id non fiat extempore, sed lente et cum populus revolutionibus politicis graviter concusus paratus sit, quin graves et exitiales commotiones excitet, novo regimini assentire.*

Thesis probatione non indiget. Cavendum tamen est ne nomen populi assumatur, ut frequenter evenit, ad principes legitime constitutos exturbandos, cum revera non populi, sed turbae vel paucorum ambitionis id opus sit.

V.ª *Cum agitur de eligenda nova forma regiminis, illa in concreto praeferatur, quae historiae, complexioni, indoli et culturae populorum, quibus applicanda est, magis accommoda judicetur.*

Prob. Forma gubernii, uti supra diximus, nihil aliud est quam instrumentum seu modus quo auctoritas exercetur; sed ad operandum illud seligimus instrumentum quod aptius et nostro instituto magis consentaneum videtur, quamvis in se sumptum alio sit imperfectius; ergo in concreto praeferendam censemus non quidem praestantiorem formam in se, sed aptiorem ad finem determinati populi consequendum.

9. **Breve dictorum compendium.** Quae hucusque demonstrata dedimus paucis complexus est *Leo XIII.* «In abstractis cogitatibus nos sistendo, ad definiendum quaenam ex illis formis, in seipsis desideratis, optima sit, fortasse perveniemus: potest item verissime affirmari unamquamque earum bonam esse dummodo ad proprium finem, scilicet ad bonum commune, propter quod socialis auctoritas constituta est, recto dirigatur.

Denique adjicere convenit, ex eisdem formis, siquidem hae inter se conferantur, hanc aut illam civilis Dominationis formam sub aliquo aspectu ceteris praeferri posse; ut quae hujus aut illius nationis indoli aut moribus maxime omnium congruit. In hoc abstractarum idearum ordine catholici, quemadmodum cives omnes, ex pluribus civile regi-

minis formis unam alteri praeferendi plena atque integra libertate fruuntur, hanc nimirum ob causam, quod nulla earum, per se spectata, nec rectae rationis dictatis, neque christianae Religionis dogmatibus adversetur. Atque id profecto satis est ad plene comprobandam laude dignam Ecclesiae sapientiam, dum in suis cum quolibet civili Principatu exteris relationibus neutiquam formarum rationem habet, quibus iidem principatus invicem distinguuntur, ut maximi momenti populorum negotia ad Religionem spectantia libere pertractet; quum sciat, se suo ipsius munere ad eadem prae ceteris, quae eorumdem populorum interesse possunt, tuenda obligari»[1].

Articulus VI

De functionibus politicae auctoritatis[2]

Tradendorum ratio. Plures recensentur in specie auctoritatis politicae partes; nihilominus ad tres generatim reduci possunt cum *Stagirita*[3], scilicet ad *legislativam, judiciariam* et *executivam,* quam alii *gubernativam* et *administrativam* vocant. Sed priusquam de singulis in particulari sermonem instituamus, oportet ejusdem auctoritatis ambitum et comprehensionem determinare, ne *nimis* vel *parum* eidem tribuentes, causam principum contra subditos vel subditorum contra principes agere videamur. Sit itaque

§ 1

DE EXTENSIONE POLITICAE AUCTORITATIS

Summa rerum. - 1. *Extrema vitanda.* 2. *Ambitus politicae potestatis in genere:* Thesis I.ª-V.ª; prob. 3. *Jura et officia status in specie respectu religionis, in ordine ad moralitatem, quoad filiorum educationem et in rebus oeconomicis:* Thesis I.ª-IX.ª Probantur.

1. **Duplex error.** Cum auctoritas publica sit primo et per se instituta in bonum commune civium, duo extrema sunt accurate vitanda, scilicet: ne

1 *Inter gravissimas.*

2 Cfr. Costa-Rossetti, p. IV; c. II, sect. I, § 1; S. Schiffini, Disp. V, sect. I; Llovera, *Tratado elemental de Sociologia*, c. III, § 3; Camillus Tarquini, *Juris Eccli. publici Institutiones* (ed. 6.ª Romae 1876) lib. I, not. I, a. 1; Roques, *Derechos de la Iglesia, del Estado, de la familia y del individuo* (vers. castellana de Cipriano Sevillano, Barcelona 1868), Confer. V; Mendive, *Jus Nat.*, c. IV, a. 3; Mancini, q. VII, a. II-IV.

3 IV *Polit.*, c. XIV. Cfr. D. Th., II-II, q. XLIX, a. 6 ad 3.

jura illa denegentur Statui quae ad suum officium implendum sint omnino necessaria, neve illa concedantur quae alia eaque sanctiora perniciose laedant. Primum vitio vertitur iis qui facultatem Status restringunt ad tuendam tantum libertatem vel ad commodum corporale civium solummodo consequendum. Ita *Individualistae, Utilitaristae, Physiocratae* et alii. Alterum vero iis qui cum *Machiavello, Hobbes* et *Liberalibus provectioribus* omnipotentiam Status proclamant.

2. Vera autem sententia sequentibus, logice sibi succedentibus, conclusionibus exprimitur.

I.ª **Ambitus publicae potestatis ex fine ad quem natura sua ordinatur mensurari debet.**

Et revera. Cum juxta vulgatum philosophorum axioma, quidquid ad aliud essentialiter refertur ab illo speciem et mensuram accipiat, cujuslibet potestatis extensio ex fine propter quem essentialiter constituta est mensurari oportet. Ergo.

II.ª **Publica custodia salutis non modo suprema lex sed tota causa est ratioque principatus**[1].

Status namque publicam salutem seu communem civium prosperitatem tanquam proprium finem, ut alibi probatum relinquimus, directe persequitur. Quamobrem

III.ª **Iis facultatibus pollet quae ad hunc finem consequendum necessariae sunt, iis vero caret quae publicae saluti quoquomodo repugnant, vel ad eam nullatenus ordinantur.**

Siquidem natura, vel melius, auctor naturae Deus, quemadmodum non deest in necessariis, nec abundat in superfluis. Iis ergo tantum juribus praeditam voluit publicam potestatem quae necessaria sunt ad convenientem sui finis consecutionem. Ergo

IV. **Status non est exlex et independens omnino, nec jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.**

Limitatur namque activitas publica 1) per finem eidem a natura praefixum, ultra quem sese extendere nequit; 2) per jus supereminens naturale, domesticum aut individuale, quod jure positivo ubique praevalet, et 3) per jus divinum certo ratione aut revelatione cognitum[2].

V.ª **Status igitur limites sibi a natura praefixos palam transgreditur, cum jura omnia tum individua, tum domestica, civilia aut religiosa, a se uno absolute pendere facit.**

Nam 1) ajente *Angelico Praeceptore,* «homo non ordinatur ad

1 Leo XIII, *Rerum Novarum.*

2 Cfr. Jorge Hertling, *Politica social,* VI; P. Ven. M.ª Minteguiaga, *La moral independiente y los principios del Derecho nuevo,* c. XXIII, a. un.; Rodríguez de Cepeda, *Elementos de Derecho Natural,* lec. 53-54.

communitatem politicam secundum se totum et secundum omnia sua[1]», et prius nascitur familiae quam Statui; ergo antecedenter et independenter ab Statu tam individuum quam societas domestica jura quaedam naturalia possidet in quibus regulandis, absque manifesta justitiae laesione, Status sese immiscere nequit. 2) Absortio illa universalis omnium jurium, quam Status sibi arrogat, nativam et ingenitam regionum, familiarum et individuorum libertatem penitus destruit generatque absurdum *Centralismum*, quo vita nationalis pessumdatur, dum singulis regionibus, familiis, associationibus et individuis propriae utilitatis incitamentum adimitur ad operandum spe lucri et proprio impulsu; siquidem Centralismo omnia societatis organa regulante, haec *automatice* moventur secundum motus impressionem ab Statu productam potius quam proprio instinctu et laboris studio. Tollitur ergo praecipua *progressus* causa.

3. Ex dictis haec *in specie* plane consequuntur.

I. *Status nihil potest praecipere quod legi naturali aut positivo-divinae adversetur.*

Omnis enim potestas a Domino Deo est; Deus autem nequit negare seipsum contraria praecipiendo; status ergo nihil contra jus naturae aut divinam voluntatem imperare potest.

II. *Status tenetur jura quae usu, consuetudine, pacto vel lege* (fueros, buenos usos y costumbres) *subditis legitime competunt, servare,* nisi ob temporum circumstantias manifeste cedant in damnum communitatis, quo in casu ex mutuo consensu mutanda aequitas postulat.

Utriusque ratio patet. Primum, quia Status non est dominus absolutus qui possit pro libito pacta dissolvere vel contra jura multitudinis legitime acquisita operari. Alterum, quia bonum commune suprema lex.

III. *Politicae potestatis est veram religionem tueri et impedire quominus libris, sermonibus, aliisve mediis, impugnetur et destruatur.*

Est enim religio praecipuum ordinis socialis fundamentum. «Quapropter, inquit egregie *Leo XIII,* sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem..... eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tanquam si Deus omnino non esset aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abjicere..... Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; *ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere; nec quidquam instituere aut decernere, quod sit ejus incolumitati contrarium*». Id et civibus debent, quibus praesunt[2].

1 I-II q. XXI, a. 4 ad 2.

2 *Immortale Dei.*

IV. *Nequit status certas veritates religiosas ad credendum proponere, nec actus internos cultus praescribere,* cum nec eos extorquere possit, et ideo injuste ageret, si vi et armis vel minis alicui genti, uti fecerunt Mahumetani, Calvinistae aliique, religionem vellet imponere. Est enim actus voluntatis, cui violentia inferri non potest.

V. *Licet tamen politicae potestati, imo tenetur externum illius religionis exercitium proscribere, quae pacem publicam perturbat et bonis moribus contradicit.* Secus non satis prospiceret communi civium saluti.

Patet autem in praesenti rerum statu, in quo societas religiosa plane differt a societate civili, hujusmodi potestatem in sacra esse tantum indirectam in quantum scilicet necessarium sit ad publicam salutem servandam. In statu vero naturae purae auctoritatem politicam summam quoque potestatem religiosam habituram fore censent ***D. Thomas, Suarez*** et alii bene multi[4].

VI. *Curae Status non subest privatam morum honestatem tueri,* virtutum exercitium v. gr. praescribendo, aut peccata eisdem opposita castigando. Nam actus virtutis potestati civili directe non subjacent, ut enim fert vulgatum adagium: *de internis non judicat praetor.*

VII. *Tenetur vero externam morum honestatem promovere et publicam eorumdem violationem poenis temporalibus compescere.*

Itaque ex hoc capite ad publicam auctoritatem spectat *a)* libros, ephemerides, folia periodica et quaevis alia scripta, quae proprietatem, magistraturam, patriam, exercitum et religionem subvertere satagunt, proscribere; *b)* ludos, cauponas etc., unde innumerae pene familiarum ruinae sequuntur, moderare; *c)* justitiam et fidelitatem in pactis servandam, debiliorum quoque jura adversus fortiorum saevitiam protegere; *d)* choreas et repraesentationes obscenas, necnon picturas et statuas ad turpia publice provocantes interdicere; *e)* meretricium seu prostitutionem vel omnino vetare aut saltem excessus coercere; *f)* denique duellum, ebrietatem, contumeliam et cetera crimina publica contra legem naturae debita sanctione punire. Salus enim publica subsistere nequit ubi hujusmodi vitia palam exhibentur; quia pravum exemplum multiplicat crimina, crimen vero pacem perturbat. Quamobrem primum inter politicae auctoritatis officia in his quae moralitatem respiciunt, haud incongrue recensetur *probos officiales,* qui populo praesint et bonum exemplum praebeant, *accurate seligere;* quoniam *regis ad exemplum totus componitur orbis.*

VIII. *Nequit Status directe et immediate praescribere quae filiorum edu-*

4 D. Th., *De reg. Princip.*, lib. I, c. XIV; Suarez, *Defensio fidei cathol.*, lib. III, c. IX, n. 4, ubi ait: «In lege naturae omnis potestas gubernativa sub temporali sufficienter comprehendebatur, nam illa eadem posset disponere de iis quae pertinent ad cultum Dei, prout expediret communi bono reipublicae».

cationem respiciunt; potest autem eorumdem instructionem indirecte promovere. Illud enim, praescindendo ab ordine supernaturali, primo et per se ad parentes spectat, quos Status iuvare tenetur cum officium suum implere non valent[1]. Cfr. Disp. III, quaest. I, a. II, § 2.

Ambitus politicae potestatis relate *ad bona temporalia* his continetur limitibus[2]: 1) Cum auctoritas publica sit in bonum communitatis instituta, non potest, quin iustitiam distributivam graviter laedat, partem subditorum opprimere in utilitatem aliorum. Quamobrem 2) Status nec in *Mercantilismum*, negotiationem plus aequo aestimantem, declinare debet, nec cum *Physiocratis* agriculturam ita praeferre ut ceteros publicae prosperitatis fontes omnino negligere videatur, aut laborem ut unicum productionis medium exclusive tueri cum agriculturae et negotiationis iactura, uti faciunt *Socialistae et Liberales*, sed 3) tenetur omnes populi classes aeque complecti, imo inferiorum specialem curam gerere. «Siquidem natio divitum, ut ajebat ***Leo XIII,*** sui septa praesidiis, minus eget tutela publica; miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime nititur»[3]. 4) Ea tantum onera (tributa, vectigalia) imponere potest quibus civitas opus habeat ad publicas necessitates sublevandas[4]. 5) In his autem distribuendis illud in officiis publicae potestatis eminet, ut ea, quae distributiva appellatur, iustitia inviolate servetur. 6) In bonorum largitione, non ad personas, sed ad merita exclusive attendere iustitia iubet.

Cum ad commodum corporale civitatis duo inter plura simultanee requirantur, scilicet: sufficiens bonorum *productio*, et eorumdem aequa (proportionalis) *distributio*, 7) utrumque directe promovere ad Statum spectat. Verumtamen 8) publicam activitatem ad omnium rerum administrationem deferre non potest, ac si esset cunctorum dispensator ac dominus. Id enim vellent *Socialistae*. 9) Nec eidem insuper licet ab omni civili providentia in re oeconomica abstinere aut liberam omnino cuique relinquere viam, quemadmodum opinantur *Liberales* pro viribus defendentes principium quod vocant *liberae concurrentiae*. Sed 10) debet oeconomicae productioni modum ita praescribere ut cunctorum libertatem prospiciat, nec tamen sinat infirmos a potentioribus opprimi aut privatam industriam e medio tolli. 11) Igitur monopolia *(trust)*, ad paucorum lucrum tantummodo constituta, coercenda sunt; privata vero industria necnon opificum collegia, ad communem utilitatem

1 Rodríguez de Cepeda, lec. 60; Ruiz Amado, *La leyenda del Estado enseñante*, (Tortosa 1903). Minteguiaga, *El art. 11 de la Constitución* (Barcel. 1911), p. 1, a. 8.

2 Cfr. Costa Rossetti, p. IV, c. II, sect. II, § 2; Lottini, c. XVIII et XIX.

3 *Rerum novarum*. Cfr. Hertling, *Politica social*, II, pág. 13.

4 «Bifariam opprimuntur subditi, inquit Joan. a J. M., aut legibus aut oneribus. Uterque oppressionis modus saevitiam praefert, quam perhorrescit animus». p. III, c. IX.

orta, fovenda. 12) Status pariter est pretium rerum venalium in quibusdam circumstantiis extraordinariis, necessitatis causa, definire. Ad rem *S. Thomas:* «In unoquoque loco ad rectores civitatis pertinet determinare quae sint justae mensurae rerum venalium, pensatis conditionibus locorum et rerum. Et ideo has mensuras publica auctoritate vel consuetudine institutas praeterire non licet»[1]. Quibus juste constitutis, si privati acquiescere nolint, et necessaria v. gr. ad victum ob pretii elevationem deficiant, possunt Municipia in bonum communitatis eisdem privatis *competentiam* indicere, instituendo publicas et communes rerum venalium officinas *(tablajerías, tahonas reguladoras,* etc.) Ordinarie tamen et citra necessitatem, pretium taxare et operariorum mercedem constituere mutuo privatorum pacto relinquitur. Denique, 13) cum, ajente ***Leone XIII,*** observari et coli religionem, florere privatim et publice mores integros, salutis cum publicae tum privatae maxime intersit, contra bonum commune agit Status legum beneficia iis associationibus denegando quae, praeter commodum temporale civium, salutem pariter animarum efficaciter promovent *(Centros y Sindicatos católicos).*

Et haec pro modulo nostro sufficiant. Cetera autem politicae auctoritatis jura et officia in re oeconomica profunda ac non minus eleganti ratione exposita reperies in Encycl. *De conditione opificum.* Plura ex eadem excerpta dedimus in q. sociali.

§ 2

DE POTESTATE LEGISLATIVA[2]

Summa rerum. 1. *Notio potestatis legislativae.* 2. Thesis.—*Tria quae in thesi comprehenduntur.*—Prob. 3. *Conditiones generales ab optimo legislatore servandae.* 4. *Alia principia quae praesidere debent legislationi politicae.* 5. *Quaestio: An potestas civilis jus habeat condendi leges in conscientia obligantes.—Status quaestionis.* - *Sententiae.* - *Rejiciuntur. Alia praenotanda.* 6. Thesis.—Prob. 7. *Objectiones.*

1. Inter munera politicae potestatis principem locum tenet eas statuere ordinationes, quibus subditi in finem communem, conjunctis

---

1 II-II, q. LXXII, a. 2 ad 2.; R. de Cepeda, lec. 55-58; Kachnik, *Ethica soc,* c. IV.

2 Cfr. praeter auctores supra cit., González, *Estudios,* lib. VI, c. XIII y XIV; Pey, t. I, p. II, c. I; Ferretti, n. 409; Meyer, p. II, *Jus Nat. spec.,* sect. III, c. V; Mendive, *Jus Nat.,* c. IV, a. 3; R. de Cepeda, lec. 63.

viribus consequendum, conspirent; quod est leges ferre; nihil enim aliud est potestas legislativa quam *facultas condendi leges residens in eo qui curam gerit communitatis perfectae.*

Quae ad naturam, auctorem, necessitatem, effectus et proprietates legis spectant, fuse declarata reliquimus in Ethica. Pauca ergo, eaque omnino necessaria, sunt impraesentiarum addenda. Et primo quaeritur *an potestas legifera sit principi necessaria eique propria.*

2. Thesis. Summi imperantis est leges ferre.

Declaratur. Alibi ostendimus rationem individualem uniuscujusque non esse factivam legis. Planum igitur est ad legis constitutionem 1) praeeminentiam aliquam vel superioritatem in legislatore praerequiri; 2) cum lex ferri debeat pro communitate et in bonum communitatis, non sufficere potestatem dominativam, sed veram jurisdictionem expostulari, ex quo 3) deducitur potestatem legiferam ei primo et per se competere, qui publicam et supremam auctoritatem habet in communitate, aliis vero secundario et ex principis concessione; evidens quippe est potestatem legislativam *unam* esse debere, ne societas ipsa plurium independentium directione, distrahatur et pereat. Tria ergo comprehunduntur in thesi quae simul et semel probari queunt: 1) ad supremum rectorem civitatis spectare leges ferre, id est, jus statuendi normas stabiles pro actione sociali; 2) civilem hanc functionem esse omnino necessariam in principe gubernante rempublicam; 3) eique propriam.

Prob. thesis: *a)* Supremi imperantis est gubernare rempublicam. Sed, ajente ***Angelico Praeceptore,*** gubernare est movere aliquos ad debitum finem[1]; movere autem per rationem et voluntatem est praecipere[2]. Ergo cum lex nihil aliud sit quam *commune praeceptum justum ac stabile, sufficienter promulgatum*[3], ut loquitur ***Suarez,*** supremi imperantis est leges ferre.

b) Ad supremam potestatem spectat homines efficaciter inducere ad bonum commune procurandum; atqui id nonnisi per normas firmas et universales consequi valet; ergo non est ei deneganda facultas condendi leges pro bono publico civitatis. Ea quippe jura legitimo principi sunt tribuenda quibus certe indigent ad munus suum implendum. Nemo autem inficiari potest leges, in praesenti rerum statu, esse omnino necessarias; ergo et jus in principe ad eas promulgandas.

---

1 II-II, q. CII, a. 2.
2 ib. q. CIV, a. 1.
3 *De leg.*, lib. I, c. 12.

3. **Conditiones genericae ab optimo legislatore fideliter servandae ut justas et stabiles ordinationes constituat.** *a)* Imprimis prae oculis habeat Rector civitatis gerendum esse imperium «ad *utilitatem civium; quia qui praesunt ceteris,* ut egregie notat ***Leo XIII,*** *hac una de causa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit*[1]».

b) Qui prudenter praeesse et justas leges ferre cupit, ingenia subditorum explorare, populi vota communia ejusque necessitates internoscere curet[2].

c) Boni gubernatoris est leges paucas, selectas, suavesque promulgare, nam *quo parcior legislatio, eo solet esse salubrior*[3].

d) Nonnisi post maturam considerationem et cogente necessitate, convenit ordinationes mutare. Ut enim alibi ex ***Angelico*** acceptum tradidimus, «lex humana in tantum recte mutatur, in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. *Habet autem ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis.* Quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo, in tantum quod ea quae contra communem consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora de se, graviora videntur; unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in quantum tollitur consuetudo. Et ideo nunquam mutari debet lex humana, nisi ex alia parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur[4]».

e) In hunc finem potissimum totam suam intentionem dirigat legislator, ut novis sanctionibus vetusta mala extirpare, et bona, quae desiderantur, in morem inducere satagat[5].

f) Ad legum custodiam non tam verbo quam exemplo movendi sunt populi, quemadmodum pii ac prudentes gubernatores semper observant. Quocirca optimum sane consilium erit viros probos et honestate praecellentes civitatibus singulis praeponere et vitiis infestos ab officiis publicis arcere. Nam «gubernatorum integritas, inquit ***Joan. a J. M.,*** totius Reipublicae vel familiae forma et quasi vita; e contrario, eorum improbitas, communis deformitas et velut interitus est»[6].

g) Cum princeps, propria periclitatione, omnium subditorum necessitates et vota explorata habere non possit, indiget consiliarios

1 *Immortale Dei.*

2 Cfr. Joan. a J. M., *Ars gubernandi compendio scripta,* p. II, c. VI.

3 «Corruptissima respublica plurimae leges». Tacitus apud Passivich, *La acción social,* pag. 210.

4 I-II, q. XCVII, a. 2.

5 Joan. a J. M., *Instructio Princip. ethice, oeconomice et politice,* Lib. I, p. I, c. VI.

6 *Ars gubernandi,* p. V, § 1.

prudentes et doctos in functionem legislativam accire; siquidem pars magna salutis in consiliariis optimis et integerrimis seligendis posita est. «Eos vero dixerim optimos, inquit laudatus Carmelita, quos ambitio nulla, nullusque privati boni detorquet intuitus, quique nota probitate ac Reipublicae studio perspicacique judicio communem salutem aestimare et mala obstantia internoscere possint»[1]. An vero praefatas conditiones servent et hisce dotibus praediti appareant moderni legumlatores, praesertim Constitutionales seu Parlamentarii a populo electi, judicet lector.

h) Praeter haec dantur alia capita quae politicae legislationi praesidere debent. Ea vero ex *D. Thoma* desumpta et in compendium redacta heic subjiciuntur.

4. *Gubernare*, ut supra diximus, *est id quod gubernatur convenienter ad debitum finem perducere*. Sicut navis gubernari dicitur dum per nautae industriam recto itinere ad portum illaesa perducitur[2]. Homines autem congregantur in societate ut simul bene vivant. Bona igitur vita est congregationis humanae finis. Ergo praecipuum legislatoris studium ad hoc debet intendere, ut multitudo sibi subjecta bene vivat. Hoc autem officium tria importat: 1) ut in societate, cui praeest, *bonam vitam instituat;* 2) ut *institutam conservet;* et 3) ut *conservatam ad meliora promoveat.*

1) «Ad bonam vitam multitudinis instituendam tria requiruntur. *Primo* quidem ut multitudo in unitate pacis constituatur. *Secundo*, ut multitudo vinculo pacis unita dirigatur ad bene agendum.... *Tertio* requiritur ut per regentis industriam necessariorum ab bene vivendum adsit sufficiens copia».

2) Ad illaesam conservandam societatem bene constitutam necessum est ut removeantur tria obstacula «quibus bonum publicum permanere non sinitur. Quorum quidem unum est *a natura* proveniens»; quia «homines, cum sint mortales, in perpetuum durare non possunt: nec dum vivunt semper sunt.... ad eadem officia peragenda aequaliter per totam vitam idonei. Aliud autem impedimentum boni publici conservandi ab *interiori* proveniens in perversitate voluntatum consistit, dum vel sunt desides ad ea peragenda quae requirit respublica, vel insuper sunt paci multitudinis noxii, dum, transgrediendo justitiam, aliorum pacem perturbant. Tertium autem impedimentum reipublicae conservandae ab *exteriori* causatur, dum per incursum hostium pax dissolvitur et interdum regnum aut civitas funditus dissipatur.

Igitur circa tria praedicta triplex cura imminet regi. *Primo* quidem de successione hominum et substitutione illorum qui diversis officiis praesunt.... *Secundo* autem ut suis legibus et praeceptis, poenis et praemiis homines sibi subjectos ab iniquitate coerceat et ad opera virtuosa inducat....

---

1 *Instruct. Princip.*, loc. cit., c. V.
2 D. Th., *De Reg. Princip.*, lib. I. c. XIV.

Tertio imminet regi cura ut multitudo sibi subjecta contra hostes tuta reddatur. Nihil enim prodesset interiora vitare pericula si ab exterioribus defendi non posset».

3) Denique ad regis officium pertinet «ut sit de promotione sollicitus; quod fit, dum in singulis quae praemissa sunt, si quid inordinatum est, *corrigere;* si quid deest, *supplere;* si quid melius fieri potest, studet *perficere*»[1].

5. Quaeritur 2.° *An civilis auctoritas jus habeat condendi leges justas in conscientia obligantes*[2].

Status quaestionis. Probatum modo relinquimus summi imperantis esse rectas statuere normas in ordine ad bonum commune civitatis perfectae. Inest igitur auctoritati civili jus ferendi leges divinae voluntati rerumque naturae consonas. Sed ulterius quaeritur an hujusmodi leges obligent in conscientia ita ut oppositum ejus quod praecipitur aut prohibetur fieri non possit absque peccato. Brevius: potestne legislator civilis ipsam conscientiam subditorum ligare?

Sententiae. Socialistae et Anarchistae publice privatimque docent leges civiles ex sola vi externa externam obligationem parere, ideoque, physica deficiente coactione, subditos posse pro libito statutas ordinationes transgredi absque peccato. His proxime accedit *Kantius*, qui externam tantum subjectionem seu obedientiam *legalem* in subditis expostulat. Schola *Lombrosiana* nullam legem in conscientia obligare, sed omnes esse poenales autumat, neque enim transgresiones, inquit, imputari possunt homini libertate destituto.

Verum hujusmodi opiniones iisque similes humanae dignitatis prorsus indignae videntur, quia supponunt *a)* proprium hominis esse non voluntate, ut par est, sed tantum timore poenae et coacte obedire; *b)* nullam vim superiorem legislatori, qua legislator est, inesse; *c)* hominemque solummodo gubernari posse more brutorum.

Ad quaestionem rite solvendam praenota: 1) leges alias esse *pure morales,* quae actum simpliciter praecipiunt aut prohibent, ita tamen ut contra eas operare non liceat absque culpa; alias *pure poenales,* quae solum imponunt transgressoribus poenam; alias denique *mixtas,* quae actum praecipiunt aut prohibent et simul poenam in transgressores statuunt; 2) leges posse esse injustas dupliciter. *Uno modo* per contrarietatem ad bonum humanum. *Alio modo* per contrarietatem ad bonum divinum, ut alibi dictum est[3].

1 *De reg. Princip.*, lib. I, c. XV.
2 Cfr. Victoria, *Relect. de potestate civili*, n. 17.
3 *Ethica*, Disp. IV, q. II, a. III. § 2.

Quibus positis, planum est *leges civiles legi aeternae aut naturali repugnantes nullam unquam obligationem inducere;* leges vero *injustas per contrarietatem ad bonum humanum per se pariter non obligare in foro conscientiae,* quia *magis sunt violentiae quam leges;* posse vero *per accidens* quandoque conscientiam ligare ad vitandum scandalum, vel turbationem, vel grave damnum sui et aliorum, quia in hac suppositione jus naturae praevalet [1]. Ergo indubium est potestatem civilem non posse arbitratu suo leges ferre obligantes subditos in conscientia. Quid si leges justae sint?

Valde controvertitur inter Doctores catholicos. *Nonnulli* rentur leges civiles esse mere *poenales,* tum quia legislatoris potestas actum internum minime attingit, tum quia ad finem publicae salutis obtinendum, pro quo solummodo ordinationes condere valet, sufficit obligationem disjunctivam imponere ad actum vel ad poenam.—*Alii,* e contra, docent «nullam dari legem vere talem, quae vim obligandi in conscientia non habeat; ac proinde non esse vere legem aut praeceptum si non imponat obligationem in conscientia saltem ad poenam, quia si lex est justa et rationabilis, procedit a Superiore ut tali imperante et jubente; ergo ut imponente obligationem; quia impossibile est praeceptum esse justum, et quod illi parere subditi non teneantur» [2]. Praeterea, «sine obligatione in conscientia, inquit *Haine,* facile illuderentur leges, cum actus omnes ad notitiam superiorum devenire non possint, ut puniantur. Et quamvis principes ethnici, subdit egregius auctor, forte nihil sciant de obligatione in conscientia, virtualiter tamen intendunt sic obligare, quatenus utuntur legitima potestate legislativa a Deo derivata» [3].

6. **Thesis. Auctoritas civilis jure pollet obligandi subditos in conscientia ad leges, quae justae sint, observandas.**

Prioris sententiae patroni libenter concedunt *a)* eas leges civiles, quae necessarium ordinem dicunt ad bonum commune et sine quibus ordo socialis subsistere nequit, per se obligare in conscientia; *b)* eas pariter quae poenales dicuntur, ut sunt leges de venatione, piscatione, domorum platearumque munditie iisque similes, posse quandoque et de facto revera obligare per accidens, id est, ratione scandali, damni tertii etc.

Nos haud diffitemur existere leges mere poenales, quae scilicet obligant ad poenam statutam solvendam, uti videntur esse, ut pluri-

1 Cfr. D. Th., I-II, q. XCVI, a. 4.
2 Ita *Compend. Salmantic.*, Tract. III, c. III, Punct. I.
3 *Tract. de Leg.*, p. III, c. I.

mum, quae ornatum publicum, tributa et vectigalia respiciunt, sed simul affirmamus obligationem ad actum vel ad poenam conscientiam ligare. Supponimus namque hujusmodi leges justas esse et consequenter necessarias ad bonum commune, et ideo eas obligare opinamur, non tantum per accidens, in quantum, defraudando v. gr. tributa, alii plus debito solvere deberent ad onera publica levanda, sed ea quoque ratione, qua subditi tenentur in bonum commune publica sua activitate conspirare [1].

Nam *a)* inconsulto asserunt adversarii ad bonum commune consequendum sufficere obligationem externam vel ad actum ponendum vel ad poenam pro omissione actus subeundam. Data namque humana infirmitate multorumque protervia, necessarium foret *politiam armatam* supra modum augere, secus actionem poenalem subditi facillime effugerent legesque hujusmodi inutiles redderent cum gravi jactura boni communis.

b) Ea efficacia et activitate pollet auctoritas civilis quae necessaria est ad ordinem socialem conservandum; atqui sine virtute obligandi subditos in conscientia sive ad actum sive ad poenam ordo socialis conservari nequit; ergo auctoritas civilis jure pollet obligandi subditos in conscientia. Bonum quippe commune exigit ut ad necessitates publicas explendas, singuli cives pro posse concurrant; ergo excusandus a culpa non esset qui legem omnem poenalem, de tributis v. gr. solvendis, eluderet; ageret enim contra bonum sociale, quod absque peccato laedi non potest. Ergo hujusmodi leges, si justae sint, obligant in conscientia et a fortiori eae, quae *fundamentales* et *organicae* vocantur.

Objectiones

7. I.ª Auctoritas civilis nequit actum internum subditorum extorquere; ergo nec in conscientia obligare.

Resp. dist. antec.: *ex se et directe*, conc.; *indirecte et vi legis superioris* non potest auctoritas civilis actum internum imperare, nego.

Certum quidem est legem civilem non posse actus mere internos directe regulare, potest tamen indirecte eos praecipere et prohibere qui cum exterioribus necessario connectuntur [2]. Insuper argumentum, ut prostat, nimis probat; ergo nihil probat; inde enim quis inferre posset nullam legem civilem in conscientia obligare; quod ipsemet adversarii nostri aperte infi-

1 «Leges onera proportionabiliter inferentes justae sunt et obligant in foro conscientiae et sunt leges legales». D. Th., I-II, c. XCVI, a. 4.

2 Cfr. D. Thom., I-II, q. C, a. 9; *Compend. Salmant.*, trat. III, c. IV, Punct. 7.

ciantur. Ergo *vi legis naturalis,* a qua leges civiles, si justae sint, vim obligandi derivant, subditorum conscientiam adstringuunt [1].

II.ª Legem civilem implet qui cum resistentia interna praeceptum exequitur vel poenam ab ea statutam solvit; ergo lex civilis non obligat in conscientia.

Resp. conc. antec.; nego conseq. Inde id solum infertur legem civilem per se et primario non respicere actum interiorem hominis; sed non probatur hominem non teneri in conscientia praeceptum, prout promulgatur, implere vel mulctam taxatam solvere, aut denique posse active renuere et contra eam agere, quia, si omnes idipsum facerent, rueret ordo socialis, quem qui laedit abs dubio peccat.

III.ª Communis agendi modus inter ipsos probos scrupulum non facit, etsi crebro leges tributorum transgrediantur; ergo.

Resp. Hujus rei causam esse *injustum gravamen* quod leges non raro, hisce potissimum temporibus, inferunt subditis; *ad quod,* inquit *D. Thomas, etiam ordo potestatis divinitus concessus non se extendit; unde nec in talibus homo obligatur ut obediat legi, si sine scandalo vel majori detrimento resistere possit* [2].

IV.ª Dantur in Ordinibus Religiosis plures constitutiones, quae ex expressa voluntate legislatoris non obligant in conscientia nec ad culpam mortalem nec ad venialem. Ergo falsa est hac de re nostra sententia.

Resp. 1) Primariam nostram intentionem fuisse demonstrare auctoritatem civilem jus habere ad leges in conscientia obligantes instituendas. Quo jure concesso, veritas nostrae propositionis integra salvatur, etiamsi dentur aliquae leges ad culpam non obligantes ex manifesta legislatoris voluntate; 2) ut apposite notat cl. *P. Schiffini,* «obedientia debita legibus civilibus est plane necessaria ad servandum naturalem ordinem humanae societatis, quem Deus absolute praecipit. Ordo vero religionis qui praescribitur per tales regulas seu constitutiones non est de necessitate absoluta, sed spectat *ad perfectionem charitatis,* sitam in perfecta observantia consiliorum Evangelicorum» [3]; concesso ergo antec., neg. conseq., ob disparitatem rationis. Vel si placet respondeo 3) cum *Salmantic.*: «Constitutiones religionum, quae vere leges fuerint, obligant in conscientia ad culpam vel ad poenam in eis taxatam; si vero aliquae dentur quae neque ad culpam neque ad poenam obligent, reductive pertinent ad legem, et sunt quaedam directiones institutae ad bonum commune. Advertas adhuc de legibus quae ad solam poenam obligant, fere nunquam violari nisi aliqua culpa intercedente vel propter negligentiam, vel passionem, aut alium affectum inordinatum» [4].

---

1 «Leges positae humanitus vel sunt justae, vel injustae. Si quidem justae sint, habent vim obligandi in foro conscientiae a lege aeterna, a qua derivantur». I-II, q. XCVI, a 4.

2 ib. ad 3.

3 *Ethica Special.*, Disp. V, sect. I, n. 488 in nota.

4 *Comp.* Tract. III, loc. cit., cfr. D. Th., II-II, q. CLXXXVI, a. 9 ad 1. -An legislator teneatur legem a se conditam observare recole dicta in *Ethica*, Disp. IV, q. I, a. I Videatur Mariana, *De rege et regis instit.*, lib. I, c. VIII. Reipublicae an Regis major potestas sit.

§ 3

DE POTESTATE JUDICIARIA [1]

Summa rerum. 1. *Notio potestatis judiciariae;—duplex potestas;—duplex munus.* 2. *Necessitas demonstratur.* 3. *Numerus judicum;—eorum qualitates.* 4. *Defectus vitandi.* 5. *An potestas judiciaria a legislativa separari queat.—Constitutionalismus Liberalis.*—Thesis.—Prob. 6. *Quaestio de poena capitali:—praenotiones* (poenae notjo;—quotuplex;—finis poenae;—sententiae circa finem poenae reprobantur;—ex quo fonte jus puniendi derivetur) 7. *Status quaestionis;—jus et convenientia.* 8. Thesis I.—Prob. 9. *Tituli;—Thesis confirmatio.* 10. *Corollarium.* 11. *Objectiones.* Thesis II. 12. *Scholion.* 13. *Condonatio poenae.*

1. Quamvis normas communes condere poenasque pro malefactorum punitione generatim decernere ad functionem legislativam spectet, nihilominus harum ordinationum poenarumque *concreta applicatio* munus illud auctoritatis socialis constituit quod *judiciale* appellatur. Est enim potestas judiciaria: *Jus authentice declarandi quae actiones in concreto sint necne juri conformes poenasque in particulari determinandi pro delictis commissis.*

Actus hujus potestatis vocatur *judicium,* quod nihil aliud est, ajente ***Angelico Praeceptore,*** quam *quaedam definitio vel determinatio ejus quod justum est*[1]*;* persona sive subjectum, cui inest talis potestas, appellatur *judex;* materia judicii dicitur *causa,* quae si versatur circa jura civium sese mutuo collidentia *civilis,* circa factum vero culpa alicujus patratum *criminalis* audit. Hinc duplex potestas judiciaria: *civilis,* quae ad lites civium dirimendas ordinatur, et *criminalis,* cujus est poenas delinquentibus infligere ad ordinis laesi restitutionem. Prima nititur potissimum *Codice Civili;* altera autem *Codice Poenali.* Judicium denique definitivum a judice prolatum *sententia* nuncupatur.

Ex dictis igitur constat duo esse munia potestatis judiciariae: *a)* justum inter cives in concreto determinare, eorumdem lites componendo, et *b)* ordinem laesum per voluntariam legum transgressionem restituere, adhibitis in hunc finem salutaribus poenis. *Custodiam* itaque *justitiae* civium tum inter se tum ad societatem, tanquam praecipuum scopum, potestas judiciaria persequitur.

2. **Necessitas potestatis judiciariae probatur.** 1) Cum lex normam

1 Cfr. Meyer, *Jus Nat. spec.*, sect. III, c. V, a. 2; Cathrein, *Philos. Mor.*, n. 726 et sqq.; Willems, pag. 461-466; De Bie, n. 604; Castelein, *Instit. Philos. Mor. et Soc.*, thesis 33.ª; Lottini, c. XVII et XVIII.

generalem operandi tradat, actiones autem civium sint singulares, opus est, ut leges suum sortiantur effectum, eas ad facta particularia determinate applicare. Lites quoque saepe moventur circa jura in particulari ad quae definienda leges non possunt descendere, nimis siquidem multiplicarentur; nec sufficit sapientum consilium ut haec vel illa litis compositio vim obligandi habeat. Necesse est igitur ut *auctoritative definiantur jura et facta singulorum secundum leges statutas.* Ergo praeter functionem legislativam alia opus habet suprema potestas[1]. 2) Constans legum observantia, necnon pax et tranquillitas civium, debitam sanctionem expostulant, qua, sicut boni praemio inducuntur ad virtutem, contumaces a malo patrando metu poenae coerceantur[2]. Sed ne leges poenales suo frustrentur effectu, omnino requiritur ut in singulis casibus quo crimine, quam poenam malefactor meruerit in concreto determinetur. Id autem modo obligatorio proponere et definire ad potestatem judicialem spectat. Est igitur necessaria ad bonum reipublicae regimen[3].

3. **Numerus judicum.** Cum supremus Rector civitatis nequeat omnes civium controversias per seipsum immediate dirimere, nec statutas leges ad singulos casus in particulari deducere, opus habet *de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam*[4] seligere, eosque judices populi constituere sive ad jura civium inter se et cum societate definienda, sive ad poenas criminalibus infligendas.

Judices autem *juris* nec multiplicentur sine causa, nec ita diminuantur ut nequeant rite et debita cum promptitudine causas juridicas expendere. Tot igitur eligantur quot ad lites congruo tempore dirimendas sufficiant.

Eorumdem qualitates. Inter dotes quae in optimo judice desideran-

1 Cfr. D. Th., I-II, q. XCV, a. 1. Vide alias rationes apud Taparelli, *Curso elem. de Derecho Nat.*, n. 196.

2 *Οἱ γὰρ πολλοὶ ἀνάγκῃ μᾶλλον ἢ λόγῳ πειθαρχοῦσι καὶ ζημίαις τῷ καλῷ*, Aristot., *X Ethic.*, c. IX. (ed. Didot).

3 Dios ha prescrito a las criaturas el orden que deben observar en su conducta: ellas, en fuerza de su libertad, pueden no ejecutar lo que les está mandado; si suponemos que no hay premio ni pena, la realización y conservación del orden establecido se halla completamente en manos de la criatura, y el Criador se encuentra, por decirlo así, desarmado, en presencia de un ser libre que le dice *no quiero*. Esto manifiesta la profunda razón en que estriba la doctrina del premio y del castigo: con estos dos resortes la voluntad queda libre, pero no sin restricción; para evitar el que diga *no quiero*, se la halaga con la esperanza del premio y se la intimida con la amenaza del castigo, y si ni aun con esto se consigue el impedirlo y la criatura insiste en decir *no quiero*, el orden que no se ha podido conservar en la esfera de la libertad, se restablece en la de la necesidad; la pena impuesta al culpable es una compensación del desorden, es una satisfacción del orden moral». Balmes, *Filos. Elem., Etica*, c. 27.

4 Exod. XVIII.

tur, emineant *a) sagacitas* sive *solertia naturalis* ad controversias tricis involutas dextere enodandas; *b)* plena legislationis tum civilis tum criminalis *cognitio; c) non levis* cordis humani humanarumque actionum psychologica *scientia; d) incorruptibilis voluntas* ab omni partium studio et avaritiae sollicitudine prorsus immunis, ut litigantium rationes aequis bilancibus expendat, *e) summa prudentia* in judicando et *f) benigna severitas* in puniendo.

4. **Defectus vitandi** in administratione justitiae: *a) morositas* jn processu judiciali conficiendo; *b)* judiciorum *publicitas* in his potissimum causis quae bonos mores offendunt [1]; *c) juratorum imperitia* ad veredictum culpabilitatis aut inculpabilitatis juste proferendum; *d) personarum acceptio* apud judices et magistratus et *e)* eorumdem *nimia lenitas* in decernendis poenis. Ergo in recta administratione justitiae splendeat necesse est judicum *prudentia, severa benignitas, sedulitas, promptitudo, aequitas et independentia.*

5. **Dubium.** Quandoquidem princeps supremus civitatis nequit per seipsum leges statutas ad facta particularia determinate applicare, sed indiget, ne stulto labore consumatur, judicum auxilio, e vestigio oritur dubium an ipse vere sit fons et origo immediata potestatis judiciariae, vel e contra, hujusmodi potestas a nulla superiore descendat.

Constitutionalismus Liberalis post *Montesquieu*, politicam potestatem cum ejusdem potestatis exercitio pessime confundens, omnimodam separationem invehit inter partes unius ejusdemque potestatis. Hinc potestas judiciaria a potestate legislativa nullatenus oritur sed est prorsus independens ab ea.

Nihilominus, supposita reali distinctione inter potestatem *in se* ejusque *exercitium*, veras inter utramque relationes sequens ostendit

Thesis. Multiplicitate subjectorum pro singulis functionibus politicae auctoritatis exercendis non obstante, potestas judiciaria a legislativa, tanquam a suo immediato fonte, derivatur.

Diversa plane subjecta requiri ad diversas functiones politicae auctoritatis exercendas, in judicium vocari non potest; tum quia in una eademque persona raro vel nunquam inveniuntur multiplices dotes ad munera illa cumulate implenda necessariae, tum quia activitas unius subjecti vel unius coetus se protendere nequit ad res adeo diversas et numero pene infinitas. Verumtamen potestas judiciaria in se considerata a potestate legislativa est omnino inseparabilis ab eaque dependet tanquam a principio immediato a quo descendit.

---

1 Cfr. Taparelli, *Examen crítico del Gobierno Represent.*, n. 1.173 y sgs.

Prob. 1) «Judicium, ajente *D. Thoma,* importat rectam determinationem ejus quod justum est» [1]; atqui justum nequit definiri aut determinari nisi secundum aequitatem quam intendit legislator [2], a quo justum humanum legitime constituitur; ergo potestas judiciaria nequit omnino praescindere aut distrahi a potestate legislativa, secus posset justum definire praetermittendo ordinem juris constituti et contra legislatoris intentionem.

2) Paulo aliter cum eodem *Angelico.* «Cum judicium sit ferendum secundum leges scriptas», ad hoc enim institutum est Codex legum sive civilium sive poenalium, «ille qui judicium fert, legis dictum quodammodo interpretatur, applicando ipsum ad particulare negotium» [3]. Atqui «ejusdem auctoritatis est legem *(authentice)* interpretari et legem condere» [4]; ergo potestas judiciaria in suo principio est essentialiter inseparabilis a potestate legislativa.

6. **Quaestio.** Omnes philosophi libenter concedunt potestatem supremam jus habere ad vindicanda facinora quae ordinem socialem perturbant; sed acriter disputant praesertim recentiores Sociologi circa limites hujus potestatis: an scilicet jure se protendere possit ad poenam capitalem reis quorumdam criminum infligendam, vel non.

Praenotiones. 1) Poena definiri potest: *Malum aliquod ob delictum agenti illatum contra suam voluntatem.*

Dicitur *a) Malum*, id est, quaedam privatio boni, quia poena habet rationem justi vindicativi. «Vindicatio autem, ajente *Angelico Praeceptore,* in tantum licita est et virtuosa, in quantum tendit ad cohibitionem malorum. Cohibentur autem aliqui a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quod timent amittere aliqua quae plus amant, quam illa quae peccando adipiscuntur, alias timor non compesceret peccatum. Et ideo per substractionem omnium quae homo maxime diligit est vindicta de peccatis sumenda» [5].

b) Ob delictum: quia poena sequitur culpam. Est autem delictum: *Actio vel omissio culpabilis ordinem socialem perturbans.* Differt igitur a culpa, quia haec interne consummari potest, delictum vero exterius in se vel saltem in effectu manifestari debet. Poena vero considerari potest secundum *rationem poenae,* et sic non debetur nisi peccato; et «in quantum est medicina non solum sanativa peccati praeteriti, sed etiam praeservativa a peccato futuro, vel etiam promotiva in aliquod bonum; et secundum hoc *aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa*» [6].

---

1 II-II, q. LX, a. 1.
2 ib. a. 5 ad 2.
3 ib. a. 6.
4 ib. cfr. tot. q.
5 II-II, q. CVIII, a. 3. Cfr. I. p., q. V. a. 6.; *De malo,* q. I, a. 5, et a. 4 ad 12.
6 S. Th., loc. cit. a. 4. Cfr. quoque sol. ad 2. «Poena inquit Balmes, est malum afflictivum reo applicatum. Ejus objecta sunt haec: 1) comminans, culpam vitat, proindeque est

c) Dicitur postremo *contra suam voluntatem,* quia secus poena non esset afflictiva, nec per eam repararetur ordo justitiae, quem delinquendo transgreditur reus per actionem vel omissionem voluntariam.

Ex hac explicatione liquido inferes cum *Angelico* tria esse de ratione poenae scilicet: «*quod sit contraria voluntati*, et *quod sit afflictiva*, et *quod pro aliqua culpa inferatur*»[1].

2) Cum malum poenae consistat in violenta privatione alicujus boni, *quot sunt genera bonorum tot distingui possunt genera poenarum*[2]. Bona autem quibus privantur homines propter delictum voluntarie commissum sequentia recenset *S. Thomas:* «vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui, et bona exteriora, puta divitias, patriam et gloriam»[3]. Omnia tamen genera poenarum reduci valent ad duo scilicet: ad poenas *spirituales* et *corporales,* cum malum quod inferunt aliud sit *physicum,* aliud *morale* seu *spirituale.*

3) **Quod attinet finem poenae** tota antiquitas reponendum censuit *in emendatione delinquentis,* in aliis a criminibus *deterrendis* et in *satisfactione* et *restitutione* ordinis justitiae laesi. Triplicem proinde finem poenis inesse docuit, scilicet: *reparatricem, medicinalem* et *exemplarem;* inde triplex earumdem munus, emendativum, praeservativum et vindicativum[4].

Poena imprimis est *reparatrix.* Nam delictum importat recessum ab ordine justiae, quem reus peccando solvit; necesse igitur est ut ordinem laesum restituat. Hoc autem fit, dum per poenam tantum delinquenti subtrahitur, quantum ipse abstulit delinquendo. Nec enim reparatur aequalitas justitiae per solam conversionem delinquentis, ut quidam minus recte dixere, quia cessat scilicet a malo et bonum operatur: non inquam: quoniam «bonum, in quantum bonum, ut egregie argumentatur *Card. Zigliara*, nihil subtrahit reo, sed magis perficit ipsum; unde non restituit ordinem laesum, neque bonum sibi arrogatum, sed ordinem praesentem servat, quem servare tenetur»[5].

Poena pariter habet rationem *medicinae;* tum quia, ut *lata,* timorem ingerit delinquentibus eosque retrahit a malo patrando; tum quia, ut *inflicta,*

---

medium executionis et conservationis ordinis moralis; 2) affligens, perturbationem moralem compensat, quo amissum aequilibrium restituit; 3) hinc fluit alterum, quod scilicet reum ab ulterioribus culpis deterret, et simul alios, qui poenam inflictam vident. Patet igitur poenam esse sanctionem, expiationem, correctionem et cautionem. *Sanctio*, in quantum legem firmat. *Expiatio*, in quantum perturbationem moralem compensat. *Correctio*, in quantum reum emendat. *Cautio*, sive exemplum, in quantum ceteros deterret». *Ethica*, c. XXVII.

1 I-II, q. XLVI. a. 6.

2 Suarez, *De Fide Disp.* XX, sect. III, n. 13.

3 II-II, loc. cit., a. 3.

4 Cfr. J. Verdier, *Revue Practique d'Apologetique*, 15 Avril 1912.

5 *Jus. Naturae*, lib. II, a. VI.

frangit criminalium proterviam et a novis culpis committendis eosdem compescit.

Denique cum proprium hominis sit aliorum periculo discere, poena ordinari debet non tantum in bonum rei sed in proximorum *exemplum*, ita ut vitiosi a criminibus deterreantur, dum viderint improbos severe punitos ob externa delicta.

Triplicem hunc finem simul poenae convenire denegant qui unice et exclusive aut in delinquentis *emendatione*, vel in *tutanda* societate contra aggressionem criminalium illum reponunt. Gravius tamen peccat *Schola Criminalista* quae, ducibus *Lombroso* et *Liszt*, cum humanam libertatem palam inficietur, nullum alium finem poenis inesse putat quam ut crimina *praecaveantur*.

Sed hujusmodi sententiae sunt omnino reprobandae, quia nimis restringunt finem poenae. Libenter enim concedimus emendationem delinquentis, vel aliorum cohibitionem, aut societatis munimen in quibusdam poenis intendi; nihilominus haec disjunctive sumpta nullatenus constituunt finem completum et universalem punitionis. Nam conceptus poenae necessario supponit peccatum, ex ipso emergit eique respondet; ergo restitutio ordinis moralis violati per delictum essentialiter intendi debet a potestate judiciaria in poenarum impositione [1].

4) **Ex quo fonte jus puniendi derivetur.** Saepius demonstravimus civilem potestatem ab ipsa natura tanquam a causa efficiente immediate derivari. Ergo non aliunde repeti debet potestas infligendi poenas quam ab ipsa natura societatis, ad cujus conservationem et rectam gubernationem jus puniendi ultimo ordinatur *(theoria relativa seu necessitatis socialis)* [2]. Nam societas humana subsistere nequit absque potestate coercitiva; est igitur eidem necessaria eamque indispensabiliter comitatur. Qui autem dat esse, dat consequentia ad esse, ut ajunt philosophi; ergo potestas infligendi poenas certo a natura, vel melius, ab auctore naturae, descendit.

Ex inde infertur: *a)* absurdam esse *theoriam justitiae absolutae,* quam nonnulli post ***Kantium*** et ***Hegelium*** acerrime defendunt, asserentes poenam nullum habere finem praeter ipsam delinquentis punitionem. Nam juxta ***Kantium*** sceleratus non debet puniri ob aliam causam finalem nisi quia crimen commisit (por la sola razón de haber delinquido), delictum enim natura sua esse puniendum est *imperativum categoricum;*

---

1 «Doctrina expiationem tollens a poena et nonnisi correctionem relinquens, inquit Balmes, quamdam praesefert humanitatis speciem, quod nonnisi reorum bonum sibi proponere videatur; at si funditus expenditur, invenitur *immoralis, justitiae ideas evertens, affectionibus contraria et maxime crudelis. Ethica,* c. XXVII. Legatur totum caput.

2 Véase *La pena de muerte ante el Derecho Natural,* Discurso leído en la apertura del curso académico de 1912 a 1913 en el Sem. Pontificio de Sevilla por el Dr. D. Miguel Bernal Zurita.

quod si credas ***Hegelio,*** poena nihil aliud est quam *negatio negationis* (criminis): *b)* non levius errare ***Beccariam, Fichte*** aliosque quam plurimos post ***J. J. Rousseau*** opinantes jus puniendi unice ex *pacto sociali* civium inter se et cum auctoritate oriri. Nihilominus sat logice procedunt.

5) **Ambitus hujus potestatis.** Extensio cujuscumque facultatis politicae ex fine ad quem ordinatur mensuranda est. Esto igitur regula. Potestas coercitiva se protendere potest ad illas poenas juste decernendas, *quarum comminatio vel saltem executio necessaria sit ad vitam socialem in pace conservandam et legis observantiam efficaciter urgendam.*

Porro vis et efficacia poenarum non una est et eadem pro cunctis nationibus; hinc major vel minor lenitas in puniendo variat pro diversa conditione populorum, imo in una eademque civitate pro diversis temporum adjunctis. Sicut enim «gravitas peccati dupliciter potest considerari; uno modo secundum suam speciem; alio modo modo secundum circumstantias»[1], ita poenarum severitas et justitia non solum ex relatione ad culpam attendi debet, sed etiam ad conditionem et circumstantias delinquentis. Ut enim egregie notat ***Angelicus,*** «poena major quandoque infligitur pro peccato magis consueto...; nam poenae sunt medicinae quaedam ad arcendum homines a peccato; unde ubi est major pronitas ad peccandum debet severior poena adhiberi»[2].

7. **Status quaestionis.** Ut debita cum claritate procedamus duo sunt in praesenti quaestione apprime distinguenda, scilicet, *jus* et *convenientia.* Quaeri etenim potest 1.°: *An* ***liceat*** *auctoritati civili facinorosos poena mortis afficere,* et 2.° hoc jure auctoritati judiciariae libenter concesso, *an attentis cultura morumque suavitate hujus vel alterius populi,* ***conveniens*** *necne videatur poenam capitalem abrogare.*

Sententiae. Quod attinet *convenientiam,* 1) nonnulli volunt *publicam* sceleratorum executionem interdicendam esse, utile vero judicant, non obstante qualibet morum lenitate, poenam mortis applicare, raro tamen et privatim seu coram paucis testibus; 2) alii rentur convenientissimum esse poenam capitalem *publice* quoque nonnunquam imponere, vitatis exquisitissimis illis tormentis quibus apud veteres damnati ad mortem cruciabantur; 3) demum alii docent non amplius expedire ut facinorosus quispiam capite plectatur nec publice nec privatim.

Si vero *jus* spectetur, 1) auctoritati civili jus statuendi poenam capitis etiam pro gravissimis quibusdam delictis denegarunt inter alios *Beccaria, H. Bentham, Schleiermacher* et nostris hisce temporibus *Holtzendorff, Ahrens, Geyer, Listz, Ellero, Oldfield, Solovief, M. Carnevale* aliique;

1 II-II, q. XXXIX, a. 2.
2 ib. ad 1.

2) eamdem quoque tanquam inefficacem, injustam et prorsus inhumanam reprobant Encyclopedistarum et Liberalismi asseclae, schola criminalista cum *Lombroso, Ferri, Garofalo, Alimena* et in Hispania *Dorado Montero, J. Canalejas* aliique, necnon moderni Socialistae et Acratae qui frequentes celebrant conventus ut iis in locis, in quibus poena mortis, etsi nomine tenus, viget, aboleatur [1]. E contra, novissime peccant per excessum plures positivistae, qui non tantum denegant societati, uti fecit *Nietzsche*, jus protegendi debiles et infirmos, eique facultatem faciunt cum *Regnault* interdicendi eorumdem propagationem, sed acriter quoque defendum theoriam, quam, a graeco vocabulo *εὐθανᾶτέω* facili morte morior, *euthanesiam* appellant, seu *jus ad mortem* tum individuis a natura concessum, ut publice docuit an. 1904 Academia Medica officialis New-York, quo singulis ad vitandas diuturnas vitae molestias sibi mortem inferre liceat, scientia medica eorumdem incurabilitatem declarante, tum potestati civili, quo possit, publicae salutis causa (por interés social), se ab onere deformes et inutiles sustentandi liberare, *eos sine dolore interficiendo!!*

Mens autem nostra sequentibus conclusionibus aperitur:

8. **Thesis I. Potestas civilis coactiva justitiae limites minime transgreditur puniendo poena capitali reos quorundam criminum** [2].

Prob. Jus inest potestati civili 1) procurandi bonum commune reipublicae, necnon 2) poenam delictis proportionatam infligendi; ergo potestas civilis coactiva justitiae limites haud transgreditur puniendo reos quorumdam criminum poena capitis.

Veritas antecedentis a nemine in dubium vocari potest; jus enim illud strictissimo naturae officio, quo civilis auctoritas publicae saluti prospicere tenetur, respondet. Probatur ergo consequens quoad utramque partem.

1) Jus et officium procurandi bonum commune civili auctoritati facultatem praebet ea omnia media adhibendi quae necessaria sunt ad

---

1 «Las palabras del Evangelio: *No juzguéis para no ser juzgados* y *No condenéis, así no seréis condenados*, significan, dice Tolstoy, (citado por Gustavo La Iglesia, c. I, n. 12), no solo la prohibición de juzgar a nuestro prójimo de palabra, sino también de condenarle de hecho, es decir con arreglo a las leyes y tribunales humanos; Cristo no sólo habla aquí, añade Tolstoy «de las relaciones personales de cada particular individuo con los tribunales, sino que proscribe la administración misma de la justicia». «Tendremos que mirar como a enfermos a los que hieren a otros? — Efectivamente. — Y no se les castigaría por su vil acción?—De ninguna manera. Se les trataría como a locos, pues está demostrado que los castigos no corrigen a los enfermos». F. Carretero, *Catecismo de la doctrina socialista*, p. I.

2 Cfr. Ferretti, n. 422; Willems, pag. 464; Meyer, p. II, *Jus. Nat. Spec.*, sect. III, c. V, a. 2, § 3; Castelein, pag. 344; Angel Pulido Fernández, *La pena capital en España*, (Madrid 1897); Ugarte de Ercilla en *Razón y Fe*, t. XXXV, pag. 331-348 y 413-429.

pacem publicam civiumque tranquillitatem, sine quibus bonum commune subsistere nequit. Atqui nonnunquam praeter necem sceleratorum nullum aliud reperitur medium efficax ad consulendum publicae saluti civiumque tranquillitati. Nova etenim crimina, supposita quorumdam improborum audacia, non aliter praecaventur nec paci subditorum satis consulitur nisi eos, velut membra corpori noxia, praecidendo. Ergo potestas coactiva jus habet infligendi poenam capitalem reis quorumdam criminum, proindeque justitiae limites minime praetergreditur, si quando eamdem facultatem ad actum reducit vel comminando vel exequendo [1].

Idem liquido infertur attenta finalitate seu conditione exemplari poenarum. Etenim strictissimum officium potestati civili incumbit publicae saluti efficaciter prospicere et ad legis observantiam, qua ordo socialis constat servaturque, cives metu poenarum cogere; atqui multi inveniuntur in societate qui sola mortis comminatione a malo patrando deterreri valent; ergo jus inest potestati civili poenam capitalem statuendi pro quibusdam gravissimis delictis [2].

2) Justitiae limites certe non transgreditur potestas illa quae poenam peccato proportionatam decernit [3]; atqui sunt quaedam facinora adeo atrocia et immania, ut nulla poena, praeter mortis supplicium, eis proportionari valeat. Ergo. Hujus rei argumentum gravissimum facit communis hominum aestimatio quae certa delicta, ut praemeditata plurium caedes, parricidium etc., non una sed pluribus, si possibile foret, poenis capitalibus afficeret.—Accedit concors populorum consensus et legislatio quae poenam mortis pro aliquibus gravioribus delictis statuit, et ubi quondam, ut in Gallia, Helvetia, Germania, etc. abrogata fuit, ipsa rerum necessitas et lugenda experientia gubernatores coegit ad illam denuo comminandam et non raro exequendam.

Nec inde sequitur, ut quidam minus recte dixere, eamdem poenam pro

1 Audiatur S. Thomas: «Bonum commune melius est quam bonum particulare unius. Subtrahendum est igitur bonum particulare ut conservetur bonum commune. Vita autem quorumdam pestiferorum impedit commune bonum, quod est concordia societatis humanae. Subtrahendi igitur sunt hujusmodi homines per mortem ab hominum societate».

«Praeterea. Sicut medicus in sua operatione intendit sanitatem, quae consistit in ordinata concordia humorum, ita rector civitatis intendit in sua operatione pacem, quae consistit in civium ordinata concordia. Medicus autem abscindit membrum putridum bene et utiliter, si per ipsum immineat corruptio corporis. Juste igitur et absque peccato rector civitatis homines pestiferos occidit, ne pax civitatis turbetur».

Contra Gent., lib. III, c. 146. Cfr. II-II. q. LXIV, a. 2 et 3.

2 Cfr. I-II, q. LXXXVII, a. 3 ad 2; *Contra Gent.*, lib. III, c. 144.

3 ib. c. 145.

eodem delicto semper et ubique esse infligendam. Nam jus *facultatem* confert politicae potestati statuendi poenas delicto proportionatas, nullam tamen obligationem imponit tantam adhibendi, nisi aliter bono communi satis efficaciter subveniri non posset; tunc enim potestas judiciaria non solum jus sed strictum officium habet imponendi poenam sufficientem et delicto proportionatam; si tamen mitiori poena salus publica conservari valet, civilis auctoritas *non tenetur* majorem poenam adhibere, licet possit, citra laesionem justitiae, proportionatam infligere.

9. **Tituli.** Ex his certo liquet duplici potissimum ratione jus gladii auctoritati sociali competere; illud enim inferunt *a) gravitas quorumdam criminum*, cum pleraque facinora nullam, praeter malefactorum necem, justam poenam habere possint, et *b) necessitas conservandi bonum commune*, nam bonum individuale, vita ipsa temporali non excepta, jure cedere debet publicae omnium saluti. Ratio hujus est obvia, et quid adversarii opponere valeant, quod ipsam infirmet, nescio.

Audi *S. Thomam:* «Omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus quod si saluti totius corporis humani expediat praecisio alicujus membri, puta, cum est putridum et corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter et salubriter occiditur. Quaelibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum. Et ideo si aliquis homo sit periculosus communitati et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur» [1].

Thesis confirmatio ex inconsistentia rationum quas afferunt adversarii ad suam tuendam sententiam. Dicunt enim 1.° poenam capitalem esse prorsus *innecessariam* tum quia *a*) malum societatis et bonorum corruptio sufficienter praecaventur perpetua sceleratorum incarceratione; tum quia *b*) exilium perpetuum v. gr., aut ad triremes per totam vitam damnatio, gravioribus etiam delictis, ut homicidio, satis proportionata videntur, nam poena major est quo diuturnior.

Ajunt 2.° *mortis supplicium* pro atrocissimis quoque flagitiis *stulte nimis et insipienter statui*. Etenim sapiens legislator id unum tanquam necessarium in legum sanctione intendere debet, scilicet *delinquentis emendationem*. Sed occisione malefactorum hic finis nullo modo obtinetur.

Demum veluti ex cathedra affirmant 3.° poenam capitalem esse omnino *injustam* [2], siquidem rationi aperte adversatur hominem habere ut rem vel

---

1 II-II, q. LXIV, a. 2. «Con razón, pues, afirma el Doctor Pulido Fernández, que la Medicina difícilmente abogará por la conservación del criminal incorregible». Obra cit., pag. 180.

2 No deja de ser curiosa la manera de argumentar que usan ciertos abolicionistas. Así por ejemplo M. Carnevale dice: La repugnancia que siente hacia la pena de muerte la clase directora de la sociedad prueba que no es necesaria: *no es necesaria, luego es injusta. La cuestión de la pena de muerte*, pág. 287.

medium ad aliquem finem consequendum. Atqui id fit quotiescumque aliquis mortis supplicio damnatur propter bonum commune. Ergo ex jure naturae *non licet* poena capitalis.

Sed hujusmodi rationes nullatenus probant illicitam esse poenam mortis. Nam ad 1.um quod attinet. *a)* vita quorumdam criminalium perpetuum constituit timoris et perturbationis periculum, quia, etsi in arctam custodiam detrudantur, ex ea vi, astutia, vel fraude possunt evadere vel ab aliis eripi, ut interdum accidit, praesertim tempore commotionum politicarum, necnon ex ipsomet carcere cum externis contra societatem machinari, eos ad nova crimina inducendo; ergo jus gladii necessarium est societati ad se tuendum contra nefarios et pacem inter cives tuto servandam. *b)* Negandum plane est perpetuum exilium, incarcerationem et similes poenas gravitati quorumdam delictorum, v. gr. homicidii, respondere [1]; vita namque est optimum omnium bonorum temporalium, quo nihil pluris aestimant homines; unde ipsimet facinorosi ad mortem damnati libentius amplecterentur quamlibet aliam poenam etiam perpetuam quam mortis supplicium. Quod si quis, optione proposita inter poenam capitis et perpetuam incarcerationem, sponte poenam capitis subire maluerit ut minus terribilem, judicium ejus praevalere non posset contra communem hominum aestimationem, quae mortem reputat ut *omnium malorum terribilium terribilissimum* [2]. Insuper gravitas poenae ex bono quo privat, potius quam ex duratione, mensurari debet: nam poena est species mali, malum autem est privatio boni, et ideo de ratione poenae est quod sit privativa boni [3].

Ad 2.um falsum est unicum poenae finem reponi debere in emendatione delinquentis. Nihilominus hoc etiam adversariis concesso, poenam mortis tum in *statu comminationis* tum *in statu executionis*, delinquenti prodesse nemo est qui ambigat. Nam poena capitis in priori sensu accepta timorem incutit vel ipsis flagitiosis eosque a malo patrando deterret, altero autem sensu non tantum societati, a qua membrum nocivum abscindit, sed plerumque ipsi quoque reo est medicina, quia reatum agnoscens et poenam patienter sustinens, crimen ex animo detestatur et salutem aeternam consequitur. —Porro, quamvis poena capitis ad correptionem delinquentis nullo modo ordinaretur sapienter tamen se gereret legislator eam decernendo, quia ipsi officium incumbit curam habendi *praecipue* de bono communi, ad cujus conservationem *primo* et *per se* ordinatur mortis supplicium.

Ad 3.um Naturali aequitati certe adversatur hominem in sua dignitate personali manentem assumi tanquam medium, quo ad libitum uti possit auctoritas publica in utilitatem aliorum, eo modo quo dominus de re propria disponit ad arbitrium suae voluntatis. Non tamen repugnat, sed ex jure naturae procedit, quod, unumquodque membrum societatis totius reipublicae

1 Garofalo afirma «que la cárcel correccional no puede producir en muchos ninguna impresión de disgusto». Lo mismo asegura Mittermayer, citados por Pulido Fernández, pag. 172.

2 *Φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος.* Aristot., III *Ethic.*, c. VI.

3 Cfr. D. Th., *Contra Gent.*, lib. III, c. 141 et seq.; I p. q. XLVIII, a. 5 et 6.

saluti subordinetur et ubi opus fuerit ad communem salvationem praecidatur, nam *bonum gentis divinius est quam bonum unius*. Auctoritas autem socialis, dum mortis supplicio nocentem afficit, non convertit hominem in rem vel in merum medium, de quo pro libito disponat in suum vel aliorum commodum utile, sed eum considerat ut membrum societatis. Quodlibet autem membrum tenetur ordinem stabilitum sponte servare, secus vi adigi potest ad legem implendam, et si ob ejus proterviam bonum commune, pax et tranquillitas civium periclitentur, jure pollet societas eum a corpore praecidendi [1].

10. **Corollarium.** Triplicem finem communem cuilibet sanctioni poenali supra assignatum, poenae quoque capitali apprime convenire ex dictis liquido infertur. Nam 1.° ordinatur ad conservationem et redintegrationem ordinis laesi; 2.° est medicinalis, saltem corpori sociali, a quo amputatur membrum putridum et nocivum; et 3.° per comminationem hujus poenae retrahuntur a peccando procacissimi illi homines pro quibus aliae poenae mitiores prorsus inutiles forent [2].

11. **Objectiones.** 1.ª Auctoritas politica resultat ex collectione jurium singulorum civium; ergo praeter facultatem, quam unusquisque sponte et ex contractu cedit et in commune confert, nullam aliam possidet. Sed nemo jus habet in propriam vitam; ergo non potest illud cedere. Igitur limites justitiae praetergreditur auctoritas civilis reos quorumdam criminum puniendo poena mortis. Ita *Beccaria* aliique.

Resp. neg. antec., et concessa minori, nego conseq. Argumentum procedit ex falsa theoria *Contractus Socialis*. - Ulterius, jus gladii non derivatur ab individuo ad societatem, sed immediate a Deo, qui solus est dominus vitae et mortis, et iis juribus societatem instruxit quae necessaria sunt ad sui conservationem: unde nec judici licet, *ut privata persona*, occidere malefactorem: quia «occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis; et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandae; sicut ad medicum pertinet praecidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem; et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis» [3].

II.ª Vitam alicui eripere est jus proprium Divinitatis; ergo jus gladii excedit limites cujuscumque potestatis creatae.

Resp. dist. antec.; *auctoritative*, conc.; *ministerialiter*, nego. Publica

1 Cfr. S. Thomas, II-II, q. LXIV, a. 2 ad 3.

2 Los tres casos de enfermedad contraída por la asistencia a la ejecución de una pena capital que refiere el Dr. Pulido (obra cit. c. II) y otros muchos que pudiera referir, no le dan derecho para negar la *ejemplaridad* de dicha pena e inferir que sea perjudicial al organismo social; así como tampoco la excitación que se siente cuando se ve ajusticiar a un reo (c. III) es causa suficiente para que no sea pública la ejecución o se modifique su forma.

3 S. Th., II-II, q. LXIV, a. 3.

auctoritas a Deo immediate descendit et gratia et nomine Dei, non autem nomine populi aut proprio et innato jure judicium et vindictam exercet. «Homines, inquit *S. Thomas*, qui in terris super alios constituuntur sunt quasi divinae Providentiae executores.... Nullus autem, ex hoc quod exsequitur ordinem divinae Providentiae, peccat. Habet autem hoc ordo Providentiae, ut boni praemientur et mali puniantur. Non igitur homines qui aliis praesunt peccant ex hoc quod bonos remunerant et puniunt malos» [1].

III.ª Justitia humana divinam debet imitari; atqui justitia divina peccatores ad poenitentiam reservat; ergo.

Resp. conc. maj., et dist. min.: *aliquando*, conc.; *semper*, nego. «Deus, inquit *S. Th.*, secundum ordinem suae sapientiae quandoque statim peccatores occidit ad liberationem bonorum, quandoque autem eis poenitendi tempus concedit, secundum quod ipse novit suis electis expedire» [2]. — «Quod vero mali, quandiu vivunt, emendari possunt, non prohibet quin juste possint occidi; quia periculum quod de eorum vita imminet est majus et certius quam bonum quod de eorum emendatione exspectatur. Habent etiam in ipso mortis articulo facultatem ut per poenitentiam convertantur ad Deum. Quod si adeo sunt obstinati quod etiam in mortis articulo cor eorum a malitia non recedat, satis probabiliter aestimari potest quod nunquam a malitia resipiscant» [3].

12. Thesis II. **Actuali morum suavitate non obstante, opportunum et quandoque moraliter necessarium videtur poenam capitalem pro gravissimis delictis, saltem privatim, infligere.**

Fatemur quidem poenam capitalem non esse inferendam ubi et quando necessaria non sit; at cum bonum commune eam moraliter exposcit princeps non debet cedere *nimiae sensibilitati* exaltatae plebis. Nam, «ut prudens medicus, sanitatis gratia, medicamenta lenia primum admovet, ac iterat; quae si non prosint, acria profert, putridaque membra praecidenda censet, ut sana praeservet; ita bonus Princeps modos principio mites init, repetitque, si forte ad reipublicae pacem conferant; qui si minime proficiant, protervos tanquam membra putrefacta severe praecidit: quod jam priscus obtinuit mos, ut cecinit ille: (Aen. lib. VI.)

> Tu regere imperio populos, Romane, memento,
> (Hae tibi erunt artes) pacique imponere morem:
> Parcere subjectis, et debellare superbos» [4].

Thesis negari non potest ab iis qui justitiam et necessitatem poe-

1 *Contra Gent.*, lib. III, c. 146.
2 II-II, q. LXIV, a. 2 ad 2.
3 *Contra Gent.*, lib. III, c. 146 ad fin.
4 Joan. a. J. M., *Instruct. Princ.*, lib. I, p. I, c. X.

nae capitalis agnoscunt. Semper enim conveniens et opportunum videtur *a)* ea media adhibere, quae necessaria sunt ad publicae salutis custodiam, et *b)* sceleratos iis addici poenis quae aliis in exemplum esse, et solae procacissimos quosque a crimine deterrere valent. Atqui saepissime auctoritas civilis nullum aliud invenit efficax remedium ad bonum commune conservandum et improborum audaciam coercendam, praeter mortis supplicium. Nam quaelibet alia sanctio a proposito peccandi sufficienter non abducit multos, cum spem probabilem habeant poenas omnes temporales serius ocius evadendi. Quod eventu ipso comprobatur. Auctis enim supra modum atrocissimis delictis iis in populis, qui poenam mortis tanquam inhumanam et penitus inutilem exsecrati fuere, eam ut denuo executioni mandetur, ipsimet populi turmatim expostulant [1].

Hanc convenientiam inficiantur politici liberales non pauci arbitrantes poenam mortis vindictas excitare et sceleratorum numerum augere: *sanguis enim sanguinem clamat.*

Verum haec timoris potius quam societatis salvandae causa proferuntur ab iis qui unice populis blandire cupiunt et, propria debilitate aut sceleratorum minis oppressi, impares facti sunt leges statutas efficaciter exequendi. Nam ubi justitia fortiter suavitaterque sua jura servare conatur sanguis non excitat vindictas sed timorem incutit criminalibus et innumera facinora impedit. Quod si alicubi, semel aut iterum poena capitali inflicta, sceleratorum turba nimis exscrescit in poenam vertitur debilitatis gubernantium, qui, cum possint rebelles compellere voluntates ad exequenda principum decreta justitiamque colendam, a propria statione et jure discedunt, ne malefactorum iram incurrant. Sed scelerati nimia judicum lenitate freti, in dies audatiores fiunt. Quamobrem oportet quod mali timere discant humanam potestatem; *non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit* [2]. Ergo status culturae nostrae, quemcumque gradum perfectionis attigerit, non obstat quominus potestas judiciaria poenam mortis pro gravissimis delictis aliquando decernat. Exigit tamen ne sub forma crudeli et exquisitissimis tormentis flagitiosi capite plectantur.

1 En España se abolió el año 1869 y la necesidad obligó a restablecerla en 1873. En Suiza la abolió la Constitución federal de 29 de Mayo de 1874; derogada esta Constitución, en 1879 varios Cantones restablecieron la pena de muerte. En Finlandia fué abolida en 1826 y restablecida en 1889. En América conservan la pena de muerte la inmensa mayoría de los Estados. Y en Europa la aplican con frecuencia Francia, Alemania, Austria Hungría, Inglaterra, Bélgica, Suecia, Noruega, Dinamarca, Rusia, Turquía, Grecia, Servia y Montenegro. Puede decirse que los únicos países que no la admiten en sus Códigos son: Portugal, Rumanía, Italia y Holanda.

2 Ad Rom XIII, 4. «La abolición completa de la pena de muerte es un delito contra la sociedad y en una época como la nuestra una aberración» Strauss: citado por Pulido Fernández, pág. 170.

12. **Scholion.** Ne totam antiquitatem nota inhumanitatis indiscriminatim inuras, ut plures scriptores temere faciunt, attendas velim ad mores et dispositiones populorum cujusque aetatis. Etenim quod nos, propter morum suavitatem et sceleratorum genus et conditionem, minime patimur et inconveniens judicamus, retroactis saeculis peropportunum et convenientissimum arbitrabatur. Critica autem historica exigit ut qui facta alicujus temporis exquirere et ad trutinam vocare velit, circumstantias loci, personarum, habituum etc. prae oculis habeat.

13. **Condonatio principum.** Quaerit *S. Thomas* et cum eo philosophi et juristae: *An judex licite possit poenam relaxare,* et in casu: *an princeps possit damnatos ad mortem sua gratia liberare.*

Pars affirmativa probatur 1) ex jure vigente apud omnes gentes et omni tempore, catholicorum quoque regum exemplo consecrato, qui in certis solemnitatibus non tantum *amnistiam* pro delictis determinati generis, v. gr. politici, rebellionis, preli etc. cumulatim concedere solent, sed a poena quoque capitali nonnullos reos absolvunt, ut apud nos feria VI. Majoris Hebdomadae.

2) Ratione. Legitimo principi ea licet uti potestate quae nec publicae saluti nocet, nec legibus superioribus, naturalibus aut divinis limitatur; atqui poenam capitalem nonnunquam relaxare nec publicae saluti detrimentum affert, nec opponitur legibus naturalibus aut divino positivis, imo principis benignitatem commendat ceditque in bonum commune; ergo principi licet mortis supplicium aliquando in mitiorem poenam mutare.

Audiatur *S. Thomas:* «Judex inferior non habet potestatem absolvendi reum a poena contra leges a superiore sibi impositas..... Sed princeps qui habet plenariam potestatem in republica, si ille qui passus est injuriam, velit eam remittere, poterit reum licite absolvere, si hoc publicae utilitati viderit non esse nocivum» [1]; si tamen ex relaxatione poenae, addit *Billuart,* majus bonum commune sequi deberet, tunc, etiam invita parte laesa, judex poenam relaxare posset».

Ut ergo princeps suam bonitatenm ostendat et populis amabilem se praebeat, *decet aliquando, ob bonum commune, poenam mortis condonare, non tamen frequenter et omnibus indiscriminatim,* ne potestas coactiva irrisoria fiat. Peroptime *S. Th.* «Si judex inordinate poenam remitteret, nocumentum inferret communitati, cui expedit ut maleficia puniantur ad hoc quod peccata vitentur..... Noceret etiam personae, cui est illata injuria, quae recompensationem accipit per quamdam restitutionem

1 II-II, q. LXVII, a. 4.

honoris in poena injuriantis»[1]. Princeps ergo imitetur Deum in relaxatione poenarum, qui «non remittit poenam, nisi secundum quod decet suam bonitatem, quae est omnium legum radix»[2].

§ IV

DE POTESTATE EXECUTIVA.

Summa rerum. 1. *Generalis notio hujus potestatis; - ejusdem necessitas.* 2. *Ministrorum officium,--necessitas,--delectus,--numerus, qualitates.* 3. *Extensio potestatis executivae.* 4. *Munera ejusdem auctoritatis.—Errores vitandi.—Socialismus et Liberalismus oeconomicus.—Plutocratismus* et *Proletarismus.* 5. De Exercitu.—*Militiae notio et species.*—6. *Sententia circa necessitatem militiae in civitate.* 7. Thesis: — *Notanda.* — Prob. 8. *Thesis altera.* — *Praenotiones* (historia; an servitium militare obligatorium et exercitus perpetuus et numerosus licita sint per accidens; an militia potestati gubernativae subjici teneatur) — Probatur thesis. 9. *Tria inde inferenda.* 10. *Militum dotes.*

1. Ajente *Angelico Praeceptore,* «gubernare est id quod gubernatur convenienter ad debitum finem perducere»[3]. Ergo ad rectum reipublicae regimen non sufficit optimas condere leges in bonum commune multitudinis, sed ulterius requiritur ipsam multitudinem impellere ad practicam legum observantiam, qua neglecta, potestas ipsa legislativa incassum laborat.

Hinc enascitur *necessitas potestatis executivae,* quae a legislativa, tanquam a suo fonte, promanat, ab eaque separari omnino non potest, secus utraque pessumdaretur, cum lex, quae subditis non applicatur, nullam pariat obligationem, applicatio vero legem constitutam supponat. Est autem potestas *executiva,* quam alii *gubernativam* appellant, *facultas executioni mandandi leges latas a principe in bonum commune reipublicae.*

2. Huic functioni exercendae praeponuntur *officiales* in plures gradus distributi: superiores autem, qui immediate instituuntur a rege et ab eo munus accipiunt communia regni negotia, nomine regis, expediendi, *ministri* vocantur. Ii necessarii sunt *ad complementum regni et fulcimentum regiminis,* ut loquitur *S. Thomas*[4], quia, quamvis rex sit totius potestatis civilis centrum et principium, nihilominus nequit personaliter legum executionem demandare.

---

1 ib. ad 3.
2 ib. ad 2.
3 *De reg. Princip.*, lib. I, c. XIV.
4 ib., lib. II, c. X.

Necessitas ergo ministrorum patet 1) ut «per eos secundum gradum personarum exerceantur officia, distribuantur opera et administrentur necessaria in regno»[1], verbo: ut obedientia legibus procuretur; 2) ut regi sint ad consilium. «Qui enim rempublicam familiamve gubernat, inquit eleganter *Joan. a J. M.*, saepe velut nauclerus inter Oceani vortices, coelo nubibus obducto, ventis saevientibus et imminente naufragio anceps inopsque consilii haeret, et quo se vertat ignorat... Exquirendi ergo viri quos pietas prudentiaque commendet; nam si desit alterutrum, integritas ad consilium requisita obtruncatur, cum pietas voluntatem, prudentia intellectum instruat, et pars utraque ad bene consulendum coeat»[2].

Delectus ministrorum. «Sapientis proculdubio Principis est optimum habere delectum ministrorum, quibus graves functiones demandet; quid enim prosit bene decernere ac imperare, si ministri per quos negotia expediri debent, desides, ignari, ignavi, immites et aliis hujus generis notis foedati sint? Non seligendi tantum sed explorandi ne quid indecorum committant vel segniter agant»[3].

Numerus. Nec plures nec pauciores regno praeficiantur quam necessarii ad rite explenda munia potestatis executivae, quia alterum supra modum populum onerat, alterum nimis negotia retardat.

Qualitates. Inter dotes quibus ministri exornari debent selectiores recensemus. *a) Probitas vitae,* ut aliis exemplum praebeant. Ipsi enim scriptarum legum velut anima sunt debentque reipublicae corpus vitali motu ad illarum custodiam excitare ac permovere[4]. *b) Justitia,* ut unicuique quod suum est inviolate reddant reddique aliis serio imperent; exploratis proinde meritis, pro cujusque jure et proportione munia praemiave decernant; nec se prece, vel pretio corrumpi permittant[5]. *c) Studiositas* ut profundam rei politicae et oeconomicae, rami praesertim, cui unusquisque praeficitur, cognitionem acquirat. Quia «dum gubernator ignarus populum familiamve ignaram regit, seque ipsum, aeque ac subditos, praecipitem agit. Quocirca qui praeest, ejus doctrinae debet esse consultus quae ad officium explendum conferat, aliosque asciscere peritos quibus ad prudentiae exercitium utatur, ut quae didicit ipse perficiat, vel quae non didicit ediscat»[6]. *d) Diligentia,* ut sedulo et accurate reipublicae necessitatibus inserviant. Versum enim est in proverbium: *Matura deliberatio sed celeris exe-*

1 ib.
2 *Ars gubernandi*, p. II, c. 21.
3 Ven. Joan. a Jesu Maria, *Instruct. Princip.*, lib. I, p. I, c. IX.
4 ib. p. II, c. VII. Cfr. *Ars gubern.*, p. IV, c. XIV.
5 Idem *Ars gubern.*, p. IV, c. XII.
6 ib. c. II.

cutio. «Vexantur enim tarditate, inquit ***Joan. a J. Maria,*** negotiorum gestores, et ad impensas nimias dilatione coacti ad maledicentiam linguas solvunt. Quin etiam spe dilata bonas demum negotiorum expeditiones, deflorata jam gratia, minus laeti accipiunt et bonum gubernatorum nomen obscurant»[1]. *e) Fidelitas* in principem et in leges, ut scilicet nihil omnino contra personam et bonum principis unquam moliri, aut statuta decreta contra legislatoris mentem applicare audeant; sunt enim in munimentum principis et regiminis electi. *f) Fortitudo.* Interest enim maxime ad reipublicae bonum statutas leges ad unguem observari; idcirco boni gubernatoris est, omni personarum acceptione postposita, cunctos ad legum obedientiam efficaciter inducere et protervos metu poenarum a scelere deterrere. Igitur nec minis cedat, nec promissis intentionem detorqueri aut animum foedari unquam patiatur optimus gubernator. *g)* Demum, fortitudinem *clementia* et *humanitate* temperent, ut subditorum benevolentiam facile captare queant, divinum regimen imitantes, quod omnia *fortiter suaviterque* disponit. Ad rem pulcherrime ***S. Thomas:*** «Hoc igitur officium rex se suscepisse cognoscat, ut sit in regno sicut in corpore anima et sicut Deus in mundo. Quae si diligenter recogitet, ex altero justitiae in eo zelus accenditur, dum considerat ad hoc se positum, ut loco Dei judicium in regno exerceat; ex altero vero mansuetudinis et clementiae lenitatem acquirit, dum reputat singulos, qui suo subsunt regimini, sicut propria membra»[2].

3. **Ambitus potestatis executivae.** Ea jura et officia quae, sive ad internum societatis regimen pacemque inter cives servandam, sive ad externas relationes cum aliis nationibus moderandas, spectant, iis exceptis quae legislativae et judiciariae auctoritati sunt propria, potestati gubernativae competunt. Quamobrem hujus potestatis extensio in ordine executionis ex ambitu potestatis politicae, quem supra descripsimus (§ 1), mensuranda est.

4. **Munera.** Auctoritas gubernativa eo fine instituta est ut leges in bonum reipublicae latas executioni demandet. Id autem duo necessario implicat, scilicet: *a)* praedictas leges *applicare,* quae applicatio fieri potest ad *personas* et *gubernatio* dicitur, vel ad *res* et *administratio* proprie vocatur; *b)* obstacula, quae earumdem applicationem et observantiam impediunt, *admovere.* En ergo duplex auctoritatis executivae munus[3].

In administratione rerum temporalium duo vitia maxime vitanda sunt. *Unum,* ne tantam potestatem in res privatorum sibi arroget *Sta-*

1 ib. c. VII.
2 *De reg. Princ.*, lib. I, c. XII.
3 Cfr. Taparelli, *Ensayo*, lib. V, c. VI.

tus ut de eis pro libito disponat ac si esset omnium proprietarius ac dominus. Cavendum sane ne, translatis in totam rempublicam dominio et administratione bonorum productivorum, uti volunt Socialistae[1], individua tanquam meri ***Status*** coloni aut famuli habeantur. *Alterum* vitium reprobandum, etsi Liberalibus Oeconomistis et Physiocratis valde placeat, est quod ***Status*** parum bonum commune procuret, parvas industrias publica protectione destitutas relinquens et principium, ut ajunt, *liberae concurrentiae* proclamans. In hac rerum competentia ditiores omne commercium penitus absorbent et debiliorum industrias subvertunt. Inde necessario exoritur *plutocratia* ex una parte; ex altera vero ingens *pauperismus;* crescit enim multitudinis indigentia quo in paucioribus accumulantur divitiae, proindeque existentia *millionariorum* in aliqua republica nequit accipi uti signum indubium prosperitatis materialis, nam ad publicam nationis prosperitatem requiritur non tantum sufficiens bonorum *productio,* sed maxime proportionalis et aequa *distributio.*

5. **De exercitu.** Ad removenda obstacula quae pacem tum internam tum externam civium impediunt potestati gubernativae deservit vis armata seu *militia,* quae ex sua institutione ad ordinem conservandum vel restituendum ordinatur[2].

Porro: legum transgressores saepissime internum civitatis ordinem perturbant et proximos incommodo afficiunt. Ad tuenda vero uniuscujusque jura civilia dirigitur militia quae *politia urbana* ab aliquibus nuncupatur (agentes de orden público), cujus sphaera muros civitatis non transcendit et a Municipio ordinarie dependet. Ampliorem exercet functionem non tantum in civitate sed in provincia et in regno *militia civica* (guardia civil) quae ad malefactores coercendos pacemque externam in populis servandam mercede conducitur. Denique ad defensionem reipublicae contra hostium externorum incursus armantur *milites* et parantur *exercitus.*

6. **Sententiae.** Socialistae et Anarchistae omnem militiam prorsus innecessariam putant eamque vehementer aversantur[3] —Alii e contra, arbi-

1 «—Cual es la aspiración final del Socialismo?—La socialización de todos los medios de producción y de cambio y el usufructo de ellos por la sociedad entera». *Catecismo de la doctrina Socialista* por J. Carretero. Política y Economía Socialista.

2 «Necessarii sunt bellatores omni tempore in republica tum pro pace civium conservanda, tum pro incursu hostium evitando». D. Th., *De reg. Princ.,* lib. IV, c. XXV.

3 «Estimáis innecesario el ejército?—Seguramente. Desde el momento en que todos los hombres somos hermanos y debemos amarnos sobran los que solo de matar entienden; si hoy se sostiene el ejército es por la necesidad de los capitalistas de asegurarse por medio de la fuerza la propiedad privada que detentan». *Catecismo cit.,* p. II. «El ejército es una institución que solo es buena cuando es perjura, cuando se subleva proclamando la libertad o vuel-

trantes praecipuum Gubernii scopum esse societatem quam gubernat ad majorem *potentiam nationalem*, uti ajunt, in dies levare, ingentes exercitus creari exoptant.—Nos utrumque reprobamus. Nam quod primum attinet, spes Socialistarum est omnino illusoria et fundamentum habet admodum labile. Rentur enim 1) fraternam omnium gentium *solidaritatem* nullis certis finibus circumscribi debere et, adventante Socialismo, nationum terminos transgressuram esse; erit enim unum omnium imperium et patria communis universus orbis; 2) candide exspectant societates aeterna pace gavisuras, militia abrogata. Verum prava ipsa naturae humanae inclinatio, quae Socialistarum pharmaco hucusque mederi non potuit, nec unquam medebitur, eos somniare evidenter ostendit.—Alterius autem sententiae falsitatem alibi demonstravimus. Sit igitur

7. **Thesis. Vis armata, in praesenti rerum conditione, est maxime necessaria societati, non ut finis imperii, sed tantum ut medium ad quietem internam civium, et externa societatis jura tutanda.**

Ante probationem notandum venit 1) incissum illud «in praesenti rerum conditione». Nam coactio physica, qua quis adstringitur ad faciendum invitus quod sponte facere recusat, supponit deordinationem quamdam; unde in statu justitiae originalis, seu ante peccatum, vis armata neutiquam foret necessaria; 2) militiam, prout ex ipsa thesis enuntiatione patet, ob duplicem finem institutam esse, scilicet: ad *pacem internam externamque societatis servandam, vel restituendam,* cum *jure* servari aut restitui non potest. En tota *ratio* et *mensura* militiae.

Probatur thesis. 1) Potestas gubernativa strictissimo naturae officio tenetur reipublicae securitatem procurare; ergo jus habet ad media quibuscum rebelles compescere et superborum audaciam retundere valeat; atqui praeter vim armatam nullum aliud superest medium efficax ad coercendos procacissimos delinquentes. Ergo militia est maxime necessaria societati. 2) Data humana libertate, ordo socialis saepissime laeditur non tantum ab individuis sed ab effrenata multitudine; atqui sola vis materialis organizata potest ordinem laesum redintegrare et turbam in ordine continere. Ergo. 3) Haud leve argumentum deducitur ex historia tum sacra tum profana attestante apud omnes gentes et populos semper extitisse militiam modo uno vel altero constitutam.

---

ve las culatas frente al pueblo rebelde». *Resumen de la Historia de España* que servía de texto en la Escuela Moderna de Francisco Ferrer Guardia.—En el Congreso Internacional antimilitarista celebrado en Londres, Mayo 1903, se combatió rudamente al ejército: En España, Italia y Francia se han celebrado en los años de 1910-1913 ruidosas manifestaciones socialistas y libertarias con motivo de las recientes guerras.

8. **Thesis altera. Omnes cives ad militiam, etsi per aliquos tantum annos (2-3), obligare ut perpetui et numerosi comparentur exercitus, per se civitati nocet.**

Praenotiones. *a)* Non unus fuit omni tempore et apud varias gentes modus conscribendi milites parandique exercitus.

Ante Christum Dominum mos erat ad patriae defensionem hostesque pellendos omnes cives aptos convenire, imo in quibusdam populis, ut apud Scythas, nec mulieres ab hoc onere eximebantur. Ipsemet *Aristoteles* reprehendit *Socratem* et *Platonem* arbitrantes feminas exponendas esse rebus bellicis ut cum viris militarent. Apud Indos certam classim (casta), et quidem nobilem, milites constituebant. Apud Graecos omnes cives cogebantur militiae munus sustinere. Idem obtinuit mos apud Romanos usque ad *Marium* (an. 107 ante Christum). Sed ex eo tempore principes ethnicos militiam comparasse tum ex civibus conscriptis tum ex aliis mercede conductis non obscure testatur historia. – Eumdem modum imitati sunt christiani per plura saecula. Verum medio aevo praevaluit, praesertim inter Germanos, Francos et Hispanos, lex vel consuetudo, qua principes, nobiles, civitates et provinciae quosdam milites suis sumptibus conducere tenebantur. Exercitus autem hoc modo congregati, finito bello, dimitti consueverunt. Nam militia perpetua (ejércitos permanentes), ante initia saeculi XV, penitus ignota, coepit pedetentim per varias Europae civitates propagari; milites vero salario, ut plurimum, conducebantur ideoque cives servitio militari non erant adstricti. — Tandem saeculo XIX, pluribus in locis, omnes cives ad militiam activam, etsi per aliquos tantum annos, adigebantur (servicio militar obligatorio). Et nostris hisce diebus hunc morem modumque comparandi exercitus omnes fere nationes aemulantur. Inde oritur necessitas sustentandi in singulis civitatibus ingentes militum copias vel ipso tempore pacis, majores autem bello durante[1].

b) Servitium militare obligatorium ad potentes exercitus creandos institutum potest in aliqua civitate, interim aliae non dimittant suos milites et *pax armata* perduret, proindeque *per accidens,* licitum evadere. Semper tamen excipiendi forent qui ex jure naturali aut divino militiam ferre non debent. Patet igitur ratio hujus particulae *per se* in thesis enuntiatione positae. Non ergo investigamus utrum expediat necne alicui civitati dimittere exercitum perpetuum, supposita aliarum nationum cupiditate et dominandi studio, sed quid *per se* civitati conveniat.

---

1 Ejércitos de algunas naciones europeas y sus créditos militares:

	En tiempo de paz		En pie de guerra
Alemania	710.000 hombres,	2.490.000.000 francos,	5.000.000 de soldados.
Austria	395.000 »	970.000.000 »	2.500.000 »
Italia	300.000 »	422.000.000 »	2.000.000 »
Rusia	1.300.000 »	1.376.787.608 »	4.500.000 »
Francia	592.000 »	1.492.498.638 »	4.000.000 »
Inglaterra	265.000 »	727.500.000 »	611.000 »
España	285.000 »	204.532.413 »	1.100.000 »

c) Militia supremo imperanti subjici debet et potestati gubernativae semper obtemperare. Est enim 1) hujus instrumentum; ergo ab ea necessario dependet quoad motum et directionem; 2) vis quoque socialis ad ordinis perturbati restitutionem et publicas populorum commotiones vitandas instituta. Atqui gravissimum periculum constitueret in civitate militia independens et supremo imperanti obedire renuens. Ne ergo sit elementum antisociale, revolutionum politicarum origo et fons, fidelitatem jurejurando promittat et obedientiam spondeat, serveturque promissa, secus non habebitur tanquam publicae securitatis pignus.

d) Ingentia militum agmina conscribere ad potentiae nationalis ostensionem vel ad tranquillas et pacatas civitates subjugandas plane illicitum est, utpote militiae institutioni contrarium et fine debito carens. Quamobrem jam olim *Stagirita* reprehendit Lacedaemones quia «omnes leges eorum ordinabantur ad unam partem virtutis, scilicet ad bellicam, propter hoc quod erat utilis ad dominandum aliis»[1]. Et *S. Augustinus* agens de cupiditate Nini regis, «inferre inquit bella finitimis, et in caetera inde procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?»[2]

Ex hac autem dominandi aviditate orta est in praesenti civilizatione necessitas creandi exercitus permanentes et numerosos ad se tuendum adversus externorum incursus.

Disputatur ergo an hic status *pacis armatae*, uti vocatur, per se civitatibus prosit, vel, e contra, nocumentum afferat. Qua in re duae sunt extremae sententiae. Quidam absolute licere et per se civitatibus convenire affirmant. Alii rentur exercitus permanentes statim esse dimittendos, ubilibet existant, quia nunquam, nec ulla ratione cohonestari possunt. Nos autem, post dicta, opinamur exercitus perpetuos nec absolute nec extemplo dimittendos, sed paulatim et successive esse diminuendos, illud enim secum involveret certam multorum industrialium ruinam. *Pacem* autem *armatam* per se civitatibus nocere asserere non dubitamus. Rationes quibus haec assertio probatur obiter indicare sufficiat. Exercitus permanens et numerosus, ex servitio militari obligatorio necessario resultans, *a)* ultra modum gravat publicum aerarium; oportet namque in alimentis et vestibus militum, in utensilibus bellicis, armis, navibus, canonibus etc., ingentes summas expendere, quae non aliunde quam a populis indigentibus et oneribus oppressis provenire solent; *b)* industriam et agriculturam, praecipuos scilicet productionis fontes, necessariis et potentioribus operariis privat; *c)* laboris habenas relaxat; *d)* morum corruptionem generat; *e)* bellandi aestus in nationibus accendit; et *f)* avidam cupiditatem numerosiorem militiam in dies

1 II *Polit.*, Cfr. D. Th., lb. lect. XIV.
2 *De Civit. Dei*, lib. IV, c. 6.

habendi constanter acuit. Haec autem, ut patet, potius nocere quam prodesse valent civitatibus.

9. Ex quo deducitur 1) optandum esse et agendum apud principes ut paulatim diminuant exercitus perpetuos et ad arma deponenda perveniant *(desarme general)*, secus nunquam penitus removetur periculum universalis conflagrationis, et salus nationum, potissimum infirmiorum, in summum discrimen continuo vocatur. Id in votis habet Ecclesia desiderantque aliquarum nationum deputati, qui apud La Haya celebrant Congressum *Pacis;* 2) eos tantum milites esse conscribendos parandosque excercitus qui necessarii reputantur ad pacem internam externamque nationis servandam; nam ratio, norma et mensura militiae ex fine ad quem ordinatur desumenda sunt, ut supra innuimus[1]; 3) militiam voluntariam et mercede conductam prae gratuita et obligatoria seligendam esse. Est enim ars quaedam; ergo ad eam rite exercendam tum aptitudo, tum naturalis inclinatio plurimum juvat.

10. **Qualitates militum.** Non omnes cives sunt indiscriminatim militiae adscribendi. Cum enim miles a militia, id est, *duritia,* dicatur *a)* ad militiam assumendi sunt fortissimi, bello idonei, praeparati ad pericula et praestantis animi[2]; removendi autem molles et delicati. Nemo enim magis mortem metuit quam qui magis indulget divitiis et voluptatibus. Hujusmodi autem inconveniens, et quidem non leve, haud vitatur in servitio obligatorio; *b)* miles sit insuper prudens, temperatus, obediens et justus[3]; *c)* amore tenerrimo et intensissimo patriam et principem diligat, paratus denique semper mortem subire potius quam promissorum violatione foedari. Haec cunctis militibus communia sunt. In ducibus autem exercitus aliae dotes seu qualitates desiderantur, inter quas sequentes recenset Alphonsus, Rex Sapiens nominatus: *a)* «miles debet intellectu et providentia vigere, ut quae defendenda sunt tueatur, quae impugnanda destruat et damnificet, ita ut severitatem inimicis, pietatem amicis ostendat[4]; *b)* miles sit practicus et sagax, ut per

---

1 «La perfección de la fuerza pública consiste en que pueda con la *mayor seguridad* superar los *mayores obstáculos* en el *menor tiempo* y con el *menor gasto* posible». Taparelli, *Curso Elem. de Der. Nat.*, n. 262.

2 Milicia, que quiere tanto decir como compañas de omes duros e fuertes, e escogidos para sufrir trabajo, e mal, trabajando, e lazrando, por pro de todos comunalmente. Alfonso el Sabio, *Segunda Partida*, tit. XXI, Ley I.

3 ib. Ley IV.

4 Ley V. «*Que los Defensores deuen ser entendidos.* Ca entendimiento es la cosa del mundo que más endereza al ome para complido en sus fechos, y que más le estraña de las otras criaturas, e por ende los Caualleros que han a defender a sí, e los otros, segund dicho auemos, deuen ser entendidos. Ca si non lo fuessen, errarían en las cosas que ouiessen de fazer, porque el desentendimiento les faría que non mostrassen su poder contra aquellos que lo ouissen de mostrar; e de la otra parte, que fiziesen mal a los que fuessen tenudos de guardar. E otro si los farían ser crueles contra la cosa que deuiessen auer piedad, e piadosos en lo que deuían ser crueles.....»

sagacitatem cum paucis multos devincat, et per practicam exercitium celeritatis et bene equitandi et cum omni genere armorum percutiendi acquirat[1]; *c)* miles sit temperatus in verbis, non superbus: tempore tamen belli licet proferre verba superba ad animandum suos. Item sit miles in factis legalis, fidelis, firmus, et in praeceptis obediens, quia obedientia in milite est quae praecipue victoriam praestat[2]; *d)* Tempore pacis audiat miles historias militares et cantilenas bellicas, ut sic tam per visum quam per auditum res bellicas addiscat, et facta virorum fortium ab eis audita juvent ad animi magnitudinem, similiaque gerenda[3]; et *e)* miles super omnia fidelitate et legalitate refulgeat, in qua ceteri boni mores continentur, quorum ipsa mater est; sine ea namque neque patria defenditur, ejus defectus suum genus et progeniem deturpat et ad pudoris maculam inducit infidelem»[4]. Ita compendiose glossator latinus Partitarum *Gregorius Lopez.* Et de iis satis.

Articulus VII

De officiis subditorum erga politicam potestatem[5]

Rerum ordo. Generatim loquendo, omnia officia, quae subditos respiciunt in ordine ad auctoritatem, continentur in *obedientia*. Nam bonum commune, ad quod *diligendum, procurandum* et *promovendum* cives obligantur, perfecta legum observatione comparatur. Quaerendum est ergo *an subditi obedire teneantur, vel e contra, resistere possint aliquando principum imperio.* Verum princeps alius est legitimus juste et honeste imperans multitudini, alius dicitur tyrannus vel quia illegitime assequutus est principatum, vel quia injustis legibus populum gubernat. De relationibus ergo subditorum in ordine ad utrumque impraesentiarum est disputandum. Quam quaestionem alii *de amissione potestatis* inscribunt.

---

1 «Arteros e mañosos deuen ser los caualleros: e estas son dos cosas, que les conviene mucho». Ley VIII.

2 ib. Ley XXII. *Qué cosas deuen fazer e guardar los Caualleros en dichos, i en fechos.*

3 ib. Ley XX.

4 Ley IX. «Leales conviene que sean en todas guisas los Caualleros. Ca esta es bondad en que se acaban e se encierran todas las buenas costumbres, e ella es así como madre de todas. E como quier que todos los omes la deuen auer, señaladamente conuiene mucho a estos, que la ayan».

5 Cfr. Leo XIII, Encycl. *Humanum genus, Sapientiae christianae, Diuturnum, Inter gravissimas,* etc.; Roselli, *Ethica,* q. ult. a. 5; Schiffini, Disp. V, sect. IX; Cathrein, *Philos. mor.*, lib. II, c. III, sect II, § 3; Ferretti, vol. III, th. 87; Farges et Barbedette, *Ethica spec.* n. 132.

§ 1.

DE OBEDIENTIA LEGITIMIS SUPERIORIBUS, JUSTE ET HONESTE IMPERANTIBUS, DEBITA

Summa rerum. 1. *Errores. Vera sententia.* 2. Thesis I. *Cives strictissimo naturae officio tenentur obedientiam praestare legitimis superioribus.* Probatur. 3. Thesis II. *Cives subjici debent.... non tantum ob timorem vindictae sed propter conscientiam.* Prob. 4. *Quae causa non obediendi.* - Thesis III. *Una illa hominibus causa est non parendi, si quid a principibus postuletur quod cum naturali aut divino jure aperte repugnet.*

1. **Errores.** Nemo, qui summis labris historiam recentis civilizationis attigerit, ignorare potest, quantum a saeculo XVI adlaboraverint Protestantes ad vim auctoritatis elevandam majestatemque minuendam. Ab initio namque Reformationis haec omnium, praesertim Calvinistarum, vox erat: *principes catholicos*, etsi juste regerent populum, *exterminandos esse...* Praeiverant Wicleffitae et Hussitae arbitrantes reges, magistratus et judices peccato mortali inquinatos, ipso facto, auctoritatem amittere. Post ipsos nullum non moverunt lapidem seudophilosophi saeculi XVIII ut, libertatem plus aequo extollentes, subjectionis et reverentiae legitimis superioribus praestandae habenas in populo relaxarent. Hodie vero Socialistarum et Anarchistarum sententia est detrectandam esse obedientiam iis qui in praesenti rerum statu auctoritate potiuntur, et, si fieri possit, publicis seditionibus aliisve mediis politicis, vel etiam violentis, uti volunt radicales, e societate pellendos. Fructus hujus doctrinae vel ab ipso Reformationis exordio omnes Europae civitates successive degustarunt; nunc autem ubique terrarum sparsa anarchiae et effrenatae libertatis semina amaros fructus ferunt. - Nostra denique sententia his verbis exprimitur.

2. **Thesis I. Cives strictissimo naturae officio tenentur obedientiam praestare legitimis superioribus.**

Prob. «Homines in civili societate vivere natura jubet, seu verius auctor naturae Deus: quod perspicue demonstrant et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas et innatae appetitiones animi perplures, et res necessariae multae ac magni momenti, quas solitarii assequi homines non possunt, juncti et consociati cum alteris assequuntur. Nunc vero, neque existere, neque intelligi societas potest, in qua non aliquis temperet singulorum voluntates ut velut unum fiat ex pluribus, easque ad commune bonum recte atque ordine impellat: vo-

luit igitur Deus ut in civili societate essent qui multitudini imperent»[1]. —Imperium autem in superiore subjectionem in subditis expostulat, nec unum, altero destructo, concipitur; sunt enim correlativa. Cum ergo auctoritas legitime constituta jus habeat ferendi leges in publicam salutem strictisimum officium civibus incumbit illas fideliter observandi, proinde parere tenentur justis superiorum decretis.

3. **Thesis II. Cives subjici debent legitimis superioribus, juste et honeste imperantibus, non solum propter iram aut timorem vindictae, sed etiam propter conscientiam.**

Hujus ratio est obediendi necessitas ad bonum commune servandum. Unde effatum illud, *Legitimis superioribus juste praecipientibus obtemperandum est,* jure naturae praescribitur.

Porro tanta est in societate obediendi necessitas ut, quemadmodum apte notaverat *Leo XIII,* «etsi homo arrogantia quadam et contumacia incitatus frenos imperii depellere saepe contendit, nunquam tamen assequi potuit ut nemini pareret. Praeesse aliquos in omni consociatione hominum et communitate cogit ipsa necessitas; ne principio vel capite, a quo regatur, destituta societas dilabatur et finem consequi prohibeatur, cujus gratia nata et constituta est»[2]. Imo in ipsa utopica Socialistarum republica absurdam plane futuram fore omnium, quam fingunt, aequalitatem, nemo non videt. Neque enim ordo subsistere ullo modo potest quin magistratus vel alii principum vicesgerentes multitudinem dirigant et ad recte operandum impellant.

5. **Thesis III. Una illa hominibus causa est non parendi, si quid ab iis (principibus) postuletur quocum naturali aut divino jure aperte repugnet**[3].

Prob. Omnia enim, inquit ipsemet Pontifex, in quibus naturae lex, vel Dei voluntas violatur, aeque nefas est imperare et facere. Si cui igitur usu veniat, ut alterutrum malle cogatur, scilicet aut Dei aut principum jussa negligere, Jesu Christo parendum est reddere jubenti *quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo*[4], atque ad exemplum

---

1 Leo XIII *Diuturnum* «Quapropter obedientiam abjicere, et per vim multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen majestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae» *Immortale Dei.* «Legitimis principibus obedientiam detrectare imo et rebellare licet». *Syllab.*, prop. 63.

2 *Diuturnum*, in principio.

3 Leo XIII, *Diuturnum.*

4 Math. XXII, 21.

Apostolorum animose respondendum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* [1]. Neque tamen est cur adjecisse obedientiam, qui ita se gerant, arguantur; etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, justitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi justitia non est, nulla est» [2].

Haec conclusio viam sternit alteri gravissimae quaestioni, de resistentia legibus injustis et consequenter ipsi tyranno; de qua tamen in sequenti §.

§ 2

DE RESISTENTIA CONTRA TYRANNUM [3].

Summa rerum. 1. *Notio tyranni et quot ad tyrannidem requirantur.* 2. *Resistentia quid et quotuplex.* 3. *Status quaest.;—certa a dubiis secernuntur; tyrannus regiminis et tyrannus usurpationis.* 4. *Expendenda circa tyrannum usurpatione.* 5. *Probantur assertiones.* 6. *Tituli quibus tyrannus usurpatione jus ad auctoritatem acquirere potest.* 7. *De tyranno regimine.—Status quaest.* 8. *Primum quaesitum;— duplex sententia extrema. Scholasticorum theoria.* 9. Thesis I-VI. Prob. 10. *Alterum quaesitum.—De occisione tyranni.—Errores.* 11. *Regula generalis.* 12. Thesis I-IV. 12. *Vindicatur Ecclesia Catholica.—Probatur assertum.--Notanda in sententiam Joan. de Mariana.*

1. Quamvis hoc nomen τύραννος ex priori sui significatione principem plenam habentem potestatem in subditos designaret, nihilominus jam pridem in pravum sensum usurpatum est ad illum principem significandum, qui commodum proprium bono communi praeferens, pro-

1 *Act.* V, 29.

2 *Diuturnum.* Cfr. Balmes, *El Protest.*, c. 54. Audiamus S. Augustinum egregie disserentem: «*Qui resistit potestati Dei ordinationi resistit.* Sed illud jubeat, quod non non debeas facere? Hic sane contemne potestatem timendo potestatem; ipsos humanarum rerum gradus advertite. Si aliquid jusserit curator, nonne faciendum est? Tamen si contra proconsulem jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Nec hinc debet minor irasci, si major praelatus est. Rursum, si aliquid ipse proconsul jubeat et aliud jubeat imperator, numquid dubitatur. illo contempto, isti esse serviendum? *Ergo si aliud imperator et aliud Deus*, quid judicatis? Solve tributum, esto mihi in obsequium. Recte, sed non in idolio prohibet. *Quis prohibet? Major potestas.* Da veniam, tu carcerem, ille gehennam minitatur», *Serm.* LXII, (alias *de verbis Domini* VI), n. 13, tom. V col. 518.

3 Cfr. Victoria *Relect. de potest. civ.*; González, *Estudios*, lib. VI, c. XI; Rosselli, *Ethica*, q. ult. a. 5; Ferretti, n. 444 et seqq.; Thorel, cuest. VI, § 3.°-6.°; Meyer, loc. cit. c. IV, a. 2 et 3; Audisio, lib. III, tit. IV.

pria arbitria vi imponit vel injustis legibus populum opprimit. Tria ergo simul ad tyrannidem concurrere videntur: 1) ex parte intentionis, quod princeps qui dicitur tyrannus propriam utilitatem cum detrimento publicae salutis quaerat; 2) ex parte motivi, quod sola voluntate et animi libidine, non ratione, ad imperandum moveatur; 3) ex parte executionis, quod vim vel violentiam inferat ad dominandum.

2. **Resistentia** in genere est oppositio activitati alterius. Est duplex *activa* et *passiva*. Passiva moraliter idem est ac inobedientia. Activa duplex quoque distinguitur: *non violenta*, quae libris, pacatis manifestationibus, publica civium subscriptione, etc, legibus injustis et principum violentiis opponitur; et *violenta seu armata*, quae vim physicam infert ad avertendam tyrannidem.

3. **Status quaestionis.** Ut expedite punctum controversiae definiamus sequentia tanquam certa sunt a quaestione separanda: 1) nedum licitam sed praeceptam esse resistentiam *passivam* legibus *aperte* injustis, quae bono divino opponuntur; 2) in iis, de quorum justitia *dubium judicium* effertur, praesumptionem stare pro superiore; ergo, dum non constet certo de injustitia praecepti, subditi obedire tenentur superiori; 3) civibus licere resistentiam *activam non violentam* opponere legibus manifeste injustis; 4) a culpa non esse immunes qui legibus justis tum passive tum maxime active resistunt.

Quaestio ergo restringitur ad *resistentiam activam armatam seu violentam* contra leges *evidenter* injustas per oppositionem ad bonum divinum vel ad bonum commune societatis, proindeque in disputationem venit *an populus possit insurgere contra tyrannum eumque regno quoque privare vel etiam occidere*. Quaestio salebrosissima, ut patet, in cujus solutione cautissime et pedetentim procedere oportet; res est enim plena periculis. Quamobrem haec ipsamet quaestio est iterum dividenda.— Nam tyrannus communiter distinguitur in tyrannum *usurpationis* et tyrannum *regiminis*. Tyrannus *usurpatione* seu *tituli* ille nuncupatur qui quocumque modo illicito assequutus est principatum. Tyrannus autem *regiminis*, qui justo quidem titulo potestatem possidet, sed per leges aperte injustas populum gubernat.

4. **De tyranno usurpatione.** Ut hanc quaestionem plene, breviter tamen, absolvamus, sequentia necessario sunt expendenda: 1) an respublica possit vi armata non tantum usurpatorem repellere, sed eum quoque, data occasione, occidere; 2) an, usurpatione consummata, cives teneantur obedire legibus ab usurpatore latis; 3) a quo, vel undenam, vim obligandi accipiant hujusmodi leges; et 4) possitne tyrannus evadere legitimus princeps et quo titulo.

Quoad I quaesitum, tyrannus potest et debet considerari

a) in ipso actu aggressionis, cum per rebellionem principem legitimum regno privare conatur; et *b) post actum usurpationis,* quando scilicet, jam assequutus est principatum.

a) **In ipso actu usurpationis** denegari non debet tum legitimo principi tum ipsi reipublicae *jus* defensionis; nam si licet individuis injustum invasorem violentia repellere in ipso actu aggressionis, id a fortiori licet reipublicae. Idcirco 1) *in actu belli* legitimus princeps *potest,* 2) respublica non tantum potest sed *debet,* servato moderamine inculpatae tutelae, usurpatorem repellere vel etiam occidere, si aliter cohiberi non possit; id enim exigunt fidelitas legitimo principi debita et bonum commune seu mala ingentia avertenda per usurpatoris occisionem; 3) id ipsum quoque licet cuilibet subdito, non tamen *privata,* sed *expressa* vel *tacita principis auctoritate.* Quo sensu dicit ***Angelicus:*** «Quando aliquis dominium sibi per violentiam surripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, et quando non est recursus ad superiorem per quem judicium de invasore possit fieri; tunc qui, ad liberationem patriae tyrannum occidit, laudatur et praemium accipit» [1].

Consulto diximus, *servato moderamine inculpatae tutelae.* Nam 1) si datur recursus ad superiorem, per quem judicium de invasore possit fieri, ut loquitur ***S. Thomas,*** vel 2) usurpatoris exilio, incarceratione aut alia mitiori poena, mala futura societatis efficaciter praecaventur et pax publica satis tutatur, reipublicae non licet tyrannum aggresorem occidere, cum non possit uti majori vi quam sit neccessaria ad injustam aggressionem propulsandam.

b) **Usurpatione consummata** 1) tum legitimus princeps, tum ipsa respublica jus habent, absolute loquendo, tyrannum a regno expellendi. Nam ut recte docet ***Angelicus:*** «Qui per violentiam dominium surripit, *non efficitur vere praelatus vel dominus;* et ideo cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere: nisi forte postmodum dominus verus effectus sit, vel per consensum subditorum vel per auctoritatem superioris» [2]. 2) Potest quoque legitimus princeps subditos ad arma vocare et bellum movere contra tyrannum ad jus suum repetendum, quia facta consummata, eo quod consummata sunt, nullam vim juris habent, nec jus in materiali facto consistit; 3) nihilominus si in legitimi juris repetitione spes probabilis successus non affulgeat et graviora mala ex bello contra tyrannum reipublicae immineret, juris exercitium suspendendum foret et tyrannus patienter sufferendus; nam rex est propter populum; ergo, cum salus publica periclitatur verus et legitimus princeps tenetur jus suum in casu praetermittere ad po-

1 II *Sent.,* Dist. XLIV, q. II, a. 2 ad 5.

2 loc. cit. a. 2, in corp. Cfr. Salmantic. *Compend.,* Trat. XVI, c. un., n. 39 et 40.

puli salutem conservandam, licet jus ad regnum propter hoc nullatenus amittat.

Ad II quaesitum dicendum quod, si usurpator jam potitur imperio, cives tenentur obedire ejus decretis in bonum commune; id tamen non impedit quominus legitimum principem ad tyrannum e regno expellendum adjuvent, si spes adsit probabilis exitus et majora mala non sint reipublicae timenda.

Ratio prioris est quia, ut accurate notat ***Franciscus Victoria,*** «cum Respublica opprimatur a tyranno et non sit sui juris nec possit ipsa ferre leges, nec jam antea datas exequi, si non pareret tyranno, jam Respublica interiret. Certe videtur quod leges, *quae sunt convenientes Reipublicae,* obligent, etiamsi ferantur a tyranno; non quidem quia a tyranno latae, sed ex consensu Reipublicae, cum sanctius sit, ut serventur leges a tyranno latae quam quod nullae serventur. Et certe esset in apertam perniciem Reipublicae, si principes, qui non habent justum titulum, occuparent regnum, quod nulla essent judicia, nec aliquo modo possent malefactores puniri, aut coerceri, cum non sit tyrannus judex legitimus, si leges ejus non obligant»[1]. Ratio alterius est quia per usurpationem legitimus princeps non amittit jus ad regnum[2].

III quaesitum. A quo vim obligandi accipiant leges ab usurpatore in bonum commune constitutae non est una omnium philosophorum sententia. Veteres communiter cum *Victoria* affirmant tyrannum nullam habere potestatem, proindeque vim obligandi, qua pollent leges ab eo latae in bonum commune, ab ipsa republica, quae rata habet usurpatoris decreta, promanare. E contra, plurimi recentiores distinguentes *jus auctoritatis* et *jus ad auctoritatem,* quamvis posterius usurpatori denegent, docent nihilominus ipsam auctoritatem de facto et habitualiter eidem competere, ab eaque tanquam a propria causa legum obligationem, usurpatione consummata, descendere. Nam auctoritas, jus scilicet *reale*, qua constat societas quaeque post actum usurpationis aut nullibi reperitur, aut a tyranno, quamvis injuste, possidetur, proprio effectu, qui est obligare, non destituitur.

---

1 *Relect. De potestate civili*, n. 23.

2 Praefatam responsionem confirmant sequentia verba Leonis XIII (*Inter gravissimas*): «Cum nova Regimina quae hanc immutabilem potestatem repraesentant, reipsa constituta sunt, eadem cives sponte subire non modo haud vetantur, verum etiam ob communis boni necessitatem, cujus causa exorta sunt et perstant, omnino jubentur. Praesertim vero quum populorum rebellio odium inter cives acuat, civilia bella excitet, Nationemque ipsam in Anarchiae chaos dejicere possit. Hoc autem magnum observantiae et submissionis officium eatenus perseverabit, quatenus id communi boni necessitas exigit; quod quidem publicum bonum apud Deum et in humana societate prima atque ultima lex est».

Nobis autem probabilius videtur usurpatorem, quoadusque fiat verus et legitimus dominus, nullam habere potestatem ad cogendos cives ut legibus ab eo latis obediant; sed potestatem, qua leges saluti reipublicae necessariae et ab eo constitutae cives obligant in conscientia, ex necessitate tantum boni communis, vel si mavis, ex consensu et ratihabitione tacita reipublicae dimanare. Quia non tantum jus ad auctoritatem sed neque ipsam auctoritatem proprie dictam possidere potest qui est illegitimus princeps; nam quemadmodum leges injustae non sunt vere leges, ita nec auctoritas legitimo titulo destituta verum continet jus, seu non est auctoritas. Nec est ratio cur tribuamus usurpatori jus auctoritatis cum adsit verus dominus qui, etsi expulsus, rata nihilominus habet, ut supponitur, usurpatoris decreta in bonum commune constituta, vel ipsa societas ad quam devolvitur auctoritas quoties legitimo principe privatur [1].

5. **Quaeritur IV. An qui per violentiam, vel alio modo illicito, principatum obtinuit, possit evadere legitimus princeps.**

Quaestio procedit in hypothesi quod nulla jam principis expulsi certa spes affulgeat nec respublica ulterius resistere valeat usurpatori. Praescindimus quoque nunc a modo, titulo, tempore etc., quo tyrannus usurpatione jus ad auctoritatem consequatur.

Quibus praemissis certo tenendum est *a)* usurpatorem posse legitimum principem fieri; *b)* officium quoque reipublicae incumbere illum ut talem habendi.

Nam primum quod attinet, ratio ipsa demonstrat et lugenda experientia testatur publicam securitatem diu perdurare non posse, sed continuo in discrimen vocari, dum populus principem tanquam usurpatorem considerat vel de ejusdem legitimitate disputat. Tunc enim cives in plures factiones saepe dividuntur, imo et ejusdem familiae membra non raro inter se bello civili digladiantur. Hujus itaque principii negatio societatem ipsam in interitum deduceret.

Alterum autem evidens est. Nam in violenta legitimi principis expulsione publicus civitatis ordo ab imis usque fundamentis, ut plurimum, subvertitur et Anarchia dominatur. Tunc ergo quaedam socialis necessitas Nationi imponitur; ipsa sibi cogitur sine mora consulere, ut pereleganter loquitur *Leo XIII.*—«Cur, inquam, jus illi non erit, imo

---

1 Confirmatur auctoritate S. Th. dicentis: «principibus saecularibus in tantum homo obedire tenetur, in quantum ordo justitiae requirit. Et ideo si non habent justum principatum, sed usurpatum, vel si injusta praecipiant, non tenentur eis subditi obedire; nisi forte per accidens, propter vitandum scandalum vel periculum». II-II, q. CIV, a. 6, ad 3.

potius officium ab hujusmodi rerum statu, qui eam adeo graviter perturbat, sese subtrahendi, pacemque publicam in pristinam ordinis tranquillitatem restituendi? Iam vero ista socialis necessitas novi Regiminis constitutionem atque existentiam justam comprobat, quamlibet demum formam assumat; quoniam in hypothesi, in qua versamur, haec nova Regimina ordini publico restituendo interim necessario requiruntur, quum nullus ordo publicus sine aliquo civili Regimine consistere nequeat»[1]. Ergo tyrannus usurpatione potest evadere legitimus princeps, necessario tamen *ob justum aliquem titulum*.

6. **Tres autem recensentur tituli** quibus alicujus regni usurpatores jus ad auctoritatem adquirere possunt. I. *Justa legitimi principis abdicatio*. Dicitur *justa;* nam si in legibus fundamentalibus regni cautum fuerit ne legitimus princeps absque reipublicae consensu suam auctoritatem alteri cedat, vel princeps electione determinetur, libera ejus, qui e solio deturbatus est, abdicatio nullum jus confert usurpatori. *II. Populi consensus tacitus vel expressus transferendi jura potestatis in usurpatorem* post legitimi principis ejusque heredum mortem. Iis enim vita functis, quibus cura boni communis jure commissa fuerat, si populus tacite vel aperte consentit ut suprema potestas in usurpatore remaneat, is legitimus princeps evadit, quia in hac hypothesi potestas determinandi subjectum ad populum devolvitur eique solummodo competit. *III. Publica salus civitatis,* quae saepissime necessariam atque justam reddit usurpatoris permanentiam in throno ut bella civilia, immanes violentiae et gravissimi reipublicae concussus aliquando cessare valeant.

Disputant denique auctores an **diuturna regni possessio jus ad auctoritatem conferat usurpatori.**

Recentiores communiter docent politicam potestatem posse post longum temporis lapsum ita praescribere ut, quamvis initio injuste ab usurpatore possideretur, non amplius illegitima censeatur. Nihilominus *a)* sola diuturnitas possessionis nequit verum titulum fundare ad retinendum usurpatum dominium; *b)* diuturna vero et continuata regni possessio, una cum necessitate boni communis expostulante et quasi consecrante exercitium usurpatae potestatis, per se plane sufficit ut tyrannus legitimus princeps evadat.

Primum patet, quia ad praescriptionem requiritur bona fides, quae in casu nostro desideratur. Alterum vero, quia bonum commune suprema lex, cui obedire tenentur ipsimet principes expulsi.—Vix autem ulla dynastia secura consistere posset Natioque violentis crisibus fre-

1 *Inter gravissimas.*

quenter concuteretur, si potestas politica nunquam praescribere et de principum legitimitate post longam regni possessionem posset disputari.

Fatemur quidem hujusmodi praescriptionem, reclamante legitimo principe, nunquam firmari, nec ipsam, expulso vivente, si spes adsit thronum recuperandi, usurpationem consecrare. Unde diuturna possessio raro vel nunquam *primo usurpatori*, ut verus dominus fiat, suffragatur. Verumtamen, si aliqua dynastia pacifice per plures annos (quot? difficile determinari potest) imperio potiatur, ob gravissima, quae ex mutatione regiminis exoriuntur, mala, idcirco propter bonum commune, demortuo vel non reclamante legitimo principe, illi favet abs dubio diuturna possessio.

7. **De tyranno regimine.** Ex dictis abunde constat 1) non esse prohibitum vim physicam adhibere adversus tyrannum usurpatione seu tituli, «quia tyrannus ille aggressor est, et inique bellum movet contra rempublicam et singula membra, unde omnibus competit jus defensionis», ut docet *Suarez*[1] post *Cajetanum*[2]; 2) resistentiam passivam legibus manifeste injustis et naturali aut divino juri aperte repugnantibus nedum licitam sed aliquando quoque praeceptam esse, «nam, ut loquitur *Bellarminus*, quando jus divinum et jus humanum pugnant debet servari jus divinum, omisso humano»[3]; 3) jus pariter inesse reipublicae protestandi, appellandi et similia media *non violenta* adhibendi contra tyrannum regimine. Quid autem si hujusmodi remedia prorsus inefficacia reperiantur ad coercendam principis tyrannidem? Quid si duriora in dies contra subditorum bonum meditetur et, non obstantibus populorum inclamationibus, magis desaeviens, reipublicae ruinam minitaret? Licitumne erit *per resistentiam armatam* tyrannum regimine exauctorare vel etiam occidere? En quaestio.

Sed quia jus deponendi principem sua potestate abutentem non infert necessario jus ad ipsum occidendum, utrumque sejunctim oportet in disputationem vocare. Quaerendum est ergo: ***I. An tyrannus regimine possit per vim multitudinis sua auctoritate privari: II. An liceat quandoque ipsum occidere.***

8. **Primum quaesitum.—Duplex sententia extrema.** Perplures Protestantes et cuncti illi philosophi qui post *J. J. Rousseau* omnem auctoritatem a populo tanquam ab unico fonte descendere autumant, arbitrantur

1 Disp. XIII, *De bello*, Sect. 8.
2 In II-II, q. LIV, a. 1 ad 3.
3 *De Rom. Pontif.*, lib. V, c. VII.

pariter populum, cujus mandato principes potestatem gerunt in civitate, posse non solum tyrannos regimine sed legitimos quosque dominos pro libito deponere. Eorum enim effatum est: potestatem, universali suffragio principibus demandatam, esse ad nutum populi revocabilem; licere proindeque legitimis superioribus obedientiam detrectare imo rebellare.—Alii e contra docent cum *Hobbessio*, *Hegel*, *Stockl*, multitudinem nunquam posse principem aliquem etiam tyrannum jure regendi spoliare, cum in principem nullam auctoritatem habeat, nec in societate sit aliquis principe superior, a quo judicari et deponi possit.

Scholasticorum theoria. Hujus implicatissimae quaestionis non una simplicique formula veritas plena continetur; paucis tamen comprehendere liceat summam doctrinae quam *Scholastici*, egregie quidem, sed fusiori calamo, pertractarunt. Sint ergo theses

9. I.ª *Tyrannus regimine, qui acceptam potestatem in perniciem et destructionem vertit reipublicae, ea privari meretur.* Per se patet.

II.ª *Nihilominus per abusum potestatis non amittit, ipso facto, jus ad eamdem potestatem habendam.* Nam abusus juris non tollit jus. Opposita doctrina in damnum vergeret societatis essetque foecundum perduellionum caput.

III.ª *Cum tyrannus regimine temere et ultra modum opprimit subditos, juris efficacia suspenditur in casu et leges injustae non obligant,* ut supra dictum est.

Sed ulterius quaeritur: possuntne subditi ad avertendam tyrannidem insurgere et principem regno privare?

IV.ª «*Si non fuerit excessus tyrannidis, utilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus quam, contra tyrannum agendo, multis implicari periculis, quae sunt graviora ipsa tyrannide*». Ita *S. Thomas.*

Rationem praebet ipsemet *S. Doctor.* «Potest enim contingere, inquit, ut qui contra tyrannum agunt, praevalere non possint et sic provocatus tyrannus magis desaeviat. Quod si praevalere quis possit adversus tyrannum, ex hoc ipso proveniunt multoties gravissimae dissensiones in populo, sive dum in tyrannum insurgitur, sive post dejectionem tyranni erga ordinationem regiminis multitudo separatur in partes.—Contingit etiam ut interdum dum alicujus auxilio multitudo expellit tyrannum, ille potestate accepta tyrannidem arripiat, et timens pati ab alio quod ipse in alium fecit, graviori servitute subditos opprimat»[1].

---

1 «Sic enim in tyrannide solet contingere, ut posterior gravior fiat quam praecedens, dum praecedentia gravamina non deserit, et ipse ex sui cordis malitia nova excogitat: unde Siracusis quondam Dionysii mortem omnibus desiderantibus, anus quaedam ut incolumis et sibi superstes esset continue orabat: quod ut tyrannus cognovit, cur hoc faceret interro-

V.ª *Si sit intolerabilis excessus tyrannidis,* sequentes fieri possunt hypotheses: *a)* «Si ad jus alicujus superioris pertineat multitudini providere de rege, expectandum est ab eo remedium contra tyranni nequitiam.—Sic Archelai, qui in Judaea pro Herode patre suo regnare jam coeperat, paternam malitiam imitantis, Judaeis contra eum querimoniam ad ***Caesarem Augustum*** deferentibus, primo quidem potestas diminuitur, ablato sibi regio nomine et medietate regni sui inter duos fratres suos divisa; deinde cum nec sic a tyrannide compesceretur, a ***Tiberio Caesare*** relegatus est in exilium apud Lugdunum Galliae civitatem».

b) «Si ad jus multitudinis alicujus pertineat sibi providere de rege, non injuste ab eadem rex institutus potest destitui, vel refrenari ejus potestas, si potestate regia tyrannice abutatur.—Nec putanda est talis multitudo infideliter agere tyrannum destituens, etiamsi eidem in perpetuo se ante subjecerat; quia hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se non fideliter gerens, ut exigit regis officium, quod ei pactum a subditis non reservetur. Sic Romani ***Tarquinium*** superbum, quem in regem susceperant, propter ejus et filiorum tyrannidem a regno ejecerunt, substituta minori, scilicet consulari, potestate» [1].

c) Si princeps non determinetur reipublicae electione nec auctoritate superioris et tyrannis sit evidens et excessiva, non improbabiliter populo conceditur jus eum deponendi, aut *vi superioritatis,* quia «tunc tota Respublica superior est Rege: nam cum ipsa dederit illi potestatem, ea conditione dedisse censetur ut politice, non tyrannice regeret, alias ab ipsa posset deponi», ut docet ***Suarez***[2] cum communi veterum Scholasticorum sententia; vel saltem *ratione boni communis;* quia si tyrannus legibus injustis adeo in subditos desaeviat ut sacratiora eorumdem jura conculcare audeat et societatis fundamenta subvertat, lex naturae, quae superior est omni humana regia vel imperiali potestate, Reipublicae confert ea jura quae necessaria sunt ad publicae salutis conservationem. Posset ergo bello insurgere contra ejusmodi tyrannum, cum nullum aliud medium efficax superesset ad ipsum coercendum.

Nota bene. Prae oculis habeat optimus candidatus, cui praecedens solutio audax nimis et periculosa videatur, hujusmodi bellum *non esse*

gavit. Tum illa, puella, inquit, existens, cum gravem tyrannum haberemus, mortem ejus cupiebam, quo interfecto, aliquantulum durior successit; ejus quoque dominationem finiri magnum existimabam, tertium te importuniorem habere coepimus rectorem; itaque si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedet». *De reg. princip.*, lib. I, c. VI.

1 S. Th., ib. Véase la obra cit. del ab. Roques, Confer. III.

offensivum sed *defensivum*. Si ergo cuilibet individuo licitum est vim vi repellere, cur id reipublicae non licebit? - Porro eam vim inferendam conceditur aggresso, quae necessaria fuerit ad sui defensionem. Ergo.

Nec excitatur proprie dicta seditio. «Regimen tyrannicum, inquit *S. Thomas*, non est justum, quia non ordinatur ad bonum commune, sed ad bonum privatum regentis, ut patet per Philosophum; et ideo perturbatio hujus regiminis non habet rationem seditionis, nisi forte quando sic inordinate perturbatur tyranni regimen, quod multitudo subjecta majus detrimentum patitur ex perturbatione consequenti quam ex tyranni regimine; *magis autem tyrannus seditiosus est*, qui in populo sibi subjecto discordias et seditiones nutrit, ut tutius dominari possit; hoc enim tyrannicum est, cum sit ordinatum ad bonum proprium praesidentis cum multitudinis nocumento» [1].

d) «Si omnino contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad regem omnium, Deum, qui est adjutor in opportunitatibus et in tribulatione. Ejus enim potentiae subest ut cor tyranni crudele convertat in mansuetudinem, secundum ***Salomonis*** sententiam (Prov. XII): *Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit inclinabit illud*. Ipse enim regis Assueri crudelitatem, qui Judaeis mortem parabat, in mansuetudinem vertit.....».

«Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati divina permissione impii accipiunt principatum, dicente Domino per Oseam XIII: *Dabo tibi regem in furore meo*, et in Job XXXIV dicitur quod *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Tollenda est igitur culpa, concludit ***Angelicus***, ut cesset tyrannorum plaga» [2].

VI.[a] Denique, *subditis non licet auctoritate privata insurgere contra tyrannum, nisi in ipso actu injustae aggressionis*.

Ratio prioris est, quia nullus inferior potest judicium auctoritativum exercere in legitimum superiorem eumque sibi subjicere. Tyrannus autem regimine, etsi potestate abutatur, manet verus et legitimus superior, nisi talis fuerit potestatis abusus ut penitus destruat titulum quo exclusive nititur ejusdem imperandi potestas, tunc enim, amisso titulo, jus quoque ad auctoritatem amittit. Actum insuper esset de publica salute et civium tranquillitate si cuilibet privato competeret jus movendi bellum contra tyrannum.

Posterius constat, quia in actu physicae et injustae aggressionis tyrannus non se habet ut verus et legitimus dominus, subditus quoque jus habet ad vitam membrorumque integritatem; cum ergo tyrannus graviora mala contra subditorum bonum molitur, possunt hi

1 II-II, q. XLII, a. 2 ad 3.
2 *De reg. Princip.*, loc. cit.

per vim armatam aggressionem repellere proindeque tyranno ejusque satellitibus physice et active resistere.

10. **Alterum quaes.—De occisione tyranni.—Errores.** Quamquam Ecclesia Catholica ab ipso suae per orbem diffusionis exordio jugiter commendaverit obedientiam legitimis principibus debitam, non defuere philosophi, praesertim a saeculo XIV, qui sua auctoritate *tyrannicidium* consecrarunt. Sic *Joan. Salisburiensis* (1110?-1180), episcopus Carnutensis, omnem vim adhibere licitum esse docuit, non tantum populo, sed cuilibet civi ad expellendos occidendosque tyrannos. Hanc pestiferam doctrinam longe lateque divulgarunt per *Angliam Wiclef* (1320-1380) ejusque gregales. Paulo post, circa an. 1407, *Joan. Petit*, theologus Parisiensis, ut *Ludovici Aurelianensis* occisionem per *Joan. Burgundum* causatam legitimaret, acerrime propugnavit eamdem sententiam. Dein, *Lutherus, Melanchthon, Zuinglius, Bucerus, Calvinus, Knox, Jurieu, Joan. Bodin, Thomasius*, aliique Protestantes, iram effrenatae multitudinis in principes verbo et scripto excitantes, tyrannicidium non semel adprobarunt. Quemlibet subditum posse proprio arbitratu et etiam per insidias tyrannum occidere, Parlamentum et Universitas Parisiensis quondam opinati sunt ut licitam et laudabilem ostenderent occisionem *Henrici III* per fratrem *Jacobum Clementem*. Denique ex recentioribus nonnulli cum *Ahrens, Bluntschli, Möhl, Paulsen, de Wette*, universim vero, Anarchistae, Nihilistae et secta Massonica tenent licere tyrannicidium.

11. **Regula generalis.** Ethicum effatum est *neminem posse majorem vim alteri inferre quam necessaria sit ad injustam aggressionem repellendam.* Alterum principium certissime retinendum his concipitur verbis: *Nefas est mortem alterius unquam intendere.*—Cum ergo Jus ab Ethica separari non liceat, ne illud *amorale* dicamus, haec ipsamet principia in praesenti quoque materia vigent. Hinc

12. **Thesis I. Si excessiva tyrannis sola principis depositione moderari possit, Respublica nequit severiorem poenam, seu mortem infligere.** Patet ex dictis.

Thesis II. Illicitum omnino est privata auctoritate tyrannum occidere.

«Hoc enim, inquit egregie *S. Thomas*, esset multitudini periculosum et ejus rectoribus, si privata praesumptione aliqui attentarent praesidentium necem etiam tyrannorum. Plerumque enim hujusmodi periculis magis exponunt se mali quam boni. Malis autem solet esse grave dominium non minus regum quam tyrannorum, quia secundum

sententiam *Salomonis: Dissipat impios rex sapiens.* Magis igitur ex hujus praesumptione immineret periculum multitudini de amissione regis, quam remedium de subtractione tyranni» [1].

Thesis III. In actuali injusta aggressione cuique privato licitum est propriam defondere vitam etiam cum occisione tyranni invasoris, servatis servandis.

Nam in injusta aggressione datur collisio jurium, jus scilicet in injuste invaso salvandi propriam vitam cum jure in injusto aggressore conservandi quoque vitam suam. Atqui nemo tenetur plus prospicere vitae alienae quam suae [2]; ergo invasus potest, per se loquendo, propriam vitam salvare etiam cum occisione injusti invasoris. Adde quod injustus invasor, dum voluntarie sese exponit gravissimo periculo perdendi vitam, quodammodo jus amittit ad illam [3].

Thesis IV. Quamvis Respublica nequeat bellum offensivum indicere, ea praesertim intentione ut tyrannum regimine expellat, vel mortis supplicio afficiat, potest nihilominus in justa sui defensione eum occidere, servato moderamine inculpatae tutelae.

Primum constat ex natura belli offensivi, quam infra describemus: alterum necessario infertur ex praecedenti conclusione.

Haec *speculative* loquendo, ut animadvertunt Doctores, *practice* vero majora mala, gravioresque perturbationes ordinarie sequuntur ex occisione tyranni quam ferat ipsa excessiva tyrannorum saevitia [4]. Quamobrem *utilius* erit patienter eam tolerare.

---

1 *De reg. Princip.*, lib. I, c. VI. Cfr. Salmantic., *Compend., Tract* XVI, c. *unic., punct.* IV. Quam immerito D. Huerta in suo *Dictamen Fiscal sobre el restablecimiento de la Compañía de Jesús en España*, año 1815, D. Thomae adscripserit doctrinam de liceitate regicidii vide apud Gonzalez, *Estudios*, loc. cit.

2 D. Th. II-II, q. LXIV, a. 7.

3 «Sicut licet resistere latronibus ita licet resistere in tali casu (quo aliquis injuste damnetur ad mortem) malis principibus, nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur». D. Th., II-II, q. LXIX, a. 4.

4 In hoc sensu intelligendi sunt Salmanticenses dum reprobant cum doctissimo Soto liceitatem occisionis injusti invasoris, si nic fuerit Rex. «Rex enim, inquiunt, aut supremus Princeps est toti regno valde utilis et necessarius, licet aliquando forte deficiat a justitia, sequereturque ex ejus occisione maxima perturbatio, cum qua non licet resistere principibus etiam malis, ut docet D. Th.» *Compend.*, Tract. XIX, c. I, Punct. XXVII. —Oigamos al P. Márquez: «Pues qué si el príncipe llegare a hacer fuerza personal sobre la vida del vasallo, y adujese las cosas a estrecho que no se pudiese este defender sin matarle, como hacía Nerón, saliendo de noche por las calles de Roma y acometiendo con gente armada a los que venían seguros y descuidados? Digo que le podría matar en este caso, repeliendo la fuerza, conforme a parecer de muchos, porque lo que dijo Fr. Domingo de Soto,

13. **Vindicatur Ecclesia Catholica.** Cunctis notum est ab ortu Protestantismi frequentiores evasisse subditorum in principes et rectores civitatum rebelliones. Consonant opera doctrinae, semini fructus, consectaria principiis.—Negari quoque non potest Ecclesiam Catholicam ab ipso suae pradicationis initio alte christianis commendasse ut non tantum bonis sed discolis etiam dominis ex animo obedirent quin tamen jura sacratissima libertatemque populorum tueri unquam desiterit.

Verum recentiores Ecclesiae Catholicae hostes eam undique impetunt asserentes nonnulli cum Regalistis theologos catholicos sua doctrina et auctoritate tyrannicidium patrocinasse; quod ut probent in medium afferunt sententiam ***Joannis de Mariana S. J.*** in suo opere *De Rege et Regis institutione.* Alii e contra cum Liberalibus et Socialistis affirmant Ecclesiam Catholicam omnem omnino resistentiam contra tyrannos proscripsisse, caecam obedientiam et absolutam servitutem omni superiori praecipiendo. Sed haec nonnisi odii et calumniandi causa tribui potuerunt Ecclesiae, cum historiae dogmatum palam adversentur.

Prob. assertum Ecclesiae doctrina non ex aliquo doctore particulari, sed ex Conciliorum documentis et ex authenticis Romanorum Pontificum litteris haurienda est. Atqui in Concilio Constantiensi, sess. VIII, damnatur haec propositio: *Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.* Et sess. XV sequens proscribitur doctrina: «*Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vasallum suum, seu subditum, etiam per clancularias insidias, et subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque praestito juramento seu confederatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato judicis cujuscumque*». Novissime vero ***Leo XIII,*** Ecclesiae Catholicae doctrinam exponens, inquit: «Ut populorum rectores potestate sibi concessa in aedificationem et non in destructionem utantur, Ecclesia Christi opportunissime monet etiam Principibus supremi judicis severitatem imminere..... Si tamen quandoque contingat temere et ultra modum publicam a principibus potestatem exerceri, catholicae Ecclesiae doctrina in eos insurgere proprio marte non sinit, ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas majus exinde detrimentum capiat. Cumque res eo devenerit, ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet christianae patientiae meritis et instanti-

---

que estando el vasallo en este aprieto se ha de dejar matar y preferir la vida del príncipe a la suya, solo ha lugar cuando de su muerte se hubiese de seguir grandes turbaciones y guerras civiles en el reino: de otra manera sería grande inhumanidad obligar a los hombres a tanto». *El Gobernador Cristiano*, lib. I, c. VIII, pag. 44 (Pamplona 1615).

bus ad Deum precibus remedium esse maturandum.—Quod si legislatorum ac principum placita aliquid sanciverint aut jusserint quod divinae aut naturali legi repugnet, christiani nominis dignitas et officium atque Apostolica sententia suadent *obediendum* esse *magis Deo quam hominibus*» [1].

Ex praefatis documentis aliisque innumeris testimoniis ecclesiasticis duo liquido apparent: 1) *Ecclesiam Catholicam tyrannicidium*, hoc est, principum occisionem, *privata auctoritate patratum, aperte damnare;* 2) *inde non concludi eam omnem omnino resistentiam contra tyrannos improbare;* nam ut egregie subdit ***Balmesius,*** neque omnes qui tyranno resistunt proprio marte privataque auctoritate in eum insurgunt, neque in omni resistentia mors tyrannorum intenditur [2].

In sententiam Joan. de Mariana, quam regalistae aliique recentiores, inter Ecclesiae Catholicae dogmata ignorantia vel malitia adnumerantes, acriter reprehendunt, sequentia pro rei gravitate animadvertere opportunum duximus: 1) Ecclesiam Catholicam non respondere de singulis theologorum opinionibus, nec eas, quamvis expresse vel tacite non rejiciat, facere suas; 2) praedictum auctorem, alias de historia patria benemeritum, duas, quae tunc circumferebantur opiniones, adjectis in utramque partem argumentis, primo exposuisse [3]; deinde optima sane intentione et maxima cum libertate propriam aperuisse mentem quin tamen nemini vellet eam imponere [4]; 3)

1 *Quod apostolici muneris*, 28 Dec. 1878.

2 La proposición del Concilio de Constanza «¿condena toda especie de insurrección? No. Habla de la *muerte* dada al tirano por un *particular cualquiera;* y no todas las resistencias las hace un simple particular y no en todas las insurrecciones se trata de matar al tirano. Lo que se hace con esta doctrina es cerrar la puerta al asesinato poniendo un dique a un sinnúmero de males que inundarían la sociedad una vez establecido que cualquiera puede por su autoridad propia dar muerte al gobernante supremo..... La iglesia Católica haciendo esta solemne declaración ha dispensado a la humanidad un inmenso beneficio..... Pero si el poder supremo abusa escandalosamente de sus facultades, si las extiende más allá de los límites debidos, si conculca las leyes fundamentales, persigue la religión, corrompe la moral, ultraja el decoro público, menoscaba el honor de los ciudadanos, exige contribuciones ilegales y desmesuradas, viola el derecho de propiedad, enajena el patrimonio de la nación, desmembra las provincias, llevando sus pueblos a la ignominia y a la muerte ¿también en este caso prescribe el Catolicismo obediencia? ¿también veda el resistir?..... También en casos tan desastrosos la Iglesia Católica deja a los pueblos sin esperanza, a los tiranos sin freno? En tales extremos, gravísimos teólogos opinan que es lícita la resistencia, pero los dogmas de la Iglesia no descienden a estos casos» *El Protest.*, c. 56. Cfr. Leo XIII, *Sapientiae Christianae*, ad initium.

3 «De facto monachi non una opinio fuit, multis laudantibus atque immortalitate dignum judicantibus, vituperant alii prudentiae et eruditionis laude praestantes, fas esse negantes cuique privata auctoritate Regem consensu populi renuntiatum sacroque oleo de more delibutum sanctumque adeo perimere, sit ille quamvis perditis moribus atque in tyrannidem degenerarit». loc. cit.

4 Post expositionem suae sententiae, inquit: «Haec nostra sententia est a sincero animo certe profecta, in qua, cum falli possim ut humanus, si quis meliora attulerit gratias habeam».

praeclari theologi sententiam nullo modo tyrannicidium proprie dictum consecrare; ergo nonnisi odii et calumniandi causa Ecclesiae hostes severam illam contra reges sententiam eidem adscribunt. Id colligitur ex toto cap. VI, praesertim autem ex sequentibus in quibus expresse vel tacite auctor supponit *tyranni occisorem habere reipublicae consensum.*

«Si rempublicam, inquit, pessumdat, publicas privatasque fortunas praedae habet, leges publicas et sacrosanctam religionem contemptui..., dissimulandum non est. Attente tamen cogitandum quae ratio ejus principis abdicandi teneri debeat, ne malum malo cumuletur, scelus vindicetur scelere. Atque expedita maxime et tuta via est si publici conventus facultas detur communi consensu quid statuendum sit deliberare; fixum ratumque habere quod communi sententiam steterit. In quo his gradibus procedatur. Monendus imprimis.... Si medicinam respuat neque spes ulla sanitatis relinquatur, sententia pronuntiata, licebit reipublicae ejus imperium detrectare primum, et quoniam bellum necessario concitabitur.... et si res feret atque aliter se respublica tueri non possit, eodem defensionis jure ac vero potiori auctoritate et propria, principem *publicum hostem declaratum* ferro perimere. Eadem facultas esto cuicumque privato qui spe impunitatis abjecta, neglecta salute, in conatum juvandi rempublicam ingredi voluerit....

Roges quid faciendum si publici conventus facultas erit sublata, quod saepe potest contingere. Par profecto, mea quidem sententia, judicium erit, cum Principis tyrannide oppressa republica, *sublato civibus inter se conveniendi facultate, voluntas non desit delendae tyrannidis*, scelera Principis manifesta modo et intoleranda vindicandi, exitiales conatus comprimendi, ut si sacra patria pessumdet publicosque hostes in provinciam attrahat, qui *votis publicis favens* eum perimere tentarit, haudquaquam inique eum fecisse existimabo». Et paulo infra, loquens de decissione Conc. Constantiensi, inquit: «Ac proprie *Joannis Parvi* Parisiensis theologi vanitatem improbare animus erat, *Ludovici Aurelianensis* caedem a *Joanne Burgundo Lutetiae* factam eo commento excusantis quasi tyrannum opprimere fas sit privata auctoritate. *Quod non licet,* praesertim violato juramento, uti ille fecit, neque expectata sententia superioris, si facultas suppetat, videlicet: sic Patres loquuntur»[1]. Ergo liquido apparet *Joan. de Mariana* supponere in eo qui tyrannum occidit mandatum tacitum vel expressum reipublicae; idcirco ejusdem sententiam minime favere regicidio.

1 *De Rege et Regis instit.*, lib. I, c. VI.

DISPUTATIO IV

DE

JURE INTERNATIONALI[1].

Rerum ordo. «Licet unaquaeque civitas, perfecta respublica aut regnum, inquit *Doctor eximius*, sit in se communitas perfecta et suis membris constans, nihilominus quaelibet illarum est etiam membrum aliquomodo hujus universi, prout ad genus humanum spectat; nunquam enim illae communitates adeo sunt sibi sufficientes singillatim quin indigeant aliquo mutuo juvamine et societate ac communicatione, interdum *ad melius esse majoremque utilitatem*, interdum vero etiam *ob moralem necessitatem et indigentiam*, ut ex ipso usu constat. Hac ergo ratione indigent aliquo jure quo dirigantur et recte ordinentur in hoc genere communicationis et societatis. Et quamvis magna ex parte hoc fiat per rationem naturalem, non tamen sufficienter et immediate quoad omnia; ideoque aliqua specialia jura potuerunt usu earumdem gentium introduci». *(De Legibus*, lib. II, c. XIX, n. 9.)

En *societas internationalis*, quae est moralis omnium gentium adunatio, communis utilitatis gratia inita. En pariter *jus internationale*, de quo modo agendum est, primo quidem in genere, deinde in specie.

QUAESTIO I

DE JURE INTERNATIONALI IN UNIVERSUM

Articulus unicus

Notiones

Summa rerum. 1. *Sententiae Doctorum circa extensionem Juris gentium.* 2. *Primi hujus scientiae cultores.* 3. *Stricta notio Juris internationalis.* 4. *Juris internationalis divisio. – Grotii definitio reprobatur.* 5. *Radix et ratio Juris internationalis.* 6. *Juris internationalis existentia demonstratur.* 7. *Officia in specie: naturalia et positiva.* 8. *Horum conditiones ut valeant.* 9. *Disputationis partitio.*

1. Cur praesentem Disputationem de Jure *Internationali*, non autem, ut solet, de Jure *Gentium* inscribimus, dicenda satis ostendunt. Vitare

1 Cfr. S. Schiffini, *Disp. Philos. Mor., Ethica Spec.*, Disp. VI; Audisio, *Juris Nat. et Gent.*, lib. III, tit. XV; Costa Rosseti, *Institut. Ethicae et Juris Naturae*, p. V; Van der Aa, *Praelect. Philos. Scholast.*, Ethica, p. III, c. IV; Meyer, *Jus Nat.*, lib. II; Ferretti,

insuper volumus qu estiones nominales,in quibus dilucidandis plurimi doctores oleum et operam perdunt. Quid autem nomine Juris gentium sit impraesentiarum int lligendum non conveniunt auctores. *Quidam* namque nimis contrahunt, *alii* vero plus aequo ejusdem ambitum extendunt. Illi ea tantum jura et officia quae ex lege naturali necessario et immediate dimanant ad Jus Gentium referunt; posteriores autem internas quoque civitatum relationes eidem adnumerant. *Scholastici* vero ab utrisque plane dissentiunt [1].

2. Frequenter reperimus scriptum apud auctores acatholicos, praesertim Protestantes, scientiam Juris Gentium ***Grotio*** (1583-1645) et ***Puffendorfio*** (1632-1694) ex integro deberi. Sed nihil magis a veritate alienum. Fatemur memoratos doctores plurimum adlaborasse in *methodizanda* Juris Gentium doctrina; at veri Juris Gentium fundatores, a quibus Protestantes plura sine dubio mutuarunt, fuere ***Scholastici,*** praesertim ***Victoria*** (1480-1566), ***Dom. Soto*** (1491-1566), ***Lud. Molina*** (1536-1600), ***Lessius*** (1554-1623), ***Lugo*** († 1660) pluresque alii [2].

3. **Notio stricta.** Jus Internationale, prout a Jure Gentium sensu scholastico accepto distinguitur, externas populorum relationes considerat vigetque solummodo inter diversas nationes seu gentes. Presse ergo definitur: *Complexus jurium et officiorum, quibus populi politice independentes invicem adstringuntur.*

4. **Juris Internationalis divisio.** Porro illa jura et officia a lege naturali legitime et immediate derivari possunt, aut pacto et voluntate populorum statui. Illa ubivis gentium ideo valent quia a ratione ex naturalibus principiis deducuntur *(Jus Internationale naturale),* haec autem non jure naturali, sed moribus vel libera gentium institutione consistunt, vel apud omnes populos (Jus internationale *positivum universale),* vel apud aliquas tantum nationes *(positivum particulare).*

Ergo perperam definitur a ***Grotio*** Jus internationale universim acceptum: *Quod gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi*

---

vol. III, a. V; Lottini, *Philos. Moral.* c. XXIII-XXVI; Bello, *Principios de Derecho Internacional* (notas de D. Carlos Martínez Silva, nueva ed. Madrid 1883), pág. 13-18; Rodriguez de Cepeda, *Elem. de Derecho Natural* lec. 70; José Fernández Prida, *Estudios de Derecho internacional público y privado;* Luis Gestoso, *Curso Elem.de Derecho internacional* (Valencia 1897); Weiss, *Apolog.*, p. IV, Confer. XXVIII.

1 Cfr. Ethica, Disp. IV, q. II, a. 4.

2 Cfr. Bienvenido Comín, *El Cristianismo y la ciencia del Derecho,* c. XXV; Pascual Fiore, *Tratado Elemental de Derecho internacional público* (versión castellana de Alejo García Moreno, Madrid 1894) Introducción. Erroribus scatet et nimis injustus se praebet cum Scholasticis,quibus praeter alia tribuit doctrinam de identitate Ethicae et Juris. Vid. lib. I, c. I; Bello, loc. cit. qui silentio praeterit scholasticos, laudat autem praeter Grotium, Puffendorf, Wolf, Thomasium, Saalfeld, Klüber, Heffter, Ortolan, Reddie, Hautefeuille aliosque; Idem facit Ahrens, Obra cit., pág. 500-513.

accepit[1]. Quia licet sint quaedam relationes libera gentium pactione inductae, v. gr., *tractatus commerciales,* plures tamen aliae jure naturae firmantur. Imo jus internationale positivum vim obligandi nullam haberet, sublato per hypothesim jure naturali. Jus igitur internationale aliud est *naturale,* aliud *positivum*[2].

Utrumque subdividitur in jus *privatum* et *publicum.* Alterum cives, qua tales, primo et per se respicit; alterum vero civitates, iisque mediantibus, subditos considerat. Communiter jus internationale restringitur ad relationes servandas inter gentem et gentem *(jus publicum).*

Denique alia sunt jura et officia populorum tempore pacis, alia bello durante: hinc divisio juris internationalis in jus *pacis* et *belli.*

5. **Radix et ratio juris internationalis** est ipsamet civitas universa quatenus consideratur et est *persona moralis.* Nam sicut in individuo ratione suae personalitatis et independentiae enascuntur jura et officia tum naturalia tum voluntaria relate ad alias personas, ita necessario promanant in societate perfecta, ratione suae personalitatis et independentiae politicae, nonnullae relationes juridicae in ordine ad alias societates. Mutuae vero relationes iuridicae, sive a natura sive ex pacto proveniant, inter diversas nationes existentes ad jus publicum internationale spectant.

6. Ex superiori principio efficax desumitur argumentum ad probandam existentiam juris internationalis tum *positivi,* de qua nemo dubitat, tum *naturalis,* quam Materialistae et Positivistae aperte inficiantur.—Praeterea. Ex jure unius societatis ad vitam, proprietatem et independentiam conservandam, necessario pullulat in aliis societatibus officium naturale pacifice convivendi, quod plura alia officia secum fert. Horum autem complexus jus naturale inter nationes constituit.—Demum nequit non esse naturale praeceptum illud obligans cunctos populos: *pacta sunt servanda,* cum id sit in officio naturae, sine quo vita socialis servari nequit. Sed nationes subsistere non possunt quin pacta sancte serventur. Ergo ea ipsamet pacta quae voluntate fiunt *vim obligandi habent a jure naturae.* Jus igitur naturale viget pariter inter nationes. Errant igitur positivistae recentiores, ***Bierling, Kirchmann, Lasson, Jhering, Hartmann, Paulsen, Cumplowicz, Merkel, Post*** aliique asserentes jura internationalia ab humana voluntate nationumque utilitate unice in suo esse et origine pendere.

7. **Officia in specie.** Officia naturalia ex natura personalitatis moralis, qua societates perfectae donantur, sunt definienda. Generatim

1 *De Jure belli et pacis,* lib. I, § XIV.
2 Cfr. D. Thom. II-II, q. LVII, a. 3.

ergo loquendo, principio illo omnia continentur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et ideo 1) sicut individuus individuum diligere debet, non tamen plus nec quantum seipsum, ita etiam nationes; 2) bona aliarum nationum, vitam, territorium, libertatem et independentiam, famam etc., illaesa servare tenentur; viget enim principium illud morale: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Ea vero, ad quae nulla natio jure naturae praestanda tenetur, *pactis* constituuntur. Pacta vero sunt duplicis generis: *a)* quae versantur circa unitatem et independentiam nationum adversus externorum incursus tutandam et vocantur *foedera* (alianzas), et ea quae pacem et prosperitatem internam respiciunt et dicuntur *contractus* (tratados), v. gr. *commerciales* ad importationem et exportationem mercium, *extraditionis malefactorum*[1], ne crimina impunita remaneant et cetera hujusmodi, de quibus agere ad *oeconomiam politicam* spectat.

8. **Conditiones** in his pactis constituendis sequentes inter alias recensentur: 1) sint justa et honesta; 2) rite inita principis auctoritate; 3) bono communi utilia. *Justa et honesta,* tum ratione materiae, tum praesertim ratione finis, quoniam «juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure vel de facto, nullam obligationem inducit», ut habetur c. 8. *de pactis; auctoritate principis rite inita,* quia ad ipsum spectat cuncto populo obligationem imponere, cujus est rempublicam gubernare; *bono communi utilia,* ne scilicet utilitatem privatam regis, vel alterius tantum nationis, vel quarumcumque personarum intendatur cum damno communi reipublicae.

9. **Disputationis partitio.** His relictis, quae ad jus internationale positivum sive privatum sive publicum spectant, naturales civitatum relationes tum inter se, tum in ordine ad societatem religiosam impraesentiarum expendere oportet. Hinc duplex quaestio: I.ª *De juribus et officiis societatis civilis in ordine ad aliam;* II.ª *De ejusdem juribus et officiis in ordine ad religionem.*

QUAESTIO II

DE JURIBUS ET OFFICIIS INTER SOCIETATES CIVILES

Prologus. Inter plura quae in praesenti quaestione ad examen revocari possunt, tria tantum, brevitati consulentes, seligimus, scilicet: *principium nationalitatum,* alterum quod vocant de *non interventu,* et *justitiam belli.*

---

1 Cfr. Rafael de Gracia Parejo, *Estudio sobre la extradición* (Madrid 1884).

Articulus I

De principio nationalitatum[1]

Summa rerum. 1. *Civitas.—Natio.—Patria.—Status.* 2. *Amor patrius.* 3. *Errores.* 4. *Vindicatur Ecclesia catholica.* 5. *Separatistae.* 6. *Rejicitur principium nationalitatum.*

1. **Civitas** *est perfecta et stabilis plurium familiarum societas habens sufficientia vitae.* Essentialiter importat unionem et independentiam; unionem, et quidem moralem, ut sit *vera* societas; independentiam ut sit *perfecta.* Implicat etiam tanquam partem integrantem, non essentialem, determinatum territorium. Brevius: civitas seu populus est civium multitudo *politice* unita.

Natio definitur: *Eorum associatio qui, ex eisdem proavis orti et intra determinatos confines existentes, eamdem linguam et similem indolem habent.* Requiritur ergo quaedam *communitas* inter eos, quos natio comprehendere debet ut *una* dici merito queat. Huic autem communitati limites determinatos praefigere perquam difficile est; quamdam nihilominus quorumdam ab aliis distinctionem saltem latam et generalem assignare non est omnino impossibile. Praedictam siquidem communitatem constituunt, praeter limites territorii, identitas linguae et morum, similis corporis animique indoles, affinis faciei et cranei configuratio, crinium color, eorumdem laborum per plura saecula participatio et praesertim *identitas historiae, tum politicae, tum religiosae.* Historia namque et traditio nervos nationis constituunt. Sicut civitas est societas politice una, ita natio est plurium familiarum ex eodem stipite procedentium associata multitudo[2].

Patriae nomen a patria potestate desumptum videtur. Igitur ex sua originali significatione implicat necessario quamdam relationem ad familiam; idcirco patriae conceptus, praeter determinatum territorium, supponit unionem moralem civium sanguine conjunctorum. Naturalis patriae evolutio incipit a *domo paterna,* quae, successive crescens per familias ex eodem stipite procedentes, *Provinciam, Regionem* et *Civitatem* efformant, quin haec communitatem relationum cum patre unquam

1 Cfr. Francisco Mateos-Gago y Fernández, *Colección de opúsculos* (Sevilla 1873) t. 1, § VIII y IX, pág. 203 y sig.; Cathrein, *Philos. Mor.*, n. 747 et 748; Willems, *Philos. Mor.* pág. 519; Dalmau y Gratacós, loc. infra cit.

2 «Podemos definir la nacionalidad diciendo que es aquel modo de ser especial propio de una multitud de familias que por razón de su origen común, de su historia y tradiciones se agrupan y distinguen de las demás sociedades civiles». Gratacós, *Ethica,* n. 260.

abrumpant aut solvant, secus ad aliam patriam pertinerent. Est enim patria entitas physico-moralis, seu complexus relationum moralium ad praeteritas parentum leges, mores, institutiones, historiam etc. una cum fixo et determinato territorio a majoribus incolato. Quamobrem tribus ***Nomades*** patriam amoremque erga determinatum territorium nunquam habuerunt.

Ex dictis, patria significat 1.° locum in quo nati sumus et crevimus et primas hujus vitae, saltem usque ad rationis incrementum, impressiones accepimus *(patria minor, patria chica)*; 2.° associationem familiarum ex eodem stipite procedentium et determinatam sedem habentium, eamdem linguam, similemque animi et corporis indolem similesque mores et consuetudines retinentium *(patria grande)*. In sua ergo lata acceptione patria est *ipsamet natio politice unita*, seu cum civitate coincidens.

2. **Amor patrius.** *(Patriotismo)*. Naturalis vel rationalis hominum inclinatio in propriam civitatem dicitur amor patrius. Hujus radix et fundamentum est duplex: *a)* excellentia et perfectiones gentis suae; et *b)* beneficia in civitate percepta. Altiorem autem radicem si quaeras in *propriae personalitatis domusque paternae extensione*, vel *in arcta eorum, quae ad civitatem pertinent, cum ipso individuo conjunctione* repe.ies. «Est enim talis ordo naturae, inquit egregie ***D. Thomas,*** ut unumquodque agens naturale prius et magis diffundat suam actionem ad ea quae sunt sibi magis propinquiora». Et «unicuique est magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem secundum quam est nobis magis conjunctus simpliciter loquendo»[1]. Et ideo amor *intensivus* patriae eo decrescit quo dilatantur spatia civitatis; amor autem *appretiativus* ex duplici assignato fundamento dependet. Hinc amor patriae minoris *(patria chica)* non est damnandus sed, ut majoris aestimatio crescat, fovendus.

Hinc aliud maximi momenti deducitur scilicet: eos qui patriam historiam, traditionemque majorum despiciunt, amorem patriae radicitus extinguere, vel ens quoddam abstractum nulla realitate praeditum diligere; nequeunt enim a patriae conceptu morales civium relationes ad leges, institutiones, moresque parentum separari[2].

3. **Errores.** Socialismus cosmopolita, unam omnium populorum foederationem inducere pertentans, sublatis in hunc finem patriae

---

1 II-II, q. XXXI, a. 3.

2 El patriotismo es la solidaridad del individuo con la historia patria. No cabe el verdadero amor a la patria en quien ha renegado de los ideales de su historia. Cfr. Ruiz Amado, *El Patriotismo* (Madrid 1910) I, IV.

nationisque limitibus, amorem patrium penitus pariter extinguit[1]. Recentiores politici plures id quoque vitio vertunt Religioni Christianae.

4, Verum rationalem et moderatum amorem erga propriam patriam 1) ratio suadet et 2) fovet Ecclesia.

Moderatum diximus; nam amoris erga propriam patriam exaggeratio non est patriotismus, sed *chauvinismus*[2] nunquam laudandus.

Probatur assertio. I) Ex ipsa radice unde enascitur amor. «Homo, inquit ***D. Thomas,*** efficitur diversimode aliis debitor secundum eorum diversam excellentiam et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus summum locum obtinet, qui et excellentissimus est, et est nobis essendi et gubernationis principium; secundario vero nostri esse et gubernationis principia sunt parentes et patria, a quibus et in qua nati et nutriti sumus. Et ideo post Deum est homo maxime debitor parentibus et patriae»[3]. Ergo ad virtutem pietatis spectat cultum exhibere parentibus et patriae. Recte ergo ad quemdam Nectarium paganum scribebat ***Augustinus:*** *Quanta sit caritas patriae, quoniam nosti, praetereo. Sola est enim quae parentum jure vincat affectum*[4].

2) Ex praecedenti ratione penitus exsibilatur recentiorum politicorum calumnia in Ecclesiam Catholicam. Sed ulterius probatur assertio. Ecclesia catholica est quidem societas internationalis, amorem tamen patrium semper verbis et factis promovit consecravitque. Conferantur quae de obedientia potestatibus loci praestanda suprema sua edixit auctoritate; quae in beneficium propriae civitatis fecere ***S. Leo M., S. Bernardus*** Claravallensis, ***S. Remigius, S. Joan. a Capistrano*** O. M.,[5] ***Dominicus a Jesu Maria*** Carmelita Excalc., ***Marcus de Aviano*** O. Capuc., ***Jacobus de Voragine*** O. P. et ***S. Joan. a S. Facundo*** O. S. Aug., ***S. Genovefa, B. Joan. de Arc,*** puella Aurelianensis dicta; in memoriam denique revocentur miranda a Religiosis Ordinibus Cleroque saeculari in bonum patriae gesta et scripta.

---

1 Hoy saliendo del patriotismo se va al *razismo (panslavismo, panlatinismo, pangermanismo* etc.) y más allá del *razismo* se halla el *Humanismo* o sea la fraternidad universal socialista y anarquista. Cfr. Gustavo La Iglesia, obra cit., pág. 11; Concepción Arenal, *La cuestión social*. Carta a un obrero (XXXIV). «La idea patriótica lo mismo que la idea religiosa son supersticiones que la burguesía ha inventado para conducir y dominar al pueblo». Libro de lectura de la Escuela Moderna de Barcelona titulado *Patriotismo y Colonización*. Benjamín Mota califica el patriotismo de «sentimiento político y artificial. Opúsc. *Ni Dios ni Patria*, Buenos Aires 1904.

2 Dió origen a esta palabra la Comedia, *La cocarde tricolore*, compuesta por Cogniard en 1831, donde el personaje *Chauvin* representa el estólido orgullo nacional francés menospreciador de todo lo extranjero.

3 II-II, q. CI, a. 1.

4 *Epist.* XC, alias 201. Opera, t. 2, col. 333.

5 Cfr. Ludovico Pastor, *Historia de los Papas*, t. 2, pag. 390 y sig.

Quibus rite exploratis, «compara ista, dicemus cum *Augustino* in Epistola ad *Nectarium,* et vide utrum in patriae tuae amore nos vincas; utrum eam magis veriusque cupias florere, quam nos» [1].

Et alibi: «Haec ergo (patria coelestis) licet principaliter appetenda atque diligenda sit, tamen illam non arbitror deserendam in qua nati et geniti sumus; quae prima nobis usum lucis hujus infudit, quae aluit, quae educavit, et ut quod ad causam proprie pertinet dicam, de qua bene meritis viris, doctissimi homines ferunt, post obitum corporis in coelo domicilium praeparari, ut promotio quaedam ad supernam praestetur, his hominibus, qui bene de genitalibus urbibus meruerunt; et hi magis cum Deo habitent qui salutem dedisse, aut consiliis, aut operibus patriae doceantur» [2].

Audiatur demum *Leo XIII,* qui Sanctorum Patrum et Scholasticorum sententiam sua muniens auctoritate, loquens de praecipuis civium christianorum officiis, ait:.... «civitatem, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique jubemur lege naturae usque eo, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet» [3].—«Nemo civis pace bellove melior, quam christianus sui memor officii» [4].

Status. Qui rempublicam administrant Patriae Statusque conceptus saepissime confundentes, illum amorem, quo cives propriam patriam prosequuntur, sibi conciliari optant; verum id nunquam vel nonnisi raro consequuti sunt. Nam conceptus patriae omnibus exhibetur amabilis. Status autem timorem potius quam amorem excitat. Est enim Status auctoritas regens multitudinem eique unitatem conferens, qua sublata, corpus sociale esset *anarchicum,* vel, ut recte docet *Zigliara,* est ipsa *potentia socialis existens in individuis determinatis* ad procurandum bonum commune societatis ejusque unitatem vel maxime conservandam et defendendam. Haec abstracte et philosophice; practice vero et concrete nihil aliud est, ajente ipsomet *Card. Zigliara, quam praevalens opinio factionum, quae Reipublicae regimine per fas aut per nefas arrepto, propria arbitria vi imponit et bonum commune subordinat bono proprio.* Haec est, substractis verbis magnificis, quae nihil dicunt, historia vera et realis

---

1 *Epist.* XCI, n. 2, alias 202.

2 *Epist.* CIII, col. 431. Cfr. D. Thom., II-II, q. XXVI, a. 3, q. XXXI a. 3. ad 2 et I. p. q. LX. a. 5. Et tamen audivimus P. Bert publice Parisiis exclamare; «l'enseignement catholique devient aisement et quasi fatalement l'école de l'imbecillité, du fanatisme, d l'antipatriotisme et de l'immoralité». Apud *La Croix,* 28 Feb. 1911.

3 *Sapientiae christianae,* 10 Jan. 1890. «Adamanda igitur patria est unde vitae mortalis usuram accepimus».

4 ib. Cfr. A. M. Weiss, *Apolog.,* p. I, Conferencia XIII.

Politicae quae a multis annis praevalet [1]. Quomodo ergo Status subditorum animos amore sibi devincere potest?

Ex dictis patet differentia inter civitatem, nationem, patriam et Statum, ex qua saepissime oritur diversitas nationum in una eademque civitate, vel plurium civitatum in una eademque natione, nam non semper coincidunt; possunt enim civitas et status in plures nationes, vel aliqua natio in plures civitates et status esse distributae [2].

5. **Separatistae.** Sub initio saeculi XIX coepit propagari opera praesertim *Mad. de Stael* et *Jac. Monroe* (1758-1831) [3] principium nationalitatum hac formula expressum: *Jus singulis nationibus inest partes aliarum civitatum, quae eamdem linguam et similem corporis animique indolem habent, mediis politicis vel etiam violentis, secum uniendi.* Vel paulo aliter: *Quaelibet natio jure sibi vindicat unitatem et independentiam politicam.* Ita *Morris* (1752-1834) et *nationalistae radicales*, quorum sententia non displicui *Napoleoni III* (1803-1873) hujus doctrinae optimo patrono. Alii, mitiorem sententiam tenentes, docuerunt cum *Möhl singulas nationes posse sibi jus independentiae politicae vindicare, dummodo non obstent pacta internationalia* ad quae servanda necessario tenentur: vel *si capaces sint autonomiae et possint per vim illam efficere*, ut sentit *Lasson* cum *Bluntschli* et aliis non paucis ex jurisperitis liberalibus.

6. **Crisis.** Quamquam non desint catholici approbantes principium nationalitatum tanquam *legitimum juris christiani consectarium* [4], communis tamen philosophorum sententia illud merito reprehendit ut falsum *a)* et ordini societatis maxime nocivum *b)*.

a) Fatemur quidem linguae identitatem morumque similitudinem plurimum conferre ad unitatem civium efficiendam conservandamque. Sed quis inde inferet omnes populos labii unius, indole, moribusque affines sub una civitate congregandos esse? Quid? quod identitas linguae est medium aptum ad mutuam civium communicationem? Certe. Sed id convenientiam adstruit non jus nec officium quo possint et debeant populi ejusdem linguae actualem dependentiam relinquere et aliis civitatibus adnecti.

b) Admisso nationalistarum principio, 1) jura sacratissima concul-

---

1 *Jus Naturae*, lib, II, c. II, a 4.

2 «No se ha de confundir la unidad nacional con la unidad política y esta con la unidad constitucional. España era nación en el siglo XV y estaba sin embargo dividida en diferentes Estados peninsulares». *Discurso parlamentario* pronunciado por D. Juan Vázquez de Mella en la legislatura de 1905.

3 *América para los Americanos*: tal fué el grito de la independencia del Nuevo Mundo y la síntesis de la doctrina política de Monroe.

4 Cfr. Llovera, obra cit. n. 74.

cantur. Civitates quemadmodum individua jure legitimo emptionis, praescriptionis, donationis aut successionis, quaedam sibi ita devinciunt et appropriant ut nullo titulo et contra suam voluntatem eis spoliari queant, quin omnia susdeque vertantur. Atqui ab immemoriali tempore nonnullae nationes et gentes sunt aliquibus civitatibus sociatae; ergo citra apertam justitiae laesionem proclamare non licet principium nationalitatis. Hoc innixi principio ad exitum impune perduxerunt Liberales Italiani iniquam Romani Pontificis spoliationem, ejusdem Status Statui Pedemontano adnectentes ut Italiam *unam* cernere possent. 2) Bellum universale indicitur adversum actualem ordinem civitatum, cum nullibi sint actu constitutae ad normam praefati Liberalismi principii.

Demum Nationalistarum doctrina in se ipsa gerit magnarum perturbationum inclusa semina quae longe superant bona et utilitates ex unitate nationum capessendas[1]; nequit ergo tanquam juris internationalis principium proclamari.

Articulus II

Expenditur principium «non interventionis» seu jus «neutralitatis»

Summa rerum. 1. *Auctores hujus funestae doctrinae.* 2. Thesis: *Proclamare et observare non licet jus neutralitatis.—Notanda.—* Probatur thesis. 3. *Proscribitur a R. Pontifice principium de non interventu.*

1. **Historia.** Civitates christianas olim alias auxilium petentes juvasse, facta ipsa historica saepius in longa saeculorum serie repetita liquido commonstrant. Verum modernae civitates ad normam *novi juris* constitutae a justitiae lege recesserunt, jus «neutralitatis» proclamantes.

Et primo quidem proposuerat *Kantius* an. 1795 rebus alterius civitatis non esse interveniendum, quamvis eidem periculum immineret aut opem externam enixe imploraret. Dein, hujusmodi principium, tanquam necessarium independentiae Americanae fundamentum, proclamatum est a *Monroe* in America Septentrionali an. 1823. Hoc idem principium vulgavit in Anglia Lord *Palmerston* (1784-1865) ejusdemque patrocinium susceperunt, adpro-

1 «Los separatistas quieren aplicar, dice Mella, el famoso principio de las nacionalidades, según el cual, toda nación tiene derecho a convertirse en Estado independiente, variando conforme al concepto que se forman de la nación, los límites naturales, la raza, la lengua, no buscando la unidad espiritual interna que los enlaza en una creencia fundamental». Discurso del 18 de Junio de 1907. Véase el de 28 Febrero de 1908.

bante *Napoleone III*[1], Liberales, praesertim in Italia, ne civitates catholicae Romano Pontifici auxilium petenti ad tuendum Petri patrimonium repellendosque exercitus Pedemontanos succurrerent.

Catholicorum vero sententia ea semper fuit civitates ab exteris gentibus nimium vexatas aut intestinis discordiis graviter concussas, nedum ab aliis auxilium petere posse, sed iis officium caritatis incumbere eas juvare ope viribusque materialibus, aut saltem per influxum moralem. Falsum igitur est doctrinam Evangelicam de mutuo fratrum auxilio non respicere nisi personas privatas, neque unquam applicari posse relationibus politicis in favorem legitimorum Guberniorum, quae injusti hostes sive interni sive externi aggressi sunt[2].

2. **Thesis: Proclamare et observare non licet principium quod vocant «de non interventu».**

Ante probationem nota 1) nullam civitatem unquam teneri cum gravi suae gentis detrimento alteri auxilia praestare; 2) ex justitia opem ferre petenti debere cum ex negatione imploratae mercedis proprium periclitatur bonum. Id enim clare constat ex obligatione procurandi bonum commune et ex ordine quo quis se et proximos diligere tenetur; 3) nullum gubernium posse rebus alterius civitatis sese immiscere, legitimo principe jure renuente opem oblatam.

Sensus ergo conclusionis est: nationes posse, et aliquando officio caritatis adstringi, alias nationes juvare ad internas dissensiones sedandas vel ad repellendam injustam aggressoris invasionem; proindeque negari non posse jus ferendi auxilium alicui genti opem imploranti, quin justitia rerumque ordo in discrimen vocetur.

Prob. 1) Jura et officia inter nationes per analogiam ad individualia determinanda sunt. Atqui ex naturali praecepto diligendi proximum sicut seipsum legitime infertur officium offerendi praestandique auxilium indigenti. Ergo ex mutuo et naturali amore, quo invicem devínciuntur nationes, oritur obligatio sese juvandi, praesertim cum alterius independentia per subditorum perduelliones aut externorum hostium incursus periclitatur.

2) Negatio juris ferendi auxilium nationi, cum injuste aggreditur, indirecte saltem constituit consecratque tanquam supremam justitiae normam gubernandique regulam vim fortioris, quoniam posive susti-

---

1 El Piamonte no tiene razón de invadir los Estados de la Iglesia, es verdad, pero nosotros no tendríamos razón de intervenir, dijo Napoleón. Cfr. Benoit, *La ciudad anticristiana del siglo XIX*, n. 1155 y sigs.

2 Contrariam propositionem perniciosam societati, seditiosam, juris publici et gentium destructivam, haereticam declaravit S. I. Congregatio.

net et sine protestatione permittit debiliorem opprimi a potentiori et justitiam impune conculcari.

3) Quaelibet natio jus habet propriam libertatem et independentiam tuendi contra injustam aggressionem et idcirco opem implorandi et oblatam acceptandi, cum opus fuerit ad hostes tum internos tum externos coercendos. Ergo jus quoque aderit alteri nationi auxilium pro justitia servanda offerendi [1].

4) Demum, illi ipsi adversarii nostri, qui principium neutralitatis proclamant, rebus alterius civitatis non dubitarunt saepissime intervenire, at semper *pro domo sua*. Sic ***Napoleo III*** Turcarum partes egit contra christianos in bello Crimaeae (1854-55), ***Victoris Emmanuelis*** regis Sardiniae contra Imperium Austriacum ut ab hujus ditione provinciam Langobardiae subduceret; sic Status Uniti Americae sese rebus coloniarum Hispaniae (Cuba y Filipinas) immiscuerunt; sic alia gubernia, negato aliis jure interveniendi, pro lubito interveniunt quoties sibi prodesse cognoverint, ut nuper fecerunt Gallia, Germania et Anglia in imperio Marochii.

3. Recte in Syllabo *Pii Papae IX* proscribitur sequens propositio: *Proclamandnm est et observandum principium quod vocant de non interventu:* et in *Alloc. Novos et ante* diei 28 Sept. 1860, idem Pontifex edixit: «Abstinere non possumus, quin praeter alia, deploremus funestum ac perniciosum principium quod vocant «de non interventu» a quibusdam guberniis haud ita pridem, ceteris tolerantibus, proclamatum et adhibitum etiam cum de injusta alicujus gubernii contra aliud aggressione agatur, ita ut quaedam velut impunitas ac licentia impetendi ac diripiendi aliena jura, proprietates, ac ditiones ipsas contra divinas humanasque leges sanciri videatur», uti factum est cum Reges Sardiniae et Pedemontis Romanum Pontificem spoliarunt, adjuvante *Napoleone III* cum tacito saltem omnium aliorum Statuum consensu, Republica Aecuatoriana excepta, quae contra praedictam bonorum Romanae Ecclesiae direptionem divini humanique juris laesivam officialiter conclamavit [2].

1 «La intervención es justa, dice Taparelli, siempre que o bien la pide la autoridad legítima, o se halla impedida de solicitar el auxilio necesario para el bien común, o allí donde haya naufragado toda autoridad social. - Es tambien justa la intervención cuando los trastornos de una sociedad amenacen de cerca propagarse en los demás.—Como el objeto de la intervención armada es amparar el *derecho*, claro está, que lo primero es averiguar quien le tenga y por consiguiente la sociedad que presta el auxilio solicitado adquiere en virtud de esta demanda misma el derecho de examinar y juzgar aquel punto». *Curso Elem. de Derecho Natural*, n. 291. Corol. III, IV y V.

2 Cfr. Taparelli, *Ensayo*, lib. VI. c. III y IV; Fernández Monteña, *El Syllabus de Pío IX*, pag. 574 y sig. «El principio de las *nacionalidades*, dice atinadamente el P. Mineguiaga, dió motivo o pretexto a los autores (de ese despojo); el de la *no intervención* les allegó poderosos cómplices y el de los *hechos consumados* les asegura la protección y el apoyo de los encubridores». *La moral indep.*, pag. 468.

Articulus III

De natura et justitia belli [1]

Summa rerum.—1. *Ratio articuli.* 2. *Notio lata et stricta belli. Corollaria quae inde sequuntur.* 3. *Belli divisiones.* 4. *Conditiones ad justitiam belli. — Notanda circa primam conditionem.* 5. *Quae sit justa causa. Liberalium doctrina reprobatur.* 6. *Causae particulares ex quibus licet bellum offensivum.* 7. *Tertia conditio.* 8. *Belli scopus.* 9. *Quaestio. — Errores.* — Thesis. 10. *Objectiones.* 11. *De modo bellandi; quae sunt agenda ante et post bellum eoque durante.* 12. *Modus bellandi apud ethnicos.* 13. *Meritum Ecclesiae.* 14. *Tribunal ethnarchicum.*

1. Ajente ***Angelico Praeceptore,*** «imminet regi cura ut multitudo sibi subjecta contra hostes tuta reddatur; nihil enim prodesset interiora vitare pericula, si ab exterioribus defendi non posset» [2]. Ergo inter munera principis haud minimum est bellum movere contra hostes externos pacem reipublicae perturbantes. —Quaerendum est igitur quid sit bellum, num et quibus ex causis liceat.

2. **Bellum** generatim habetur cum nationes ita de re gravi dissentiunt, ut inde arma sibi mutuo inferant ad componendam litem, quae aliter componi non potuit. Stricte sumptum distinguitur a *praelio,* quia praelium proprie dictum seu pugna est *actualis exercituum congressio;* bellum autem totum illud tempus complectitur quo dissensio nationum perdurat, quamvis actuale hostium certamen suspensum maneat propter quamlibet causam. Presse vero bellum definitur: *violati ordinis publici violenta restitutio.*

Ex qua definitione luculenter colligitur 1) civitatum dissensionem non esse bellum proprie dictum sed tantum causam unde bellum oritur; 2) bellum differre ***a duello***; hoc enim inter privatas personas et propter injuriam individuo illatam, illud vero ob violatum ordinem publicum assumitur; 3) item, a ***seditione*** quae est dissensio civium inter se vel rebellio insurgentium contra principem; bellum vero exclusive geritur inter unam et aliam civi-

1 Cfr. D. Thomas, II-II, q. XL; Victoria, *Relect. V, de jure belli*; Gabriel a S. Vincentio, in II-II, Disp. XXIII, ceterique S. Th. Comment.; Roselli, *Ethica*, q. VI; Meyer, lib. II, c. II; Ferretti, n. 457; Boylesve, *Ethica*, § 139; Willems, § 3, pag. 520; *Le droit de guerre d' apres la morale chretienne*, par M. l'abbé Hedde; C. Périn, *Las leyes de la sociedad cristiana*, lib. V, c. III.

2 *De reg. Princ.*, lib. I, c. XV.

tatem[1]; unde 4) usus armorum adversus hostes internos v. gr., revolutionarios, praedones, homicidas, etc., non constituit proprie bellum. Nec obstat quod certamen armatum inter cives ejusdem nationis *bellum civile* dicatur; tunc enim pars divisae civitatis pugnans adversus alteram pro determinato principe aut nova forma regiminis quasi alteram et independentem civitatem constituit; 5) neque nationum dissensio, quae *diplomatia* componitur, belli nomen assumit; est enim, ut iterum dicamus, presse et solitarie sumptum: *congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios diversae civitatis.*

3. **Belli divisiones.** Bellum dividitur in *defensivum* et *offensivum.* Primum habetur cum civitas vim illatam vi repellit. Est ergo armorum susceptio contra hostes irruentes. Offensivum vero dicitur quando una alteram civitatem primo aggreditur.

Utrumque potest esse *justum* vel *injustum,* prout debitas servet conditiones aut non.

4. **Conditiones ad justitiam belli.** Ut bellum sit justum tria potissimum requiruntur, scilicet: *legitima auctoritas, justa causa* et *recta bellantium intentio.*

Explicantur. Imprimis requiritur *«auctoritas principis, cujus mandato bellum est gerendum.* Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest jus suum in judicio superioris prosequi. Similiter etiam quia convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Cum autem cura reipublicae commissa sit principibus, ad eos pertinet rempublicam civitatis vel regni seu provinciae sibi subditae tueri»[2].

Notanda circa primam hanc conditionem[3]. *a)* Auctoritas debet esse suprema et competens; leges vero uniuscujusque civitatis statuent ad quem pertineat in concreto bellum movere et milites ad arma vocare. *b)* In bello defensivo, instante periculo, non requiritur auctoritas principis ad indicendum bellum, quia cuique privato in praefata hypothesi licet, quin spectet principis veniam, vim vi repellere. Indictio belli est principis vel reipublicae declaratio quod nonnisi per media violenta dissensio componi possit. — *c)* In

---

1 Justa D. Thomam bellum, seditio et rixa inter se «differunt, quia bellum proprie est contra extraneos hostes, quasi multitudinis ad multitudinem: rixa autem est unius ad unum vel paucorum ad paucos: seditio autem proprie est inter partes unius multitudinis inter se dissentientes, puta cum una pars civitatis excitatur in tumultum contra aliam». II-II. q. XLII, a. 2.

2 D. Th., II-II, q. XL, a. 1.

3 Cfr. Victoria, *De Jure belli*, n. 2 et sqq. In *Relect. V*, quae est «de Indis recenter inventis Relectio Prior», tractat praeter alia de *Titulis non legitimis quibus Barbari novi orbis venire potuerint in ditionem Hispanorum*, n. 1-16; et de *Titulis legitimis quibus Barbari potuerint venire in ditionem Hispanorum*, n. 1-18.

bello offensivo indictio censetur de jure gentium, quoniam omnes gentes civilizatae id habent in usu [1]. Nihilominus solemnitas indictionis non requiritur essentialiter ad justitiam belli. *d)* Populus bellum initurus primo debet sibi providere de armis ad congrediendum cum hostibus, et serio meditare an expediat necne bellum declarare [2]. *e)* Nequit princeps indicens bellum omnes cives indiscriminatim ad arma vocare. Quoniam, ut egregie argumentatur *Angelicus*, «ad bonum societatis humanae plura sunt necessaria. Diversa autem a diversis melius et expeditius aguntur quam ab uno, et quaedam negotia sunt adeo sibi repugnantia, ut convenienter simul exerceri non possint..... Bellica autem exercitia maxime regugnant illis officiis quibus Episcopi et Clerici deputantur propter duo: *primo* quidem generali ratione, quia bellica exercitia maximas inquietudines habet; unde multum impediunt animum a contemplatione divinorum et laude Dei et oratione pro populo; quae ad officium pertinet clericorum. Et ideo sicut negotiationes, propter hoc quod nimis implicant animum, interdicuntur clericis, ita et bellica exercitia, secundum illud II ad Tim., II, 4: *Nemo militans Deo implicat se saecularibus negotiis*. Secundo propter specialem rationem: nam omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium in quo sub sacramento repraesentatur passio Christi.... Et ideo non competit eis occidere vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentnr opere quod gerunt ministerio. .. Nulli autem, qui est deputatus ad aliquod officium, licet id per quod suo officio incongruus redditur» [3].

Denique *f)* si princeps negligeret vindicare injuriam reipublicae illatam et ex hac impunitate hostes audaciores fierent, aut si princeps, exilio aut carcere v. gr. detentus prohiberetur indicere bellum, respublica posset in hac hypothesi bellum aggressivum declarare. Quod quidem bellum non tantum publicum sed *nationale* diceretúr, quoniam civitas illud proclamat et universus populus sponte ad vindicandam injuriam insurgit.

5. «*Secundo requiritur causa justa;* ut scilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde ***Augustinus*** dicit in lib. VI. Quaest. in Pentat. q. X.: justa bella definiri solent quae ulciscuntur injurias si gens vel civitas quae bello petenda est vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est» [4]. Ergo ex communi sententia,

---

1 Cfr. C. Rayneval, *Instituciones del derecho de gentes*, lib. III, c III, § 1.

2 «Mover guerra es cosa en que deben mucho parar mientes los que la quieren fazer antes que la comiencen, porque la fagan con razón e con derecho». *Partida* II, *Tit.* XXIII. *Ley* II.

3 II-II., q. XL, a. 2. Conc. Trident. (sess. XXV, c. 20 de Reform.) docet Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* constitutam esse. Videatur etiam Syllab. Pii IX, propos. XXX et XXXII.

4 D. Th., loc. cit. «Justa guerra es quando ome la face por cobrar lo suyo de los enemigos ó por amparar a sí mismos e a sus cosas de ellos». *Partida* II, *Titulo* XXIII, *Ley* 1.

gravis injuria illata et non reparata nec alio modo reparanda, generaliter loquendo, sufficit ut bellum offensivum *juste* declaretur.

Liberalium doctrina. Juxta guberniorum liberalium placita, «tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur» [1]. Censent videlicet Liberales justas esse causas indicendi bellum aggressivum, inter alias, amplificationem territorii, utilitatem aut convenientiam reipublicae quam gubernant, nominis gloriam, patriae amorem propter quem omnia licent, verbo, *rationem*, ut ajunt, *Status;* obstare solummodo periculum ruinae.

Sed haec 1) legi naturali aperte repugnant. Vigent quippe inter nationes, eodem prorsus modo ac in individuis, illa ordinis socialis fundamentalia praecepta: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: Nemini noceas*, et similia; 2) vitam juridicam internationalem impossibilem reddunt, tunc enim unica esset lex et norma suprema vivendi, jus scilicet fortioris; 3) nationum securitatem pessumdant, cum periculum praelii continuo immineret, relicta singulis libertate pro libito bellum inferre. 4) Denique, illis causis justis suppositis, immania prorsus crimina justificantur. Nihilominus sola cupiditate duci in expugnatione populorum, aut celebritatis amore exclusive ad bella procedere et populos pacatos conterere et subdere *quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?*, inquit egregie *S. Augustinus* [2]. «Remota itaque justitia, ait ipsemet *S. Doctor*, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna? Manus et ipsa hominum est, imperio principis regitur, pacto societatis adstringitur, placiti lege praeda dividitur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, ut et loca teneat, sepes constituat, civitates occupet, populos subjuget, evidentius regni nomen assumit, quod ei jam in manifesto confert non ademta cupiditas, sed addita impunitas. Eleganter enim et veraciter *Alexandro* illi magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur ut mare haberet infestum; ille libera contumacia: «Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum: sed quia id ego exiguo navigio facio *latro* vocor; quia tu magna classe, *imperator*» [3].

6. Inter causas particulares quae justum redderent bellum offensivum recenseri psssunt: 1) gravis injuria illata principi aut ejus lega-

---

«Nullum bellum est justum si constat geri majori malo Reipublicae quam bono et utilitate, quamtumvis aliunde suppetat tituli et rationes ad bellum justum. Quia si Respublica non habet potestatem inferendi bellum nisi ad tuendum se, resque suas atque se protegendum: ergo ubi ipso bello attenuatur potius atque atteritur, quam augetur bellum erit injustum *sive* a Rege inferatur sive a Republica». Victoria, *De Potestate civili*, n. 13.

1 Syllab. prop. LXIV.

2 *De Civit. Dei*, lib. IV, c. VI, colum. 145.

3 ib. c. IV, colum. 142.

tis; 2) recuperatio provinciae aut civitatis alteriusve gravis debiti; 3) auxilium delatum hosti injusto; 4) si qui impediant ne nocentes juste puniantur; 5) violatio pacti gravis momenti; 6) denegatio justi tributi; 7) auxilium praestandum confoederatis justum bellum gerentibus, aut innocentibus injuste vexatis; 8) haeresis aut idololatria propriorum subditorum; 9) si infideles etiam non subditi impediant fidei praedicationem; 10) denegatio transitus innoxii. Si tamen gravia damna ex armatis militibus transeuntibus fundate timerentur, posset denegari transitus, neque illa denegatio causa justa esset bellum indicendi [1].

7. «*Tertio*, inquit ibidem ***Angelicus,*** *requiritur ut sit intentio bellantium recta; qua scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur*». Unde potest contingere quod sit legitima auctoritas indicentis bellum et causa justa, et nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum.

8. **Belli scopus.** Ergo tum bellum defensivum tum aggressivum non debet suscipi nisi, propter bonum commune et justitiae cultum. Egregie, ut solet, ***S. Augustinus*** ad ***Bonifacium*** comitem: «*Non quaeritur pax, ut bellum excitetur, sed bellum geritur ut pax acquiratur.* Esto ergo bellando pacificus ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. Itaque hostem pugnantem necessitas perimat non voluntas» [2].

9. **Errores.** *Manichaei*, teste *S. Aug. Contra Faustum*, reprobando bella a populo Israelitico gesta adversus gentes idolatras, contenderunt bellum nulla ex causa licere. *Wicleffitae*, juxta *Thomam Waldensem*, illicitum esse pariter existimarunt. *Lutherus*, *Oecolampadius* aliique Protestantes saec. XVI, opinati sunt bellum interdictum esse Christianis, prout Tertuliano visum fuerat [3]. Iisdem consentit *Erasmus*. Hisce vero temporibus *Socialistae* acriter invehunt in nationes et gubernia quae vel ad reparandam gravem injuriam bellum movent contra alias gentes, nullumque non movent lapidem ut odium militiae *(antimilitarismo)* ubique propagetur. Nihilominus sit

---

1 Ita Ed. Fretté et P. Maré in Sum. D. Th., II-II, q. XL, a. 1. Taparelli: «Una sociedad puede mover a otra con justicia guerra pública en tres casos: 1.° en defensa propia cuando vea evidentemente conculcados sus derechos rigurosos; 2.° en defensa de otra sociedad injustamente acometida, si puede ampararla sin ruina propia; 3.° para defender el orden en una sociedad desconcertada que pida intervención». *Curso Elem. de Derecho Nat.*, n. 291.

2 *Epist.* CLXXXIX, tom. 2, colum. 1048. Vide *De Civit. Dei*, lib. XIX, c. XII, colum. 892. «Bellum geritur primo ad defendendum nos et nostra. Secundo ad recuperandum res ablatas. Tertio ad vindicandum acceptam injuriam. Quarto ad pacem et securitatem parandam». Victoria, loc. cit. n. 44.

3 Victoria, *De Jure belli*, relect. post.

Thesis. Bellum tum defensivum tum offensivum, ex justa et gravi causa susceptum, est per se licitum[1].

Cur apponamus *a)* «ex justa et gravi causa susceptum», patet. Est enim bellum terribile flagellum populorum[2], et ideo geri non debet nisi ex necessitate, justa et gravi existente causa. *Pacem habere debet voluntas,* scribit ***S. Augustinus,*** *bellum necessitas,* ut liberet Deus a necessitate et conservet in pace[3]; *b)* «per se», id est, ratione sui, praescindendo a variis circumstantiis propter quas foedari possunt bellantes et reddi bellum injustum.

Probatur thesis 1) quoad bellum defensivum. Cum reipublicae cura principibus commissa sit, ad eos spectat sibi subditam nationem tueri. Ergo sicut licite defendunt eam, inquit ***Angelicus,*** materiali gladio contra interiores perturbatores, dum malefactores puniunt....., ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hostibus.

Paulo aliter. Licitum est individuis vim vi repellere ad sui defensionem; ergo id a fortiori competit civitatibus; nam bonum commune divinius est quam bonum unius. Atqui vim vi repellere in injusta aggressione civitatis est bellum defensivum; ergo bellum defensivum suapte natura licitum est.

2) Quoad bellum offensivum. Nemo inficiari potest cuique nationi licere sua jura repetere; atqui nonnunquam aliter recuperari nequit quod per injuriam ablatum est quam recurrendo ad vim armatam; ergo in hac hypothesi licitum est civitati bellum aggressivum alteri inferre ad suum jus repetendum[4].

Item. Jus necessario muniri debet, ne irritum evadat, vi quadam physica, quae coactio juris dicitur, qua alter, in quem jus habetur, flectatur ad faciendum quod sponte facere recusat. Atqui potiora sunt jura societatis juribus singulorum. Ergo societas jus habet vim armatam adhibendi, si nullum aliud suppetit medium, ad reparandam inju-

---

1 «Oppositum asserere, inquit Banez, est manifesta haeresis», in II-II, q. XL, a. 1.

2 En la última guerra entre Rusos y Japoneses, murieron 83.000 soldados, fueron heridos 300.000 y recogieron los hospitales 667.000. Los Rusos alistaron 1.300,000 hombres y los Japoneses 1.500,000. Según *The Economist.*, en las veinticinco semanas que duró la pasada guerra balkánica han tenido gastos en frs. Bulgaria 6 8.750,000; Serbia 412.500,000; Grecia 509,375,000; Montenegro 82.500,000; Turquía 832.500,000; y murieron aproximadamente 110.000 hombres.

3 loc. cit.

4 Cfr. Victoria, loc. cit. n. 1. «La paz en su sentido propio, como ecuación de justicia, no excluye sino que exige la guerra». Cfr. G. del Vecchio. *Il fenomeno della guerra e l'idea della pace,* Apud *Rivista di Diritto Internationale.* An. V, fasc. I-II.

riam illatam. Quod autem jure fieri potest per se licitum est. Licet ergo bellum aggressivum movere ad injuriam propulsandam.

10. **Objicies.** Innumera cujusque generis mala ex bello sequuntur, ut omnes uno ore fatentur et lugenda experientia passim comprobatur. Ergo bellum est per se illicitum.

Resp. conc. ant. et nego conseq. et consequentiam. Negari non potest bellum esse atrocissimum flagellum populorum et ingentes parere calamitates. Id quidem dolendum est, sed solum probat non voluntate sed necessitate tantummodo bellum geri debere, cum scilicet aliter non possit bono reipublicae provideri et improborum audacia coerceri.

Instabis. Occidere innocentes est suapte natura malum; ergo nulla ex causa fieri potest. Atqui in bello simul cum improbis caeduntur innocentes; ergo nunquam licet bellum movere.

Dist. maj.: occidere innocentes *per se et ex intentione*, conc.; *per accidens et praeter intentionem*, neg. Atqui in bello minime intenditur mors innocentium sed accidit praeter intentionem. «Morales autem actus, inquit *Angelicus*, recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ab eo quod est praeter intentionem, cum sit per accidens»[1]. Sed in bello respublica intendit per se sua jura sarta tectaque servare, ad quod sequitur mors innocentium: ergo hujusmodi actus non habet rationem illiciti, nec tenetur societas bonum proprium praetermittere ad evitandam occisionem alterius. Illi autem imputatur mors innocentium qui causam dedit bello, non vero civitati quae bellum movet ad suum jus reparandum.—Licet ergo permittere innocentium occisionem in bello tum defensivo tum offensivo, secus impossibile foret bellum perficere nec hostes expugnare; quod vergeret in detrimentum societatis et justitiae.

11. **De modo bellandi.** Modus gerendi bellum ex fine propter quem suscipitur regulandus est. Esto igitur canon generalis: *Ea tantum et non alia fieri possunt quae necessaria sunt ad justam vindicationem*[2]. Et ideo:

1) principes ante belli indictionem tenentur congruam satisfactionem petere pro injuria accepta aut bonis ablatis. Quod si hostis accedat, injuria reparata, cessat ratio vindictae;

2) si alio mitiori modo, v. gr. compositione, judicio, aliorum arbitratu, reparari potest offensa, abstinendum est a bello, quia bellum in tantum licet in quantum est necessarium;

3) princeps dubitans de justitia belli non potest bellum offensivum

---

1 II-II, q. LXIV, a. 7.

2 Como la pena es medicinal, ejemplar y reparatriz, «no es lícito causar más daño al enemigo que el necesario para el triple objeto de *reparar*, *precaver* y *castigar* la ofensa, lo demás es injusto». Taparelli, *Curso Elem.*, n. 290

indicere.—Indicto bello, subditi in dubio de justitia illius, licite possunt bellare, domino imperante;

4) cum in bello defensivo arma sumantur ad propulsandam vim illatam, non est necesse alteri nationi indicere bellum [3].

Bello durante, ea damna hostibus inferre licet quae necessaria sunt ad victoriam comparandam, dummodo jure naturali aut gentium non fuerint prohibita. Hinc,

1) post inchoatum bellum, si civitas aggressa condignam satisfactionem et aequam expensarum solutionem afferat, cessandum est a bello;

2) «conflato jam ex justis causis bello, oportet illud gerere, non ad perniciem gentis, contra quam bellandum est, sed ad consecutionem juris sui, et defensionem patriae et Reipublicae suae, et ut illo bello pax aliquando et securitas consequatur» [4];

3) jure naturae vetantur calumniae, perjuria, mendacia, aliaque id generis multa, quae intrinsecam turpitudinem prae se ferunt;

4) permittuntur insidiae quae ordinantur ad fallendum hostes [5], non quidem falsum dicendo aut non servando promissum, quod esset illicitum, sed eis occultando consilia, propositum etc. «Nec proprie hujusmodi insidiae vocantur fraudes, nec justitiae repugnant, nec ordinatae voluntati. Esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab aliis occultari», ut ibidem docet *D. Thomas;*

5) prohibetur quoque jure naturae, senes, mulieres, infantes violare, directe interficere, victos obnoxia servitute mancipari, necnon agros et civitates incendio devastare, modo id necessarium non sit ad hostes superandos;

6) jus autem gentium vigens inter nationes civilizatas plura quoque prohibet, v, gr. pacis nuntios laedere, uti armis venenatis, amne-

---

3 «Oportet ad bellum justum magna diligentia examinare justitiam et causas belli, et audire etiam rationes adversariorum, si vellint ex aequo et bono disceptare». Victoria, loc. cit. n. 21. «Si subdito constat de injustitia belli non licet militare etiam ad imperium principis». ib. n. 22. Vide ib. ceteras conclusiones ejusdem Auctoris.

4 Victoria, *De jure belli*, n. 60.

5 Cfr. D. Th., II-II, q. XL, a. 3. «Cum justum bellum quis susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, ad justitiae causam non facit». S. Augustinus, *in Josue*, q. X. Quid liceat in bello justo, cfr. Victoria, qui sequentes probat propos.: I. In bello licet omnia facere quae necesaria sunt ad defensionem boni publici. II. Licet recuperare omnes res perditas et illarum pretium. III. Licet occupare ex bonis hostium impensam belli et omnia damna ab hostibus injuste illata. IV. Non solum haec licent sed ulterius etiam progredi potest Princeps justi belli quantum scilicet necesse est ad parandam pacem et securitatem ab hostibus, puta diruere arcem hostium et in hostico etiam munitionem erigere, si hoc necesse sit ad vitandum periculum ab hostibus. V. Nec tantum hoc licet, sed etiam parta victoria, et recuperatis rebus et pace etiam et securitate habita, licet vindicare injuriam ab hostibus acceptam et animadvertere in hostes et punire illos pro injuriis illatis». n. 15-20.

stia durante, et tempore quo de pace tractant legati (parlamentar) in hostes irruere et alia plura quae in Congressibus *Pacis*, uti ajunt, praesertim in Conventu Hagae an. 1907 celebrato, determinata sunt. Quae autem jure positivo internationali constituta fuere variari possunt pro diversis locorum et temporum circumstantiis.

Post bellum, non omnia licent victori. Et imprimis *a)* victoria nullum jus per se confert eidem nec in bona nec in personas principis aut Reipublicae, quoniam exitus non semper favet justitiae, nec jus in materiali facto consistit aut eo firmatur;

b) supposita quoque belli justitia, non licet captivis vitam eripere, vulneratos eosque curantes occidere, devictos principes deponere et nationem independentia privare. «Sicut rebellanti et resistenti, ajebat ***Augustinus,*** violentia redditur, ita victo vel capto misericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur»[1].

c) Nihilominus[2], si revolutionis et perturbationum periculum removeri non possit absque definitiva territorii occupatione, principum depositione, aut nocentium morte, id licet victori justum bellum gerenti.

d) Jure denique aequam compensationem exigit ab hostibus, ut scilicet belli damna et expensas reparent ac solvant, qua negata, victor potest bona capta in bello retinere, aut tributa imponere aut provinciam vel provincias devictae nationis, pro justa compensatione suae ditioni subjicere. Meminerint tamen principes illud legatorum ***Darii*** ad ***Alexandrum:*** «Facilius est quaedam vincere quam tueri: periculosum est praegrave imperium».

Verbo: Princeps, parta victoria, injuriae reparationem intendat, aequam compensationem quaerat, in omnibus humanitatem colat. Universam belli jurisprudentiam sequenti canone comprehendit ***Audisio:*** «In repellenda injuria aut vindicanda nihil agendum nisi quod aequissimus ediceret judex vel tribunal, si adesset, reparatione cum injuria optime commensurata».

12. **Modus bellandi apud gentiles.** Constat certissime antiquum jus

1 *Epist.* CLXXXIX, alias XCV.

2 «An liceat deponere principes hostium et novos ponere et constituere vel sibi retinere principatum». «Hoc non passim et ex quacumque causa belli justi licet facere». «Non est negandum quin aliquando possint contingere sufficientes et legitimae causae vel ad mutandos Principes vel ad occupandum Principatum: et hoc vel pro multitudine et atrocitate damnorum et injuriarum, vel maxime quando aliter securitas et pax ab hostibus obtineri non potest: et immineret grande periculum Reipublicae ab illis, nisi hoc fieret. Hoc patet». Victoria. ib. n. 58 et 59. «Parta victoria, et confecto bello, oportet moderate et cum modestia christiana victoria uti, et oportet victorem existimare se judicem sedere inter duas respublicas. alteram quae laesa est, alteram quae injuriam fecit: ut non tanquam accusator, sed tanquam judex sententiam ferat». ib. n. 60.

belli ab humanitate et justitia alienum fuisse. Id historiographi ethnici fatentur. Bona omnia ad hostes spectantia statim fiebant occupantis. Non excipiebantur sacra. Nihil non licebat in hostes. Eos catervatim obtruncari, feris objici, aut secum ipsis, more belluarum, ad populi delectationem pugnare commune fuit vel in ipso Romano Imperio. Bello capti, jure personalitatis amisso, in duram et probrosam servitutem redigebantur, et adeo immanitus saepe cruciabantur ut millies mortem potius optarent quam inter victos computari velle[1]. Saeva prorsus et nimis immania praesagiebant audientes illum victoris comminatum: *Vae victis*.

13. **Ecclesiae meritum.** Nihilominus, jus belli paulatim emendatum est Evangelii praedicatione. Ecclesia haec duo inter alia praestitit societati: 1) bellum, quibusdam adjectis conditionibus, licere docuit; 2) modum bellandi temperavit.

Primum constat *a)* ex doctrinalibus ejusdem Ecclesiae documentis a Sanctis Patribus authentice interpretatis, qui unanimi concordique sententia bellum per se licere theologicis et humanis rationibus probarunt. Audiatur pro omnibus *S. Augustinus* optimum conficiens argumentum ex consilio a *Joan. Baptista* militibus dato: «Si christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut adjicerent arma, seque omnino militiae subtraherent. Dictum est autem eis: *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.* Quibus proprium stipendium sufficere debere praecepit, militare utique non prohibuit»[2]; *b)* factis historicis; Ecclesiam etenim Catholicam celeberrimas illas militares expeditiones (vulgo Cruzadas) pro recuperatione Terrae Sanctae pluraque alia bella movisse et commendasse non est qui ignoret[3]. Si quae ergo bella severe damnavit ea certe fuerunt quae ulciscendi libidine, aut territorii amplificandi causa indicebantur, non quae ex justa et gravi causa suscepta fuere.

---

1 Cfr. Perin, loc. cit. pag. 310; Champagny, *Les Cesars*, lib. III. Usar como adorno la piel de la cabeza de un enemigo vencido, servirse de su cráneo como de copa, era la mayor gloria que conocían los Escitas. (*Herodoto*, apud Weiss, Conf. XVI). El derecho de los asirios era dejar arrastrarse bajo las mesas, durante los festines y al lado de los perros, a los reyes que habían hecho prisioneros después de sacarles los ojos. El amor militar y el amor al país imponían a los damascenos la orden de aplastar con carros armados de guadañas a los enemigos de la patria vencidos. «La idea que de la justicia se habían formado los romanos era ver en un mismo día el honor del triunfo para el venceder y la muerte para el vencido». (Ciceron, *Verr.* 5, 30), Weiss, loc. cit. pag. 154.

2 *Epist. ad Marcellinum*, ordine CXXXVIII, n. 15, colum. 620. S. Paulus scribens ad Hebraeos laudat Sansonem, Barac, Gedeonem, Davidem, Samuelem, aliosque qui *effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, (XII, 34).

3 Ita Urbanus II, Paschalis II, Eugenius III, *Concilia Generalia* Lateran. Lugdun, Vien, S. Bernardus, etc.

Alterum autem evidenter probat suavitas morum post Evangelii lucem inducta. Nulla autem hujus rei causa aptior efficaciorque inveniri potest quam Ecclesiae doctrina circa misericordiam, benignitatem, mansuetudinem caritatemque erga omnes homines exhibendam[1].

14. **Tribunal ethnarchicum.** Ad lites internationales componendas secundum rectam rationis regulam justitiaeque normam, et ad ingentia mala tum physica tum moralia, quae ex bello oriri solent, praecavenda, in votis semper habuit Ecclesia plurimumque adlaboravit ut nationes belligerantes uni supremo judici se subderent voluntario pacto, quemadmodum optabat ipsemet *Leibnitius*[2].

Verum ne confundas velim hujusmodi Ecclesiae Catholicae votum cum eorum deliramento qui unam conantur ex omnibus gentibus efformare societatem, quam *ethnarchicam* appellant, ita ut Status nunc independentes uni subsint auctoritati, quae omnes obligare possit. Sed vix possibilem esse stabilem omnium gentium consociationem sub regimine unius auctoritatis democratice aut monarchice constitutae, prout somniantur Socialistae et Anarchistae, quamque olim imaginati sunt nonnulli philosophi, de quibus *S. Aug.* in lib. XIX de Civit. Dei, c. 7., quisque per se videt. Illa namque universalis nationum *foederatio* sub una tantum eaque obligatoria auctoritate, cujus sit curam supremam gerere de omnibus nationum foederatarum actis eo modo quo impraesentiarum singulae sua negotia expediunt, ea, inquimus, nequit constitui, et constituta diu durare non posset[3].

Nihilominus necessitas terminandi quaestiones internationales, non quidem more belluarum, sed rationis arbitratu recentiores politicos vehementer impulit ad quamdam cultarum nationum foederationem cum suo tribunali tentandam. Sed inter se pariter dissentiunt circa naturam et extensionem potestatis illius tribunalis. Nam praetermissa *illorum* sententia qui vellent ut in singulis contractibus ineundis cum altera civitate simul constitueretur tribunal ad quod recurrerent civitates contrahentes in casu litigii, *quidam* desiderant tribunal supremum, cujus sententiis stare *teneantur* omnes gentes civilizatae. Sed huic obstat singulorum Statuum independentia. *Alii*

---

1 Cfr. Balmes, *El Protest.*, c. 15 y sigs., praesertim c. XXXI et XXXII. «Ita semper permagna vis Ecclesiae apparuit in custodienda tuendaque civili et politica libertate populorum. Ejus in hoc genere enumerare merita nihil attinet. Satis est commemorare servitutem, vetus illud ethnicarum gentium dedecus, opera maxime beneficioque Ecclesiae deletam: aequabilitatem juris, veramque inter homines germanitatem primus omnium Jesus Christus asseruit cui Apostolorum suorum resonuit vox, non esse Judaeum, neque Graecum, neque Barbarum neque Scytam, sed omnes in Christo fratres....» Leo XIII *Libertas;* Sémichon, *La paz y la tregua de Dios*, pag. 50 y sig.

2 En una carta a Grimarest escribe: «Yo sería de parecer que se estableciese en Roma un tribunal para fallar los pleitos de los príncipes y que fuera su presidente el Romano Pontífice recobrando aquella potestad judicial que ejerció en otro tiempo con los reyes». Oeuvres, t. V, pag. 65, y en Donoso Cortés, *Pio IX*, § 2, pag. 17. Obras, (Madrid 1892).

3 Cfr. Taparelli, *Ensayo*, lib. VI, c. V; Liberatore, *Jus Nat., Jus internation.*, c. III, a. 1; Schiffini, Disp. VI, sect. V; Fiore, lib. III, sec. II, c. 2.

vero exoptant tribunal ethnarchicum seu commune omnibus gentibus ad quod deferri valeant omnes controversiae nationales, ejus tamen decissiones ultro rejici aut pro libito amplecti possint. Atque in hoc tendunt recentiores politici; et ita, agente potissimum *Nicolao II* Russiae, congregatum vidimus *Congressum Pacis* et constitutum tribunal commune et permanens Hagae in Batavia an. 1899 ad lites exorituras inter nationes pacifice componendas.

Ut autem hujusmodi tribunal diu subsistere et optatos fructus parere valeat, duo sunt omnino necessaria: 1) ut non omnia negotia expedienda suscipiat, sed pauca tantum eaque graviora, v. gr. conditiones pacis, interventionis, commercii internationalis, necessitatis et modi bellum gerendi ac similium stabilire; 2) ut plena gaudeat independentia sitque ab omni partium studio alienum. Hinc

Nostra sententia. Cum nulla civilis institutio tanta floruerit scientia, justitia et probitate, fatentibus acatholicis, sicut Pontificatus Romanus, nec ulla terrena potestas tantam et in tantos diversarum nationum subditos auctoritatem exerceat sicut Petri Successores, in Romanum Pontificem tanquam optimum controversiarum judicem omnium nationum vota debent convenire. Ipse ergo personaliter, vel etiam adscitis quibusdam viris scientia, justitia et auctoritate praestantibus, constituat oportet supremum tribunal quod ad pacem universalem tuendam conservandamque desideratur.

Et hoc quidem tribunal extitit medio aevo, cum principes et populi fideles sponte suas quaestiones ad Christi Vicarium deferre consueverunt, vel Romanus Pontifex tanquam supremus omnium Christianorum pastor et judex principes rebelles et contumaces poenis spiritualibus coercebat vel etiam quandoque regno privabat, id jure illius temporis, vel libero principum subditorumque pacto, sibi concedente in memoriam beneficiorum temporalium quae a Romanis Pontificibus acceperant Respublicae Christianae. Nemo autem, qui vel summis labris historiam attigerit, ignorat quot Statibus obvenerint bona, quot mala propulsata ex hac Romani Pontificis paterna interventione[1].

1 Sobre la conveniencia y necesidad del arbitraje del Papa puede leerse el artículo *Los Papas mediadores y árbitros* por D. Manuel Carbonero y Sol, en la Revista *La Cruz*, Oct. 1885, y el Catálogo de estos, en la misma Revista, t. II, pág. 88. En 1885 el Gobierno alemán propuso y aceptó el español la mediación de León XIII en la cuestión de las Carolinas y Palaos. Véase Fernández Prida, *Conflictos internacionales* del siglo XIX, c. VI, n. 8.

QUAESTIO III

DE STATU CIVILI IN ORDINE AD SOCIETATEM RELIGIOSAM

Quaestionis objectum. Mutuas relationes inter societatem civilem et religiosam funditus eradicat *Atheismus politicus* et plus minusve pervertunt varii *Liberalismi* gradus. Ergo interest nostra 1) atheismum politicum profligare, 2) verasque relationes inter Ecclesiam et Statum stabilire. Breves tamen erimus, quoniam haec proprius ad Demonstrationem Christianam spectant.

Articulus I

De atheismo politico.

Summa rerum. 1. *Respuentes cultum publicum et socialem.—Consectaria.* 2. *Quid atheismus politicus.* 3. Thesis. *Necessaria est in societate unius religionis professio.* Prob.—*Vindicatur Ecclesia.* 4. Thesis II. *Status tenetur veram religionem profiteri ac tueri.*—Prob. 5. Thesis III. *Unica est vera religio.*—Prob. 6. Thesis IV. *Unica vera religio..... in Ecclesia a Christo instituta exclusive subsistit.*—Prob. 7. Thesis V..... 8. Thesis VI. *Ecclesia a Christo immediate fundata est sola Ecclesia Catholica.*

1. Pauci reperiuntur juristae necessitatem religionis pro individuis absolute negantes. Abundant nihilominus, praesertim a saeculo XVIII, docentes ac profitentes hominem publicum publice agentem nullo officio religionis obstringi. Hi duplicem distinguunt conscientiam; *privatam,* ad quam exclusive spectat religio, cum sit negotium privatum et mere potestativum, et *publicam,* quae relationes juridicas, externas tantummodo respicit. Duplicis generis actus pariter agnoscunt, *privatos* vere homini imputabiles ad meritum, si boni, ad poenam, si mali sint, et *publicos,* quos indiferentes seu *amorales* appellant. Ex eorumdem autem sententia, actus regiminis, utpote juridici, ab ethico elemento omnino separari debent, nihilque habet societas cum religione commune. Hinc legitime inferunt *a)* minime opus esse ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut vim obligandi a Deo accipiant; *b)* leges civiles posse et debere a divina et ecclesiastica auctoritate declinare; *c*) Statum esse prorsus independentem omniumque jurium principium et fontem [1]; proindeque *d*) Statum nullo vinculo religioso devinci.

Porro societas religione penitus orbata est societas athea. Atqui atheam

1 Syllabus, prop. LVI, LVII et XXXIX.

volunt rempublicam quotquot, hac potissimum aetate, «civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine»[1]. Quamobrem non solum *Athei*, Dei existentiam negantes, et *Deistae*, divinam in homines et mundum actionem nihilo habentes, funestisssimum hunc errorem palam denuntiant, sed in eamdem sententiam deveniunt *Indifferentistae* omnes et provectiores *Liberales*, qui Status arbitrio libertatique relinquunt aut omnino nullam, aut quam maluerint sectam, vel religionem publice amplecti et profiteri.

2. Est igitur *Atheismus politicus* systema docens *civitatem, qua civitas est, non teneri ullum Deo cultum exhibere, Statumque posse leges condere et rempublicam gubernare ac si non esset Deus, praecisa scilicet omni relatione ad ejusdem aeternam voluntatem naturali et divina lege mediante homini manifestam.*

Sed vetat justitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis jura promiscue largiri[2].

3. Thesis I. Necessaria est unius religionis in civitate professio.

Prob. 1) «Humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est natura parente; ab eoque tanquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod ad vitam et bona, quae comitantur vitae, a Deo accepimus; sic eamdem ob causam populi et civitates; idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non injuste solum sed etiam indocte absurdeque facere»[3].—Brevius. Individuum, quia a Deo est, a Deo pendet et ad Deum tendit, officio naturae cogitur Deum colere; atqui societas civilis a Deo auctore immediate descendit, a Deo pendet et ad Deum tanquam ad ultimum finem sui motus ordinatur; ergo societas civilis cultum Deo exhibere tenetur.

---

1 Pius IX, *Quanta cura*.

2 Leo XIII, *Libertas*.

3 Leo XIII, *Humanum genus*, 28 Apr. 1884. Cfr. D. Thomas, *De reg. Princip.*, lib. II, c. XVI. «Quamvis iste finis omnibus sit necessarius, divinus scilicet cultus et reverentia per observationem mandatorum, regi tamen magis competit; et hujus rei est magis debitor propter tria quae sunt in ipso, videlicet quia *homo*, quia *dominus* et quia *Rex*», ib.

2) Nequit societas salva consistere nisi sarta tectaque servetur mutua inter subditos et imperantes harmonia. Atqui nullum aliud medium praeter religionem, efficax reperitur ad continendos cives sive subditos sive principes intra limites sui officii, honestatis et justitiae, quibus transgressis, pessumdatur civitatis ordo civiumque harmonia. Ergo religio est maxime societati necessaria.

«Accusatur religio, inquit *Augustinus*, tanquam inimica reipublicae! Quae si, ut dignum est, audiretur, longe melius Romulo, Numa, Bruto, ceterisque illis Romanae gentis praeclaris viris, constitueret, consecraret, firmaret augeretque rempublicam. Quid enim est respublica, nisi res populi?. Res ergo communis, res utique civitatis. Quid est autem civitas nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiae?» [1]. Nullum autem vinculum sic civium animos forte devincit sicut religio. Recte ergo scripserat *Cicero:* Omnis humanae societatis fundamentum convellit qui religionem convellit [2].

Et certe. Nam, remota religione, cujus officia sunt omnium aliorum radix et fundamentum, non superest ulla imperandi obediendique legitima ratio, cum vis physica et metus admodum labile constituant societatis munimentum. Ergo societas quae religionem repellat diu subsistere non potest. Hinc ponendum est inter praecipua principum officia «religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, quippiam instituere aut decernere quod sit ejus incolumitati contrarium» [3]. Id enim 1) et sibi prodest; nam, ajente *Angelico Doctore:* «Omnes reges, qui ad divinam reverentiam fuerunt soliciti, feliciter suum consummaverunt cursum, qui vero et contra infelicem consequuti sunt exitum» [4], et 2) civibus debent, quibus praesunt. «Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in coelis collocatum» [5].

3) Thesim mirifice confirmat omnium populorum principumque praxis. Nullum enim unquam reperimus Statum, teste ***Rousseau,*** cujus religio basis non fuerint. «Tradunt historiae, scribit ***Angelicus,*** quod in qualibet monarchia ab initio saeculi tria se invicem per ordinem comitata sunt: *divinus cultus, sapientia scholastica* et *saecularis potentia*» [6].

1 *Epist.* CXXXVIII ad Marcellinum, t. 2, colum. 17.
2 *De Leg.*, X.
3 Leo XIII, *Immortale.*
4 *De reg. Princip.*, lib. II, c. 16.
5 *Immortale.*
6 loc. cit. «Nonne vides, ajebat Socrates (Mem. 423), quod illae civitates et gentes maxime Deos colunt, quae vetustissimae et sapientissimae sunt?».

4. Thesis II. Status tenetur veram religionem profiteri ac tueri.

Prob. «Natura et ratio quae jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti, ad eum reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate conjuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli; neque minorem quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio immemorabilium bonorum quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus jusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tanquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam adjicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat; omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle» [1].

Paucis. Status lege naturae adstringitur Deum colere; atqui Deo placere cultumque debitum exhibere nisi per veram religionem nullo modo potest. Absurdum namque est posse Deum honorari cultu falso superstitiosaque religione aut modo ab homine pro libito excogitato. Ergo Status tenetur veram religionem profiteri.

Officio naturae pariter ligatur ad veram religionem tuendam; quoniam, ut dictum est, unitas civium, pax et tranquillitas inde emanans Reipublicae subditorumque perfectio verae religionis professione potissimum comparantur. Sed summum Status officium est civium unitati consulere eorumque perfectionem promovere; ergo ea ipsa naturae lex, quae publicam instituit potestatem in bonum commune, jubet Statum religionem tueri [2].

---

1 Leo XIII, *Immortale Dei.*

2 Egregie S. Augustinus, *(Epist.*, CLXXXV *ad Bonif.*): «Et nunc reges intelligite etc. Quomodo ergo reges Domino serviunt in timore, nisi ea quae contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam rex est servit leges justa praecipientes et contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo..... *Quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare in regno vestro a quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertinet in regno vestro quis velit esse sive religiosus sive sacrilegus?*» Cfr. Eugenio Montero Rios, *Restablecimiento de la Unidad religiosa en los pueblos cristianos*, (Madrid 1897), Conf. I; Roques, *Derechos de la Iglesia, del Estado, de la familia y del individuo*, Confer. IV.

5. **Thesis III. Unica est vera religio.**

Prob. Plures numero religiones aut easdem veritates, eadem dogmata et praecepta complectuntur, aut diversa. Si primum, non plures revera, sed unam tantum constituunt religionem. Si alterum, inter se necessario opponuntur; atqui religiones invicem oppositae nequeunt omnes esse simul verae, neque omnes simul falsae, sed una indubitanter vera, ceterae vero necessario falsae. Ergo unica est vera religio. Quod religiones nunc in mundo existentes sint invicem adversae patet ex earumdem fidei professione. Nam *Monotheismus* v. gr. unum Deum tantum admittit, *Polytheismus* plures enumerat; Jesum Nazarenum verum Deum praedicat *Ecclesia Catholica,* negant *Judaei;* Trinitatem personarum confitentur *Christiani,* respuunt vero *Mahumetis discipuli,* et sic de aliis.

6. **Thesis IV. Unica vera religio, ad cujus professionem strictissimo naturae officio homines obligantur, in Ecclesia a Christo fundata exclusive subsistit.**

Id plenissime probatur in Theologia Fundamentali et limpidissima oratione breviter innuit *Leo XIII:* «Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui judicium prudens sincerumque adhibuerit: argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio aliisque similibus, liquet eam esse unice veram quam Jesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit»[1]. Ergo.

7. **Thesis V. Tum homines singuli tum Status eam profiteri tenentur religionem quae cum Ecclesia a Christo Domino instituta identificatur.**

Est praecedentium corollarium, proindeque ulteriori probatione non eget.

8. **Thesis VI. Ecclesia a Christo immediate fundata est sola Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana.**

Hanc conclusionem probandam assumit Demonstratio Christiano-Catholica, tanquam praecipuum ejusdem scopum. Ad eam ergo lectorem remittimus.

1 *Immortale Dei.*

Articulus II

De relationibus inter Ecclesiam et Statum.

§ 1

NOTANDA ET SUPPONENDA.

Summa rerum. 1. *Qua ratione subesse possit Ecclesia philosophorum considerationi.* 2. *Ecclesiae definitio:* a) *Ejusdem finis;* b) *Ecclesia est vera societas, religiosa et supernaturalis.—Reprehenduntur Gioberti et Liberales;* c) *Est societas visibilis;* d) *perfecta et independens.* 3. *Quae sit ecclesiastici regiminis forma.—Errores.—Sententia catholica.—Theologorum placita circa speciem monarchiae ecclesiasticae.* 4. *Corollarium.*

1. Ecclesia Catholica, praeciso quoque ejusdem charactere divino, omnibus, maxime philosopho, spectanda exhibetur ut *factum quoddam sociale,* quod praepotenti suo influxu et actione perpetua omnia ambit et ita ubique sentitur ut nec principes nec nationes, etiamsi velint, ab ea omnino praescindere valeant. Ergo aut pacis concordiaeque relationes instituant cum Ecclesia Catholica, aut eidem bellum denuntient necesse est. Primum in beneficium utriusque cedit, alterum in damnum vergeret societatis potius quam Ecclesiae.

2. Cum doctrina de relationibus inter Ecclesiam et Statum instituendis in utriusque natura radices habeat, post dicta de Statu, pauca de natura Ecclesiae ex Theologia Fundamentali nunc revocare juverit.

Ecclesia definitur a Theologis post ***Bellarminum***[1]*: Coetus hominum viatorum ejusdem fidei christianae professione et eorumdem sacramentorum participatione adunatus, sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue Romani Pontificis.* Ergo Ecclesiae membra triplici vinculo colligantur, fidei professione, sacramentorum participatione et obedientia legitimis Pastoribus, uni praesertim, Christi Vicario, debita.

a) Finis *proximus,* propter quem instituta fuit a Christo Domino, est sanctificatio animarum; *remotus* salus aeterna hominum, attingenda mediis supernaturalibus, fide, spe, charitate, baptismo, gratia sanctificante etc.; *ultimus* vero gloria Dei[2].

b) Ecclesia est *a) vera societas, b) religiosa* et *c) supernaturalis. a)* Tria namque elementa ad veram societatem constituendam in Ecclesia

1 *Controv. de Concil. et Ecclesia,* lib. III, *de Ecclesia militante,* c. II.
2 Cfr. P. Valent. ab Assumpt., *Theologia Fund.,* q. XII, a. 5.

reperiuntur: *multitudo* fidelium inter se adunatorum; *finis proprius* et *communis,* quem omnes persequuntur professione fidei et mandatorum Christi observatione; *auctoritas suprema* divinitus Apostolis collata. *b)* Est societas religiosa, quia ad propagandam et custodiendam religionem christianam, cum qua identificatur, instituta est. *c)* Est denique supernaturalis, quoniam *finis,* a qua societas naturam accipit, naturales hominis exigentias excedit, animarum quippe sanctificatio per gratiam omnino superat captum humanum. Hinc optime ***Leo XIII:*** «Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum atque instrumenta quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis» [1].

Cum ergo Ecclesia Catholica tanquam praecipuum scopum respiciat internam atque supernaturalem hominis perfectionem, ad quam totam ordinat christianae religionis oeconomiam, cumque id maxime quoque culturam et civilizationem promoveat, judicium proferas, quaeso, lector, tum de *mysticismo illo vitioso,* quem *Gioberti* hac in re *Sansimonianos* sequutus invenit reprehenditque in Ecclesiae Catholicae Ministris praedicantibus unice quae exclusive ad spiritum pertinet, negligentibus vero quae directe conferunt ad culturam et libertatem populorum; tum de *singulari placito quorumdam Liberalium,* juxta quos, sacerdotis officium est conscientiam tantum privatam dirigere, non autem rebus politicis unquam nec ullo modo se immiscere, neque vitia socialia palam et ex cathedra objurgare. - Utrumque falsum. Nam sicut nemo adeo ultra movit libertatem, progressum et civilizationem populorum ut Ecclesia Catholica, a nullo quoque impediri potest quominus ad ea omnia suam actionem extendat quibus offenditur vel juvatur salus aeterna fidelium.

c) Ecclesia Catholica est societas *visibilis.* Et primo quidem *materialiter,* tum ratione membrorum quibus constat, tum ratione vinculorum quibus socii coadunantur. Ecclesia, inquit egregie ***Bellarminus,*** est societas quaedam, non Angelorum, nec animarum. sed hominum. Non autem dici potest societas hominum nisi in externis et visibilibus signis consistat; nam non est societas nisi se agnoscant ii qui dicuntur socii; non autem se possunt homines cognoscere nisi societatis vincula sint externa et visibilia [2].

Confirmatur. In Ecclesia invenitur «*visibile magisterium,* a quo credenda interius exteriusque profitenda fides publice proponitur; visibile quoque *ministerium,* quod invisibilia Dei mysteria, quibus interior sanctificatio hominibus et debitus cultus Deo comparatur, munere publico

1 *Immortale Dei.*
2 Lib. III, c. XII, *de Eccles. milit.*

moderatur ac curat; visibile *regimen,* quod membrorum inter se communionem ordinat, externamque omnem et publicam fidelium in Ecclesia vitam disponit ac dirigit; visibile demum totum Ecclesiae *corpus* ad quod non justi tantum aut praedestinati pertinent, sed etiam peccatores, professione tamen fidei et communione cum eo conjuncti. Quibus fit, ut Christi Ecclesia in terris nec invisibilis nec latens sit, sed in manifestatione posita veluti civitas excelsa et illustris in monte, quae abscondi non potest, ac veluti lucerna super candelabrum, quae sole justitiae illuminata mundum universum luce suae veritatis illustrat»[1].

Est quoque visibilis *visibilitate formali,* in eo consistens quod manifestis criteriis agnosci possit et a falsis distingui. Nam tam perspicuae sunt notae quibus insignitur Ecclesia ut a nemine, qui oculos mentis apertos habeat et videri amet, ubi et quae sit, ignorari queat. E contra, qui Ecclesiae visibilitatem negant, ut *Wicleffitae, Lutherani* et *Calvinistae,* inficientur oportet hierarchiam divinitus institutam, magisterium infallibile, Sacramenta, cultum externum etc., pessum quoque dare coguntur necessitatem Ecclesiae ad salutem consequendam, quoniam nemo eam ingredi tenetur qui scire non valet ubi existat et quae inter varias vere a Christo Ecclesia fundata sit.

d) Ecclesia est societas *perfecta,* ad quam tria requiruntur: 1) ut non sit proprie pars alterius societatis; 2) ut non habeat finem alterius societatis fini subordinatum in eodem genere; 3) ut in se habeat media necessaria ad sui conservationem et proprii finis consequutionem. Atqui haec tria reperiuntur in Ecclesia ex Christi Domini institutione. Ergo est societas «genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria voluntate beneficioque conditoris sui omnia in se ac per seipsa possideat»[2].

e) Cum ergo Ecclesia sit sui juris, ut patet ex dictis, a societate civili est omnino independens.

3. **Quod attinet formam regiminis in Ecclesia** varia sentiunt acatholici. Nam regiminis forma, inquiunt theologi *Conc. Vatic.*, pendet a subjecto habente supremam in societate potestatem. Illam ergo pervertit qui hanc vel ex integro, vel ex parte subjecto denegat cui eadem competit per supremum societatis auctorem.

Et quidem in specie *a) Marsilius Patavinus* et *Joannes Jandunus* saec. XIV pro *democratia* pugnarunt, asserentes potestatem ecclesiasticam in fidelium communitate originaliter residere. *b) Protestantes* saec. XVI, cum Ecclesiam definierint *societatem aequalium,* rati sunt, conse-

1 *Schem. Concilii Vatic. de Eccles Christi,* c. IV, pág. 568.
2 Leo XIII, *Immortale Dei.*

quenter quidem ad suam doctrinam de *sacerdotio universali*, regimen Ecclesiae esse democraticum [1]; *c) Richeriani* eamdem tenuerunt sententiam docentes ecclesiasticam jurisdictionem esse populo *immediate* commissam, *ministerialiter* autem Papae et Episcopis; *d)* Idem sentiunt *Febroniani, Quesnelliani,* pluresque recentiores *Liberales,* necnon *Rationalistae* qui *multitudinismum* seu *democratismum* defendunt. *e)* His proxime accedunt *Presbyteriani,* qui, sublato Episcopali Ordine, praesbyterorum gradum extollunt et ad regendam Ecclesiam eumdem vocant. *f)* A Pio VI proscripta fuit *Pseudo-Synodi Pistoriae* sententia, «qua Parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo *judices fidei,* et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto».

Aristocratiam esse propriam regimis formam Ecclesiae tuentur, inter alios, *Anglicani, Episcopaliani* ac plerique *Methodistae,* necnon *Graeci Schismatici,* et generatim quotquot primatum jurisdictionis Romano Pontifici denegant.

Vera sententia ab omnibus catholicis admittenda his verbis exprimitur: *Forma regiminis ecclesiastici est vere monarchica.* Id logice consequitur divinam Ecclesiae constitutionem.

Disputant nihilominus theologi cujus generis sit praefata monarchia.—Resolutio omnino dependet ex variis notionibus, quas varii praebent auctores de singulis monarchiae speciebus. Nos autem in memoriam revocantes quae alibi scripsimus, sequentia tyronum considerationi submittere opportunum judicamus.

Monarchiae duplex est forma: *simplex* seu *pura,* si potestas suprema tota et indivisa in uno reperitur, et *mixta,* si collective et per divisionem pluribus insidet.

Simplex dividitur in *absolutam* et *temperatam.* Prima ea dicitur in qua princeps supremam potestatem ita solus habet possidetque ut ea nullis constitutis legibus fundamentalibus positivis coarctetur. Temperata audit cum unus imperat cum potestate legesferendi, sed intra limites legum fundamentalium, quas societas praehabet, quasque princeps praesupponit et solus immutare nequit.

Mixta illa est in qua rex gubernat sed non solus, quia potestas legislativa tota residet in corpore illo politico, cujus rex est pars solummodo, quamvis sit pars principalis [2].

Age vero. Regimen Ecclesiae Catholicae est monarchicum et quidem simplex et absolutum, cum tota et indivisa potestas in solo Romano Pontifice veluti in capite resideat eaque nullis legibus ab

1 Marcus Antonius de Dominis jus eligendi Ecclesiae ministros divina ordinatione populo competere docuit.

2 Zigliara, *Propedeutica,* lib. IV, c. 11. *Jus Nat.* lib. II, c. IV, a. 2, n. VI.

ipsa ecclesiastica societate constitutis coarctetur [1]. A fortiori formam monarchicam absolutam proclamare tenentur qui ad rationem temperati regiminis divisionem potestatis requirunt.—Verum si dicamus, ut quidam censent, praefatam Romani Pontificis auctoritatem esse limitatam per legem evangelicam fixaque statuta Christi, forma regiminis ecclesiastici vere dici potest monarchia temperata.

Iis autem ex parte solum consentimus qui tenent formam Ecclesiae esse monarchicam mixtam cum aristocratia et democratia. Monarchica scilicet, quia Romanus Pontifex supremam et independentem potestatem a Christo accepit ad regendam et gubernandam Ecclesiam. Aristocratica quatenus ex institutione ipsius Christi tenetur adsciscere in partem sollicitudinis pastoralis Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Democratica vero, quia Summus Pontifex, quemadmodum ceteri Ecclesiae ministri, ex omni populo et ex quavis conditione eligi potest.—Verum id nonnisi improprie regiminis formam constituit. Ergo regimen Ecclesiae lato tantummodo sensu *mixtum* ex monarchia, aristocratia et democratia appellari fas est [2].

4. **Corollarium.** Ex monarchica Ecclesiae constitutione atque ex suprema Romano Pontifici divinitus concessa auctoritate plane sequitur irritum fore quidquid cum societate civili, quod spectet ad Ecclesiae Catholicae jura, pactare audeant inferiores ministri etiam Episcopi, renuente Pontifice Romano.

§ 2

ERRORES CIRCA MUTUAS ECCLESIAE STATUSQUE RELATIONES [3]

Summa rerum. 1. *Scopus adversariorum Ecclesiae.* 2. *Liberalismi notio.—Ejusdem affinitas cum Naturalismo.—Essentialis Liberalismi character et nota communis.* 3. *Leonis XIII doctrina circa multiplicem Liberalismi formam.* 4. *Exponuntur gradus Liberalismi. - Radicalis.—Gallicani, Febroniani, Josephistae. —Mitior forma Liberalismi. Liberalismus catholicus.*

1. Scopus eorum, qui, nostra potissimum aetate, in quaestionibus politico-religiosis ab Ecclesia dissentiunt, est ecclesiasticam elidere actionem

1 Ad veram monarchiam absolutam tres conditiones nunnulli requirunt: 1) summum penes unum imperium; 2) ut uni omnia membra tam individualiter quam collective sumpta perfecte subjiciantur; 3) ut suprema potestas ita plene et indivivise in capite resideat ut nulla in re ab inferioribus dependeat aut limites suscipiat. Cfr. Herrmann, *Instit. Theolog.*, vol. I, Tract. II, c. II, a. 2.

2 Cfr. August. Mathaeucci O. M., *Opus dogmaticum adversus hetherodoxos.* (Colon. Agrippinae 1716) *Controv. VI*, c. III.

3 Cfr. Ramière, *Les doctrines Romaines sur l' Liberalisme* (París 1870); Benoit, *La Ciudad anticristiana en el siglo XIX*, t. I, pág. 124 et alibi saepe; A. Alonso Perujo, *El*

Statumque ab omni vinculo ideave religiosa emancipare. Quamobrem Liberalismus, etsi varias formas induat diversaque doctrinae capita pro diversis populorum circumstantiis edoceat, id semper habet pro fine: independentiam Status ab omni divina aeternaque lege tueri Ecclesiaeque ambitum intra angustos conscientiae sacrariique limites continere, ne scilicet Ecclesia ullo unquam modo ad gubernationem Status actionem suam extendat aut rebus politicis quomodolibet se intromittat.

2. Quid autem sit Liberalismus paucis explicare difficile videtur. Nonnulli cum forma regiminis, quam democraticam dicunt, pessime confundunt; alii ut optimum libertatis custodem sibi imaginantur: quidam tanquam merum systema oeconomico-politicum venditant: sunt qui duas species Liberalismi, ut Ecclesiae damnationes evitent, serpentina calliditate introducunt, alterum *politicum*, *religiosum* alterum, primum laudandum, religiosum vero jure meritoque ab Ecclesia damnatum.

Verum Liberalismus, sensu ecclesiastico, unus est, scilicet *politico-religiosus*, qui, etsi formas repraesentativas ut aptiores ad finem intentum, ut plurimum, seligat, cum iisdem tamen nequit identificari.

Ergo essentiae Liberalismi in eo sita esse videtur quod velit *imperium Dei in homines hominumque societatem repudiare*. Nam «quo spectant in Philosophia *Naturalistae*, seu *Rationalistae*, eodem in re morali ac civili spectant Liberalismi fauctores, qui posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitae deducunt. Jam vero totius *rationalismi* humanae principatus rationis caput est: quae obedientiam divinae aeternaeque rationi debitam recusans, suique se juris esse decernens, ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et judex veritatis. Ita illi, quos diximus, *Liberalismi* sectatores, in actione vitae nullam contendum esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem: unde ea Philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quae sub specie, libertatis ab observantia divinorum praeceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dare»[1]. Tessera igitur et character Liberalismi *inobedientia* est non tantum Deo, cujus imperium aut esse negare, aut ferre nolle, constituit Liberalismi capitale vitium, sed iis quoque qui divinam participant potestatem. *Liberales* quippe si dicti sunt qui «*Luciferum imitati*, cujus est illa nefaria vox *non serviam*, libertatis nomine absurdam quamdam consectantur et meracam licentiam»[2].

apologista católico, p. V, c. 6; Ramiro Fernández Valbuena, *La herejía Liberal*, (Durango 1907, 4.ª ed.); *El catolicismo liberal*, por Gabino Tejado, c. III-VI y c. X; Paulino Alvarez, *La Iglesia y el Estado*, Confer. predicadas en Lima 1906; *Manualia Philos.*, passim.

1 Leo XIII, *Libertas*.

2 *Libertas*. Cfr. Constantinus Schaezler, *Divus Thomas contra liberalismum* (Romae 1874), c. II. El liberalismo es «*un sistema político-religioso que, negando implícita o explícitamente la autoridad divina de la Iglesia proclama y defiende la supremacía del Estado sobre la misma Iglesia, o la autonomía e independencia de este en sus relaciones con aquella*». Carta Pastoral de los Obispos del Ecuador reunidos en Concilio, Quito 1885. Véase para toda esta materia Sardá y Salvany, *El liberalismo es pecado*.

3. Liberalismi «distinguitur forma multiplex: potest enim voluntas non uno modo, neque uno gradu ex obtemperatione discedere, quae vel Deo, vel iis, qui potestatem divinam participant, debetur».

a) «Profecto imperium summi Dei funditus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere in publicis, vel etiam privatis domesticisque rebus, sicut maxima libertatis perversitas, ita pessimum *Liberalismi* est genus».

b) Proxima est eorum disciplina, qui utique consentiunt, subesse mundi opifici ac principi Deo oportere, quippe cujus ex numine orta est apta natura: sed iidem leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant, vel saltem nihil esse ajunt, cur earum habeatur, praesertim publice in civitate, ratio.... Et ab hac doctrina tamquam a capite principioque suo illa manat perniciosa sententia de rationibus Ecclesiae a republica disparandis».

c) «Huic tamquam generi subjecta est opinio duplex».—1) «Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione juventutis non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla; permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam».—2) «Alii quominus Ecclesia sit, non repugnant, neque enim possent: ei tamen naturam juraque propria societatis perfectae eripiunt, nec ejus esse, contendunt, facere leges, judicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subjectos».

d) «Multi denique rei sacrae a re civili distractionem non probant, sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori et flectat se atque accomodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat»[1].

4. Ex his facile deprehendes, humanissime lector, Liberalismi *gradus*. Tres communiter recensentur, scilicet *provectior* seu *radicalis, mitior* seu *moderatus*, et *catholicus*, prout Luciferi sectatores vel *supremaliam* Status, aut ejusdem *independentiam*, vel Ecclesiae Statusque *separationem*, quamvis non semper thetice, hypothetice tamen proclamant. Uniuscujusque natura brevi formula exprimitur. Radicalis; *Ecclesia in Statu*. Mitioris: *Ecclesia a Statu Statusque ab Ecclesia sejungendus est*[2], vel ut alii proponunt: *Ecclesia libera in Statu libero*[3]. Catholici: *Romanus*

1 *Libertas*, circa finem.
2 *Syllab.*, prop. LV.
3 Hoc principium liberale proclamatum fuit a Cavour. Praeiverat tamen Machia-

Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere[1].

Explicantur diversi Liberalismi gradus in suis ad Ecclesiam relationibus spectati.

1) Et primo quidem *Liberales radicales* «non erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae atque errores. Dictitant enim *Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis*»[2]. Ecclesia igitur «non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites intra quos eadem jura exercere queat»[3]. Vere ergo *Ecclesia est in Statu eique subordinata*, cum nullam habeat potestatem a civili societate non concessam, nec valeat «suam auctoritatem exercere absque civilis gubernii venia et assensu»[4].

His proxime accedunt Gallicanismi, Febronianismi et Josephismi fautores, necnon Semi-Rationalistae pluresque Liberales qui, etsi Ecclesiam tanquam societatem perfectam et a civili distinctam admittant, ipsam tamen *indirecte* subdunt civili potestati. Contendunt nempe civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competere potestatem indirectam negativam in sacra[5], proinde quotiescumque bonum temporale reipublicae id exigat posse principes saeculares potestatem Ecclesiae limitare. — Hinc ipsis concedunt ratione *juris majestatici, jus supremum inspectionis* quoad disciplinam Ecclesiasticam, *jus supremi dominii* in bona Ecclesiae, *jus cavendi* ne Ecclesia legibus suis reipublicae noceat, *jus reformandi* abusus in Ecclesia, *jus placiti regii*, quod etiam *exequatur* dicitur, et *jus appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*[6]. Praeiverant *Marsilius Patav.* et *Joan. Jandunus*, aliique haeretici medii aevi[7].

---

vellus *(Il Principe)* docens principem saecularem non teneri de lege morali aut de religione positiva curare, sed tantum propriam respicere utilitatem.

1 prop. LXXX.

2 Pius IX, *Quanta cura*.

3 *Syllab.*, prop. XIX.

4 prop. XX. «Ad summam: sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et juribus opinione detractis plane similem habeant ceterarum communitatum quas respublica continet, ob eamque rem, si quid illa juris, si quid possidet facultatis ad agendum legitime possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis». Leo XIII, *Immortale Dei*. «El Parlamento está sobre todas las cosas, está sobre la Iglesia, decía el Sr. Morote en el Congreso Español de Diputados (Dic. 1905) y lo repetía el Sr. Canalejas en la legislatura de 1910, arrogándose el poder de legislar sobre las Ordenes religiosas *(Ley del Candado, Ley de Asociaciones)*.

5 prop. XLI.

6 ib. Cfr. Obras de D. José Dom. Costa Borras, t. 4, carta 2.

7 Cfr. Ludov. Pastor, *Historia de los Papas*, lib. I, pag. 200 y sig.

2) *Liberales moderati* «nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, ajunt, non tamen civitatis: in rebus publicis fas esse a jussis Dei desdicere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri (*El Estado neutro*). Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere»[1]. Unde ejus formula est: *Ecclesia libera et Status liber*. Verumtamen in conflictu utriusque potestatis civilis et Ecclesiasticae jus civile praevalere docet[2]. Id autem quid est aliud quam Ecclesiam Statui subordinare? Juxta *Modernistas*, «Status ab Ecclesia dissociandus est sicut etiam catholicus a cive. Quamobrem catholicus quilibet, quia etiam civis, jus atque officium habet, Ecclesiae auctoritate neglecta, ejusque optatis consiliis praeceptisque posthabitis, spretis imo reprehensionibus, ea persequendi quae civitatis utilitati conducere arbitretur»[3].

3) *Liberalismus catholicus* vel *catholicismus liberalis* Ecclesiae suprematiam speculative loquendo et in abstracto libenter agnoscit, omnes propositiones in *Syllabo* damnatas jure proscriptas esse fatetur, non probat absolute Ecclesiae Statusque separationem, et in institutis normisque civilibus sanciendis habendam esse rationem ad Deum legesque divinas non inficiatur. Verum inspectis recenti populorum civilitate et progressu, idearum expansione, conscientiae, cultus, praeli et associationis ceterarumque libertatum dominatu, aliisve praesentium temporum circumstantiis, prudentis non esse, ajunt Liberalismi catholici fautores, in praxi iis adversari, sed oportere ut Ecclesia rerum cursui accommodetur ejusque immobilitas doctrinalis tolerantiae locum cedat. – Verbo catholici liberales speculative loquendo et secundum absolutam considerationem omnia Ecclesiae doctrinae capita uti veri fideles amplectuntur, sed in hypothesi, quam versamur, mordicus tenent Romanum Pontificem debere se cum Liberalismo modernisque libertatibus reconciliare et componere. Hinc horum catholicorum frequentia effata: «Aetate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis». «Laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere»[4]. «Optimam esse conditionem societatis in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet». «Libertatem conscientiae, et cultum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeant»[5]. Veritatem se sola tueri externoque auxilio, ut vincat, non indigere, et

1 Leo XIII, *Libertas*.
2 *Syllab.*, prop. XLII.
3 Pius X, *Pascendi*.
4 Syllab., prop. LXXVII et LXXVIII.
5 Pius IX, *Quanta cura*.

cetera hujusmodi, quae passim a catholicis liberalibus proferuntur et familiaria sunt nostris gubernantibus [1].

§ 3

VERAE RELATIONES INTER ECCLESIAM ET STATUM [2]

Summa rerum. 1. *Principia thesium probationi supponenda.* 2. Theses I-III.—*Argumentis communiuntur.* 3. *Potestas Ecclesiae in temporalia Status.—Sententiae.* 4. *Vera demonstratur.* 5. *Corollarium.* 6. *De dominio temporali R. Pontificis.* 7. *Jura Ecclesiae in spiritualibus;—item in temporalibus cum bono spirituali connexis.* 8. *Status officia.* 9. *Jura Status.* 10. *Officia Ecclesiae relate ad Statum.*

1. Inter principia, quae non tantum infallibile Ecclesiae Catholicae magisterium sed rationalis quoque philosophia vera esse liquido ostendit, sequentia merito recensentur:

I. *Natura et praestantia cujusque societatis ex fine ad quem ordinatur desumenda sunt;* nam quae ordinantur ad aliud ex ipso speciem et nobilitatem accipiunt.

II. *Auctoritas socialis naturae societatis cui praeest proportionate respondet;* est enim tota propter ipsam ipsiusque forma.

III. *Societates imperiaque eamdem inter se relationem servant ac respectivi fines.*

IV. «*Tanto autem est regimen sublimius quanto ad finem ulteriorem ordinatur.* Semper enim invenitur ille ad quem pertinet ultimus finis imperare operantibus ea quae ad finem ultimum ordinantur. Sicut gubernator ad quem pertinet navigationem disponere, imperat ei qui navem constituit qualem navem navigationi aptam facere debeat; civilis autem qui utitur armis, imperat fabro qualia arma fabricet» [3].

V. *Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est,*

1 Silvela en el Congreso (7 de Oct. 1902) defendió «la libertad de enseñanza y de asociación con todas sus consecuencias, la libertad para el error y la libertad para todos». Maura ante el Parlamento (20 Dic. 1906): «He dicho que la inteligencia no delinque y lo repito». Y en el Disc. a las mayorías, 2 Oct. 1904: «Nosotros ponemos todo el empeño y todo el esfuerzo de nuestra autoridad para amparar la libre emisión del pensamiento y la libre manifestación de la vida pública». Repitió lo mismo últimamente en el Parlamento (Junio 1913).

2 Cfr., praeter cit. doctores, N. Thomas Waldensis, *Doctrinale Fidei Eccles. Catholicae*, (Parisios, prelum ascensianum 1532), t. 1, lib. III, a. 3; Liberius a Jesu, *Opera*, t. 2, *Controvers. I*; Fernández Concha, *Derecho público Ecles.*, t. 2, lib. III; *La Enciclica del 8 de Diciembre de 1864 y los principios de 1789, o la Iglesia, el Estado y la libertad* por Emilio Keller (vers. de Rubio y Ors, Barcelona 1868).

3 D. Th., *De reg. Princip.*, lib. I, c. XIV.

scilicet ecclesiasticam et civilem, *alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam* [1].

VI. *Finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilior est aliarum societatum fine* [2].

2. His innixi principiis, universam pene doctrinam de mutuis Ecclesiae Statusque relationibus velut in semine concludentibus, sequentes stabilimus theses.

I. **Potestas Ecclesiae est omnium praestantissima, neque civili imperio potest haberi inferior aut eidem esse ullo modo obnoxia** [3].

II. **Quamvis utraque potestas sit in suo genere maxima, nequeunt homines pro arbitratu suo alterius potestatis ab altera secessionem facere.**

III. **Status Ecclesiae quodammodo subordinatur.**

Prob. I.ª thesis 1) ratione originis utriusque societatis; 2) ex Ecclesiae dotibus; 3) ratione finis et 4) ex correlatione jurium et officiorum.

1) Si ad originalem Statuum efformationem attendimus, eos per naturalem Protoparentis explicationem constitutos fuisse certo reperiemus. Dixerat quippe Deus primis humani generis parentibus: *Crescite et multiplicamini.* Individuorum ergo ab Adamo per naturalem generationem procedentium coadunata multitudo societatis nomine donatur. Ecclesia vero constituitur ex hominibus per gratiam Christi regeneratis. Ergo quae sunt inter Christum et Adamum relationes eaedem ipsae vigeant necesse est inter Ecclesiam et Status. Sed Christus, utpote verus Deus, in infinitum superat gratia et natura primum hominum parentem. Ergo Ecclesia superior est Statu.

2) Ecclesia est societas *a) necessaria, b) universalis, c) unica vera.* Primum civilem communitatem adstringit Ecclesiam ingredi et, uti membra ipsi subjecta, ejusdem obedire mandatis in ordine ad vitam aeternam. Alterum revelat Statum esse in Ecclesia et non e contra. Tertium denique Statum adigit ad eam amplectendam.

3) Finem Ecclesiae, sanctificationem scilicet animarum aeternamque salutem, cum commodo temporali populorum, quod tanquam proprium finem persequitur Status, conferentes, minime dubitare licet priorem esse longe nobilissimum, alterum vero illi, sicut imperfectum perfecto, subordinari. Ergo Ecclesiae potestas, quae tum finis, quo tendit, tum naturae societatis, cui praeest, nobilitatem sortitur, est omnium praestantissima.

4) Diversa imperantium jura eamdem inter se relationem servant ac officia ipsis correlativa ex parte subditorum qui imperio subjiciuntur; atqui inter omnia officia humana eminet officium exequendi Eccle-

1 Leo XIII, *Immortale Dei.*
2 ib.
3 ib.

siae mandata; igitur jus ecclesiasticum jure civili praevalet. Illud ergo naturale divinumque praeceptum: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus,* evidenter arguit potestatem Ecclesiae praestantiorem esse qualibet civili auctoritate, haec enim cedere debet, si illa quidquam imperatorum jussis contrarium decernat.

Prob. II.ª thesis. Prima pars constat ex fine proximo utriusque potestatis, civilis et ecclesiasticae; illa quippe commodum intendit temporale subditorum, posterior vero animarum sanctificationem mediis supernaturalibus directe procurat. Atqui ex fine proximo, quo tendit, definitur ambitus auctoritatis. Igitur «habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque natura causaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur», ut eleganter scribit *Leo XIII*[1].

Secunda pars ejusdem conclusionis prae oculis ponit evidenti sane ratione ipsemet Pontifex, inquiens: «Quia utriusque imperium est in eosdem, cum usu venire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res, ad utriusque jus judiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt.* (Rom. XIII, I). Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque causae nascerentur; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti, haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria jubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires causasque invicem conciliabit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent.—Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem conjunctioni non immerito comparatur per quam anima et corpus in homine copulantur»[2]; «idque, subdit alibi, commodo utriusque partis: quarum distractio nominatim est perniciosa corpori, quippe cujus vitam extinguit»[3].

---

1 *Immortale Dei.* 2 loc. cit.

3 *Libertas.* «La Iglesia, que por en medio de las persecuciones de tres siglos llegó a enseñorearse del mundo, podrá vivir sin la protección del siglo y sin sufrir sustancialmente detrimento, ayudiendo Dios a sostenerla por vias extraordinarias: pero el siglo correrá a su ruina, si queda privado del socorro de la Iglesia. La separación del cuerpo y el alma no redunda sustancialmente en daño del alma que es inmortal, mas se convierte en gravísimo daño para el cuerpo que por esta separación muere y se corrompe». Liberatore, *La Iglesia y el Estado,* c. VI.

Prob. III.ª thesis. Ex dictis superius constat civilis Ecclesiaeque rationes dissociari nullatenus oportere, sed in potestate gerenda utramque societatem necessario colligari. Quae colligatio «*qualis et quanta ea sit aliter judicari non potest nisi respiciendo,* uti diximus, *ad utriusque naturam habendaque ratio excellentiae et nobilitatis causarum,* cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare»[1].

Hac autem regula, quae sana veraque dicenda est, proposita, nullo negotio demonstratur thesis stabilita. Etenim aut neganda est finis supernaturalis excellentia animique praestantia, si cum temporalis corporisque bono conferatur, aut admittenda est civilis potestatis subordinatio. Sed primum, si Materialistas excipias, nullum inficias ire reperies; ergo potestas Ecclesiae jure primatum tenet inter omnes potestates humanas.

Profunde, ut solet, nostram probat conclusionem *Franciscus Suarez:* Utraque potestas, inquit, temporalis et spiritualis ita conferri et possideri debuerunt, ut communi bono et saluti christiani populi proficiant. Ergo necessarium est ut hae potestates aliquem ordinem inter se observent. Alias non posset pax et unitas in Ecclesia servari. Nam saepe temporalia commoda spiritualibus repugnant. Et ideo, vel erit bellum justum inter utramque potestatem, vel necesse est alteram alteri cedere. Ergo vel potestas spiritualis erit sub temporali vel e contrario. Primum nec dici nec cogitari potest secundum rectam rationem, quia temporalia omnia ordinari debent ad spiritualem finem. Ergo dicendum e contrario est potestatem temporalem subjectam esse spirituali, ut a suo fine non deflectat. *Nam ita subordinantur potestates sicut et fines*[2].

3. Jam quaeritur nunc, *cujus generis sit haec civilis imperii subjectio* vel *qua ratione, jure aut titulo potestas Romani Pontificis extendatur ad temporalia.*

Quamvis omnes catholici praefatae sententiae libenter subscribant, Statumque teneri Ecclesiae mandatis nonnunquam obtemperare uno ore proclament, diversam tamen radicem assignant hujus subjectionis et illius potestatis supremae. Tres in hac quaestione numerantur sententiae.

I.ª *Joannes Salysburiensis, Augustinus de Ancona* cum paucis arbitrati sunt Romanum Pontificem habere potestatem *directam* in Statum *ex Christi institutione,* ita ut saecularis potestas non derivetur a Deo in principes nisi per debitam et subalternatam emanationem a Romano Pontifice. Res ergo temporales Statuum, juxta ipsos, *ratione sui* Ecclesiae auctoritati

1 Leo XIII, *Immortale Dei.*
2 *Defens. fidei cath.*, lib. III, c. XXII, n. 7.

subjiciuntur, in quas proinde imperium exercere potest Praelatus spiritualis eodem jure ac titulo quo spiritualia gubernat.—Verum haec sententia certo pessumdat auctoritatis civilis existentiam, utramque siquidem, spiritualem et temporalem, potestatem absolute confundit.

II.ª Alii, inter quos *Fenelon* et *Gosselin,* opinantur Ecclesiam nullam habere in Statum veram jurisdictionis potestatem, sed solam *directivam*, monendi scilicet, consulendi, rogandi etc. Si quid aliud fecerunt medio aevo Romani Pontifices, id, inquiunt, non jure divino fecerunt sed jure tantum positivo, Regum cessione aliisve titulis humanis.—Haec tamen assertio, ut patet, non solum non explicat sed penitus negat veram Status subordinationem.

III.ª *S. Thomas, Joan. de Turrecremata, Victoria, Suarez, Bellarminus,* quos fere omnes theologi catholici sequuntur, expresse docent Ecclesiam habere potestatem *indirectam* in Statum. Porro haec potestas ea est qua res temporales Statuum subjiciuntur Ecclesiae non ratione sui, sed quatenus referuntur ad finem spiritualem. Recte ergo dicitur *indirecta,* quia est ipsamet potestas jure divino Pontifici Romano concessa, directe, primario et principaliter spiritualia respiciens, temporalia vero complectens in quantum finis religionis id exigit, proindeque secundario et ex consequenti. Hujusmodi potestas, ut patet, major est *directiva,* minor autem *directa*[1].

Canon. Ex his sumas velim regulam certam tutamque ad vindicandam supremam potestatem in Reges, qua usi sunt medio aevo Romani Pontifices, quamque neotherici liberales ut abnormem auctoritatis extralimitationem immerito sugillant[2].

4. Optimam rationem conficit pro nostra sententia laudatus *Victoria:* «Christus, inquit, non satis providisset et cavisset rebus spiritualibus, si non reliquisset aliquam potestatem, ad quam spectaret, quando opus esset, ordinare et uti temporalibus convenienter ad finem supernaturalem. Sed hoc non spectat ad officium principum saecularium, qui ignorant proportionem rerum temporalium ad spiritualia, nec habent curam rerum spiritualium. Ergo ista cura utendi temporalibus ad spiritualia est potestatis ecclesiasticae. Ergo si necessarium sit ad

---

1 Cfr. S. Th., II *Sent., Dist.* XLIV, q. II, a. 3 ad 4; *De reg. Princ.*, lib. I, c. XV et in Boetium, *De Trinitate*, q. III, a. 3 et alibi; Turrecremata, *Summa de Ecclesia*, lib. II, c. 114.

2 Suarez assumit probandum «Pontificem Summum, ex vi suae potestatis seu jurisdictionis spiritualis, esse superiorem regibus et principibus temporalibus, ut eos in usu potestatis temporalis dirigat in ordine ad spiritualem finem, ratione cujus potest talem usum praecipere vel prohibere, exigere aut impedire, *quantum ad spirituale bonum Ecclesiae fuerit conveniens. Defens. fidei cathol.*, lib. III, c. XXII, n. 1. Cfr. ib. c. XXIII cujus titulus: *Pontificem Summum potestate coercitiva in reges uti posse usque ad depositionem etiam a regno, si causa subsistat.* Similia habet Bellarminus qui Romano Pontifici concedit *summam potestatem temporalem indirectam. De Sum. Pontif.*, lib. V, cc. VI-VIII.

conservationem et administrationem rerum spiritualium aliquando uti materiali gladio et auctoritate temporali, Papa hoc poterit» [1].

Paucis: Subordinatio, quam tuemur, in eo consistit quod Romanus Pontifex plenitudinem potestatis possidens in spiritualibus, verus regum et principum superior constituitur in iis quae necessaria sunt ad finem spiritualem consequendum. Unde si bonum spirituale subditorum exigit, principes saeculares dirigere, poenis cogere, vel etiam deponere potest.

Si historiam consulas passim hujus potestatis exercitium, annuente populo, reperies. Ea usi sunt *viginti et octo* Pontifices principes excommunicando, deponendo, subditosque a juramento fidelitatis et obedientiae absolvendo. Sic, speciminis gratia, *S. Gregorius Magnus* legem irritavit, qua *Mauritius* Imperator ne milites vitam monasticam amplexarentur prohibuit. *S. Gregorius II* anathemate percussit *Leonem Isauricum* et ab ejus obedientia Italiam subtraxit. *S. Zacharias* regnum Francorum a *Childerico III* in Pipinum trastulit. *S. Gregorius VII Boleslaum* Poloniae regem et *Henricum IV* Germaniae imperatorem excommunicavit, deposuit et imperio regnoque privavit. *Innocentius III Othonem* vinculo excommunicationis astrinxit et imperii titulis privavit. *Innocentius IV Fridericum II* Imperatorem, quem *Gregorius IX* jam excommunicaverat, e regno dejecit. *Clemens VI* et *Joannes XXII Ludovicum Bavarum* intrusum imperatorem auctoritate spoliarunt. *Bonifacius VIII Philippum Pulchrum* regno privatum declaravit, etc. etc. [2]

Corollarium. Jure ergo edixit *Leo XIII:* «*Quidquid est in rebus humanis quoquomodo sacrum,* quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus *tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne iu potestate arbitrioque Ecclesiae*» [3]. Pariterque merito proscripta est sequens propositio: *Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam* [4].

6. **De dominio temporali R. Pontificis** [5]. Praeter hanc potestatem

1 *Relect. I. De potest. Eccles.*, prop. 8.

2 «Este derecho divino estaba socorrido exteriormente por un derecho público en la edad media. La 1.ª causa que le introdujo en el derecho público fué la viveza de la fe y del buen sentido popular; la 2.ª la influencia de los Obispos en los asuntos públicos; la 3.ª la misma necesidad de las cosas, esto es, por la sangrienta irrupción de los bárbaros» Benoit, *La Ciudad anticristiana del siglo XIX*, I p., sect. II, tit. II.

3 *Immortale Dei.*

4 Syllab., prop. XXIV.

5 Cfr. Pius IX, Alloc. *Quibus quantisque, Si semper antea, Novos, Jam dudum, Maxima quidem,* Litt. Apost., *Cum catholica, Ad Apostolicae* etc.; Leo XIII, *Etsi nos*, 15 Feb. 1882; et praeter alios auctores, Victoria, *Relectio de potest. Ecclesiae.*, n. 3 et sqq. Benoit, *La ciudad anticristiana en el siglo XIX*, t. II, pag. 548 y sigs.; Mateos Gago,

indirectam in bona temporalia Status, R. Pontifex habet etiam directam potestatem in aliquas Provincias ipsi immediate subjectas. Vindicamus, ut patet, dominium temporale Romanae Ecclesiae in Status illos, quos *Victor Emmanuel* Rex Pedemonti an. 1870, agente *Napoleone III* ceterisque Europae guberniis tacite saltem consentientibus, usurpavit.

Probatur. Occupatio violenta Statuum Romanae Ecclesiae ab exercitu Pedemontano, ut *Italiam unam* fundaret, jus naturae et gentium graviter laesit; fuit igitur grande latrocinium. Prob. antec. Rem alienam, invito domino, usurpare juri naturae aperte adversatur; atqui Romanus Pontifex verum habuit dominium in Status sic dictos Pontificios, nec voluntarie cessit militibus eos per vim occupantibus; ergo Rex Pedemontanus graviter laesit jus naturale. Prob. minor. Vera et legitima cujusque rei cessio, jus haereditarium, praescriptioque verum dominium conferunt; atqui validissimis historiae tum sacrae, tum profanae testimoniis invicte demonstratur R. Pontificem titulis supradictis verum dominium super Status Ecclesiae Romanae adquisiisse; ergo.

Quinimo, etsi infirma et nulla esset primaeva occupatio, pacifica ipsorum possessio per longam saeculorum seriem per se, jure gentium, sufficeret ad verum dominium conferendum. Quis hominum, quae dynastia titulo sacratiori regni potitur imperio?[1].

Nunc autem: Cum Romanux Pontifex dominio temporali Romanae Ecclesiae nec renuntiaverit nec renuntiare possit, sed alta voce protestetur contra nefandam illam spolationem, certe praescriptio impraesentiarum locum non habet, nec favet spoliatori.

Hanc temporalem potestatem R. Pontificis olim impugnaverant *Marsilius Patavinus, Joan. Jandunus, Wicleffitae, Arn. Brixiensis*, necnon

---

Opúsculos, t. I, pág. 195 y sigs.; Fernández Concha, *Derecho público ecles.*, t. II, c. XV; Roques, *Obra cit.*, Confer. VI; L. Vewillot, *Rome est au Pape*; Costa Borrás. *Obras* t. II, Pastoral XX; La Civiltá cattolica, *Razones y derechos del poder temporal de los Sumos Pontifices* (1859); Card. Mathieu. *El poder temporal de los Papas justificado por la histotoria* (trad. de Cipriano Sevillano, Madrid 1865); Ferreiroa, *León XIII y la situación del Pontificado*, c. III; Theiner, *Codex diplomaticus S. Sedis*; Jaugey. *Diccionario Apolog.*, a. Poder temporal del Papa; Villelga Rodríguez, *Curso elem. de Apologia contemporánea*, lec. XXXVI; Franco, *Respuestas*, t. I, c. XXXI, Devivier, *Curso de Apologética crist.*, t. II, c IV, § 8; R. Nocedal, *El Pontificado y su poder temporal* (Obras, t. I, Madrid, 1907); León Carbonero y Sol, *Discurso sobre la necesidad del principado civil en la Santa Sede* (Madrid 1890); Kannengieser, *Los adversarios del poder temporal y la triple, alianza.*

1 Cfr. Sismondi, *Histoire des republ. ital.*, tit. I, c. III. «No hay en toda Europa dice J. de Maistre, una soberanía más justificada, si se permite decirlo así, que la de los Sumos Pontífices, de la cual puede decirse, como de la ley divina, *justificata in semetipsa*» *Del Papa* (trad. Barcelona 1856), lib. II, c. VI.

Lutherani et *Humanistae*, praesertim *Laurentius Valla* et *Poggio*[1]; saeculo XIX innumeri pene fuere et modo sunt qui cum *Cavour*, *Doellinger*, *Curci*[2], *Nuytz*, *Fiore*[3], negant R. Pontifici dominium temporale vel affirmant ipsum rerum cursui cedere, nec amplius amissa jura reclamare debere. Sed contra.

Dominium temporale Romani Pontificis est ipsi maxime conveniens, imo necessarium.

Probatur. Exigit bonum spirituale fidelium Ecclesiarumque regimen ut Summus Pontifex ea libertate potiatur qua possit independenter ab omni temporali potestate cum Episcopis et fidelibus expedite communicare; atqui hujusmodi libertas in vanum quaeritur dum ditioni cujuscumque principis saecularis manet subjectus, nec ejusdem libertati satis consulitur per illa immunitatis pignora a Gubernio Italico oblata; potest namque promissa non solvere vel oblata revocare. Insuper maxime dedecet summam illam potestatem spiritualem, qua mundus catholicus regitur, ab inferiori et circumscripta auctoritate in exercitio pendere vel quandoque impediri posse, aut ab ea libertatem emendicare[4].—Quamobrem «a Deo ipso sapientissime consultum est, inquit *Pius IX*, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate, Summus Pontifex ea frueretur politica libertate quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et jurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum vel partium studio duci quandoque posse, in universali procuratione gerenda, Sedem illam ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire»[5].

Hisce in genere constitutis omni prorsus difficultate vacat veras inter Ecclesiam Statumque relationes definire.—Summatim ergo damus utriusque jura et officia[6].

7. **Jura Ecclesiae.** Cum Ecclesia Catholica vi suae institutionis

---

1 Cfr. Lud. Pastor, *Historia de los Papas*, t. I, pág. 129 y sigs.; Carbonero y Sol, loc. cit., IX.

2 Kannengieser, obra cit. c. II y III.

3 *Tratado de Derecho internacional público*, p. espec. sec. IV, c. ún.

4 Cfr. Bernardo Sala, *Exposición apologética del Syllabus*, (Manresa 1876), § IX; Martinez Mingo, *La Iglesia y el Pontifice* (Tarazona 1909), t. II, c. 15.

5 *Cum catholica*, 26 Martii 1860. Cfr. *Qui nuper*, 18 Junii 1859 et *Respicientes*, 1 Nov 1870. Quod quaestio *Romana*, uti vocatur haec de dominio temporali R. Pontificis, omnibus catholicis intersit, vide Nocedal, loc. cit. et Benoit, n. 1165-1175.

6 Cfr. Propos. *Syllabi*, quas, non obstante ecclesiastica censura, pro viribus defendunt Liberales, graviter offendentes sacratissima Ecclesiae jura. Quae infra assignamus jura et officia ex Syllabo deprompta sunt.

et ratione perfectae societatis absolutam independentiam et omnimodam libertatem, in his quae proprium finem directe et immediate respiciunt, expostulet,

A) in rebus mere spiritualibus jus habet exclusivam exercendi auctoritatem, proindeque independer ab Statu potest 1) *quoad magisterium,* veritates revelatas, ut credantur proponere, quae fidem et morem attinent definire, errores religioni adversantes proscribere, doctrinam Christi libere praedicare, libros de religione tractantes post accuratam revisionem, ut in lucem edantur, approbare vel prohibere, theologicarum rerum doctrinam proprio ac nativo jure dirigere, scholas publicas ut juvenes catholice instituantur invigilare, methodum studiorum in clericorum Seminariis adhibendam, magistros quoque deligere et gradus Academicos conferre. 2) *Quoad ministerium,* normas in administratione sacramentorum servandas et conditiones ad ea suscipienda necessarias decernere; impedimenta matrimonium impedientia vel etiam dirimentia apponere, cultus sanctitatem tueri, quosdam peccatores sepultura ecclesiastica privare, sacras functiones, inconsulta civili auctoritate, peragere, et alia hujus generis plura. 3) *Quoad regimen* potest leges condere in salutem spiritualem animarum, causas ecclesiasticas ad praescriptas vel praescribendas Juris Canonici regulas per seipsam dirimere, poenis spiritualibus et temporalibus peccantes coercere, Episcopos aliosque ministros sacros instituere et determinatis Ecclesiis, absque Gubernii consensu, praeficere; novas religiosas familias adprobare, tum eorumdem, tum jam existentium vitam legibus a se exclusive latis regere et moderare; potest denique Bullas ac Brevia Pontificia necnon Episcoporum documenta ac leges, nullo praehabito civilis imperii voto, promulgare;

B) in rebus temporalibus jus habet Ecclesia ad ea omnia quae sunt cum bono spirituali connexa et ad finem supernaturalem obtinendum necessaria. Idcirco, 1) gaudet nativo ac legitimo jure adquirendi et possidendi bona temporalia; 2) eorumdem necnon redituum curam et administrationem habendi; 3) aperiendi scholas etiam pro naturalibus et litterariis disciplinis tradendis; 4) retinendi forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus; 5) exemptionis clericorum ab onere subeundae exercendaeque militiae, necnon 6) protectionis brachii saecularis, cum id ipsa ad suam missionem adimplendam necessarium censuerit.

8. **Officia Status.** His Ecclesiae juribus totidem respondent Status officia. Horum autem quaedam sunt *negativa,* alia *positiva,* omnia vero ex natura finis quem persequitur Status radicitus emanant.

Etenim, ut argumentatur *S. Thomas,* «oportet societas civilis tendat non ad felicitatem quamcumque, sed ad eam quae propria sit hominis. Jam vero homo ita debet omnia operari ut, non modo non adversetur fini ultimo, sed in quantum rei natura permittit, illius consecutionem procuret. Ergo et procuratio felicitatis praesentis ex parte societatis dirigenda est fini ultimo, in necessariis ad finem consequendum de praecepto, in ceteris de consilio»[1]. Et iterum: «Cuicumque incumbit aliquid perficere quod ordinatur in aliud sicut in finem, hoc debet attendere, ut suum opus sit congruum fini, sicut faber facit gladium ut pugnae conveniat, et aedificator sic debet domum disponere ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitae, qua in praesenti bene vivimus, finis est beatitudo coelestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad coelestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea praecipiat quae ad coelestem beatitudinem ducunt et eorum contraria secundum quod fuerit possibile interdicat»[2].

Ex quibus inferes in specie quoad *officia negativa,* Statum teneri 1) in rebus ecclesiasticis nullo modo se immiscere; 2) suis operibus fini ultimo non adversari; 3) Ecclesiae libertati non officere proinde, 4) nec impedire quominus Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent. Quod attinet *officia positiva,* Status debet 1) veram religionem amplecti et promovere; 2) Ecclesiam Catholicam in qua vera religio unice subsistit contra adversarios tueri eamque fovere, id enim Status et sibi ipsi et civibus debet, inquit *Leo XIII*[3]; 3) plenam libertatem Ecclesiae concedere 4) hujus mandatis in re spirituali vel cum spiritualibus connexa obtemperari; 5) in quaestionibus jurisdictionis dirimendis Ecclesiae judicio stare; 6) solemnes conventiones, vulgo Concordata, super usu jurium ad Ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, non rescindere, declarare ac irritas facere; demum 7) modernas, quas nuncupant, libertates proscribere, vel quantum possit, limitare.

9. **Jura Status.** Quemadmodum Ecclesia in spiritualibus sic Status *in negotiis mere temporalibus* exclusivam auctoritatem exercet. Potest ergo omnem suam activitatem in hunc finem exerere independenter a qualibet religiosa auctoritate, proindeque ea media ultro seligere quae ad bonum temporale civium consequendum necessaria vel utilia videantur, v. gr. leges justas ad publicam salutem condere, relationes

1 *De reg. Princip.*, lib. I. c. XIV.

2 ib. c. XV.

3 *Immortale Dei.* S. Leo rescripsit ad Leonem Imperatorem: «Debes inconcutanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam».

commerciales inire, foedera cum aliis nationibus firmare, milites conducere, onera proportionata civibus imponere et hujus generis alia, dummodo legi superiori nulla ex parte repugnent.

Officia Ecclesiae relate ad Statum praefatis juribus consentiunt. *Primum* ergo, cuncta officia *negativa* comprehendens, impedit quominus Ecclesia in rebus mere temporalibus Status ullo praetextu se immisceat. *Alterum*, continens officia *positiva*, non solum Ecclesiam adigit ad Status independentiam, cum propriae activitatis spheram haud praetergreditur, ultro libenterque agnoscendam, sed eam quoque moraliter adstringit ad pacem publicam, mediis omnibus fovendam commodumque temporalem civium, quantum possit, procurandum et promovendum.

Sed hac in re magnificam semper se praebuit Ecclesia nec unquam a recto juris officiique tramite deviavit. Vadem damus historiam. E contra, Status non raro ecclesiasticam libertatem offendit justitiae limites praetergrediendo.

§ 4

REFUTATUR LIBERALISMUS.

Summa rerum. 1. *Exploditur primus gradus.* 2. *Carpitur doctrina Regalistarum. – Placitum Regium: ejusdem origo historica. – Jus appellationis ab abusu.* 3. *Argumenta quibus profligatur secundus Liberalismi gradus.* 4. *Quo pacto utraque societas conjungi possit. – Regulae.* 5. *An Ecclesiae actio bono temporali societatis adversetur.* 6. *Liberalismus catholicus rejicitur.* 7. *Libertates modernae.*

Veras inter Ecclesiam Statumque relationes penitus subvertit aut graviter saltem offendit vafer Liberalismus. Sed theses in superiori § exploratae per se sufficiunt ad execrandum hujusmodi exitiale systema. Expedit nihilominus pauca subjicere ad explodendos diversos ejusdem Liberalismi gradus[1].

1. **Contra primum Liberalismi gradum.** Praeeminentiam Ecclesiae negant provectiores Liberales asserentes potestatem ecclesiasticam esse a potestate civili indistinctam vel eidem subordinatam

1 Cfr. Perujo, *Lecciones sobre el Syllabus y Manual del Apologista*; P. Villada, *Casus Conscientiae*, p. I De Liberalismo; Fernández Montaña, *El Syllabus*; *Carta Pastoral del Obispo de Cartagena acerca del Liberalismo*, 3 Marzo 1889; Donoso Cortés, *Ensayo sobre el Catolicismo, el Liberalismo y el Socialismo*, libro II, c. VIII; Vicente de la Fuente, *La pluralidad de cultos y sus inconvenientes* (Madrid 1855); Gabino Tejado, *El catolicismo liberal*, loc. cit.

Id autem 1) *pugnat cum natura societatis ecclesiasticae,* cujus originem constitutionemque divinam inficiantur Naturalistae. Est enim Ecclesiae «societas genere et jure perfecta cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui omnia in se et per se ipsa possideat» [1];

2) adversatur *a) proprio Ecclesiae muneri.* Nam «dux hominibus esse ad coelestia, non civitas sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat: ut doceat omnes gentes; ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat; brevi, ut rem christianam libere expediteque judicio suo administret» [2]; *b) modo agendi Romanorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Principumque saecularium.* «Hanc auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui juris quae ab assentatrice principum philosophia jamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere numquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant: *obedire oportet Deo magis quam hominibus.*—Eamdem Sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt: Romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare nunquam praetermiserunt.—Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt» [3].

3) *cedit in perniciem utriusque societatis civilis et religiosae.* Ut enim praeclare docet ipsemet Pontifex ***Leo XIII,*** «Ecclesiam in suorum officiorum munere potestate civili velle esse subjectam *magna quidem injuria, magna temeritas* est. Hoc pacto perturbatur ordo; quia quae naturalia sunt praeponuntur iis quae sunt supra naturam, tollitur aut certe minuitur frequentia bonorum quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret; praetereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit [4].

---

1 Leo XIII, *Immortale Dei.*

2 loc. cit.

3 ib. Cfr. S. Joan. Chrysost. in II ad Corint. Homil. XV. Ubi haec inter alia elegantur scripta reperies: «Aliud quoque imperii genus est ac civili quidem imperio sublimior. Ec quod illud est? Quod in Ecclesia viget cujus etiam Paulus mentionem facit cum ait: Obedite praepositis vestris et subjacete eis. Hoc enim imperium tanto civili excellentior est quanto coelum terra, et quantum inter corpus et animam discriminis est tantum item ab illo hoc distat».

4 ib.

Huc quoque faciunt plures Syllabi propositiones ut, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 35, 39, 42, 43 et 44.

2. **Contra Regalistas.** Graviter laedunt independentiam Ecclesiae qui eam indirecte subdunt civili potestati regibusque concedunt potestatem indirectam in sacra. Etenim «cum Ecclesia Catholica a Christo Domino fundata et instituta ad sempiternam hominum salutem procurandam perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subjaceat» [1]. Porro libertatem Ecclesiae radicitus convellunt vel nimis coarctant asserentes principibus saecularibus competere nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus quod nuncupant *ab abusu*. Hoc enim jure principibus concesso, possunt cum voluerint Acta Pontificia et Episcopalia detinere, causasque ab Ecclesiae definitas irritas facere, quod directe adversatur Ecclesiae Catholicae independentiae [2].

Objicitur *regium Placet* esse principum praerogativam sponte ab Ecclesia concessam et jam praescriptione firmatam.

Resp. *Jus placiti* est praerogativa ab Ecclesia principibus saecularibus concessa in quantum per illud civilis auctoritas declarat nullam vim habere in sua ditione Bullas ac Brevia Pontificia et acta quaecumque ad regimen Ecclesiae pertinentia quibus non fuerit impertita regia promulgationis licentia, nego: quatenus est facultas revidendi et authenticas declarandi litteras pontificias fuit quondam Episcopis vel etiam quibusdam personis saecularibus, sed transeunter tantum, collata, concedo.

Etenim, tempore magni Schismatis Occidentis, *Urbanus VI*, ut acta legitimi Pontificis cognoscerentur, Episcopis facultatem fecit eadem examinandi antequam executioni demandarent. Hanc autem amplioremque facultatem sibi immerito reges arrogarunt.

Quod autem per plura saecula hac usurpata facultate reges usi sunt nullam fundat praescriptionem verumque jus. Imo factum contra jura nativa Ecclesiae, utpote divina, praescribere nunquam potest, nec adversus praedictam usurpationem reclamare aliquando destitit Ecclesia. Nam praeter alios Pontifices, *Pius IX* damnat quos «minime pudet affirmare Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et adprobatione, vel minimum assensu potestatis civilis» [3]. Et sequentes proscripsit propositiones: «Episcopis,

---

1 Pius IX, *Litterae Apost.* 27 Mart. 1860.

2 Camil. Tarquini, *Dissertatio de Regio placet*, pag. 133 et seqq.; Fernández Concha, *Derecho público ecl.* t. 2, lib. III, c. IV-VI; Vicente de la Fuente, *La retención de Bulas en España ante la historia y el Derecho* (Madrid 1865).

3 *Quanta cura.*

sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare». «Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tanquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae» [1].

Jus appellationis ab abusu quod sibi pariter arrogat Status ecclesiasticam auctoritatem devincit eamque arguit Statu inferiorem. *Appellatio* namque est *ab inferiori ad superiorem judicem provocatio*. Ecclesiae autem a nulla potestate temporali judicari potest «Si deviat terrena potestas, inquit *Bonifacius VIII*, judicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritualis, minor a suo superiori; si vero suprema a solo Deo, non ab homine poterit judicari» [2].

Et haec fuit concors sententia Patrum. Sit unus pro omnibus. *S. Ambrosius* scribit: «Allegatur *Imperatori licere omnia, ipsius esse universa*. Respondeo: Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quae divina sunt imperiale aliquod jus habere; noli te extollere; sed si vis divinitus imperare, esto Dei subditus, sicut scriptum est, quae Dei Deo, quae Caesaris Caesari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesia; publicorum tibi moenium jus commissum est non sacrorum [3].

Instant Status esse Ecclesiam protegere, idcirco eidem competere *jus cavendi* ne potestas ecclesiastica aliquid statuat quod civium fideliumque pacem perturbet. Id instant Regalistae ut vaferrima simulatione *jura majestatica*, etsi Ecclesiae independentiae contraria, in regiam conferant auctoritatem.

Sed respondeo aliud esse protectionis officium, aliud *jus cavendi*, quo per intrusionem Status limitatur Ecclesiae potestas et omnino irrita saepissime redditur. Auxilium protendat Status, cum id expostulet Ecclesia, sed rebus sacris non se immisceat. Merito ergo Ecclesia Catholica quemadmodum, duce *S. Gregorio VII*, invicte pugnavit medio aevo contra *investituras*, fortiter nunc resistit recentis Liberalismi principumque saecularium conatibus adversus ecclesiasticam libertatem.

---

1 Propos. XXVIII, XXIX. Cfr. Liberatore, *La Iglesia y el Estado*, c. VIII. «Peor regalía y la más detestable de todas en sus efectos, ha dicho Menéndez y Pelayo, fué la del *Placet. Regium Exequatur, Pase regio o retención de Bulas* que comenzó abusivamente en tiempo del Cisma de Aviñón. Las primeras *retenciones* son de los tiempos de D. Juan II de Castilla y de D. Alfonso V. de Aragón, que en 1423 pretendió legalizar esa medida dictatorial y transitoria, tolerable quizás en tiempos tan conturbados como los del cautiverio babilónico; pero inicua y desastrosa en tiempo de paz. Ni hay legislación antigua en que se funde el tal *Exequatur*, arma predilecta de todos los gobiernos hipócritamente impíos, que mediante ella quieren arrogarse el derecho de mutilar las palabras y enseñanzas pontificias y aun el de impedirlas llegar a oídos de los fieles. La Bula de Alejandro VI del 26 de Junio de 1493, solo concede un derecho de *revisión*, no más que para averiguar si las Bulas de *Indulgencias* eran auténticas o falsificadas. Y aun esta revisión habían de hacerla el capellán mayor de los Reyes o el Ordinario de la Diócesis, asistidos del Nuncio de su Santidad. Sobre tan liviano fundamento se ha querido levantar este monstruoso y anticanónico privilegio». *Los Heterodoxos Españoles*, t. 3, lib. VI, c. I, § 2 (Madrid 1881).

2 *Unam sanctam*. Cfr. Cadena y Eleta, *Tratado teórico-práctico de Procedimientos Eclesiásticos*, tom. II, tit. II, c. III.

3 *Epist.* XIV, alias XXXIII, ad *Marcellinum*.

3. **Contra secundum gradum Liberalismi.** Liberalismus temperatus iisdem rejicitur argumentis queis declaravimus Jus Naturae *amoralem* esse non posse, Statumque vinculo religionis essentialiter obstringi Deum honorare et ad divinae justitiae normam leges ferre moresque componere.

Praeterea societas civilis nequit salva consistere, ut supra demonstratum reliquimus, absque religione. Vera autem religio unice Ecclesia Christi est; ergo Status ab Ecclesia sejungi non potest quin vita socialis in discrimen vocetur. Velle igitur rei sacrae civilisque distractionem est velle societatis interitum.

Liberales moderati quatuor solummodo systemata circa Ecclesiae Statusque relationes inveniunt a ratione excogitata et in saeculorum decursu ad praxim modo unum, modo alterum reducta, quorum 1.m utriusque confusionem tuetur; 2.m Ecclesiam civili imperio esse subordinatam proclamat; 3.m defendit Statum quadantenus Ecclesiae auctoritati subjici; 4.m denique omnimodam utriusque separationem desiderat. Sed tria priora Ecclesiae Statusque naturae adversantur. Ergo posterius, tanquam unicum verum et in praxi possibile systema, seligendum est, secus, ajunt memorati Liberales, Ecclesia convertitur in instrumentum Status, vel vicissim, aut saltem Status esset in Statu ex quo plurimae orirentur perturbationes [1].

Sed falluntur certissime; nam dari potest, quemadmodum historia plurium saeculorum testatur, mirabile inter utramque potestatem *consortium sine confusione, distinctio sine distractione.* - Quomodo autem id explicetur, admissa potestate illa quam Ecclesia indirecte nonnumquam exercet in Statum quin ipsum absorbeat laedatque libertatem, haud difficulter colligi potest ex relationibus societatis domesticae, quae in ordine ad bonum commune Statui quodammodo subordinatur quin amittat sua nativa ac legitima jura. Imo etsi conflictus, quos fingunt, ex superioritate Ecclesiae orirentur, nihilominus praevalere deberet jus ecclesiasticum, utpote divinius. Sed hujusmodi conflictus ex parte ecclesiae non sunt pertimescendi. «Ut enim se habent in homine spiritus et caro, ita se habent in Ecclesia duae illae potestates. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus negotiis dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum» [2]. Quod si negotia temporalia bono spirituali plane repugnarint, obessent pariter reipublicae commodo et fini.

4. Ut autem concordia, quae inter utramque potestatem desideratur, crescant omnia, his principiis regulari debet utriusque colligatio.

---

1 Sic Tagliaferri, *Rivista Universale di Genova*, Cuaderno LX, et alii. Cfr. Benoit, *La ciudad anticristiana en el siglo XIX*, t. II; Liberatore, loc. cit.; Cayetano Soler, *La Iglesia separada del Estado* (Barcelona 1911).

2 Bellarm., *De Rom. Pont.*, lib., V, c. 6.

I. «Quidquid est in rebus humanis quoquomodo sacrum, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae». In *rebus* ergo *spiritualibus* Ecclesia omnimodam potestatem exercet.

II. «Cetera vero quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta». In negotiis igitur *mere temporalibus* Status est omnino independens. Ecclesia his nullatenus se immisceat.

III. In materiis *mixtis* amico foedere componi debent, et in casu conflictus quae natura sua inferior est cedere. «Incidunt autem quandoque tempora cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex Romanus de re *aliqua separata* in idem placitum consenserint *(Concordata)*. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest» [1].

5. Eorum autem opinamenta, qui rempublicam volunt ab Ecclesia penitus sejunctam, arbitrantes Ecclesiae actionem in Statum hujus bono et commodis adversari, invicte refutat *Leo XIII*, haec pereleganter scribens: «Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat: cum religio per Jesum Christum instituta, in eo, quod aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela, ubique floreret, cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. *Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione majores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt*.....

«Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: majoraque expectari jure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae majore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod *Ivo Carnutensis* ad Paschalem II Pontificem Maximum rescripsit: «cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant non tantum parvae res non crescunt sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur» [2].

6. **Contra Liberalismum Catholicum.** Hujusmodi systema 1) *est in se antithesis plane repugnans. a)* Nam ut aliquod attributum vere de subjecto praedicetur necesse est quod subjecto conveniat, secus falsa erit

1 Leo XIII, *Immortale Dei*.
2 loc. cit. Cfr. Keller, Obra cit. c. XX y XXI.

appellatio. Atqui attributum hoc *liberalis,* sensu ecclesiastico usurpatum, nullo modo huic subjecto *catholicismo* convenit et vicissim. Ergo sicut repugnat album-nigrum, bonum-malum, ita implicat in terminis *Liberalismus-Catholicus,* vel *Catholicismus-Liberalis. b)* Qui catholici nomine et professione gloriantur sequentem cum Rom. Pontifice debent proscribere propositionem: «Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere»[1]. Sed Liberales de quibus agimus praefatam propositionem pro viribus defendunt. Utraque ergo et simultanea Catholici et Liberalis professio plane repugnat[2];

2) *gravi inconsequentia laborat.* Etenim, speculative loquendo omnia Ecclesiae dogmata principiaque religioso-politica libenter amplectitur, practice vero publiceque ipsamet inficiatur vitamque socialem ordinat ad *novi juris* normam recentisque civilizationis placita;

3) *causam impietatis agit.* Indubium quippe est religiosae civilisque rei subversionem plurimorum pusillanimitate et frequentibus cum adversariis transactionibus potius quam radicalium impetu excitatam esse; specie siquidem probitatis et apparenti religionis amore inter catholicos versantes, vero tamen spiritu Christi destituti, Liberales incautos decipiunt et innocentes non paucos ad suas partes alliciunt minuuntque aperte fortiterque pugnantium numerum[3].

4) *manus amicas Ecclesiae hostibus praebet.* «Quamquam filii saeculi, ajebat ***Pius IX,*** prudentiores sint filiis lucis, eorum tamen fraudes et violentia minus fortasse proficerent nisi multi, qui catholicorum nomine censentur, amicam eis manum porrigerent. Non desunt enim qui, veluti jugum cum illis ducturi, societatem nectere conantur inter lucem et tenebras ac participationem inter justitiam et iniquitatem per doctrinas, quas dicunt, *catholico-liberales,* quaeque perniciosissimis fretae principiis laicae potestati spiritualia invadenti blandiuntur, animosque in obsequium aut saltem *tolerantiam* iniquissimarum legum perinde inclinant ac si scriptum non esset: *Nemo potest duobus dominis servire.*— Hi vero periculosiores omnino sunt et exitiores apertis hostibus, tum quia inobservati et fortasse etiam nec opinantes, illorum conatibus obsecundant, tum quia intra certos improbatarum opinionum limites consistentes, speciem quamdam probitatis et inculpabilitatis doctrinae praeferunt, quae imprudentes alliciat conciliationis amatores et decipiat honestos qui apertum adversantur errorem, atque ita dissociant

---

1 prop. LXXX *Syllabi,* Pii Pp. IX.

2 Cfr., praeter P. At, Gabino Tejado, *El Catolicismo Liberal,* c. VI.

3 Conferatur Allocut. *Scite observatis* Pii Pp. IX ad scriptores folii periodici *La Croix,* Bruxelles, 21 Maii 1874.

animos, unitatem discerpunt, viresque conjunctim opponendas adversariis infirmant»[1]. Liberales ergo catholici lupi sunt ovina pelle contecti.

His aliisque rite perpensis logice inferre licet cum ipsomet praeclarissimo Pontifice liberalismum esse «systema apposite comparatum ad debilitandam Ecclesiam Christi»[2].

5) Demum, quod caput est, pro viribus tuetur atque defendit, tanquam optima rationis recentisque civilitatis pronuntiata, *modernas*, quas dicunt, *libertates* conscientiae, cultuum, cathedrae, associationis et praeli.

7. Ecclesia vero duce, rectum de iisdem libertatibus sequens esto judicium: 1) «Nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti jura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari jus esset nec ulla temperari lege libertas humana posset»; 2) «ista genera libertatis, posse quidem, si justae causae sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent»; 3) «ubi vero harum viget consuetudo eas ad facultatem recte faciendi cives transferant, quodque sentit de illis Ecclesia, idem ipsi sentiant. Omnis enim libertas legitima putanda quatenus rerum honestarum majorem facultatem afferat, praeterea nunquam»[3].

Probatur. Veritas enuntiatarum propositionum luce meridiana uno contextu clarescet, natura eorumdem libertatum, prout a Liberalismo intelligitur, cum obvia germanaque libertatis notione collata.

Libertas est *dos rationis et voluntatis ad hominis bonum perfectionemque ordinata*. Sed quemadmodum intellectus sola veritate, sic voluntas nonnisi bono perficitur. Ne igitur libertas a sua natura discedat et vitio inquinetur, ordinem veri et boni transgredi nunquam potest. Essentia ergo libertatis non est in eo posita ut agat quod lubet, sed in eligendo media ad verum et bonum consequendum idonea, proindeque ad errorem et vitium ipsi jus nullum est. Tendere namque in id quod rationi et virtuti adversatur non est libertas sed naevus indiciumque libertatis. Rectius *licentiam* appellaberis.

Nec aliud infertur ex egregia *S. Thomae* definitione a tota venerabili antiquitate recepta: *Libertas est facultas electiva mediorum, ser-*

1 Alloc. *Per tristissima*, ad Praesidentem et Sodales Circuli Sti. Ambrosii Mediolani, 6 Martii 1873.

2 *Jam dudum*, 18 Martii 1861.

3 Leo XIII. *Libertas*, circa finem.

vato ordine finis. Id igitur facere quod ab ordine finis certo deviat, non libertas sed meraca licentia est. Atqui ex facultate cogitandi, loquendi formisque litterarum exprimendi quodcumque libeat in his quae Deum, religionem et mores respiciunt, non tantum hominis ab ultimo fine sequeretur aversio, sed in societate ipsa «vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura» [1]. Sic autem modernas libertates intelligunt Liberalismi asseclae. Ergo easdem ut totidem jura defendere et largiri nefas est. Nihilominus aliquando tolerari possunt *tolerantia civili,* non dogmatica, quae nunquam licet, sicut tolerantur mala quae vitari nequeunt. Semper tamen conandum est ut vera illa et nunquam satis aestimanda libertas, *qua a servitute peccati Christus nos liberavit,* ubique ***regnet, imperet, dominetur.***

L. D. V. M.

---

1 Leo XIII, *Libertas.*

INDEX MATERIAE.

Pagina.

Dedicatio. 4
Ordinarii Licentia. 5
Licentia Ordinis. 7
Lectori benevolo. 9
Introductio.—Auctoris propositum. 11

DISPUTATIO PROOEMIALIS

DE PHILOSOPHIA MORALI UNIVERSIM SPECTATA.

QUAESTIO UNICA.—*Art. I.* Natura et momentum Philosophiae Moralis 13
Art. II.—Historia, methodus et divisio Philosophiae Moralis. . . 24

ETHICA

Dicendorum ordo. 35

DISPUTATIO I

DE ULTIMO FINE ACTUUM HUMANORUM.

QUAESTIO I.—De ultimo fine hominis in genere. 39
Art. I.—Praenotiones. 39
Art. II.—An homini conveniat agere propter finem. 43
Art. III.—Utrum homini conveniat agere propter ultimum finem seu de existentia ultimi finis in communi. 49
Art. IV.—De subjectiva relatione actuum humanorum in finem. . . 57
QUAESTIO II.—De ultimo fine in particulari seu de beatitudine objectiva. 61
Art. I.—Falsae philosophorum sententiae circa beatitudinem objectivam. 61
§ 1.—Erronea exponuntur systemata. 61
§ 2.—Reprobatur hedonismus. 65
§ 3.—Utilitarismi sententia refutatur. 68
§ 4.—Refellitur progressismus. 74
Art. II.—Communitur vera sententia. 76

Pagina.

QUAESTIO III.—De beatitudine formali 80
Art. I. - De essentia beatitudinis subjectivae 81
§ 1.—Proponuntur variae philosophorum sententiae 81
§ 2.—Defenditur vera sententia variisque difficultatibus occurritur 84
Art. II.—Utrum beatitudo possit haberi in hac vita 96
§ 1.—Suadetur beatitudinem supernaturalem nullatenus repugnare 97
§ 2.—De inamissibilitate beatitudinis 104
§ 3.—Utrum in hac vita possit aliquis plenam beatitudinem consequi 108

DISPUTATIO II

DE ACTIBUS HUMANIS IN ORDINE AD EORUM PRINCIPIUM INTRINSECUM SEU IN SUO ESSE PHYSICO INSPECTIS.

QUAESTIO I.—De voluntario 115
Art. I.—Praesupponenda voluntario 115
Art. II.—Voluntarii notio 119
Art. III.—De divisionibus voluntarii 123
§ 1.—Species voluntarii 123
§ 2.—De voluntario in se et in alio 129
Art. IV.—De actibus voluntatis 135
QUAESTIO II.—De iis quae influunt in voluntarium 141
Art. I.—De ignorantia, prima involuntarii causa 142
Art. II.—De influxu passionum in voluntatem 147
§ 1.—De concupiscentiae influxu in actum voluntarium . . . 147
§ 2.—De habitibus prout in actum liberum influunt ad augendam vel minuendam ejusdem actus libertatem 153
§ 3.—De his quae magis remote influunt in voluntarium . . . 156
Art. III.—De violentia, tertia involuntarii causa 167
Art. IV.—An et quomodo metus influat in actum liberum 171

DISPUTATIO III

DE ACTIBUS HUMANIS IN SUO ESSE MORALI.

QUAESTIO I.—De essentia moralitatis 176
Art. I.—De existentia ordinis moralis 177
Art. II.—Philosophica moralitatis notio seu de constitutivo moralitatis 185
Art. III.—Proximum et formale specificativum moralitatis . . . 192
QUAESTIO II. –Norma seu criterium moralitatis 196

Pagina.

Art. I.—Carpuntur falsae philosophorum sententiae circa normam objectivam moralitatis 197
§ 1.—Varia Philosophorum placita (*Historice*). 197
§ 2.—Refutantur memorata systemata. 202
Art. II.—Statuitur vera moralitatis norma. 209
Art. III.—De primo principio moralitatis 215
Art. IV.—De facultate cognoscitiva moralitatis seu de criterio subjectivo 219
QUAESTIO III.—De fontibus moralitatis. 25
Art. I.—De objecto, primo moralitatis fonte. 225
Art. II.—De circumstantiis. 229
Art. III.—De fine, tertio moralitatis fonte. 235
QUAESTIO IV.—De speciebus moralitatis. 246
Art. unicus.—De indifferentia actuum humanorum. 246

DISPUTATIO IV

DE ACTIBUS HUMANIS IN ORDINE AD EORUM PRINCIPIUM EXTRINSECUM SEU DE LEGE MORALI

QUAESTIO I.—De natura et proprietatibus legis. 258
Art. I.—Legis moralis notio 258
A) Expenditur illud definitionis verbum: Rationis ordinatio. . . . 261
B) Ad bonum commune 265
C) Ab eo qui curam communitatis habet. 267
D) De legis promulgatione. 269
Art. II.—De proprietatibus legis moralis in genere. 275
QUAESTIO II.—De diversis legum speciebus. 279
Art. I.—De lege aeterna, summo omnium legum fonte 279
Art. II.—De Lege Naturali. 288
§ 1.—Notio legis naturae. 288
§ 2.—De principio obligationis legis naturalis. 295
§ 3.—De proprietatibus legis naturae. 301
§ 4.—Penitior essentiae legis naturalis investigatio. . . . 309
§ 5.—De legis naturalis sanctione. 316
Art. III.—De lege positiva. 325
§ 1.—Natura legis positivae declaratur. 323
§ 2.—De obligatione legis positivae. 329
§ 3.—De humanarum legum mutatione. 332
Art. IV.—De Jure Gentium 335

DISPUTATIO V

DE CONSCIENTIA.

Pagina.

QUAESTIO UNICA.—De conscientia. 344
Art. I.—Generales conscientiae notiones. 334
Art. II.—Conscientiae divisiones. 347
Art. III.—De obligatione sequendi conscientiam. 350

DISPUTATIO VI

DE HIS QUAE CONSEQUUNTUR ACTUS HUMANOS RATIONE BONITATIS VEL MALITIAE.

QUAESTIO I. —De attributis actus moralis. 354
Art. I.—Utrum actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habeat rationem rectitudinis vel peccati. 355
Art II,—De imputabilitate actus humani. 357
Art. III.—De merito et demerito. 359
QUAESTIO ALTERA.—De virtutibus et vitiis. 367
Art. I.—De habitibus in genere. 867
Art. II.—De virtutibus. 370
§ 1.—De essentia, subjecto et divisione virtutum 370
§ 2.—De proprietatibus virtutum moralium. 380
Art. III.—Nonnulla circa vitia notantur. 386

JUS NATURAE

Prologus. 395

DISPUTATIO I

DE JURE ET OFFICIO GENERATIM INSPECTIS.

QUAESTIO UNICA.—*Art. I.*—Declarantur natura divisionesque Juris. 398
§ 1.—Juris notio et origo. 398
§ 2.—Juris divisio. 405
§ 3.—De proprietatibus juris. 408
§ 4.—Officii notio, divisio atque suspensio. 411
Art. II.—Juris officiique subjectum. 416
Art. III.—De jure et officio inter se collatis. 419

DISPUTATIO II

DE JURE INDIVIDUALI.

Pagina.

QUAESTIO I.—De religione. 425
Art. I.—Utrum homo teneatur exhibere Deo debitum cultum. . . 426
§ 1.—Religionis existentia demonstratur. 426
§ 2.—Religionis natura penitius investigatur. 434
Art. II.—De religione interiori. 441
Art. III.—De religione exteriori. 450
Art. IV.—De religione naturali. 459
QUAESTIO II.—De officiis hominis erga seipsum. 471
Art. I.—De officiis immanentibus in genere. 471
Art. II.—De officiis hominis circa animam. 476
Art. III.—De officiis hominis quoad corpus. 479
§ 1.—Praenotiones. 479
§ 2.—Reprobatur suicidium directum. 484
§ 3.—De suicidio indirecto et membrorum mutilatione . . . 494
§ 4.—Officia positiva hominis erga suum corpus. 497
QUAESTIO III. - De officiis hominis erga alios homines. . . . 502
Art. I.—De dilectione proximi. 503
Art. II.—De mendacio. 507
Art. III.—De homicidio. 515
Art. IV.—De duello. 523
Art. V.—De Jure Proprietatis (*Quaestio socialis*). 530
§ 1.—Adumbratur quaestio. 531
§ 2.—Praenotanda (*Historice*). 536
§ 3.—Notiones, natura et species Communismi. 546
§ 4.—Utrum homo jus habeat possidendi dominio perfecto stabiles proprietates. 552
§ 5.—Expenditur privatae proprietatis fundamentum. . . . 560
§ 6.—An et quo jure teneantur homines ad divisionem stabilium proprietatum. 564
§ 7.—De individua juris proprietatis actuatione. 570
§ 8.—Practica remedia ad problema sociale solvendum. . . 575
§ 9.—De salarii definitione. 585
Art. VI.—De usura. 596

DISPUTATIO III

DE JURE SOCIALI (*Sociologia*).

QUAESTIO I.—De societate domestica (*Jus sociale privatum*). . . 608
Art. I.—De societate conjugali. 609

Pagina.

§ 1.—Notiones generales 609
§ 2.—De sanctitate matrimonii prout est in officio naturae . . 614
§ 3.—De sanctitate matrimonii quatenus est sacramentum et de potestate eidem apponendi impedimenta 623
§ 4.—De unitate matrimonii 629
§ 5.—De indissolubilitate matrimonii 632
Art. II.—De societate parentali 637
§ 1.—De patria potestate 637
§ 2.—De jure docendi 644
§ 3.—De officiis filiorum erga parentes 649
Art. III.—De societate herili 652
QUAESTIO II. — De societate civili (*Jus sociale publicum*) 665
Art. I.—Praenotiones genericae 665
Art. II.—De causa efficiente seu de origine societatis civilis . . . 669
§ 1.—De origine societatis civilis generatim inspectae . . . 669
§ 2.—De causa proxima efficiente, sive de origine societatis civilis in concreto 680
Art. III.—De causa materiali societatis seu de multitudine . . . 686
§ 1.—De primo et immediato societatis civilis elemento . . . 686
§ 2.—De feminarum emancipatione 690
Art. IV.—De causa finali societatis 698
Art. V.—De causa formali societatis 706
§ 1.—De necessitate principatus in humana societate . . . 707
§ 2.—De origine auctoritatis 711
A) Causa efficiens auctoritatis socialis in genere 711
B) De modo quo auctoritas principi vel praesidenti communicatur . . 717
C) De origine auctoritatis socialis in concreto 724
§ 3.—De variis regiminis formis 729
A) Notiones praeviae 729
B) De regiminis formis sigillatim et in se sumptis 733
C) De formis regiminis inter se collatis cum abstracte tum concrete. 742
Art. VI.—De functionibus politicae auctoritatis 751
§ 1.—De extensione politicae auctoritatis 751
§ 2.—De potestate legislativa 756
§ 3.—De potestate judiciaria 765
§ 4.—De potestate executiva 779
Art. VII.—De officiis subditorum erga politicam potestatem . . . 787
§ 1.—De obedientia legitimis superioribus, juste et honeste imperantibus, debita 788
§ 2.—De resistentia contra tyrannum 790

DISPUTATIO IV

DE JURE INTERNATIONALI.

Pagina.

QUAESTIO I.—De jure internationali in universum 805
Art. unicus.—Notiones 805
QUAESTIO II. - De juribus et officiis inter societates civiles . . . 808
Art. I.—De principio nationalitatum 809
Art. II. -Expenditur principium «non interventionis» seu jus neutralitatis 814
Art. III.—De natura et justitia belli 817
QUAESTIO III.—De statu civili in ordine ad societatem religiosam . . 829
Art. I.—De atheismo politico 829
Art. II.—De relationibus inter Ecclesiam et Statum 834
§ 1.—Notanda et supponenda 834
§ 2.—Errores circa mutuas Ecclesiae Statusque relationes . . 838
§ 3.—Verae relationes inter Ecclesiam et Statum 842
§ 4.—Refutatur Liberalismus 853

INDEX NOMINUM[1]

A

Adams 693
Adler 32
Aegidius 82
Aertnys 130
Aesopus 25
Agreda 695
Ahrens 30
Alamannus 14
Albert 612
Albertus Magnus 87
Alensis 250
Alex. Aphrodiensis 25
Alfonso el Sabio 258
Aliaco 304
Alimena 771
Allard 652
Allemane 542
Alphonsus (S.) 479
Alvarez 257.
Amador y Andreu 14
Amat 61
Ambrosius (S.) 306
Ancillón 222
Ancona 846
Andrade 298
Andreas a Cruce 48
Andronius Rhodius 25
Angiolillo 549
Anselee 543
Anselmus (S.) 169
Anthistenes 25
Antoine 531
Antonelli 157
Antonius a S. Joseph 119
Antonius a Sp. Sto. 113
Antoninus (S.) 344
Apulejus 25
Arenal 696
Arendt 14
Arias 594
Ariminensis 310
Aristippus 25
Aristóteles 15
At 670
Audisio 27
Auerbach 543
Augustinus (S.) 15.
Augusto Nicolás 322.
Avebury 688
Aveling 543
Azcárate 642
Aznar 447.

B

Babeuf 540.
Bachofen 633.
Bachon 15.
Bagshawe 581
Bain 45
Bakunin 182
Ballerini-Palmieri 515
Balmes 27
Bañez 26
Baptista Mantuanus 194.
Baratta 688.
Barbedette 18.
Barbens 159.
Barbeyrac 26.
Barbier 500.
Barcia 544.
Basilius (S.) 26.
Bastiat 556.
Baumgarten 159
Baunard 110
Bautain 257
Bax 543
Baye 18
Bayet 198
Bazard 540
Beattie 221
Beaufretón 691
Beaunis 166
Bebel 63
Beccadelli 199
Beccanus 280
Beccaria 686
Becker 543
Bellarminus 342
Bello 806
Below 523
Benedictus XIV 529
Beneque 160
Benítez de Lugo 64
Benoit 648
Bentham 34
Bergier 160
Berlioux 664
Bernal Zurita 769
Bernardus (S.) 344
Bernstein 543
Bert 18
Berti 218
Bertillón 499
Bertrand 484
Besalu 14
Biederlack 531
Biel 310
Bierling 404
Billuard 39
Bismark 110
Bisolati 542
Blanc y Benet 500
Blatchford 543
Blazquez 549
Block 34
Bluntschli 712
Bodin 538
Boetius 62
Bohm-Bawert 592
Bolingbroke 460
Bonae Spei 82
Bonafulla 549
Bonaventura (S.) 60
Bonifacius VIII 856
Bonniot 162
Bonomi 543
Bonzom 693
Boris de Saint Vicent 417
Bougaud 446
Bouix 288.
Bouquillon 24
Boukle 45

1 Numerus indicat paginam in qua prima vice nomina reperiuntur citata. Plurium auctorum nomen, ut **Arist., S. Thom., Suarez, Salmantic., Balmes**, fere in singulis foliis scriptum invenitur.

Boureau 24
Bourgeois 199
Bouterweck 217
Bouvier 25
Boyaval 585
Boylesve 225
Bramvell 166
Brants 31
Braun 613
Brentano 532
Brin 18
Brixiensis (Arn.) 849
Brocardus a S. Nicolao 119
Brosa 544
Brouardel 166
Brouse 542
Borussais 63
Brown 221
Bruce 221
Brugerette 18
Bruneteau 29
Brunetiere 19
Büathier 48
Bucceroni 57
Büchner 45
Buddeus 26
Buffon 45
Buisson 18
Bulffl 621
Bulsano 312
Bund 136
Bureau 592
Burlamachius 250
Burlureaux 159
Buxade 549

C

Cabanilles 783
Cabanis 63
Cabet 541
Cadalso 549
Cadena y Eleta 856
Caflero 549
Cajetanus 45
Calker 222
Calmes 676
Caltiere-Boisiere 499
Calvete 620
Calvinus 602
Calvisius 25
Cámara 544
Campanella 540
Canalejas 771
Canz 217
Cappellazzi 582
Capellmann 162
Carbonero y Sol 849
Carneades 198
Carnevale 770
Caro E. 18
Caro (Anna) 695
Carpant 530
Carreras y González 580
Carretero 544
Cartesius 201
Carvajal 695
Carver 592
Casanova 28
Cassianus 510
Cassianus a S. Elia 343
Castelar 64
Castelein 28
Castelló 257
Castro 64
Castro Alonso 80
Castrovieje 531
Cathrein 13
Cauchi 526
Cavour 850
Cepeda 27
Cety 584
Chalbaud y Errasquin 581
Charcot 166
Chauvin 542
Chiesa 543
Christophorus a S. Jos. 343
Chrysippus 200
Chrysostomus (S.) 181
Ciccone 580
Cicero 13
Ciak 592
Claramunt 693
Cleantes 200
Clemens Alexandrinus 26
Clodius 222
Cobden 686
Coccejus 201
Coco 51
Coconnier 165
Coignet 18
Colins 548
Collet 161
Comin 539
Complutenses 15
Comte 17
Concina 27
Condillac 63
Confucius 25
Conimbricenses 83
Considerant 541
Contenson 135
Cornelius a Lapide 71
Corral y Maestro 500
Corsini 25
Cortés (Caj.) 544
Cossio 642
Costa Borras 841
Costa-Rosetti 13
Coston 500
Cotelle 585
Cousin 17
Cratippus 25
Cresson 200
Cubi 220
Cumberland 63
Cumplowicz 807
Curci 850

D

Dahn 401
D' Alembert 199
Dalloz 562
Dalmau y Gratacós 119
Damiron 17
Dante 95
Dardano 582
Darwin 17
Dawson 548
De Besse 581
De Bie 24
De Boglie 17
Debreyne 157
Dechaux 566
De Gryse 585
Dehon 575
Dejardins 298
De la Luzerne 291
De las Cases 578
Delassus 499
Delboeuf 166
De Lugo 26
De Marinis 39
Democritus 25
Denis 652
Dens 80
Denzinger-Bannwart 100
Deploige 29
De Ragon 298
Despine 489
Desttut de Tracy 561
Devas 581
Devivier 97
D' Holbach 219
Diagoras Melius 465
Didacus a Jesu 153
Diderot 63
Didier 489
Dionysius Areopag. 177

Doellinger 850
Domela-Nieuwenhuis 544
Dominicus a SSma. Trinitate 442
Donoso Cortés 530
Dostre-Hulshoff 640
Doumotier 160
Doutreloux 581
Doving 33
Droz 421
Drysdale 619
Dubois 478
Dugald-Stewart 221
Dumas 633
Dunoyer 580
Dupanloup 501
Dupont de Nemour 579
Duprat 343
Durando 186
During 45
Durkheim 198

E

Echarri 696
Egidy 27
Eichorn 460
Eleizalde e Izaguirre 13
Ellero 770
El Monte Carmelo 635
El Social 697
Emmanuel a S. Thoma 467
Empedocles 416
Enfantin 540
Engels 182
Epictetus 25
Epicurus 25
Epiphanius (S.) 538
Esbach 589
Espinasse 691
Estanislao de la Virgen del Carmen 595
Estevez 696
Eymieu 148
Ezechiel a S. C. Jesu 97

F

Faissans 499
Falkenstein 582
Farges 18
Faure 542
Feije 626
Felix (P.) 500
Fenelon 847
Ferdin 543
Ferguson 221
Fernan Caballero 696
Fernández 549
Fernández Valbuena 859
Fernández Concha 31
Fernández Cuesta 500
Fernández Prida 806
Fernández Ramos 652
Ferrand 162.
Ferrara 580
Ferraz 18
Ferreiroa 849
Ferrer 165
Ferretti 27
Ferri 182
Ferry 18
Feuchtersleben 157
Feuerbach 18
Fichte 160
Finetti 27
Fiore 806
Fitter 592
Fleischer 258
Flórez Estrada 580
Flurscheim 548
Fonsagrives 501
Fonseca 83
Fonsegrive 298
Foulliée 18
Fourier 63
Franco 157
Frank 691
Frassen 335
Frayssinous 450
Freppel 581
Frins 28
Fristot 581
Fröbel 642
Fromont de Bouaille 578
Fucker 549
Fuente 853

G

Gabriel a S. Vincetio 15
Gabriel 539
Gafo 212
Galindo 695
Gall 160
Galluppius 632
García Luna 64
García Moreno 806
García Parejo 808
Gardair 148
Garofalo 771
Garriguet 531
Gatterer 501
Gaume 450
Gayraud 581
Gebhardt 71
Gemelli 168
Genicot 589
Genuensis 632
George 548
Gerdil 27
Gerson 804
Gestoso 806
Geyer 770
Gibon 643
Gibbons 696
Gich 581
Gieure 643
Gillet 501
Ginez 64
Gioja 219
Giolli 601
Girard 549
Glinn 548
Gnauck-Kuhne 691
Gobineau 20
Godts 589
Godwin 21
Goethe 110
Gómez Izquierdo 198
Gómez Salazar 326
Gondal 446
Gonet 80
González (Z.) 13
González Carreño 17
Gosselin 847
Gotti 17o
Goudin 13
Gournay 579
Goyau (G.) 642
Grasserie 443
Grave 549
Gregorius Magnus (S.) 26
Gregorius Naz. (S.) 26
Gregorius Nissen. (S.) 174
Grillenber 543
Grimke 693
Groizard 198
Gronovius 201
Gros 640
Grotius 26
Gual 616
Guesde 542
Guibert 153
Guitart 531
Guizot 660
Gury-Ferreres 257
Gutiérrez de la Peña 531
Guyau 321
Guyot 304

H

Haine 57
Haller 402
Hamilton 221
Hans 640
Harlez 582
Harmel 578
Hartmann 64
Hasselmann 543
Hautefeuille 806
Hecker 372
Hedde 817
Heffer 806
Hegel 181
Heine 543
Heineccius 26
Heintz 691
Helleputte 582
Helvetius 63
Henkel 547
Hennequin 541
Henricus a S. Ignatio 516
Henricus Gandavensis 81
Herbart 181
Hermann 838
Hertling 560
Hertzka 548
Herve 542
Herwart 404
Hesiodus 25
Hettinger 97
Hieronymus (S.) 26
Hieronymus a S. Clemente 15
Hilarius (S.) 510
Hinojosa 19
Hitze 540
Hobbes 26
Hoffding 19
Holbach 63
Holtzendorff 770
Homerus 25
Hooke 289
Horatius 22
Hugo a S. Victore 344
Hugon 15
Hume 460
Hutcheson 19
Hutter 539
Huxley 45
Hyndman 543

I

Ibsen 547
Iglesias 544
Innocentius III 517
Iranzo y Goizueta 575
Ireland 582
Isabeau 160
Isidorus Hispal. (S.) 258
Izquierdo 183

J

Jacobi 222
Jacques 17
Jacquier 35
James 441
Jandunus 82
Janet 17
Jaugey 19
Jaures 542
Jewons 592
Jhering 181
Joannes ab Annuntiat. 15
Joannes a Cruce (S.) 66
Joannes a J. M. 148
Joannes a S. Thoma 15
Joli 30
Joseph a Matre Dei 210
Jouffroy 17
Jouillier 561
Juenin 624
Jul. Simon 17
Jungmann 100
Justinus 26

K

Kachnik 541
Kannengieser 849
Kant 17
Käser 537
Kautsky 543
Keller (E.) 843
Kemmerichius 442
Kemnitz 621
Ketteler 581
Kier Hardie 543
Kirchmann 402
Kleutgen 97
Klüber 806
Knoch 501
Knoll 165
Knox 800
Koeppen 222
Kolping 597
Korum 581
Krause 64
Kropotkin 544
Krug 217
Kunzer 580

L

Labanca 594
Laboulaye 561
Labriola 543
La Ciencia Tomista 21
La Civilta Cattolica 441
Lacordaire 181
Lactantius 20
Lafargue 542
Laffite 17
Laforet 200
La Iglesia 547
Lamarck 45
Lamennais 30
Lamettrie 63
Lamy 698
Landry 298
Lapeña 201
Lapie 199
Larra 544
Lasalle 532
Lasson 404
Laurentius a S. Theresia 119
Lavater 160
Laveleye 548
Laverdan 63
Lavollée 499
Lefranc 447
Lemhkuhl 129
Leibnitzius 26
Lemire 581
Leo XIII 9
Leo M. (S.) 26
Le Play 592
Lerminier 30
Leroux 541
Leroy-Beaulieu 576
Lerroux 544
Lescoeur 109
Lesetre 594
Lessing 217
Lessius 26
Letainturier-Fradin 523
Letorneau 147
Lewes 17
Levy-Bruhl 18
Leyden 539
Lezana 146
Liberatore 83
Liberius a Jesu 483
Lichtenberger 561
Liebeault 166
Liebknecht 401
Liedtenstein 582
Lilly 581
Lipps 297
Liszt 769
Litta 621

Littré 17
Lizardi 581
Llovera 537
Locke 220
Lombroso 161
López de Montenegro 549
López Martínez 64
Lorenzo 549
Loria 543
Loth 581
Lottini 292
Lotze 199
Lubbock 612
Lucanus 25
Luccini 582
Lucretius 25
Ludholm 547
Ludovicus Caspensis 583
Ludovicus Granatensis 392
Lueger 592
Lugan 637
Lüger 582
Lugo 232
Lutherus 538
Luzzati 580

M

Mac-Culloch 580
Machiavellus 510
Mackay 549
Mackintosh 199
Mac Lennam 612
Madrazo 580
Maistre 258
Malatesta 549
Malato 549
Malon 542
Malthus 68
Mancini 28
Mandeville 181
Manilius 25
Mañe 549
Manning 576
Manterola 316
Marcus Aurelius 200
Margaritte 633
Margerie 27
Mariana 260
Marion 298
Márquez 801
Marres 589
Martel 13
Martialis 492
Martínez 637
Marx 182
Mary-Wood-Allen 501
Maschat 325
Mas-Gomeri 549
Massol 17
Mateos Gago 809
Matew 500
Mathaeucci 838
Mathieu 849
Maura (A) 843
Maura Gamazo 578
Maura Gelabert 19
Maurer 571
Mausdley 163
Max Stirner 549
Medina 26
Mella (R.) 549
Mendelsshon 217
Mendive 27
Menéndez y Pelayo 64
Menger 6
Meny 585
Mercier 15
Meric 165
Merkel 181
Meunier 594
Meyer 13
Meysenberg 693
Michael de Maria 15
Michel 549
Michelet 417
Milholland 693
Millendorf 577
Millerand 542
Milton 510
Mingo 850
Minocchi 27
Minteguiaga 17
Mir 165
Mirabeau 561
Miraglia 32
Miralles y Sbert 729
Missiaen 557
Miss Martineau 17
Möhl 702
Möhler 652
Moleschot 181
Montseny 549
Mora 544
Morales 22
Moran 294
Morató 17
Morella 695
Morellet 579
Morelli 633
Moreno 594
Morgan 612
Morin 17
Moro 539
Morote 841
Morral 549
Morris 543
Most 549
Mota 811
Múgica 27
Müller 110
Mun 581
Munzer 539
Muratori 22
Murri 27
Musonius Rufus 25

N

Nakens 544
Napoleo 110
Naquet 633
Neeb 222
Nestius 621
Nicotra 589
Nieto Serrano 64
Nietzsche 21
Ninzati 131
Nitti 594
Nocedal 849
Nogues 581
Noget-Lacoudre 184
Noldin 123
Norisius 516
Numenius 25
Nuytz 621
Nysten 618

O

Oberhanser 621
Ockam 182
Oldfiel 770
Olózaga 580
Onclair 531
Origenes 26
Orpheus 25
Orsini 279
Orti y Lara 19
Ortolan 806
Osiander 201
Oswal 221
Ott 563
Ottiger 97
Otto 693
Oudot 204
Ovidius 567
Owen 63

P

Pacetti 24
Pacheco 620
Paepe 544

Palace 619
Palau 619
Paley 610
Pankurst 693
Paquerie 51
Paquet 97
Pardo Bazán 696
Pascal 52
Passy 738
Pastor 199
Paul 621
Paulo Veneto 82
Paulsen 63
Paulus 460
Paulus a Conceptione 39
Pavissich 178
Payot 156
Pechkof 549
Pecsi 52
Pellerin 541
Peña 549
Perales 165
Perin 581
Peris 31
Perujo 285
Pesch 59
Pestalozzi 642
Petit 800
Petrone 401
Philippus a SS. Trinit. 83
Pi y Margall 64
Pichler 336
Pipper 596
Pius IX 20
Pius X 9
Plato 20
Plinius 493
Pöhlman 642
Poggio 850
Polo y Peirolón 547
Posada 580
Posse y Villelga 34
Post 807
Postell 538
Pottier 552
Pou y Ordinas 27
Povius 25
Prat 549
Prevost-Paradol 298
Prins 738
Prisco 27
Protagoras 465
Proudhon 541
Puffendorfius 26
Pujol Lataguna 581
Pythagoras 109

Q

Quesnay 579
Quilliet 717
Quintilianus 506

R

Raimondi 199
Rambaud 536
Ramiere 838
Ramsay Mac Donald 543
Raphael a S. Joseph 115
Rascon 18
Ratzinger 581
Rau 580
Rauh 18
Rauscher 422
Ravachol 20
Ravaison 298
Rayneval 819
Razón y Fé 31
Reclús 547
Reddie 806
Reid 221
Reiffenstuel 325
Reinstadler 28
Reybaud 63
Renán 21
Renard 612
Rendre 500
René 499
Renouvier 200
Rensi 373
Revista social 697
Revold 298
Revue p. d'Apolg. 29
Rey 549
Reybaut 483
Reyes Ruiz 17
Reymond 45
Reynaud 541
Ricardo 34
Ripa 82
Ritschl 460
Rius 748
Rivadavia 548
Riviere 652
Rivot 158
Robespierre 561
Robin 17
Robinet 45
Robles 577
Rodriguez (T) 576
Rodriguez de Cepeda 397
Rodriguez Formosinus 257
Romagnosi 420
Roques 751
Roscher 580
Ros de Olano 580
Roselli 13
Roskovany 614
Rooselvelt 584
Rosset 32
Rossignoli 189
Rotteck 640
Rousseau 181
Rovillard 32
Rubio y Ors 843
Ruiz Amado 157
Ruiz de Grijalva 580
Ruiz de Quevedo 64
Rümelin 619
Ruskin 298
Russel 548
Rutten 581
Ryan 585

S

Saalfeld 806
Sáenz de Aguirre 14
Saint Lambert 181
Saint Leon 575
Saint Simon 63
Saisset 17
Sala 850
Salat 222
Salisburiensis 846
Salmanticenses 15
Salmasius 602
Salmeron 64
Salomon 66
Salvoechea 549
Samuel de Sta. Teresa 547
Sánchez 180
Sánchez Casado 157
Sánchez Román 553
Sanz del Río 64
Sanz Escartin 580
Saralegui 257
Sardá y Salvany 839
Sarraga 693
Sasse 624
Sastre 577
Satolli 367
Savigni 400
Say 556
Schaeffle 681
Schaezler 839
Scheicher 579
Scheling 181
Schiffini 13
Schiller 64
Schleiermacher 64

BIBLIOTECA PROVINCIAL DE BURGOS

Schmansius 17
Schmalzgrueber 257
Schmid 222
Schmier 250
Schmit-Scwarcenberg 27
Schmuckenschlaeger 257
Schopenhauer 64
Schrijvers 34
Schulze 702
Schwalm 531
Schwarz 27
Schweitzer 542
Sebaldus a S. Christophoro 343
Secretan 298
Sembat 542
Semichon 872
Semler 460
Seneca 183
Serrano 397
Sertillanges 321
Severine 693
Sevillano 849
Shaftesbury 19
Sidgwick 510
Sigea 695
Signoriello 15
Silvela 843
Silverio de Sta. Teresa 202
Simarro 642
Singer 543
Sismondi 849
Six 582
Smith 19
Snowdem 542
Socrates 20
Solari 178
Soler 30
Soler (Caj.) 857
Solovief 770
Soto 26
Spalding 692
Spencer 17
Spinoza 45
Spurzheim 160
Stadler 526
Stadt 539
Stalh 702
Stamler 404
Stamm 548
Stange 472
Stanlejus 25
Stateczny 17
Steccanella 589
Stein 63
Sthal 20
Sthein 401
Stirner 21
Stoerk 404
Stout 548
Strauss 460
Stuart Mill 17
Sturzo 686
Suárez 54
Sudre 538
Sunmel 18
Suñé 550
Surbled 617
Sylva 696
Sylvius 83
Syme 548

T

Tacitus 493
Tagliaferri 857
Taine 17
Talleyrand 510
Tanner 280
Tanquerey 20
Taparelli 27
Tapia 64
Tarde 199
Tarquini 855
Tarrida del Mármol 549
Taylor 510
Tejado 853
Terentius 506
Tertullianus 26
Theiner 849
Theodorus Cyrenaicus 465
Theophilactus 510
Theresia (Sta.) 508
Thery 581
Thierry 30
Thomas (S.) 14
Thomas a Kempis 414
Thomasius 26
Thompson 489
Thon 401
Thorel 608
Thrasylus 25
Tissot 479
Todt 594
Toland 460
Tolstoy 547
Tom Mann 543
Tongiorgi 13
Toniolo 531
Torras y Bages 643
Tour du Pin 581
Tourette 166
Touroude 165
Tredelenburg 602
Tröltschs 642
Troplong 660
Tucker 200
Turati 543
Turgot 199
Turinaz 499
Turmann 531
Turrecremata 399

U

Ubeda y Corral 499
Ugarte 147
Urraburu 15

V

Vacant 165
Vacherot 17
Vadel 337
Vaillant 542
Valentia 176
Valentinus ab Assumpt. 20
Valerius Maximus 656
Valla 199
Vallet 19
Vallins 621
Vallon 652
Valsecchi 459
Van der Aa 471
Vandervelde 544
Vanlaer 592
Van Roy 601
Vázquez 54
Vázquez de Mella 742
Vecchio 822
Vecchiotti 326
Ventosa 577
Verdier 569
Verhaegen 582
Veermeersch 537
Vewillot 849
Viardot 17
Vicent 533
Victoria 26
Vieira 553
Vigny 298
Viguerius 225
Villada 813
Villafranca 549
Villari 17
Villarrasa 649
Villelga Rodriguez 849
Vinkeblech 542
Viollet 571
Viviani 542
Vogensang 581
Vogt 63

Volney 63
Vossen 581

W

Waffelaert 401
Wallace 548
Waldensis 843
Walterbach 596
Wats Morgan 543
Wattel 421
Wegscheider 461
Weiller 222
Weininger 692
Weiss 222
Weiss (A. M.) 47
Wellhausen 460
Werner 543
Wette 460
Wilbois 199
Willems 15
Wilmers 469
Windelband 64
Winterer 536
Wircebiirgenses 80
Woadholl 693
Wolfius 26
Woltmann 179
Wossen 496
Wulf 45
Wundt 64


Z

Zagler 417
Zallinger 27
Zech 601
Zenon 25
Ziegler 33
Zigliara 48
Zola 617
Zoroaster 25
Zugasti 544

CORRIGENDA

Pag.	Lin.	Dicit	Lege
34	18	Nemologiam	Nomologiam
199	39	Didon	Didot
116	35	Goyau	Guyau
295	2	sicut homo non potest uti habitu intellectus	sicut homo non potest uti habitu scientiae propter somnum; et similiter puer non potest uti habitu intellectus
522	23	fame	famae
596	26	paene	pene
597	23	paries	pariens
600	39	XXIV	XXII
638	25	si	sit
674	16	puncturae	pincturae
789	25	quocum	quod cum





P. MARCELLO

PHILOSOPHIA MORALIS ET SOCIALIS

BU
3389

BIBLIOTECA PUBLICA